H·57

EPISCOPVS.

Siue Libri Quatuor

DE EPISCOPATVS

RATIONE, NECESSITATE, STATV, CAVSA ſubiectiua, ideſt, Perſona illum ineunte; de cuius Natalibus, Nobilitate, Ætate, Scientia, Integritate vitæ, præſertim Caſtitate, ad cuius vel contrariam ſuſpicionem ab Epiſcopo ablegandam, de Correctione ei facienda à Diœceſana Synodo, de qua diſertè tractatur.

NECNON DE CENSVRIS, QVAE PRAESVLATVM impediunt, dequè alijs impedimentis, ſiue Vita Religioſa, ſiue voti de non acceptanda dignitate emiſſi, quam an liceat ſemper fugere, vel etiam Iuſſo à Summo Pontifice non acceptare.

Demum de Ordine, quo inſignitus eſſe debeat Eligendus

AD EPISCOPATVM.

AVCTORE P. ANDREA GERVNDA

Societatis IESV Theologo.

NEAPOLI, Apud Franciſcum Sauium Typograph. Curiæ Archiepiſcopalis.

M. DC. XLVIIII.

Sumptibus Petri Anelli Perrini Bibliopolæ Neapolitani.

ILLVSTRISSIMO VIRO
D. IOANNI FRANCISCO MARCIANO
GENTE, ET MENTE CLARISSIMO,
Iuris vtriuſque Conſultiſsimo.

Olim in Supremis Regni Subſellijs Primis Ordinis Aduocato.

Nunc in Supremo Iuſtitiæ Senatu Conſiliario optimo.

PORphyręgenitum hoc opus, cui à Cardinalis Brancaccij purpura primum vitæ lumen emicuit, Tuæ Togæ patrocinantem vmbram expetit, iterum ſudaturum ſub prælo. Quidni Lucinæ munus præbeas naſcituris ad lucem libris, qui Neapolitani Fori ſidus es, & eruditus Aſtręæ Sol Ciuilium Legum cælum illuſtras. Conſiliarij dignitas numquam viſa maior, quàm in te numquam minor, quàm in tuis votis, nimirum tuæ Prudētiæ indoles eſt, non aliud ambire quàm meritum. Ad altiora gradum breui facies, ni fatū laboret inuidia. Honor ſub ſapientię haſta vendi ſe patitur; eorumq; vectigalis eſt, qui Gemellam Pietati iuris ſcientiam volunt. Hęreditarium maiores tui decus impertient poſteris, in Foro regnare. Viuit adhuc Neapoli viuit, doctiſsimi

Paren-

Parentis memoria, viriditatem gloriæ numquam occaſuram nacta ſub Laurea. Nunc præſtantiorem Filium expectant Roſtra atque ſubſellia ad Iuſtitiæ ſplendorem, & Famæ. Sed parcam hic tuis laudibus, quarum panegyris à ſilentio petēda eſt. Age benigniſsimo vultu Epiſcopū hunc eruditiſsimè quæſtionum infulis vittatum excipe, & litteras ama, qui tot digna litteris audes.

Illuſtriſsimæ D. V.

Humillimus, ac deuinctiſsimus ſeruus:

Petrus Anellus Porrinus Bibliopola Neapolitanus S.D.P.

CANDI-

CANDIDO LECTORI.

CVM ab actuoſæ vitæ, quæ in Academijs à publicis literarum doctoribus viuitur (quæ eſt humanarum rerum viciſſitudo) nonnihil otij nactus aliquando eſſem; ad eam Encyclopædiæ partem, quæ de moribus dirigendis agit, explicandiſque conſcientiæ tricis, excolendam animum appuli. Idque non eo conſilio, vt æternitati ſeruirem, ſed vt eruditis otijs ſatis malignum fallerem tempus: non vt ſeueriora ſtudia abijcerem, ſed vt inter litterarum delicias humanos euentus virtute inferiores ducerem; ad nouos enim caſus temporum, nouorum conſiliorum rationes accomodandæ ſunt. Cùm Eminentiſſimus Cardinalis Creſcentius Epiſcopus Vrbeuetanus, qui me, quæ eius erat humanitas, ad ſuę perfamiliaris neceſſitudinis faſtigium euexerat, deſidem cæteroquin mentem, & ſuæ imbecillitatis conſciam, à ſcribendo planè alienam ad aliquid poſteritati commendandum, ſuæ impulit dignitate perſonæ. Cumque de argumento moliendi operis quæreretur, & omnem penè ſapientiæ partem occupatam iam eſſe affirmarem: ſiue quòd in eam irem ſententiam: ſiue vt oneri, quod mihi imponebatur, ſubducerem caput; ecquod inquit ex tot, tantiſque literarijs monumentis, quæ in lucem hactenus prodierunt, ad ſacros Antiſtites dirigitur, deque ipſorum munere, ac partibus in Eccleſia adeò præcipuis, ita agit, vt Epiſcopus in illis omnium partium complexione abſolutiſſimus habeatur? Nullum ſanè, quòd nouerim, etſi complura id eruditè magis attigerint, quàm copiosè (erat autem ſapientia præditus eiuſdem amplitudini non impare) quin ergo hanc, vel me auctore prouinciam ſuſcipis? age iam, & ingenioſis laboribus Sacrorum Præſulum diſciplinæ, commodis, ornamentoque velificare. Quam ampli ex hoc opere colligentur vtilitatis fructus? Quantum emolumenti ex hoc fonte vniuerſæ Chriſtianorum Reipublicæ deriuabitur? Difficultatum nè, quibus obſita eſt ad æternitatem via, vepres, ac dumeta deterrent? At virtus inde effloreſcit venuſtiùs Lilij inſtar, ac Roſæ amœniùs inter ſenticeta vernantium. Mœrore conficeris, ac contabeſcis? At floribus odoris minimè acceſſitur æternitas, niſi prius in clibano veluti in Oeta Herculis conflagrent, igneoque ardore prope conſumpti fragrantes, liqueſcentes in latices inſolenti experimento doceant vel fontes exiſtere poſſe ab incendijs. Ægritudine penè profligatus abijceris? at quot machinis hæc animi affectio ad gloriæ faſtigium euehit? quot mortalibus ad veritatem indagandam ſtimulos admouet? Quanto eſt ad omnem ſapientiæ lauream capeſſendam incitamento? Cur enim vni hominum oculo & videndi, ac flendi vis inſita eſt ab Auctore Naturæ, niſi vt diuino ſanè conſilio eo tanquam in ſpeculo exprimeretur humanæ mentis acies, à lacrimis, fletuque omni labe deterſa veritatem acriùs intueri. Age ergo & Criticorum negligas ſiue latratus, ſiue morſus; illi enim ad laudem, hi ad compendium faciunt gloriæ. Quan-

to enim vberiores,præſtantiores quanto fert fiuctus ſegetum à pecoris dente vel leniter depaſta luxuries? Sis etiam Ariſtarchorum, Zoilorumque planè ſecurus, horum enim ictus, quis ambigat, tamquam ſtatuariorum non ad fœditatem, ſed ad pulchritudinem excipiendos potiùs eſſe. Quid plura? huiuſmodi argumentis ſuaſit, perſuaſit auctoritate, & reiectis omnibus, quæ me ab arduo labore deterrere videbantur, effecit, vt operi manus propiùs admouerem, admotiſque animos continenter addidit, donec ex Venuſini lege nonum hoc opus premeretur in annum. Neque ſatis, cùm ſub prælo tandem ſudauit quidem illud, at ob ineruditam horum Typographorum inſcitiam ipſe deſudaui; efficaci vtinam ſudore ad abſtergendas tot, tantaſque, quibus ſcatet mendorum lituras, quæ plures ſanè ſunt, quàm in typographio litterarum formæ; ſed quas mea induſtria non valuit, tua vt præſtet benignitas, rogo, amice Lector, Vrſæ imitatus erga catulos pietatem, beneficaq; ſuppleas lingua defectus, ſiue mei partus, ſiue illorum palmaris incuriæ, atque ignorantiæ, quem vel hac de cauſa magna cum animi mœrore in lucem edidi. Et nè tantùm tibi faſtidij ſit correctio, præcipuorum errorum emendationem ad libri calcem adieci. Accipe igitur vnà cum mei conſilij ratione primum hoc huius Operis volumen, quod duo quoque alia mox ſequentur, & quod minus arridet, meæ tribuas imbecillitati; quod ex voto acciderit, acceptum Deo referas, qui & Eminentiſſimo Principi eam indidit mentem, vt mihi ad illud moliendum auctor exiſteret, & ad conſcribendum vires ſuppeditaret. Vale, & fruere.

INDEX LIBRORVM, DISPVTATIONVM, ET CAPITVM:

Index Libri Primi.

De natura, ac dignitate Præſulatus, fol. 1.

DISPVTATIO I.

Epiſcopatus natura, & neceſſitas ſecundùm ſe declaratur, fol. 2.

Cap. 1. Expenditur Epiſcopi nomen, folio ſecundo.
Cap. 2. De diuiſione Præſulatus, fol. 7.
Cap. 3. Quid ſit Epiſcopatus, fol. 11.
Cap. 4. An ad intrinſecam Epiſcopatus rationem actualis ſpectet iuriſdictio in aliquam diœceſanam Eccleſiam, fol. 12.
Cap. 5. An Epiſcopatus in Eccleſia Dei ſit neceſſarius, fol. 21.

DISPVTATIO II.

De Statu Epiſcopali, fol. 25.

Cap. 1. An ſtatus Epiſcopalis ſit perfectionis ibidem.
Cap. 2. An ſtatus Epiſcopalis ità ſit perfectionis exercendæ, vt non ſit acquirendæ, fol. 27.
Cap. 3. An Epiſcopatus cuius ſæculari præſtet principatui, fol. 33.
Cap. 4. An Epiſcopatus Præsbyteratu maior ſit fol. 36.
Cap. 5. An Cardinalatu præſtantior ſit Epiſcopatus, fol 41.
Cap. 6. An Epiſcopatus ſtatu religioſo perfectior ſit, fol. 45.
Cap. 7. An Angelis Epiſcopi præſtent. folio quinquageſimo primo.

Index Libri Secundi.

De ſubiectiua Præſulatus cauſa, ideſt de perſona Epiſcopatum ineunte, fol. 52.

DISPVTATIO I.

An Pontifex in iure naturali diuino diſpenſare poſsit, fol. 53.

Cap. 1. Ad diſputationem Proluſio, fol. 53.
Cap. 2. Variæ referuntur ſententiæ, fol. 56.
Cap. 3. Aſſeritur vera ſententia, fol. 61.
Cap. 4. Contraria ſoluuntur argumenta, folio 69.

DISPVTATIO II.

De legitimis Epiſcopi natalibus, fol. 74.

Cap. 1. Illegitimi ab Epiſcopali reiiciuntur dignitate, fol. 74.
Cap. 2. Legitimi Præſulis natales quàm notorij eſſe debent, fol. 78.
Cap. 3. An Expoſitus ordinari poſſit in Antiſtitem, fol. 81.
Cap. 4. An ignotis natus parentibus, vel de quibus vtrum legitimè generauerint, dubitatur, in Epiſcopum promoueri poſſit, foiio 86.

DISPVTATIO III.

De vi ſubſequentis matrimonij ad prolem legitimandam. folio 91.

Cap. 1. An ſubſequens validum matrimonium prolem omninò legitimet, ibidem.
Cap. 2. An quodcumque matrimonium etiam inualidum, non tamen clandeſtinum prolem legitimet, fol. 95.
Cap. 3. An matrimonium clandeſtinum alioquin inualidum legitimam prolem reddat, fol. 98.
Cap. 4. Quæ ignorantia tale matrimonium clandeſtinum à pœna explicata excuſet, folio 102.
Cap. 5. An matrimonium clandeſtinum alioquin validum prolem legitimet antea ſuſceptam à parentibus habilibus ad contrahendum tempore conceptionis, aut natiuitatis, fol. 108.

DI-

DISPVTATIO IV.

Religioſa profeſſio deleat nè illegitimorum natalium notam, folio 111.

Cap. Vnicum, An Religioſis profeſſis illegitimorum natalium nota ad dignitatem Epiſcopatus impedimento ſit, ibidem.

DISPVTATIO V.

De illegitimorum natalium diſpenſatione, folio 113.

Cap. 1. De illegitima diſpenſandi facultate in illegitimis natalibus ad Epiſcopatum, folio 113.

Cap. 2. An Epiſcopo ſit poteſtas diſpenſandi in illegitimorum natalium irregularitate ad Præſulatum, folio centeſimo decimoſeptimo.

Cap. 3. Proluſio ad explicandam facultatem abſoluendi, ac diſpenſandi Epiſcoporum, folio 121.

Cap. 4. Vera ſententia de poteſtate diſpenſandi, & abſoluendi Epiſcoporum ab occultis, folio 127.

Cap. 5. An illegitimus diſpenſatus ad vnam Eccleſiam, cenſeatur diſpenſatus ad plures, folio 132.

Cap. 6. An illegitimus à Papa promotus ad Epiſcopatum cenſeatur legitimatus, vel diſpenſatus, folio 133.

Cap. 7. An ſola conniuentia Superioris videntis Impeditum à iure, quod poteſt diſpenſare, exercere ſibi interdicta, cenſeatur diſpenſatio, folio centeſimo trigeſimonono.

DISPVTATIO VI.

De nobilitate Sacri Præſulis. folio 148.

Cap. 1. Proluſio Diſputationis, folio eodem.

Cap. 2. An præſtet Epiſcopum nobilem eſſe, folio 157.

DISPVTATIO VII.

De Præſulis Aetate. folio 163.

Cap. 1. A ſacris Canonibus præſcripta Præſulibus ætas aſſeritur, ibid.

Cap. 2. An ante aſſertam ætatem Epiſcopatus validè alicui, præſertim Infanti daretur, folio 167.

Cap. 3. Qua culpa, vel cenſura teneretur, qui ante legitimam ætatem promouetur, & à quo eſſet diſpenſatus, folio 171.

Cap. 4. Cuius, & quomodo ſit probanda legitima Præſulis ætas, folio 173.

Index Libri Tertij.

De proximis ad Epiſcopatum diſpoſitionibus. fol. 176.

DISPVTATIO I.

De ſcientia Epiſcopi. folio 177.

Cap. 1. Quæ neceſſaria ſit Præſuli ſcientia, ibidem.

Cap. 2. Quis Sapiens in Epiſcopatus munere ſit alteri præferendus, folio centeſimo octuageſimoquinto.

DISPVTATIO II.

Num aliquod crimen Epiſcopatui ſit impedimento, folio 189.

Cap. 1. Varij errores, & opiniones, folio eodem.

Cap. 2. Proluſio dilucidationis, folio centeſimo nonageſimo.

Cap. 3. Vera ſententia, folio centeſimo nonageſimotertio.

Cap. 4. Soluuntur argumenta contraria, folio 199.

DISPVTATIO III.

De integritate vitæ Sacri Antiſtitis, folio 201.

Cap. 1. De morum probitate in Epiſcopo deſiderata, folio eodem.

Cap. 2. Clerico non Religioſo præſtet ne Religioſus ad Epiſcopatum, folio ducenteſimoſeptimo.

DISPVTATIO IV.

Quæ potiſſimum Cenſuræ Præſulatum impediant, folio 210.

Cap. 1. Maiori ligato excommunicatione; ſuſpen-

ſuſpenſione, vel interdicto, num ad Epiſcopatus Sacrtmentum pateat aditus, ibidem.

Cap. 2. Num Epiſcopatus beneficio maior excommunicatio, ſuſpenſio, vel interdictum impedimento ſint, folio ducenteſimo decimoquarto.

Cap. 3. Oppoſitio quam habent excommunicatio maior, ſuſpenſio, atque interdictum cum Epiſcopatus beneficio, quoad fructus expenditur, folio ducenteſimo vigeſimo.

Cap. 4. Qua ratione minori deuinctus excommunicatione minus aptus ad Epiſcopatum ſit. folio 226.

DISPVTATIO V.

De Monogamia, & Sacri Præſulis continentia, fol. 232.

Cap. 1. De Monogamia Præſulis ſecundùm Apoſtoli ſenſum, folio ducenteſimo trigeſimoſecundo.

Cap. 2. Num continentia Ordini ſacro annexa, Diuini, vel Eccleſiaſtici ſit iuris, folio 235.

Cap. 3. De continentia Orientalis Eccleſiæ, folio 240.

DISPVTATIO VI.

An ſacris Ordinibus initiati obligentur ad continentiam in Eccleſia Latina per præceptum Eccleſiaſticum, an verò per ſolum votum continentiæ, folio 248.

Cap. 1. Variæ de hac re ſententiæ, folio eodem.

Cap. 2. Aſſeritur vera ſententia, ex qua cæteræ reijciuntur, folio ducenteſimo quinquageſimo.

Cap. 3. Corollaria deducuntur ſuperioris ſententiæ, folio 255.

Cap. 4. An, & quo iure ſacer ordo ſubſequens irritet matrimonium, folio ducenteſimo ſexageſimo.

Cap. Vltimum, Contrariæ ſoluuntur rationes, folio 261.

DISPVTATIO VII.

De Eccleſiaſticis cenſuris contra Clericos incontinentes, fol. 263.

Cap. 1, De cenſuris latis in communi contra incontinentes Eccleſiaſticos, folio eodem.

Cap. 2. Expenditur excommunicatio Clementinæ vnicæ de affinitate, & conſanguinitate, folio ducenteſimo ſexageſimo quarto.

Cap. 3. De ſpecialibus ſuſpenſionibus ad arcendam incontinentiam ab Epiſcopis, folio 274.

DISPVTATIO VIII.

Quæ correctio ſit in præcepto. fol. 290.

Cap. 1. De obligatione fraternæ correctionis, folio eodem.

Cap. 2. Ordinem Euangelicæ correctionis non eſſe in præcepto probant, & autumant nonnulli, folio ducenteſimo nonageſimotertio.

Cap. 3. Proluſio ad veram ſententiam, folio eodem.

Cap. 4. Vera ſententia, folio ducenteſimo nonageſimoſeptimo.

Cap. 5. Generales ex dictis deducuntur regulæ, folio 312.

Cap. 6. Nonnulla deducuntur ad correctionem à diœceſana Synodo faciendam Epiſcopo, folio 332.

Cap. 7. Soluuntur argumenta contraria capite ſecundo relata, folio 332.

Index Libri Quarti.

De impedimentis ad Epiſcopatum voluntariè contractis, folio 335.

DISPVTATIO I.

Religioſorum virorum conditio, ſtatui num opponatur Epiſcopali. fol. 336.

Cap. 1. Proluſio Diſputationis, folio eodem.

Cap. 2. An Religioſus ſtatus Epiſcopalem impediat dignitatem, folio trecenteſimo trigeſimo octauo.

Cap. 3. Quæ, & cuius Superioris pro Regulari promouendo in Epiſcopum facultas deſideretur, folio trecenteſimo quadrageſimoprimo primo.

Cap. 4. Declaratur *Textus capit. Quorundam de ele-*

Te electione in 6. folio trecenteſimo quadrageſimo octauo.

Cap. 5. An votum Religionis impedimento ſit Epiſcopatui, 351.

DISPVTATIO II.

Epiſcopalis ſedes procuranda nè, an fugienda ſit, folio 363.

Cap. 1. An liceat Epiſcopatum ambire, quærere, & optare, folio trecenteſimo ſexageſimoquarto.

Cap. 2. An Epiſcopatus apta ſit materia voti, folio 371.

Cap. 3. An iuſſus Epiſcopatum adire, poſſit omnino recuſare, folio trecenteſimo ſeptuageſimoſecundo.

Cap. 4. An liceat Epiſcopatum iniunctum ratione periculi recuſare, folio trecenteſimo nonageſimo.

Cap. 5. An liceat votum non procurandi, vel non acceptandi Præſulatum, folio trecenteſimo nonageſimoſecundo.

DISPVTATIO III.

An, & quo ſacro initiatus Ordine debeat eſſe promouendus in Epiſcopum. folio 400.

Cap. vnicum, Quem expoſtulet ordinem Epiſcopatus in perſona ad eum licitè promouenda, folio 400.

FINIS.



VINCENTIVS CARRAFA
Socieatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

CVM Opus P. Andreæ Gerundæ noſtræ Societatis Sacerdotis de Epiſcopo, tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcritas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Romæ 25.Ianuarij 1647.

Vincentius Carrafa.

Loco † ſigilli.

Admodum Illuſtris, & Reuerendiſſ.Domine.

TRactatum de Epiſcopis Adm.Reuer.Patris Andreæ Gerundæ è Societate Ieſu Theologi perlegi, & nihil contra fidem vel bonos mores inueni; ideo typis mandari poſſe iudico: maximè ob dictiſſimam traditam methodum, dilucidè, ac diſtinctè; itaut nihil amplius ad materiam aſſequendam deſiderari poſſit; ſi tamen Adm.Perilluſtr. D. V. Reuerendiſs. videbitur. Neapoli die 25.Ianuarij 1648.

Seruus addictiſſimus

Ioannes Vincentius Iuuuenis Cimiliarca, & Canonicus Deputatus.

Imprimatur.

Gregorius Peccerillus Vicarius Generalis.

Fr.Ioſeph de Rubeis Ord.Min.Conu.S.T.D.Eminentiſs.& Reuerendiſs.D.Card. Philam.Th.& Conſultor S. Officij.

Regiſtr.fol.24.à fronte.

Illuſtriſſ.& Excellentiſſ.Domine.

PErlegi attentiſſimè iuſſu Illuſtriſſ.& Excellentiſſ. Dominationis veſtræ librum, cui Titulus eſt, *Epiſcopus*, ab Admodum Reuerendo P.Andrea Gerunda Societatis Ieſu Theologo editum: illumque plenum eruditione, ſanaque doctrina redundantem reperi: nihilque in eo temporali Iuriſdictioni, vel Sacræ Regiæ Maieſtati derogatum inuenio. Quare typis mandari meritò poteſt, ſi ita videbitur Veſtræ Excellentiæ; quam diu ſuperſtitem, incolumemque ſeruet Deus. Neapoli die 29.Maij 1648.

Dominationis Veſtræ Illuſtriß.& Excellentiſſ. ſeruus ſemper addictiſſ.

Cæſar de Viuo Societatis Ieſu.

Viſa prædicta relatione imprimatur.

Zufia Reg. Caracciol.Reg. Capicius Latro Reg. Garcia Reg.

LIBER PRIMVS.

De Natura, & Dignitate Præſulatus.

OPus aggrediormaguum, atque arduum, eorum omnium, quæ ad Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem typis hactenus data ſunt, nulli ſecundum; ſiue proprium eius ſpectes inſtitutum, quippe quod capitis vicem gerentibus deſeruire, non reduuias curare contendit; etenim, vt probè, ſacro afflante Spiritu, *Greg. XV. Pont. Max. in Bulla de electione Papæ anno 1621. edita*, quod huc etiam ſua ratione ſpectat; *Salus* (inquit) *non vnius membri, ſed totius corporis agitur, cùm de capite cõſulitur:* ſiue Chriſti ſummi Paſtoris neceſſitatem gregis conſideres, vt ea, quæ par eſt, charitate, prudentia, atque iuſtitia regatur: ſiue cæteras inſpicias Præſulis fuuctiones, ad quas latiùs hæ patebunt lucubrationes: ſiue demum perpendas, quibus ſcatet, difficultates Epiſcopus, omnium ſibi vendicans complexionem numerorum. Verùm enim verò mihi illud ingredienti, in quo noctes, & dies vrgere conſilium eſt, ſedulò conſiderandum fuit, nè me in ſyluam abſtruderem denſam, in qua ad exactam Epiſcopalis ſtatus, naturæ, dignitatis, ac muneris dilucidationem, metamque nulla pateret via; Quàmobrem itineris ignarus ad mare amnem quæſiui comitem, vt eſt in Prouerbijs; at adeò tortuoſis errantem ambagibus nactus ſum, vt quem ab erroribus auertentẽ ducem habere ſperabam, in varios me ſenſim penè, ac ſine ſenſu inducentem comperi; quapropter tritum, quod adiumento alijs eſſe ſolet iter, aduerſis, auerſiſque auctorum veſtigijs fallax relinquere, & inuſitatum compulſus ſum indagare, aliorum fortaſſis haud preſſum adhuc pedibus; à veritate tamen numquam diuino nixus auxilio, diſceſſurus. Neque quod monſtrum publicis dederunt notis nonnulli auctores, vel ſuis partibus carens, aut non cohærens, vel nullo efformatum ordine vitioſum perfectioni redditurus; ſed ſuis omnibus abſolutum numeris, Theologus, nec vtriuſque iuris aſpernens munia (ni me mea, vt quemque ſua fallit opinio) præſtantiori methodo Præſulem meum ipſe profectò expreſſurus. Itaque, vt ſemel omnia, tanquam in ſummam relata ſub aſpectu ponam. Primo loco Epiſcopatus expendam ſtatum, & naturam: ſingulas deinde cauſas aggrediar, tum intimas, vt materialem, ſeu ſubiectiuam, perſonam Antiſtitis, naturali, & morali vacantem vitio, atque à natura, à morali virtute, ac gratia inſitis illuſtratum ornamentis: nec non formalem electionis, poſtulationis, præſentationis, promotionis, confirmationis, ordinis, ſeu conſecrationis: tùm externas, vt effectricem facultatis nimirum eligendi, poſtulandi, præſentandi, promouendi, confirmandi, ordinandi, ſeu conſecrandi; vbi cum contrariorum eadem ſit diſciplina, de cauſa peragemus abrogatoria, ſeu deſtruente: inſuper antequam ad finalem explanandam Epiſcopatus rationẽ accedamus, vt ex reali natura ſuas nouimus promanare proprietates, facultates, ſeu rei ornamenta; ſic è noſtro Præſule ſuas; quas explanare operæpretium eſſe iudicauimus. Demum finalem explicabimus cauſam Epiſcopalis formæ, quæ vt de cæteris meritò ſentiunt Philoſophiæ, ac Theologiæ periti, data eſt ad functiones; aut quia ad has illa cùm condita ſit, induit rationesm finis, quod de viuenti *Ariſt. lib. 2. de Cœl. indicauit cap. 3. text. 17.* cum operationem vitæ, finem eſſe viuentis aſſeruit; aut quia functiones effectus ſunt, ſeu operationes, ex quibus à poſteriori rei nobis innoteſcit facultas effectiua, quæ ad eas relata cognoſcitur; ſic idẽ Philoſophus, quæ princeps eſt forma, animam *lib. 2. c. 1. tex. 6.* finiuit, *Actum primum ſubſtantialem corporis phyſici organici, potẽtia vitã habentis:* ad has ergo functiones, vt ad finẽ Præſulatus dilucidabimus formã. Quæ omnia tribus comprehẽdere voluminibus ſuis diſtinctis libris animus eſt, ni currente rota ſtylus plures finxerit. Status, natura, ac ratio Præſulatus quæq; ad ſubiectum, perſonamq; faciunt Epiſcopi hoc continentur. Reliqua cęteris.

DISPVTATIO PRIMA
DE
EPISCOPATVS
Natura, & neceſsitate.

Cùm nomen imago rerum quodammodo ſit, quam in compendio præfert, ab eo placet exordiri.

CAPVT PRIMVM.
Expenditur Epiſcopi nomen.

S V M M A.

Catholicorum ſententia de nomine Epiſcopi, n. 1.
Hæreticorum ſenſus, num. 2.
Origo nominum, num. 3.
Quid ſit nomen, num. 4.
Quid nomen commune, num. 5.
Quid proprium, num. 5. & 6.
Expoſitio Auctoris, num. 7.
Nomen Epiſcopi præ cæteris magis propriū, n. 8.
Eſt nomen officij, ac dignitatis, num. 9. & num. 10.
Prudenter ad Præſules contractum, num. 11.
Meritò, & cur fratres à Papa dicantur Epiſcopi, num. 12.
In iure nomine dignitatis venit Epiſcopus in fauorabilibus, num. 13.
Nomine Religioſorum probabiliter veniunt Nouitij in fauorabilibus, num. 14.
Expenditur Cap. Quia periculoſum de ſentent. excom. in 6. num. 15.
Nomine Diœceſani ſolus venit Epiſcopus, n. 16.
Nomine Epiſcopi omnes dignitates maiores veniunt, num. 17.

QVotquot ſacrarum exponunt litterarum myſteria, epiſtolæ præſertim *Pauli ad Thimot. 1. cap. 3.* quot etiam ſacros expendunt canones, Decreta præcipuè *diſt. 21. & à 41. vſque ad 49. nec non diſtinct. 85. & 89. Theologi etiam Angelicum ſequuti 2. 2. quæſt. 185. Summiſtæ verb. Epiſcopus*, ac alij varijs in libris, Epiſcopum nomen eſſe græcum notant, à verbo ἐπισκοπεῖν, quod idem eſt, ac omni conatu, & intentione proſpicere, vt debet Epiſcopus; quare probè *Theodoretus ſcribit in locum ſuper allatum Pauli Epiſcopum dici παρὰ τοῦ ἐπισκοπεῖν πάντας*, eo quòd omnes ſpeculetur, quem ſenſum communiter amplectuntur ſancti Patres, ex quibus *Ambroſius Epiſcopum in eminentiori ſuo ſolio tamquam in ſpecula conſtituit de dignit. Sacerdot. cap. 6.* vt nimirum omnes videre, atque ab omnibus videri poſſit, vel vt optimè mihi videtur *Tridentinum indicaſſe ſeſſ. 22. cap. 1. Cum enim à rebus ſeculi in altiorem ſublati locum cōſpiciantur in eos* (Epiſcopos ſcilicet) *tamquam ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex eiſque ſumunt, quod imitentur.*

2 Huic Catholicæ doctrinæ tametſi omnes diſcrimen negantes inter Presbyteros, & Epiſcopos Hæretici Ariani detrahunt, vt videre eſt apud *Epiphanium hæreſi 65. & Auguſtinum 53.* directè tamen, & quaſi cominus firmatis aſtis Nouatores, recentioreſque Hæretici, irrito tamen ictu, refragantur, quos inter peſtis eſt illa Lutheri, qui in libello contra falſa nomina ſtatuum Eccleſiæ, Epiſcopi etiam nomen impiè laceſſit.

3 Ego verò notandum habeo primum, ad innatum, quo flagrat, deſiderium princeps animal homo, vt proprijs quaſi terminis vniuerſa circumſcribens μικρόκοσμος ſingularum rerum, velut in ſummam reductarum naturam amplecteretur, intellectiua donatū eſſe vi, qua omnium ſpecies ad ſe ille reuocans cunctarum imagines rerum naturaliter, atque intentionaliter comprehenderet mente; quas quidem, vt alijs palam facere

poſſet

poſſet, atque ore ſignificare, prò varietate inſtitutionum voces quàmplures adinuenit, quibus vteretur pro ipſiſmet rebus mente conceptis.

4 Nomen igitur pro præſenti inſtituto vocalis eſt imago ex inſtitutione rem conceptam exprimens, cuius vices gerit, quaue eius loco vtitur homo.

5 Notandum ſecundò, nonnunquam nos multa velut in ſummam concipere, ſeu illam mente rationem excipere, in qua multi conueniunt, quam voce ſignificando, nomine haud proprio; ſed ad cętera etiam ſe extendenti donamus, nonnunquam verò vnicam rem, vel penes eius attributa, vel penes aliquod maximè proprium comprehendere, voceque ſignificare per nomen quidem ſpeciale; quod eò magis erit proprium, quò peculiares rei explicatę rationes continebit, atque exprimet.

6 Notandum tertiò apud Athenienſes, *Ariano teſte libr.* 8. Epiſcopos eos fuiſſe, qui ad iuſdicendum præerant; quos Romani Prætores nuncupabant; apud quos olim (cum poſtea ad viliora munera translatum hoc eſſe nomen me non lateat) hoc idem etiam ſignificaſſe indicat *Cicero libr.7 epiſt ad Atticum.* Demum *Arcad. I.C. perſonalia munera enumerans in l. Munerum lu 2. §. Trenarcha ff. de muner. & honor. ſic habet. Epiſcopi, qui præſunt pani, & cæteris venalibus rebus, quæ Ciuitatum populis ad quotidianum victum vſui ſunt, perſonalibus muneribus funguntur.*

7 His prænotatis. Sit prima concluſio: Epiſcopi nomen nõ quomodolibet ſpeculatorẽ, inſpectorẽque ſignificat, ſed practicè, & efficaciter: tum ad auertenda mala, ſeu culpæ, ſeu pęnæ à ſuis ſubditis: tum ad bona ſpiritualia, nec non temporalia eis procuranda, & adminiſtranda. qua ratione ſubſcribo ex parte *ſupracitatis auctoribus num.*1. Probãda mox ſunt ſingula priùs generatim, deinde per membra. Et quidem qui varias Pauli ſententias perpenderit *ad Roman.* 12. *Qui præeſt in ſollicitudine: ad Corint.* 2. *cap.* 11. *Inſtantia mea quotidiana; ſollicitudo omnium Eccleſiarum: ad Thimot.* 2. *cap.* 4. *Tu verò vigila, in omnibus labora*; facilè intelligit non ſpeculatiua, ſed practica Epiſcopo ſuis ſubditis conſulendum eſſe ratione. In auertendis quidem malis, quòd manifeſtè probat parabola Chriſti Domini, ac ſimilitudo de Paſtore à ſuo grege, non ſine vitæ periculo, immo & iactura, lupos auertente. *Ioan.* 10. quibus addo *D. Clementis Rom. Pontific. auctoritatem libr.* 2. *cap.* 6. *Qui quidem eam expendens ſententiam, Matth.* 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Dei*, addit, *Speculatores enim, oportet vos Epiſcopos fieri populò; quoniam & vos ſpeculatorem habetis Chriſtum; igitur efficiamini vos quoque ſpeculatores populo Dei; quoniam ait Dominus per Ezech.* 33. *Speculatorẽ dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & cuſtodies, & annunciabis eum ex me dicente, iniqua morte morieris, & non loquutus fueris, vt auerteres iniquum ab iniquitate ſua, iniquus ille in iniquitate ſua morietur, & ſanguinem illius de manu tua requiram: Tu verò ſi annuntiaueris iniquo, vt auertatur à via ſua, & non fuerit auerſus ipſe in iniquitate ſua morietur, & tu animam tuum liberaſti. Similiter ſi gladius belli venerit, & conſtituerit populus ſpeculatorem ad cuſtodium, & videns eum venientem non indicauerit, & cęperit animum, anima quidem peccato ipſius capta eſt, ſanguis verò de manu ſpeculatoris requiretur, quoniam non ſignificauit tuba, &c. Gladius eſt iudicium: Tuba ſacrum Euangelium: Speculator conſtitutus in Eccleſia Epiſcopus.* Hæc ille Epiſcopus Epiſcoporum diuino afflante Spiritu. Concinit *cap. Qui Epiſcopatum* 8. *quæſt.* 1. *& cap. Cleros eadem, & cap. Qui nec* 2. *quæſt.* 7. Ad bona etiam ſuis comparanda ouibus Præſulem ſollicitum eſſe debere, Epiſcopi etymologia declarat, & ex locis hucuſque Scripturarum adductis; & hac breui quidem ſententia, ſed aurea *Auguſtini* patet *ſerm. vnic. in* Epiphan. *Epiſcopus inde appellatus, quia ſuperintendit, quia intendendo curat*; *& libr.* 19. *de Ciuitat. Dei cap.* 19. *habeturque* 28. *quæſt.* 1. *cap. Qui Epiſcopatum*, vbi cum etymologia Epiſcopi expenderit, addit; Ergo Epiſcopos, *ſi velimus latinè ſuperintendentes poſſumus dicere; vt intelligat non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe; cui adſtipulatur Bernard. libr.* 3. *de conſid. Quid (inquis) præeſſe non negas, & dominari vetas; planè ſic quaſi non bene præſit, qui præſit in ſollicitudine: præſis, vt prouideas, vt conſulas, vt procures, vt ſerues, præſis, vt proſis.* Demum integer me volumen deficeret, ſi quas in confirmationem noſtræ concluſionis SS. DD. adducunt ſententias huc referre curarem.

8 Secunda concluſio. Epiſcopi nomen magis præ cæteris proprium eſt. Probatur, quia duo ſunt propria, ad quæ tamquam ad cæterorum capita, Epiſcopalia reducuntur attributa: alterum poteſtas eſt ordinis: Alterum iuriſdictionis: illa ad Euchariſtiam tum conficiendam, tum adminiſtrandam, ad eius miniſtros conſtituendos, nec non ad panẽ Diuini Verbi populo Chriſtiano exhibendũ præcipuã rationem ordinata eſt: Hæc verò ad regimen fideliũ, quibus prouidè, ac prudenter conſulendum eſt, vt communis docet auctorum ſententia, deinceps à nobis declaranda; atqui nomen Epiſcopi, vt de-

riuatum à munere apud Gentiles, à nobis *notabili tertio*, *num.6.* indicato, primam poteſtatem ordinis declarat; quatenus Epiſcopalis muneris eſſe demonſtrat, & per ſe, & per ſuos Sacerdotes Eucharisticum, Angelicumque cibum, ac Diuini Verbi panem fideli populo adminiſtrare, vt probè indicat *Diuus Thomas 2.2. quaſt.185.actic.1. in arg.4.ex Prouerbiorū 11.* de Epiſcopo ſermonem habens; *Qui eſt idoneus*(inquit)*& vita, & ſcientia ad Epiſcopatum, eum videri frumenta ſpiritualia abſcondere, ſi ſe ab Epiſcopatu ſubtrahat, per hoc autem, quòd Epiſcopatum accipit, ponitur in ſtatu frumenta ſpiritualia diſpenſandi*; quod ſoluens argumentum confirmat ex *1. ad Corinthios 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Vt autem deriuatum à nomine græcō ἐπισκοπεῖν, ſecundam iuriſdictionis facultatem indicat, ea ſanè ratione, qua hæc noſtra docet aſſertio: igitur præcipua Epiſcopatus attributa hoc exprimuntur nomine: igitur eſt magis proprium, vt ex *Secundo notabili num.5.* liquidò conſtat.

Ex his deducitur, quod etſi multis donetur nominibus Epiſcopus in ſacris literis, & canonum monumentis, vt videre eſt in *Cap.vnico §. perfrontis de ſacr.Vnction. in capit. vltimo 3. quaſt.1. in capit.Videntes 12. quaſt.1.capit.Pontifex 7. quaſt. 1. & in capit. Meſſana de electione. in Authent. de SS. Epiſcop.coll.9.* atq. alijs textibus, etiā è ſcriptura desūptis, quos afferunt, perpenduntq. *Azor. part.2.Inſtitut.moral.libr.3. capit.27. quaſt.1. Peruſin.deciſion.74. Iſidor.in capit. Cleros ſupra citatum, Auguſtin.Barboſ.de inſtitut.Epiſcop.offic.titul.1.capit.2.à num.1.ac deinceps*. Nec mirum, cùm quiuis Antiſtes ſummi noſtrarum animarum Epiſcopi Chriſti Domini vices gerat, ab eius tamen Vicario, & Epiſcoporum Epiſcopo dependenter, in quo cùm omnes theſauri ſint poteſtatis, ac ſanctitatis, meritò multis appellatur à ſacris literis nominibus; nihilo tamen minus ex his à proprietate nonnulla recedunt: alia vnum, vel alterum tantùm Epiſcopale munus exprimunt, nec præcipua, vt ab hoc nomine *Epiſcopus*, ſignificata.

9 Tertia concluſio Epiſcopus non perſonæ, ſed officij, dignitatis, poteſtatiſque nomen eſt. Prima pars eſt catholica ſententia, quam docet *Auguſtin. relatus capit. qui Epiſcopatum 8 quaſtion.1.* & aliorum, quos laudant, & ſequuntur *Azor. 2. part. inſtitut.moral.capit.27. quaſtion.2. Vgolin. de Offic.& Poteſtat.Epiſcop.capit.1.num.2.* & liquet ex dictis, & ex dicendis manifeſtiùs conſtabit.

10 Secunda verò pars etſi Catholicis certa ex *capit.2.de offic.delegat.libr.6.capit.Penultimo, ibi, Ad culmina dignitatum de prabend. & Gloſſ.verb.dignitatum in capit.2.eodem titul.6.* cuius textum laudat *Barbat. capit.Dilectus columm. penultim. de offic.legat. Gloſſ. verb. Epiſcopus in proœmio 6. & verb.de Epiſcopis in capit. Quia periculoſum de ſent. excommunicat.in 6.ac demum, ex Tridentin.ſeſſion.23.capit.4. & canon.4.contra Hæreticos*, tamen mihi probanda eſt; & quamuis in eos aperto marte in præſentia non agam, collatis infra ſignis pugnaturus, vbi de palmari diſcrimine inter Epiſcopos, ac ſimplices Sacerdotes ſermo erit; nihilo tamen minus quaſi excurſione in eas belluas, nunc oſtendam, nomen Epiſcopi ex ſua etymologia, non minus functiones, quàm principem poteſtatem, ac dignitatem explicare. Nec tamen, vt à perſpicuis exordium ducam, inficior, hoc Epiſcopi nomen ab Eccleſia olim latiori ſub ſignificatione vſurpatum fuiſſe; itaut ad presbyteros etiam pateret: non modò primarios poteſtate, ac dignitate, vt ſunt Præſules, ſed ad ſimplices etiam Sacerdotes, ſapientia, morumque probitate, magis quàm ætate, commendatos, quibus nonnullarum animarum cura commiſſa erat, vt Parochis, in quo ſenſu *Actor. 28. ad Philippenſ. 1. & ad Thimot.1.* vſui eſt; & in quo operæ prætium erit adnotaſſe, etiam dum eodem nomine nuncupabantur Presbyteri, qui Epiſcopali dignitate minimè gaudebant, per antonomaſiam tamen cùm abſolutè pronunciaretur *Epiſcopus*, vnus è Præſulibus intelligebatur, & ſolus Antiſtes totius Diœceſis dicebatur Epiſcopus; ſecus Curatus, vel alius quiſpiam Presbyter. Hæc verò nominis communicatio non idcirco vigebat, quòd vt *Hieronymus, ait 1.In epiſtol.ad Titum, Olim ante ſchiſma non tam auctoritate, & iuriſdictione diſtincta, & diuiſa, quàm communi Presbyterorum conſilio, labore, ac ſpiritu regebantur Eccleſia*; (quam doctrinam de diſcrimine inter Epiſcopos, & Presbyteros agentes infra perpēdemus ex eodem ſancto Doctore) cum eodem tantùm nomine gaudentes Antiſtites, ac Sacerdotes, dignitate tamen, iuriſdictione, muneribuſque fuerint in Eccleſia ſemper diſtincti, vt probè *Diuus Thom. 2.2. quaſt.184.art.6.ad 10.ex Dionyſ.Areopag.5. cap.Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & in 3.diſtinct. 22. Raymund. Petrus de Palud. apud Siluest. verb.Epiſcopus 1.* nec non *Archidiac.ex Gloſ. cap.legimus diſtinct.93.* Sed quia magno ſpiritu regentes omnes Presbyteri Eccleſias prò auctoritate, ac poteſtate maiori, vel minori, minus, vel magis propriè, non ſine aliqua æquiuocatione Epiſcopi vtebantur nomine; poſtea verò, vt ait *Chryſoſtom.in epiſt.*

ad

ad Philippenſ. 1, *vnicuique datum eſt nomen vel Epiſcopi, vel Presbyteri*, à tempore ſcilicet Apoſtolorum, & Eccleſiæ incunabulis, quando hic dicebat, *ego ſum Cephæ*; hic, *ego Pauli*: ille, *ego Apollo* 1. *Corinth.* 12. ob quod ſchiſma, quando, vt ait *Hieronymus in capit.* 1. *epiſtol. ad Titum*, *Presbyteri prima illa prædictâ nominis communitate abutebantur*, & Epiſcopis inſolenter æquari, & præeſſe volebant, tunc Epiſcopi ſuam auctoritatem, & præeminentiam tueri cæperunt, omnibuſque præ'ati ſunt, vt patet 1. *ad Thimot.* 5. *aduerſus presbyterum* (inquit Paulus) *accuſationẽ noli recipere niſi ſub duobus, ac tribus teſtibus*; quod maxime Eccleſiaſticæ diſciplinę conſentaneum erat, vt creſcente nimirum fidelium numero, debitus ordo, ac miniſtrorum ſubordinatio cõſtitueretur; ſic Titum iuſſit Apoſtolus conſtituere per ciuitates Presbyteros: ſic *Ignatius ad Trullanos, ac ſmirnẽſes. Presbyteri* (inquit) *ſubiecti eſtote Epiſcopis*. Quare ſicut nomen *Papa* quod ſemper pręcipuis rationibus, ſummi proprium fuit Pontificis, & ſi olim, cum aliqua limitatione commune cęteris Epiſcopis competebat, poſtea tamen merito contractum eſt ad Romanum Pontificem, vt probè *Bellarm. lib.* 2. *de Rom. Pont. cap.* 31. *in princ.* ita cum proportione de nomine Epiſcopi ratiocinandum eſt.

11 Deinde cominus, vt manus conſeramus, probatur hoc nomen dignitatem inuoluere, ac prudenter ad Antiſtites, ac Præſules eſſe contractum: Primo ex *Diui Euſebij Papæ epiſt.* 3. *data Epiſcopis, & Diaconibus Tuſciæ, & Campaniæ* 8. *Klend. Septembris. C. Conſtante*; *habeturque in fine operum Sancti Clementis*; in qua Epiſcopos à cæteris Presbyteris ſpecioſa nominis dignitate diſcriminat. *Sequentes* (ait) *in omnibus Apoſtolicam Regulam, & prædicantes eius omnia conſtituta ob cuſtodiam Epiſcoporum, qui columnæ Eccleſiæ à Deo dicti ſunt, & cæterorum verorum ſacerdotum firmantes canna Patrum ſtatuta*. Secundò ex *Con. Sardic. can.* 6. *habito anno Domini* 347. *ibi licentia non ſit Epiſcopis paſſim ordinandi, aut in vico, aut in ciuitate modica, cui ſatis eſſe poſſit vnus Presbyter: nec enim neceſſe eſt ibi Epiſcopum fieri, ne Epiſcopi vileſcat nomen, & honoris ſummi authoritas*. Tertiò ex *Auguſt. epiſt. in ordine* 19. *ad Beat. Hieron. Quamquam enim* (dicente) *ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſia vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit*. Quod ſi *lib.* 19. *de ciuit. Dei c.* 19. *vt refertur* 18. *q.* 1. *c. Qui Epiſcopat. idem Auguſt.* Dixerit nomen eſſe operis, & non honoris, non ad negandam epiſcopalem ab Eccleſia Catholica aſſertam dignitatem, ſed ſolum ad ſollicitam Epiſcopi curam commendandam, ea dicendi ratione vſus eſt; vt non oſcitanter eum legenti parebit; qua etiam oſtendit Epiſcopatum talem eſſe dignitatem, vt ſi honorem ſibi vendicat, onus non reſpuat: quare mox addit. *Locus vero ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, & ita teneatur, atque adminiſtretur vt decet* &c. Demum eiuſdem Doctoris inſiſtens veſtigijs, vt Lutherum, reliquaſque nouatores vrgeam ἐπὶ græca præpoſitio in compoſitione idem non raro valet, ac ſuper; ita ἐφίσταμαι idem eſt, ac ſum ſuper, ſiuè pręfectus ſum ἐπιστάτης, qui eſt ſuper, ſiuè qui eſt præfectus; apud Homerum autem adiſ. x. & apud ſophoclem σκοπὸς pręfectum ſignificat; & apud eundem Homerum, Xenophontem, reliquaſque vt ſupra, ſpeculatorem inſpectorem Ἐπίσκοπος igitur idem erit, ac ſuper inſpector, ac ſi ita loqui licet ſuper præfectus, ita Plutarcus in Pericle πάντων ἐπίσκοπος, omnium præfectus; & quamuis ἐπὶ in compoſitione aliquando redundet, nec non Euſtachius propoſitione redundante Epiſcopum, & Scopon pro eodem accipiat; nihilominus, auctore Auguſtino ſuper allato, minimè hìc redundare dicendum eſt; Cæterùm licèt abũdare hæreticis darem, certè apud *Pindarum in Nemeis dici Acaſtum*, *obſeruauit Cellius Rhodiginius lection. antiqu. libr.* 18. *capit.* 3. *Magnitum σκοπὸν*, ideſt Epiſcopum, ac Regem, accedentibus interpretum calculis, αὐτῶν κατ... σκοπὸν πόσιν ἄκοιτις, quod maximè congruit antiquæ conſuetudini, qua Reges Pontifices erant, cuius meminit *text. can. Cleros diſtinct.* 21.

12 Hinc liceat deducere primò Summum Pontificem, cùm Cardinales, Regeſque, filios appellet, meritò Epiſcopos vocare fratres; quaſi ſibi æquales. Vide *Cap. Quàm grauis in* 6. *de crimin. falſ. Felin. in proœm. Gregor. num.* 1. *Decium in capit. Cum venerabilis num.* 2. *de except. Coſm. in pragmatic. titul. de num. Cardin. Gloſſ. Cardin.* ac reliquos infra citandos: ſecundò per multa, quæ fuſè, ne dicam ad faſtidium à nonnullis indiſcreto zelo, neque cautè afferuntur, prudenter eſſe legenda puto, ne dum operoſam, atque efficacem charitatem Epiſcopis commendare velimus, è ſacris paginis, eorum dignitati detrahentes, Nouatoribus faueamus; eſto tanti nominis ſplendorem obſcuræ vitæ tenebris offundere maximè Præſulibus elaborandum ſit: etenim ludicra eſſet aurea inſcriptio, qua fictile vas virulento repleum ſucco inſcriberetur.

13 Quarta concluſio nomine dignitatis in iuris, vel hominis diſpoſitione, venit Epiſcopus, in fauorabilibus, minime vero, vt plurimum in odioſis; & penes hanc rationem ſubſcribo Auctoribus in *cap.* 2. *de prebend. in* 6.

Simonet. de reſeruat. qu. 11. *per totam Mandoſ.reg.*32.*cancell.qu.*15. *Gammar.de pot. legat.lib.*2.*nu.*41.*ac alijs apud* Barboſ.*de offic.& poteſt.Epiſc.part.*2. *alleg.*1.*nu.*16.*&* 17. probatur id expreſsè ex *cap. Inquiſitores de hæret.in* 6.*& ibi Gloſſ.* vbi definitur non poſſe Inquiſitores inquirere contra Epiſcopum, neque de crimine hæreſis ex vi generalis facultatis, contra quaſcumque perſonas cuiuſcumque dignitatis conceſſæ, *cap. ſi compromiſsarius de elect. in* 6. Vbi ſi Epiſcopus vt compromiſſarius elegiſſet Epiſcopum indignum, non eſſet ſuſpenſus à perceptione fructuum, cum non comprehendatur Epiſcopus eligens, de quo expreſſa mentio facienda eſſet, ob Epiſcopalis dignitatis culmen. Norat vero hic *Gloſſ.* quod ſi aliqua daretur indigni electio ad aliquam dignitatem Epiſcopali minorem, profecto pænam ſuſpẽſionis fructuum beneficij, *in cap. citato cum in cunctis de elect.* in illam non habere locum, quæ tantum in Epiſcopi electione militat, cuius nomine minime cõprehenduntur aliæ inferiores. Probatur hoc idem ex *cap. Dilectus de conceſſ. preb.* ex quo colligitur, quod quamuis *Canon.later.conc.c.*8. contra negligentes electores ſtatuat electionem deuolui ad proximum ſuperiorem; non tamen comprehendi Epiſcopatum, vel Archiepiſcopatum, ſed reliquos perſonatus, ad inferiora beneficia. Item ex *c. Quia periculoſum de ſent. excom.in* 6. in quo ſtatuitur, nè pænam Epiſcopi incurrant ſuſpenſionis, & interdicti per verba generalia impoſitam: *ex Abbaſ. tum in c.citato Dilectus, tum in cap. Pistoienſis Eccleſiæ de elect.* qui facultatem diſpenſandi ad omnes dignitates, Epiſcopalem non amplecti docet ob eminentiam dignitatis, *ex reg.cap.*1.*§.vlt. de fil. presb. lib.*6. ſubſcribunt *Pereg.de fid.comm.art.*23.*nu.*8. *Garz.de benef.part* 1. *cap.*6. *num.*66. quamuis ſi diſpenſatus non eſſet; ſed legitimatus quiſpiam abſolute non modo beneficium curatum, ſed quamcumque dignitatem, etiam Epiſcopalem obtinere poſſet; vt probe, *Henriq. de irreg.cap.*8.*nu.*50.*lit.C.* *apud quem præter Silueſt.* DD. *nonnulli Salmaticenſes. Auil.*7. *part. diſp.*3.*dubb.*6 *§.*4.*& nos lib.*2.*diſp.*1. *cap.*12. *num.* 4. Ratio autem totius concluſionis eſt, quam in materia de beneficijs docui, quia nomen genericum ad præcipuas ei ſubiectas ſpecies minime latè patet, ni quando fauorẽ importat, qui potiori ratione perfectiori cõpetit ſpeciei, quam reliquis: quare cum nomen dignitatis ad omnes eccleſiaſticas ſit quaſi genericum, non competit præſtantiori, nimirum Epiſcopali, niſi quando fauorem importans ei à fortiori conuenit: ſic in tractatu laudato de beneficijs ſcripſi, nomine clerici, non venire canonicos; ſic pariter in materia odioſa per ſe loquendo nomine monachorum non venit Abbas, vt in *c.ſtatutum de elect.lib.*6. *& c.licet canon. eodem tit. & lib.* ex quibus *Panorm.c.finali de ſimon. nu.* 3.*&* 4.& nomine Eccleſiæ parrochialis, non venit parrochialis collegiata, vt idem ibidẽ; ſic pariter nomine monialium nõ venit Abbatiſſa, vel Prioriſſa *cap. Quoniam de ſimon. vbi Abb.nu.*10. Dixi per ſe loquendo; cum nonnullas afferat. *Felinus in cap.citatum finale à nu.*2. exceptiones.

14 Dices non venire nomine Religioſorum Nouitios niſi in fauorabilibus, vt docent. *Molina tom.*1.*de iuſt.diſp.*139.*col.*3.*verſ.præter eos Henriq.lib.*7.*de indulg.cap.*22. *num.*7. *Azor.tom.*1.*inſtit. moral.lib.*7. *cap.* 30. *in fine, & alibi, alijque apud Sanch.de oper. moral. lib.*4.*cap.*39. *num.* 17. & tamen nouitij vix è limine Religioſorum ſalutauerunt ſtatum.

Reſpondeo ſatis ſuperque probabilem eſſe contrariam, quam docent, opinionem *Mandoſ.de priuil.ad inſtar. Gloſ.*7. *num.*34. *Manuel.qu. regul.tom.*3. *quæſt.*15. *art.vlt. ex Cap. Religioſo de ſent. excom.§. quamuis in* 6. vbi iure ſpeciali indultum eſt Nouitijs in reuerentiam, quem geſtant, habitus; vt ipſorum percuſſores ſint excommunicati; ex quo rationem diſcriminis elicio; nam exceptionem hanc, & priuilegium in reuerentiam religioſi habitus Sacri Canones conceſſerunt, etiam per Auctores contrariæ opinionis: quare ius commune in contrarium erit, argumento *ex l.Ius ſingulare, & l. Quod vero ff de leg.* fauẽt huic opinioni omnes Auctores aſſerẽtes Prælatos Religionis, cum Nouitijs diſpẽſare minime poſſe in votis: inter quos eſt. *Angleſ.Florib.*2.*part.qu. vnica de voto art.*8. *poſt decimam difficultatem dub.* 1. *Azor. tom.* 1.*lib.*11. *cap.*19 *num.*9. *Sayrus in Claui reg. lib.*6. *cap.*11. *nu.*92. Illud autem prætereundum non eſſe arbitror, nonnunquam ità circumſcribi Epiſcopum, vt etiam nomine iudicis ordinarij veniat, ad quem tale ſit negotium commiſſum: & ratio eſt, quia talis eſt conditionis illud quod committitur negotium, vt ab aliis, præterquam ab Epiſcopis, vel maioribus dignitatibus, expediri nequaquam poſſit; ſic in *Cap. Prouida de elect.in* 6. *vt videre eſt, apud Auctores illud expendentes caput, & Soar. de cenſ.diſp.*31.*ſeſſ.*5. *num.*8. ſic pariter nomine Prælatorum, Epiſcopi comprehenduntur in ſuſpenſione lata per *Clem.*2.*de pæn.* vt ſupponere tanquam certũ videntur Gloſſa ibidem, nec non alij apud *Soarium laudatum num.*17.

15 Hoc autẽ, quod de ſuſpẽſione diximus, atq; interdicto præſertim ex *Cap. Quia periculoſum de ſen excom.in* 6. primario, & per ſe de cenſuris, ſuſpenſionis, atq; interdicti, neq; ad

ex-

excommunicationem extendi accipiendum eſt, iuxta communem opinionem: cum verba illius textus ſatis clara ſint, & ita expreſsè dicit, ibi Gloſſa in verbo ſuſpenſionis, neque à proprietate declinanda, eò vel maximè, quod ſunt priuilegij, aliquo pacto derogantis iuri communi, vti docent *Silueſter verb. Epiſcopus 5. ſimul, Nauar. in ſumma cap. 37. num. 161. Auil. 2. part. diſp. 38. dub. 1.* etſi non improbabile videatur expreſſam dignitatis mentionem, neque ſufficere ad generales ſtatuendas excommunicationes contra Epiſcopos, etiam ex vi citati textus, quòd ratio illius æquè, imò magis locum habet in excommunicatione, quàm in ſuſpenſione, atque interdicto; cùm excommunicatio (me iudice) ſuſpenſionis, atque alios præterea includit effectus; cum quibus periculoſum eſt Epiſcopis ſuum obire munus: fauetq; *Gloſſa in cap. ſi compromiſſarius de Elect. in* 6. in expoſitione caſus, aſſerens canones pęnales non comprehendere Epiſcopos, ni de eis expreſſam faciant mentionem; Accedit, quod excommunicatio materialiter ſaltem ſuſpenſio eſt, cuius nomine poſſit, his ſtantibus comprehendi eo potiori iure, quod beneficium hoc Principis eſt, & conſequenter ampliandum ex *Reg. Decet de regul. iur. in* 6. cui doctrinæ fauet *Soarius*; Quæ ſi Recentior benignarum opinionum Collector vidiſſet benignè in Maiolum Epiſcopum loquutus fuiſſet, *4. parte titulo ſecundo reſolutione* 53. Cæterum diſputandi gratia hæc dicta ſint, nec à communi opinione, atque illius textus interpretatione recedendum.

16 Quinta concluſio nomine Diœceſani in iure, Epiſcopus venit, non autem inferior dignitas, ſic indicat *Gloſ. in Clement. 1. de vit. & honeſt. Cleric. ſubſcribit Azor. par. 2. cap. 23. quæſt. 25 quæres*, & confirmatur, quia Diœceſis parochia dicitur Epiſcopi, *Cap. Parochianus de ſent. excom. vbi Panor. num. 1. & Cap. Apoſtolicæ de don. vbi idem num. Cap. Quoniam de decim. vbi idemmet num.* 2. quid autem ſentiendum ſit de nomine Ordinarij in vltimo tomo, Deo dante, vbi de Vicario docebimus.

17 Sexta concluſio, nomine Epiſcopi omnes dignitates maiores vt plurimum veniunt, ſic habetur *cap. Cleros diſt.* 21. quod cum Pontificatum, Patriarchatum, atque Archiepiſcopatum enumeraſſet, omnes hi ordines (inquit) vno, eodemque vocabulo Epiſcopi deſignantur, & ratio eſt, quia omnes hi in eadem ordinis poteſtate conueniunt, vt *ſequenti capite num. 3.* dicemus. Dixi vt plurimum, nam ſi ex diſpoſitione conſtaret expreſsè hanc contractam eſſe vocem ad Epiſcopos tantùm, eius contra proprietatem agendum non eſſet; idcirco verum comprehēdantur dignitates Epiſcopali minores non definio, cum ex varijs diſpoſitionum formulis pendeat, quæ paſſim, ac frequenter occurrunt, ideoque de his generalem formare regulam, operæpretium non eſt. Dixi etiam, vt plurimum, cum Romanus Epiſcopus, & Pontifex Maximus nunquam in pęnalibus poſſit venire.

Num autem Epiſcopi nomine, Conſecratus intelligatur tantum, an etiam electus *lib. 3. diſp. 7. c. 2, num. 5. & 6. nec non tom. 3. agentes de conſecratione*, dicemus,

CAPVT II.

De diuiſione Epiſcopatus.

SVMMA.

Epiſcopatus diuiſio præmittenda definitioni, numero 2.

Diuiſio Epiſcopatus, num. 2.

Epiſcopatus diuiſio eſt generis in ſpecies, nu. 3.

Papa quomodo dicitur Epiſcopus, ibidem.

Cur Papa vniuerſalis Eccleſiæ dicatur Epiſcopus, num. 4.

Propria auctoris ſententia, cur dicatur Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex Romanus, numero 5.

Cur, & quomodo ſex Epiſcopi Cardinales ſint Papæ ſuffraganei, num. 6.

Ad eos ſpecialiter ſpectat Papam creare, ibidem.

Patriarchæ, & Primates potiori titulo ſunt Epiſcopi, num. 7.

Archiepiſcopatus, & Metropolitanatus ſub diuiſione continentur Epiſcopatus, num. 8.

Epiſcopatus etiam titularis allata comprahenditur diuiſione, num. 9. & 10.

Quid de Corepiſcopis, num. 11.

1 VT omnem ablegemus æquiuocationis, ſeu analogiæ vmbram liquidamq. tradamus Epiſcopatus definitionem, vt ad ſolos Epiſcopos contractam, vel ad eos, qui tametſi maiori præſtent poteſtate iuriſdictionis; pari tamen potiuntur ordinis prærogatiua, eius diuiſionem definitioni præmittimus, ſicut in ſimilibus fas eſſe, cum Peripateticis ſuppono certum.

2 Epiſcopatum igitur quatuor in membra diuido: In ſummum Pontificatum: Primatum, & Patriarchatum: Archiepiſcopatum,

vel

vel Metropolitanum: ac ſimplicem Epiſcopum; qui quidem ſubdiuiditur in habentem titulum, atque expeditam Eccleſiam, & intitularem. Hanc diuiſionem ſolent auctores è quibus vnus eſt *Vgolinus in principio ſui tractatus ex Cap. Cleros §. Epiſcopatus ordo.* 21. deſumere, à quibus non diſſentit *Aug. Barb. 1. part. tit. 1. cap. 6. num. 2.* Verùm enim vero ni illi capiti adiungantur ſubſequentia *Cap. In nouo. & C. Quãuis*, quibus Primatus Romani Patriarchæ conſtat intentum ex eo ſolum minimè probaretur; cum textus ille trimembrem potius afferat diuiſionem in Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos. Ex his igitur liquido diuiſio conſtat, cuius membra ſigillatim, breui tamen comprobanda: etenim ex eo, quod ſingula membra diuidentia rationem participãt diuiſi, ac omnem eius rationem exhauriant, perfectio diuiſionis innoteſcit.

3 Huius autem diuiſionis, quam generis in ſpecies eſſe dixerim, ſingula membra propriam Epiſcopatus ſpeciem conſtituunt, atque ex æquo conueniunt in ratione Epiſcopatus, cuius dignitate, penes ordinis poteſtatem, maior non eſt, vt probe *verbo Epiſcopus in proem. 6. docent Gloſſ. & in verb. part. per textum ibi in Cap. In nouo citato*, *Sot. in 4. diſt. 24. q. 2. art. 4. concl. 2. Henriq. in ſumma lib. 10. cap. 7. §. 2. & cap. 25. §. 1. Barb. ſupra Laudatus num. 3. & 4.* In quo ſenſu veram cenſerem Hieronymi ſententiam, de qua *in Cap. legimus verſ. ſi auctoribus diſt. 93.* pares eſſe omnes Epiſcopos ſcribentis: diſcepant tamen proprijſque diſcriminantur differentijs, prò maiori, vel minori poteſtate iuriſdictionis, qua alij alijs, per varior honoris gradus, ſuperiores ſunt, vt probe inter cæteros *Bellarm. de Rom. Pont. lib. 2. cap. 27. quartam Heli rationem ſoluens*. Hos igitur inter, primus ac omnium caput Romanus eſt Põtifex, quem eſſe Epiſcopum catholica docet ſententia, & habetur in *Proemio 6. adiuncta Gloſſa citata*; cæterum non quomodolibet, ſed vniuerſalis Eccleſiæ, ſiue vniuerſalis Epiſcopus, ſeu Archiepiſcopus, ſic in *Conc. Calcidon. Act. 3.* leguntur tres epiſtolæ diuerſorum Græcorum ad Leonem Papam ſub initio inſcriptæ *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo vniuerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ*.

4 Ad exactam autem huius nominis vniuerſalis intelligentiam noto ex *Card. Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 31. hoc nomen expendente ad tertium Lutheri*. Duobus poſſe modis intelligi: Altero, quo dicitur vniuerſalis, ſolus omnium intelligatur vrbium Chriſtianarum eſſe Epiſcopus; ita vt cæteri non Epiſcopi; ſed illius Vicarij ſint, qui vniuerſalis dicitur Epiſcopus: & hoc pacto explicatum nomen illud, eſt verè prophanum, ſacrilegũ, atque Antichriſtianum, vt cum *Greg. Papa loquar lib. 4. epiſt. 32. & 34.* vbi ſub hac acceptione nomen Epiſcopi vniuerſalis damnatur his explicata, *triſte valde eſt vt patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus prædictus frater, & Coepiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus*; ſermo enim erat de Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui, contra omne ius, talque vniuerſalis Epiſcopi ſibi nomen vſurpauerat, *& lib. 4. epiſt. 36. addit Sanctus Pontifex, ad Eulogium, ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur; & lib. 6 epiſt. 69. ad Euſebium, ſi vnus vniuerſalis eſt, reſtat, vt vos Epiſcopi non ſitis.* hoc idem *Cap. Nullus diſt. 99.* conſtat. Altero modo Epiſcopus poteſt dici vniuerſalis, qui curam quidem omnium habet Eccleſiarum; at generalem, ac ſupremam; non quòd particulares excludat Epiſcopos; Et hoc modo Romano competere Pontifici, ipſomet Sancto Gregorio auctore, conſtat cum *lib. 4. epiſt. 32.* referat a Calcedonenſi Concilio hoc nomen tributum eſſe Romano Pontifici; tum ex alijs locis eiuſdẽ, tum aliorum Patrum, quos probè, atque eruditè laudatus affert *Bellarminus* verba Gratiani reijciens, huic catholicæ doctrinæ contraria, ac relata *diſt. 99. cauſa primæ ſedis*, quæ Lutherus, & Illiricus eſſe Concilij Aphricani, vt præcedentia in textu allata, imperitè contendebant. Adde *Diuum Thomam in opuſc. contra errores Græcorum*, quas recenſuimus Calcidonenſis Concilij acclemariones referentẽ, nomenque vniuerſalis Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi Romano Pontifici conuenire demonſtrantem è ſynodo Calcedonenſi. Legas *Cap. Ecce in præfatione diſt. 99.* & ſequentes annotationes.

5 Quibus demum ad noſtram rem, vt propius, accedam, ſubingo, Romanum Pontificum in alio vero ſenſu proprium, & particularem Epiſcopum vniuerſalis Eccleſiæ meritò dici poſſe: ad quod notanda eſt doctrina *Innocentij 3. lib. 2. epiſ. 206. incipiente Apoſtolicæ ſedis*, data Patriarchæ Conſtantinopolitano, ac relata in additionibus ad *cap. modo citatum Ecce diſt 99. dicitur enim* (vt ibi legimus) *vniuerſalis Eccleſia quæ de vniuerſis conſtat Eccleſiis, quæ græco ſermone catholica nominatur, & ſecundum hanc acceptionem vocabuli, Eccleſia Romana non eſt vniuerſalis Eccleſia, ſed pars vniuerſalis Eccleſiæ. Prima videlicet, & præcipua veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit; ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Et dicitur vniuerſalis Eccleſia illa vna, quæ ſub ſe continet Eccleſias vniuerſas; & ſecũdum hanc nominis rationem, Romana tantum Eccleſia vniuerſalis nuncupatur; quoniam ipſa*

ſola,

ſola, ſingularis priuilegio dignitatis, cæteris eſt prælata, &c. Qua vt certa habita doctrina, Romanum aio Pontificem merito vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum nominari, non modo ſecundum generalem, ſupremamque curam, vt ſuperiori numero ex *Bellarmino* retulimus, & relatum ad Eccleſiam vniuerſalem ſub prima acceptione ab *Innocentio* paulò ante declarata; ſed etiam penès ſpetialem, immediatam, ac propriiſſimam, comparatum cum vniuerſali Eccleſia iuxta ſecundum ſenſum, probè ab eodem *Innocentio* indicatum. Hinc autem meæ ſententiæ robur omninò addit illud, quod notaſſe ad ſacrorum notitiam canonum ſummoperè iuuabit, Pontificem ſcilicet maximum, quamplures habere titulos, dignitateſque; eſt enim Vrbis Epiſcopus, & Archiepiſcopus, necnon Occidentis Patriarcha, & ſummum totius Eccleſiæ caput, Paſtor, Præſul, & Chriſti Vicarius: vt autem Epiſcopus peculiarem habet Eccleſiam Clerum, Romanumque Populum, necnon Vicarium, vnum ſcilicet e Cardinalibus; qui quidem, vt optimè ait *Soar.4. tom.in 3.part. diſput. 25. ſect. 1.num. 6:* mortuo Pontifice ceſſat, neque vllum habet ius. Vt Archiepiſcopus habuit olim, vti ſcribit *Azor part. 2. lib.4. cap. 4. quæſt. 2.* ſuffraganeos octo Epiſcopos, Vrbi vicinos, poſtea ſeptem, demum in præſentia ſex
6 tantum, eoſq; Cardinales: Quorum ſpecialiori nomine intereſt Papam creare, vt ex *Conc. Later. Nicol. Secund. ait per decretum editum anno Domini M. C. I X.* quod refert *Can. In nomine Domini Diſt.23.* quiq; loco Metropolitani, de cuius conſenſu quiuis alius creandus eſſet Epiſcopus; quemque Metropolitanum cum non agnoſcat Sancta Romana Eccleſia ſupra ſe, quaſi ſubrogantur; ſic Nicolaus ibidem, *Sed quia Sedes Apoſtolica cunctis in Orbe terrarum præfertur Eccleſijs: atq; ideo ſupra ſe Metropolitanum habere non poteſt; Cardinales Epiſcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Antiſtitem ad apoſtolici culminis apicem promouebunt conſecrandum.* Vt Patriarcha Occidentis præeſt omnibus Archiepiſcopis, & Primatibus Occidentalium prouinciarum. Demum vt Summus Pontifex Chriſti Vicarius, ac totius Eccleſiæ catholicæ Caput, omnibus omnium particularium Eccleſiarum Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis, & præeſt, & iura dat, ea, quam ſuper oſtendimus, ratione; qui quidem omnes haud ceſſant, mortuo Pontifice, cum verè Præſules, atque Epiſcopi ſint ſuarum Eccleſiarùm, & non Vicarij.

7 Secundum membrum eſt Patriarcharum, & Primatuum, quos eſſe Epiſcopos, maioriſque iuriſdictionis poteſtate pollere, quam ſimplices Epiſcopi, extrà controuerſiam eſt, vt ex *cap. ſæpe citato Cleros. verſ. Patriarcha 21. notant Petrus Greg. ſyntag. Iuris lib.15.cap.2. Gonzal. mox citandus num.11. ac alij apud Barboſ. par.1 tit.1.cap.6. num. 8. & 9.* An autem inter ſe differant Primates, & Patriarchæ, noſtri non eſt inſtituti, tractant tamen *Caſſan. in catal.4. conſid.9. in princip. Lancel. de inſtit. canon. lib.1. tit.5 in princ. Gigas de reſid. Epiſc. cap.18. nu.5. Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloſſ.41. num. 15. &* Barboſa *modo laudatus.*

8 Tertium noſtræ diuiſionis membrum Archiepiſcopos comprehendit, qui Epiſcopis, ac Diœceſibus præſunt, quaſi Principes Epiſcoporum; tametſi in propria Diœceſi tantum Epiſcopali fungantur iuriſdictione; in alijs verò ſuffraganeorum Metropolitanica, vt probè Lelius *Zecchius tit. de ſtat. RR. Archiep. Steph. Quaranta in tract. de præſtan. Archiep. notant.* Eſſe vero Archiepiſcopos, ſeù Metropolitanos Epiſcopis ſuperiores in Iuriſdictionis poteſtate conſtat ex *Gemin. in cap. ſingula il 2.q.3. cap. ſeruatis. & cap. igitur 25.q.2.* Quod autem Metropolitanus, & Archiepiſcopus idem ſint patet per *Extrau. Saluator de præbend. & per cap. Paſtoralis in princ. de offic. iud. ordin. adiuncta Gloſſa* & nomine ferè tantum diuerſi colligitur ex *cap. Cleros diſt. 21. & cap.* De ijs. *diſt. 12.* Dicitur autem Metropolitanus ab Vrbe, cui præeſt, quæ Matrix eſt cæterarum, ex qua, vt Coloniæ deductæ ſunt. *μητρόπολις* enim græcè id quidem ſonat. Vel poteſt, etiam *ἀπὸ τῆς μητέρος* compoſitum videri, vt exprimatur, ſic ſe habere Metropolim ad Coloniam, vt Matrem ad Filium, ſic Thucydides *Ἀποικία ἦμεν πάντῃ τιμῶν τὴν μητρόπολιν ἀ…μένη*, fauet *Gloſſ. Capit. Cleros ſæpe citato diſtinction. 21.* deductio autem textus capituli citati *ἀπὸ τοῦ μέτρου* haud arridet; tum quia Metropolis ſcribitur per .η. tum quia apud aliquem auctorum non legimus, vocem *μητρόπολις* deriuatam *ἀπὸ τοῦ μέτρου.*

9 Vltimum diuiſionis membrum, Epiſcopos amplectitur, de quibus animus eſt, & inſtitutum nobis agendi, nec de alijs Eccleſiæ dignitatibus ſupra relatis, niſi quatenus, vt habetur in *cap.* Cleros *citato, omnes ſuperius deſignati ordines vno eodéq; vocabulo Epiſcopi deſignantur,* & reuera Epiſcopalis dignitatem ordinis eamdem omnes illi habent, idemq. in proprijs Diœceſis obeunt munus, & ſi prò varietate tituli, maiori, vt paulò ante dicebam, poteſtate polleat iuriſdictionis. His autem Epiſcopis ſingulæ Diœceſes ſunt, pluréſque Parochi, itant quemadmodum omnes totius Eccleſiæ Præſules, quacumque dignitate prædicti Romano ſubſunt Pontifici,

ſiet, plures Archiepiſcopi, Patriarchæ, ſeù Primates & ſuo Metropolitano plures Epiſcopi, ita cum aliquali proportione Epiſcopo plures Parochi, ad optimum Eccleſiæ regimen ex *Trid. ſeſſ.*14. *de reform. cap.*9. & *ſeſſ.*24.*cap.*13.

10 Subdiuiditur hoc membrum in Epiſcopos, tales expeditas habentes diœceſes, eccleſias, & populos, cuius partes expendendas aggreſſi ſumus; atque in titulares ſic appellatos; vel quia titulo donantur Eccleſiarum ab infidelibus detentarum ex *Clement. in plerisq. de elect.* vel quia abdicarunt ſe Epiſcopatu de quibus in *cap.*1.*de ordinat.ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renuntiauit*; vel quia propria Diœceſi infidelium armis, ac vi expulſi ſunt, de quibus *Clement.* 1. *de ſor. compet.* quos omnes Epiſcopos eſſe, ex infra dicendis conſtabit.

11 Obijces diuiſionem ſe non extendiſſe ad Corepiſcopos; igitur mutilam eſſe.

Reſpondeo χώρα græcè, tum oppidum, ſeù villam, tum locum ſignificare poſſe: Corepiſcopi ergo, vel Epiſcopi quaſi rurales oppidorum, vel locum tenentes, & viceſgerentes Epiſcoporum dicti ſunt; qui quidem duplicis fuiſſe generis conſtat: alterum eorum eorum, qui per ſolemnem Antiſtitis manuū impoſitionem, & conſecrationem, verè dignitatem epiſcopalem exceperāt; etſi propriam non haberent eccleſiam, ſed in aliena, de licentia proprij Ordinarij miniſtrabant, vt nunc ſolent titulares Epiſcopi: alij vero, qui tantum Presbyteri erant, vices tamen Epiſcopi in oppidis, villis, & pagis curam animarum habendo aliquo pacto gerebant, quaſi Epiſcoporum Vicarij. Priores veri erant Epiſcopi, ſub cuius nomine comprehenſi ſunt, vt docet *Bellarm.* t.*tom. de cleric.cap.*17. de quibus ſermo eſt in *Conc. Ancyrit.can.*13. *Antioc.can.* 10. *Hiſpal.* 11. *can.* 7. *Damaſo* in ſecundos inuchenti; vt infra *epiſt.*3. *Leoni epiſt.*86.*alias* 88. *Ioanni* 3. *epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ.*

Poſteriores vero nequaquā, quibus ramē nō nulla munia Epiſcopalia cōmiſſa erant, vt conferre, minores ordines, & ſubdiaconatum; vel quia hic ordo inter minores, tunc cenſebatur.*cap. Erubeſcant* 32.*diſt.cap. Miramur de ſeru. non ordinand.* vt notat *Barb. tit.* 1. *cap.* 6. *num.* 22. vel ex priuilegio vt vult *Bellarm. citatus in fine capitis*. Illud exploratum eſt hunc ab Eccleſia ordinem, vt perniciosum reiectum eſſe.*cap. Corepiſcopi diſt.*68. quare non eſt cur ad eos noſtra pateret diuiſio.

CAPVT III.

Quid ſit Epiſcopatus.

SVMMA.

Definitio Vgolini num. 1.
Epiſcopatus vt ſtatus, officium, & gradus eccleſiaſticus conſideratur num. 2.
Eius definitio, vt gradus num. 3.
Epiſcopatus eſt ordo remiſſiuè num. 4.
Expenditur definitio Epiſcopatus ibidem.

1 VNum inuenio *Vgolinum* non Epiſcopatum, ſed *cap.*1.*num.*3.Epiſcopum ita definientem. Epiſcopus eſt poteſtatem habens ordinis pontificalis, necnon iuriſdictionem eccleſiaſticam fori exterioris, interioris, ac mixti eccleſiæ, ad animarum ſalutem alicuius diœceſis.

Ex qua Epiſcopi definitionem hanc deduceret Vgolinus ipſius Epiſcopatus. Poteſtas ordinis pontificalis & iuriſdictionis eccleſiaſtica fori exterioris & interioris, ac mixti eccleſiæ ad animarum ſalutem diœceſis alicuius. Quæ quidem definitio cauſalis videtur per phyſicam cauſam, ſcilicet formalem, poteſtatem nimirum ordinis, & iuriſdictionis, ac per finalem ad animarum ſalutem. Cæterum licet in his dialecticas ſeruet leges; verum & redundare nonnulla verba, vt eccleſiæ & eccleſiaſticam, per ſe notum eſt; & ex æquo ad rationem intrinſecam Epiſcopatus vtramque poteſtatem facere, quin aliud adiungatur, falſum eſſe ex infra dicendis conſtabit.

2 Ego vero Epiſcopatum bifariam conſiderari poſſe præmitto, & quaſi abſtractè in ratione quadam eccleſiaſticæ hierarchiæ, ac poteſtatis: & in ratione ſtatus eccleſiaſtici. In præſentia primo modo nobis definiendus eſt: ſequenti diſputatione ſecundo: etenim vt dixi eſt diſtincta definitio perfectionis chriſtianæ, quam vnuſquiſque adipiſci poteſt, à definitione ſtatus perfectionis; in quo non omnes chriſtiani ſunt, ſed nonnulli Deo dicati, vt infra, & probè *Sanctus Tho. opuſc.* 18.*cap.* 15. *in fine* docet; ſic diſtinctum quid erit, definitio Epiſcopatus, & ſtatus Epiſcopalis; & cum diuerſitas in eccleſiæ membris ad tria fere ordinetur, auctore *Diuo Thom.* 2.2.*q.*183.*art.*3.*in corpore.* ad perfectionem, ad actionem, & ad decorem; atque in ordine ad primum conſtituatur ſtatus, in ordine ad ſecundum officium, demum in ordine ad tertium, gradus; cum item hæc tria inueniantur ſimul in Epiſcopatu, vt idemmet citatus Doctor ſcribit, ad tertium argumentum reſpondens

reſpondens, hinc eſt, vt in præſentia, hoc tertio modo, vt gradus quidam eſt eccleſiaſticus, Epiſcopatus definiendus ſit. quem infra definituri ſumus, vt officium; cũ omnis ſtatus ad functiones, & actiones, cum ſtabilitate referatur. Per genus igitur, & differentiam, cauſas, ſcilicet metaphyſicas hanc definitionem afferam.

3 Epiſcopatus, eſt eccleſiaſticus ordo pontificalis, proportionatam interni, & externi fori iuriſdictionem petens in aliquam Diœceſim. Eccleſiaſticus ordo pontificalis, eſt loco generis proximi, ſub quo, ſecluſis alijs ordinibus eccleſiaſticis, presbyteratus, atque aliorum, quaſi Epiſcopalium ad varias dignitatum eccleſiaſticarum, Summi Pontificatus, Patriarchatus, & Epiſcopatus ſpecies commune eſt, vt præcedenti capite indicauimus. Tò autem iuriſdictionem petens, &c. loco eſt differentiæ, qua ab his modo enumeratis ſpeciebus diſcriminatur, vt ex ſuperiori capite liquido conſtat.

4 Quod autem ſpetialis ſit ordo Epiſcopatus *ex tomo 2. lib. 8. ad finem* conſtabit. Quod presbyteratum aliqua ratione includat, vel ſupponat; & quomodo, & à quo diſtinguatur ſaltem, vt includens ab incluſo, ibidem dicemus; vbi explicabimus quam poteſtatem propriam hic ordo imbibitam formaliter habeat, quod etiam ſequenti capite indicabimus. Quod poteſtatem iuriſdictionis in vtroque foro ſibi vendicet hic ordo, tum ex his pateſcet; quæ de neceſſitate Epiſcopatus dicemus infra *cap. 5.* tum maxime *ex ſequenti cap. ac diſput.* Demum non actualiter iuriſdictionis poteſtatem in aliquam Diœceſim habere, ſed ſatis eſſe potentialem, ſequens aperiet caput. Hæc autem potentia ad hanc iuriſdictionem ita intelligenda eſt, vt *vel* antecedenter, *vel* conſequenter habeatur; cum enim Epiſcopatus Totum quoddã ſit ex inſtitutione pendens, non oportet, vt certis, ac definitis naturalium eſſẽtiarum terminis ad vnum, eodem tenore ſemper addictis circumſcribatur, vt enim infra omnia ferè munia ſimplicis iuriſdictionis, nempè iudicare, excommunicare, corrigere, ſubditos in iuramentum adigere, beneficia conferre, in poſſeſſionem inducere, inſtituere, cæteraque ſimilia obire, Epiſcopum tantum electum, & confirmatum poſſe ſuis infra locis dicturi ſumus *è Rebuff. de pacif. poſſeſſ. nu. 243. Coſm. in pragmat. ſanct. tit. coll. verb. nominationes punct. 186. & alys.*

CAPVT IV.

An ad intrinſecam Epiſcopatus rationem actualis ſpectet iuriſdictio in aliquam Diœceſanam Eccleſiam.

SVMMA.

Status quaſtionis, cuius exponuntur nodi nu. 1.

Opinio Caietani aſſerentis iuris eſſe diuini fœdus Epiſcopi cum aliqua Eccleſia num. 2.

Contra diuinum ius ex ſe magis eſt abdicatio, quam translatio ex vna in alteram Eccleſiam. ibidem.

Secunda Vaſquez ſententia docens, iuris eſſe diuini fœdus Epiſcopi cum tali Eccleſia, & indiſſolubile nu. 3.

Tertia ſententia hanc negans ex iure diuino indiſſolubilitatem. num. 4.

Non modo ordinaria, ſed abſoluta Principi potentia conceditur, & definitur. num. 5.

De eſſentiali Epiſcopatus ratione aſſeritur iuriſdictio ad aliquam Eccleſiam, non actualis, ſed radicalis. num. 6.

Actualis applicatio iuriſdictionis ad hanc, vel illam Eccleſiam iuris eſt eccleſiaſtici. nu. 7.

Ex vi conſecrationis nullus Epiſcoporum actuali iuriſdictione potitur. num. 8.

Non repugnat Epiſcopum creari, ſine certa Eccleſia, cui actualiter præſit. num. 9.

Actualis indiſſolubilitas inter Epiſcopum; & Eccleſiam propriam, iuris eſt canonici. nu. 10.

Explicatur Cap. licet de translat. Epiſcop. nu. 11.

Qua indiſſolubilitas ſit de ratione Epiſcopatus. num. 12.

Potentialis connexio eſt de intrinſeca Epiſcopatus ratione. num. 13.

Ex vi ordinationis obligatio reſultat in Epiſcopo eam regendi Eccleſiam, quæ legitimè illi commendabitur. num. 14.

Actualis indiſſolubilitas quomodo competat Epiſcopo. num. 15.

Aliquando liberè, aliquando neceſſariò Præſul cum Eccleſia fœdus init. num. 16.

Quid indiſſolubilitatis addat conſecratio electo, & confirmato Præſuli. num. 17.

Actualis indiſſolubilitas ex ſe perpetua eſt. nu. 18.

Qua ſtabilitas neceſſaria ad rationem ſtatus Epiſcopalis. num. 19.

Peccat mortaliter Epiſcopus propria auctoritate à fœdere cum Eccleſia contracto reſiliens. nu. 20

Epiſcopus electus, & confirmatus propria auctoritate matrimonium contrahens peccat mortaliter. num. 21.

Vir abſque licentia vxoris non modo ad Epiſcopatum, verum ad Pontificatum accerſitus ab

ea poterit reuocari. numer. 22.

Matrimonium ratum antecedens matrimonio ſpirituali Epiſcopatus ex ſe nõ diſſoluitur. nu. 23.

Sponſalia antecedentia per electionem ad Epiſcopatum nonnunquam diſſoluuntur num. 24. Et quid de ſequentibus. num. 25.

Solius Pontificis eſt diſpenſare in vinculo inter Epiſcopum, & Eccleſiam. num. 26.

Diſpenſatio ex legitima cauſa licita eſt. num. 27

Sine conſenſu coniugum ſpiritualium diſpenſatio Pontificis eſt licita. num. 28.

Soluuntur argumenta contraria. num. 29.

1 PRinceps hæc quæſtio, vt multorum Theologiæ, ac Iuriſperitorum, ita noſtrã iure ſuo expoſcit induſtriam; cum mirum quantum ad Epiſcopatus eſſentiam, quam ſuperiori definiuimus capite, declarandam faciat: coincidit autem cum ea, vtrum Epiſcopatus actualem inuoluat connexionem, ſeu vinculum, cum Eccleſia Præſulis ſponſa, & quo iure hoc ſpirituale connubium firmitatem habeat? nec nõ cum altera, in qua quæri ſolet num vinculum Epiſcopale indiſſolubile ſit, vel immutabile? eam demum inuoluit quæſtionem, An Epiſcopus ſine aliqua Eccleſia eſſe poſſit; quarum omnes nodos huius capitis doctrina, Deo dante, ſoluet.

2 Prima opinio eſt *Caietani 2. 2 q. 184. ar. 6.* dicentis, teneri Præſulem ad perſiſtendum in munere ſuſcepto ex iure diuino naturali; etenim ſuppoſita Chriſti Domini inſtitutione Epiſcopatus, ex ipſius natura hoc vinculo deuincitur Epiſcopus, non quidem cum hac, vel illa Eccleſia, ſed cum aliqua ita, vt vbicumq. ſua obeundo munia aderit, ſuo pariter officio ſatisfaciat, nec non vbiq. ex munere teneatur perfectionis operibus in ordine ad Proximos inſiſtere. Probat *Caietanus*, quia Epiſcopus ex vi ſuæ inſtitutionis eſt cauſa principalis ſuarum functionum ad animarum ſalutem ordinatarum, cauſa vero principalis ſuis adeſſe tenetur effectibus, ergo &c. fauet *Gloſſ. in cap. Niſi cum pridem de renunc. verſ. ſponſa* quam militantem Eccleſiam explicat eſſe, cui ſuam operam denegando Præſul, minime militiam dare poteſt. Ex qua *Caietani* ſententia ſequitur directè contra diuinum ius eſſe abdicationem Epiſcopatus potius, quam translationẽ, per quam minime deſerit in vniuerſalis Eccleſiæ bonũ, per ſua munera Præſul influere, vt ceſſat per abdicationem.

3 Secundam huic proximè accedens eſt opinio *Vaſquez 3. tom. in 3. part. diſp. 241. cap. 13. & 5.* contendentis epiſcopale vinculum eſſe indiſſolubile, nec modo cum vniuerſali Eccleſia, verùm cum hac etiam, vel illa, cum qua ſpirituale contraxit coniugium, idque ex iure diuino naturali. Diuino quidem cum ex inſtitutione Chriſti Domini omnes conſtent Epiſcopatus. Naturali vero, quòd, hac poſita, vt ſupra diximus, ex eius natura ſequitur indiſſolubilitas, ac permanentia in epiſcopali munere, qua in ſpirituali conſtituitur ſtatu Epiſcopus; non ſecus atque carnali matrimonio conſtituitur quis in ſtatu ciuili. Præcipuum huius ſententiæ fundamentum eſt in Decretalibus Innocentij III. ſuper indicata ratione, hoc ſpirituale matrimonium inter Epiſcopum, & ſuã Eccleſiam declarantis, præſertim in *Cap. inter corporalia de translat. Epiſcopi.* ex eo enim, quia ſpiritualia firmius habent robur, ac difficilius ſic infert Pontifex, *Dubitari non debet quin omnipotens Deus. ſpirituale coniugium quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam ſuo tantum iudicio reſeruauit diſſoluendum*, & quidem à fortiori, cum vinculum carnalis matrimonij ſibi tantum reſeruauerit *Matth. 19. Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*; ex quo textu primum in hunc modum cuditur argumentum. Nullum ſibi vinculum reſeruauit Deus diſſoluendum, quod iuris diuini non fuerit; ſed vinculum ſpiritualis coniugij inter Epiſcopum, & ſuam peculiarem Eccleſiam ſibi reſeruauit, e ſuper allato textu; ergo diuinò iure indiſſolubile eſt. Secũdo à fortiori, Carnale matrimonium iure diuino firmitatem habet indiſſolubilem: ſed vinculum ſpirituale, carnale firmius eſt, ergo. Tertio ex *Cap. Niſi cum pridem de renunt. verſ verum ſi, Propter laboris anguſtias, aut perſecutionis incurſus non debes deſerere ſponſam tuam, cui defigendo manum apud extraneum te, fide media, copulaſti.* Quarto ex varijs Pontificum decretis, indicantium matrimonium inter Epiſcopum, & Eccleſiam, vt ſunt *Euariſtus in epiſt. 2. ſub principio. Calixtus in epiſt. 2. cap. 3.* Idemq. quam plura confirmant decreta, ad aliam Eccleſiam Epiſcopi tranſitum prohibentia.

4 Tertia ſententia docet epiſcopale vinculum non eſſe iure naturali, vel diuino indiſſolubile. Eſt *Hoſtienſis, Maioris*, ac aliorum quos citat, & ſequitur *Soar. 3. tom. de relig. lib. 1. cap. 16. num. 13.* ſed eccleſiaſtico tantùm, ac poſſe Papam abſolutè in eo diſpenſare.

5 Vt meam nonnullis concluſionibus ad varias difficultates elucidandas expromam ſententiam, notandum eſt, & ordinariam, & abſolutam Principibus eſſe potentiã; quam diſtintionem admittimus cum *Bald. l. 2. num. 40. C. de ſeru. & aqu. Gloſſ. Cap. Quanto de auctor. & vſu pall. verb. veri, & l. Relegati in fine de pæn. Abbat. conſ. 84. lib. 1. & cap. Ad hæc nu. 7. de reſcript. Dec. cap. Quari Eccleſiarum num. 48. ac alijs quam pluribus.*

Notan-

Notandum ſecundò, tametſi omninò falſam exiſtimem deſcriptionem abſolutæ potentię à *Baldo* allatam *numer.* 39. quam ſequuntur laudati Doctores, vt ſit *Plenitudo arbitrij nulli neceſſitati ſubiecta, nulliuſque publici iuris regularis limitata, & ſic facta mentione talis poteſtatis, nulla exceptio obijci valeat, nihilque apponi poſſit, nec dici, cur ita facis?* & fundata, vt ait *Natta conſil.* 512. *num.* 19. in eo axiomate, *ſi libet, licet*; quippe quæ ad tirannidem ſpectans ex *Ariſtot.* 5. *Politic. cap.* 10. cùm ſit Tiranno voluptas propoſita, Regi honeſtas: & ſanè peſtifera, atque in ſeditione nata, vt probè *Tull.* 3. *de legib.* quæ omnia proſequuntur *Pariſ. ad Decium in allatum cap. Quæ in Eccleſiarum litter. T. Couarr.* 3. *variar. cap.* 6. *num.* 8. *Matie. lib.* 5. *recopil. tit.* 10. *libr.* 3. *Gloſſ.* 12. *Mendoſ. libr.* 1. *de pact. capit.* 5. *num.* 35. nihilo tamen minus alias ſub ratione admittendas potentias ordinariam, & abſolutam inter ſe diſtinctas iudico; etenim ſicut in Deo Theologi cum *Diuo Thoma* 1. *part. quæſt.* 25 *artic.* 3. & 6. ordinariam, & abſolutam agnoſcunt potentiam: illam, quæ ſtatutas leges naturaliter concurrendi cum cauſis ſecundis non prætergreditur: Hæc, quæ ad omne ens repugnantiam minimè inuoluens latè patet. ita pariter in Principe ordinaria potentia illa erit, qua ipſe vtitur, ſecundùm humanas leges, quarum directiua tenetur vi, quando nimirum, vt probè *Sanchez lib.* 2. *de Matrimon. diſput.* 15. *num.* 3. *in fine* §. *alio modo*, iuſtè diſpenſat ex cauſa in humano iure. Abſoluta verò, quando, his haud adſtrictus legibus validè diſpenſat in iure humano, abſque cauſa. Quare illud ſecundùm ordinariam poteſtatem facere poterit, quòd licitè cum cauſa præſtabit: illud autem non poterit per hanc poteſtatem, quod vel illicitè, & ſine cauſa; vel non ſeruato more ordinario fit, quodque vſu frequenter euenire deberet. Quamobrem quod vrgentes deſiderat cauſas, vt fiat, eſto licitè fiat, & poſſit de ordinaria potentia dici factum; ſolet etiam dici de abſoluta; quia nimirum præter communem rerum curſum, atque agendi modum actum eſt.

6 His prælibatis ſit prima concluſio. De eſſentiali ratione Epiſcopatus eſt iuriſdictio non actualis ex actuali ordine ad certam Eccleſiam, ſed in radice, ac potentialiter, ei diuino iure competens. Hęc concluſio, quamuis nobis infra probanda ſit, vbi de poteſtate Epiſcopali, maiori, quàm poteſtas Presbyterorum agemus, cui à fortiori *Vaſquez* adſtipulari debet, ac ſummopere fauere *Caietanus* (cuius ſententiam hac ratione explicatam probamus) & expreſsè ſubſcribit *Aegidius ConinK de Sacrament. Ordin. diſputat.* 20 *capit.* 4. *num.* 27. confirmatur tamen, tum ex munere, tum ex dignitate Præſulatus, qua Epiſcopus Princeps ex Dei inſtitutione, in Eccleſia ordinatur, & iuriſdictionem aliquam ſuperioris ordinis ſibi vendicat ſuo muneri debitam, quo ſpectat illud Apoſtoli Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*; quem textum intelligit *Tridentin. ſeſſ.* 23. *capit.* 4. *de Epiſcop. Presbyter ſuperior.* quippe qui ſunt ſerui, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam; vt formula conſecrationis Epiſcopalis hiſce demonſtrat, *Sit fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, vt det illi cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum*: & vt probè *Sotus libr.* 10. *de Iuſtit. & Iur. artic.* 4. *concluſ.* 2. non dicitur, *quem conſtituo ego Papa, ſed tu Dominus*. Hoc idem indicat vnctio in capite, qua in Principem Eccleſiæ declaratur Epiſcopus, & ceu vir vxoris ſuæ caput eſt, ita Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ. Ex hac autem aſſertione, fit adeo de intrinſeca, & eſſentiali ratione Epiſcopatus eſſe iuriſdictionem hanc radicalem, & in actu primo, vt quemadmodum iuris diuini eſſe dicimus poteſtatem ordinis actualem, ita & hanc dignitatem iuriſdictionis in aliquam Eccleſiam; nec poſſe hæc duo ſubſiſtere, vt quis Epiſcopatum habeat, & hac potentiali careat iuriſdictione, qua neque à ſummo Pontifice priuari poteſt; ſicut neque charactere, vt probè *Sotus citatus*. Dixi, actualem iuriſdictionem ex actuali ordine, & connexione cum certa Eccleſia non eſſe de ratione eſſentiali Præſulatus, ſed tantùm radicalem, ita dictam per oppoſitionem ad hanc; nam verum aliàs hæc iuriſdictio eſſentialis dici poſſit actualis, ita vt nil ei deſit, niſi applicatio materiæ, vt ſolet dici de iuriſdictione abſoluendi, quam ſinguli habent Sacerdotes, & per conſequens etiam vt ſic actualis iuriſdictio iuris diuini ſit, cum *Soto* fortaſſe dicemus, vbi de cauſa efficienti acturi ſumus: Et *libro octauo*, vbi de effectu conſecrationis, & circumſtantia cuius gratia tractabimus, vbi pariter, loco præambuli, iuriſdictionem cuiuſcumque Sacerdotis ad abſoluenda peccata vberiùs exponemus. In præſentia tantùm aſſeruiſſe ſatis eſt actualem iuriſdictionem, pro vt taliter dictam ab actuali connotatione, & ligamine cum Eccleſia certa, ac determinata non eſſe iuris diuini; quod, vt magis pateat, bifariam actualem iuriſdictionem ſumi poſſe notandum

eſt; Primò adequatè prout inuoluit tum fundamentum, & rationem intrinſecam, tum actualem relationem, vel connotationem Eccleſiæ, cui Epiſcopus præeſt. Secundò poteſt ſumi pro hoc ipſo actuali ordine, habitudine, ſeu connotatione tantùm: ſi primo modo ſumatur, quamuis iuris diuini ſit, quoad intrinſecam rationem, & fundamentum; ſecus tamen quoad connotationem, & ordinem, ſeu relationem; quippe quæ pendet ab applicatione materiæ, ſeu certæ Eccleſiæ, cui Epiſcopus præſit, tanquã à termino illius habitudinis. Quamobrem vt Philoſophi agentes de relatione, quibus ſubſcripſimus in Logicis, eam in aliquo intrinſeco realiter indiſtincto à fundamento, aſſerunt eſſe inſtitutam, vt in connotatione ſeu formali habitudine, quæ nonniſi poſito termino reſultat: ita nos de hac iuriſdictione Epiſcopi meritò ratiocinamur; nec, ſi benè perpendatur, diſcrepat *Soar.lib. 10. de leg.cap.6.num.14.*

7 Secunda concluſio. Actualis applicatio iuriſdictionis, ſeu relatio, atque habitudo ad hanc, vel illam Eccleſiam, hoc, vel illud regimen huius, aut alterius Diœceſis iuris eſt humani, ac Pontificij. Hæc concluſio liquidò conſtabit ex infra dicendis, & auctore *Caietan.in Opuſcul. tom.1. tractat.1. de poteſtat.Papæ*, communis eſt Theologorum, & Catholicorum Doctorum, *Paludani, Heruæi, Turrecrematæ, & aliorum*, quos laudat, & ſequitur *Azor part.2. libr.3. cap.31.* qui hoc inter Romanum Pontificem, ac reliquos Epiſcopos agnoſcunt diſcrimen, quod illius iuriſdictio ſit iuris Diuini à Chriſto inſtituta, & data, quæ à nullo reſtringi, nedũ abrogari poteſt; at Epiſcopalis a Romano Pontifice, vt infra, ſicut circumſcribi, ita & actualiter applicata derogari poteſt; nec audet negare *Sotus de Iuſtit. & Iure libr.10. artic. 4. concluſ. 2.* quamuis de iure diuino ſentiat eſſe applicationem Eccleſiarum in genere, de qua ſuo loco infra. Accedunt Iuriſtæ, *Franc.Burſat.volum.10. conſil 125. num.45. Onuphr.Panuin. de primat. Petri part.3. diſſun.6.pag.243. Barboſ.part.1.tit.1. cap.6. numer.23.* probatur ex *Can.Ita nunc diſt.19.* ibi, *ſed huius muneris* (ſupple Epiſcopalis) *Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorũ officium peruenire voluit, vt in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium primo principaliter collocaret, vt ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua, velut in corpus omne diffunderet.*

8 Hinc deducitur ex ſua ordinatione, præcisè nullum Epiſcoporum actualem habere iuriſdictionem per ordinem ad aliquam certam Diœceſim modo *num.6.* declarato, multoſque eſſe merè titulares, nullos actu habẽtes ſubditos, vt & ij, qui Epiſcopatu, actualiuè iuriſdictione priuantur; aut Pontificia facultate renunciant Epiſcopatui, quamuis omnes veri, ac proprij ſint Epiſcopi, vt deducitur ex *cap. Inter corporalia de tranſlation.* & probè *ConinK de miniſtran. Sacrament. pœniten. diſputat.8. dub.3. num.19. concluſ.2.*

9 Secundò deducitur non repugnare Præſulem aliquem creari, etiam ſine certa Eccleſia, cui præſit actualiter, vt benè inter cæteros *Soar. citat. numer.9.* & de facto à *Diuo Petro* ita dicuntur ordinati *Linus, & Cletus* in Epiſcopos adiutores ſuos. Nec iure diuino contrarium ſtatutum legimus, neque contra eſſentiam Epiſcopatus eſt, neque ratio alicuius momẽti aſſignari poteſt in contrarium; immò vt adiumento alijs ſint Epiſcopis; congruum ſanè videtur, vt aliquando fiat; & quamuis *diſtinct.70. Can. Sanctorũ, & Can. Neminem eadem diſt. ex Conc. Calcedon.* prohibeatur, nè quis ſine certo titulo, & Eccleſia initietur; nulla tamen ibi mentio fit Epiſcoporum, cuius expreſſa profectò facienda eſſet, vt ad eos latè pateret, quemadmodum conſtat ex his, quæ ſupra *capit. 1. numer. decimo* diximus. Nec me latet *Azorium 2.par.lib.tertiò capite 29. quæſtione 3. in fine quamdam afferre Clementinam, Vt pleriſque de electıon.* Verùm enim verò talis Clementina ſub eo titulo non inuenitur, ſed vna incipiens *In pleriſque de election.* Quare librarij errorem fuiſſe cenſeo: cæterùm in hac prohibetur tantùm, nè Religioſi mendicantes in Eccleſiarum pauperrimarum eligantur Epiſcopos, inconſultò, & ſine facultate Romani Pontificis; & nè quiſpiam in paſtorem eligatur carens Clero, & ſubditis. *Volentes igitur* (ait textus) *contra temeritatem, tam facientium, quàm, vt frequentiùs, recipientium prouiſiones huiuſmodi prouidere, de conſilio fratrum noſtrorum ſtatuimus, vt nullus de cætero quantacumque dignitate præpollens (niſi ſpeciali ſuper hac auctoritate Sedis Apoſtolicæ fulciatur) de paſtore prouideat Cathedrali Eccleſiæ ſibi qualitercumque ſubiectæ, quæ Clero careat, & ſubditis chriſtianis.* Quare non modo vſu factum eſſe exiſtimamus, quod laudatus ſcripſit *Azorius*; verùm nulla prohibitione exiſtente, vt Summus Pontifex aliquos creet Epiſcopos, actualem minimè habentes iuriſdictionem in aliquam Eccleſiam. Vtrum autem poſſit eligi etiam Præſul, & non ad certam Eccleſiam; tum ex dictis, tum ex dicendis *ſecundo* præſertim *Tomo* conſtabit ex *cap. Inter corporalia de Tranſlat. Epiſc.*

10 Tertia concluſio. Actualis indiſſolubilitas quæcumque illa ſit inter Epiſcopum, & Eccleſiam, cui præeſt, iuris eſt Canonici; ita ſentio

ſentio cum *Maior. in 4. diſtinct. 38. quaeſt. 7. artic. 2. Hoſtienſ. in ſumma tit. de translation. Epiſcop. quaeſt. 4. num. 5. in fine, Soar. laudat. num. 4. & tractat. de leg. libr. 2. capit. 15. numer. 22.* Et ſequitur neceſſariò è præcedenti concluſione; nam ſi iuris tantùm canonici eſt actualis iuriſdictio, fœdus, ſeu contractus quicumque ille ſit initus ab Epiſcopo, cum hac peculiari Eccleſia, eiuſdem etiam erit indiſſolubilitas ipſius contractus eum conſequens, ex *Regul. 42. iuris in 6. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*. Deinde ſic arguo ex *Capit. Inter corporalia de translation. Epiſcop.* manifeſtò conſtat, conſecrationem nihil adijcere firmitatis, vel indiſſolubilitatis fœderi Epiſcopatus, vt ex illis præſertim patet verbis: *Vnde cùm non ſit maius vinculum Epiſcopi ad Eccleſiam, quàm electi, maximè cùm fuerit confirmatus, immo idem penitus, & non aliud. idem iuris obtinet in vtroque*: & ex *cap. Licet eodem titulo* conſtat, Epiſcopatum poſt electionem inchoatum eſſe matrimoniū, & per confirmationem eſſe ratum per ea: *Sic & ſpirituale fœdus coniugij, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione*; ergo eamdem indiſſolubilitatem habebit Epiſcopatus, etiā poſt conſecrationem, quam habet matrimonium ratum; ſed hoc neque vt contractus ciuilis, neque vt Sacramētum, neque ex Chriſti inſtitutione omnimodam habet indiſſolubilitatem, vt bene probat ex multis *Sanch. libr. 2. de Matrimon. diſputat. 13. num. 8. verſ. 3.* Igitur idem dicendum de fœdere Epiſcopali à fortiori; nam eſto non improbabile ſit matrimonij rati indiſſolubilitatem iuris eſſe Eccleſiaſtici, vt docet *Medin. libr. 5. de ſacror. hominum continent. capit. 88. 89. & 73. Gloſſ. capit. Ex publico de conuerſ. coniug. verb. conſummatum, ibi Hoſtienſ. eodem verbo; Ioan. Andr. num. 9* & alij quos citat *Sanchez libr. 2. de Matrimon. diſputat. 13 num. 6. & 15. numer. 1.* nihilominus tamen certiùs eſt hanc coniugij ſpiritualis indiſſolubilitatem talem quidem eſſe, tum ab intrinſeco, tum ab extrinſeco Auctorum grauiſſimorum, meliorìſque notæ Theologorum iudicio.

11 Dices in *eodem cap. licèt*, Epiſcopatum intelligi coniugium in conſecratione conſummatum; ergo poſt conſecrationem ſaltem, omnimodam inſolubilitatem ad inſtar carnalis matrimonij, conſummati ſibi vendicabit. Reſpondeo. hoc argumentum vel nimis, vel nihil probare: nimis, quia ſi omnimoda proportio inter ſpirituale coniugium Epiſcopi, & carnale ſeruanda eſſet, profectò ſequeretur, quòd ſicut hoc omnimodè indiſſolubile inter fideles eſt, etiam authoritate Pontificia, & contrarium aſſerere valde falſum, ac periculoſum ad minimum eſſet; vt probè ex Catholica ſententia *Bellam. de Matrim. cap. 15. Conarru. 4. decret. 2. part. cap. 7. 4. num. 15. Henriqu. libr. 11. de matrim. cap. 2. num. 3. in comm. littera F. Sanch. laudatus tùm num. 2. tùm, num. 11. ex Matthei 19. Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, & 1. ad Chorinth. 7. & ad Roman. 7*, Sic indiſſolubile eſſet, etiam per facultatem Pontificiam hoc ſpirituale coniugium, quod eſt omninò abſurdum; ergo vel nimis, vel nihil probat allata inſtantia, cum aliqualis tantùm ſimilitudo proportionalitatis, vt probè *Soar. laudatus num. 11.* inter hæc duo coniugia ſit, non tamen omnimoda, cum cōiugium carnale cum vna tantum vxore, & nō cum pluribus eſſe poſſit, nec Pontificia authoritate; ſecus ſpirituale, etiam per contrarios. Cœtera diſcrimina videre eſt apud eumdem *Soarium ibidem*. Demum hæc indiſſolubilitas, neque iure diuino, neque ratione naturali deduci, neque traditione Eccleſiæ, optimè probatur à *Suar. à num. 4.* cuius momenta huc transferre, nec mearum eſt rationum, neque inſtituti; illud tamen ſilentio minimè prætereundum iudicio, ſi iuris eſſet diuini hoc vinculum, translationes Epiſcoporum eodem eſſent iure prohibitæ; cum tranſlatio quin prius diſſoluatur vinculum, fieri non poſſit, alioquin multiplicatio eſſet Epiſcopatuum in vna, & eadem perſona; ſed hoc eſt falſum, vt ex intento capituli citati: ex inſcriptione; verbis, cauſis, & modis loquendi patet, & proſequitur *Soar. num. 11.* ergo, &c. Quare optimè *Abb. num. 4. cap. De rectoribus de Cleric. ægrot.* fortiùs eſſe vinculum carnale colligit, quam hoc ſpirituale.

12 Quarta concluſio. Aliqua indiſſolubilitas ad rationem ſpectat Epiſcopatus; & quidem ſi de potentiali ſermo ſit neceſſaria deducitur ſequela ex prima aſſertione, nam ſicut in radice, & actu primo per conſecrationem Epiſcopus iuriſdictionem habet in aliquam Eccleſiam, ita etiam cum hac conſequenter habebit indiſſolubilitatem tali proportionatam iuriſdictione, quamobrem, vt ſupra diximus cohærere minime poſſe gradum Epiſcopalem cum carentia huius iuriſdictionis aliquo pacto potentialis, ita in præſentia ſentimus, neque ab eo ſeparari poſſe radicalem eiuſdē iuriſdictionis indiſſolubilitatem, quam de intrinſeca Epiſcopatus ratione dicimus eſſe, tametſi non æque primario, ac potentialis iuriſdictio quam hæc ſequitur.

13 Hinc eſt haud placere nobis *Soarij* doctrinam *num. 5.* aſſerentis ita potuiſſe inſtitui Epiſcopatum, vt nullam haberet imbibitam potentialem connexionem, nec cum aliqua Eccleſia vagè ſumpta, etenim quidquid ſit de alia quæſtione, an aliqualis Epiſcopatus ab hoc nunc inſtituto diſtinctus, alias inſtitui potuerit modo *numero quinto à*

Soario indicato, illud ſanè mihi certum eſt, Epiſcopatum de facto inſtitutum, ſecundùm eſſentialia ſua, inſtitui non potuiſſe, vt eſſentialiter eſſet idem, ac nunc, qui imbibitam non haberet, & iuriſdictionem potentialem, & indiſſolubilitatem fœderis ineundi cum Eccleſia, facta ſemel ad eandem applicatione. Multò igitur meliùs *Caietanus* aſſeruit in ordine ad Eccleſiam vniuerſalem, neque determinatè ad hanc, vel illam, nonnullam habere ſtatum Epiſcopalem immutabilitatem, vt nos probauimus.

14 Secundò, deducitur, ex vi ordinationis, obligationem reſultare in Epiſcopo eam regendi Eccleſiam, quæ legitima auctoritate illi commendabitur, idque è ſtatus proprij ratione; quemadmodum apertè è prima noſtra deducitur aſſertione, cui à fortiori ſubſcribit *Vaſquez laudatus*.

15 Quòd ſi noſtra conclusio non de potentiali immutabilitate Epiſcopo eſſentiali, ſed intelligatur de actuali, veriſſima etiam eſt, ad quod adnotaſſe operæpretium erit, poſſe priùs, immò de facto ita ſæpiſſimè euenire, Epiſcopum eligi, & confirmari, ac poſtea conſecrari; nec mirum, cum hoc Totum, ſeu concretum Epiſcopatus ſit vnum, & aggregatum quoddam, pendens ab arbitrio humano, quoad inſtitutionem perſonæ: quare poterit actus ſecundus, actualis nimirum iuriſdictionis applicatio ad aliquam diœceſim præcedere potentialem, Epiſcopo cōpetentem intrinſecè, atque iure diuino, & tunc hæc actualis iuriſdictio ſe habebit per modum diſpoſitionis, vt ita dicam, quamuis poſita conſecratione cenſebitur ei debita, & ſe habere reſpectu eiuſdem, vt proprietas, eo ferè modo, quo vltimæ diſpoſitiones accidentales formarum ſubſtantialium, & præcedunt in materia ſubſtantiales formas, & poſtea cenſentur ad eaſdem, vt proprietates, vel quaſi proprietates conſequi, ſic calor in ligno ſe habet antea, & poſt productionem formæ ignis: aliquando verò poſſe conſecrari Epiſcopum, vt ſuo loco dicemus, quin certa, ſaltem expedita ei detur Eccleſia, & tunc potentialis iuriſdictio tantùm confertur, & poſtea actualis, actualiter applicata, de qua iam diximus. Nunc verò intellecta concluſione de actuali indiſſolubilitate, ſiue antecedenter ſe habente ad conſecrationem, ſiue conſequenter, in ea ſanè dicimus interuenire fœdus, ac pactum, Epiſcopum inter, & Eccleſiam, ex qua indiſſolubilitas aliqua reſultat; quod apertè probamus ex *Innocent. III. cap. Inter corporalia*, ſæpe citato, dicente, *Sicut Epiſcopus conſecratus ſine licentia Summi Pontificis ſuam non debet Eccleſiam derelinquere, ſic nec electus, & confirmatus; cum non debeat in dubiùm reuocari, quin poſt electionem, & confirmationē canonicam inter perſonas eligentium, & electi coniugium ſit ſpirituale contractum*: quod quidem coniugium toto fere illo *Titulo de tranſlation. Epiſcop.* repetitur, & conſtanter aſſeritur; nec non *Cap. Niſi cum pridem ſupra citato de renunciation. Non debes* (dicitur) *deſerere ſponſam tuam, cui deſigendo manum, apud extraneum, te, fide media, copulaſti*. Quare ſicut carnali matrimonio, præſertim rato, cui hoc æquiparatur ſpirituale coniugium, vt infra, aliqualis competit immutabilitas, ſic & coniugio ſpirituali; & ratio à priori eſt, quòd ex natura rei nullus obligatur in perpetuum in miniſterio, vel munere perſeuerare, quòd ſemel libera ſubijt acceptatione, niſi per aliquam intercedentem promiſſionem, & pactum, quod meritò hic aſſerimus interuenire: tum quia ad illud Epiſcopus ex conſecratione tenebatur præſtandū; quod ſi ante conſecrationem eligatur, & confirmetur; & eo etiam tenetur, quòd conſentit eligi, & confirmari in Epiſcopum conſecrandum, & per ordinem, & reſpectum ad conſecrationem: tum quia ex æquitate quadam, ex qua ſicut Eccleſia, vel populus prò arbitratu non poteſt Epiſcopum electum, & confirmatum inuitum à ſe repellere: ita neque Epiſcopus eam inuitam deſerere; quo ſuppoſito pacto ex vtraque parte inito naturali obligatione tenetur ad id Epiſcopus, vt infra declarabimus, & probè docet *Soarius laudatus numero* 18. Et quamuis ad hoc fœdus ineundum moueatur Epiſcopus, tanquam ex ratione formali, ex diuina bonitate infinita ſuper omnia amata, ob quam proximorum ſaluti ſe dicat, quam quidem charitatem in Petro Chriſtus Dominus requiſiuit, dum ei, *Diligis me plus his*, dixit à neque diligis gregem plus his pronunciauit, vt perpendit *Sotus libr.* 10 *de iuſtit. quaſt.* 2. *articul. vltim. conſil.* 2. nihilotamenminus promiſſio, & fœdus cum Eccleſia immediatè init, quam ſibi annulo deſponſat fidei. Vtrum autem votum emittat parendi Summo Pontifici infra dicemus; illud certum habeo à fœdere dicto, diſtincto voto non ſe obligare Epiſcopum Eccleſiæ.

16 Hinc fit primò, nonnumquam Epiſcopum immediatè, ac proximè liberè hoc hoc fœdus cum Eccleſia; nonnumquam neceſſariò inire, quamuis remotè cenſuerit, & ſe obligauerit ad hoc pactum poſtea ineundum; etenim cum priùs eligitur, & confirmatur, vt in hanc electionem liberè conſentit, ita hoc fœdus liberè pariter virtute ſaltem ſancit; cum verò priùs conſecratur nulla ei aſſignata certa, atq; expedita

Eccle-

Eccleſia, tunc vbi poſtea ei aſſignatur aliqua, init pactum cum eadem neceſſariò, ex obligatione, quam contraxit per conſecrationem, cui liberè cenſetur conſenſum præſtitiſſe, non ſecus ac liberè voluit conſecrari.

17 Obijcies ex *textu citato cap. inter corporalia, dici Epiſcopo electo, & confirmato, Epiſcopali dignitate; id eſt conſecratione, nihil addi.* Reſpondeo, nihil addi actualis indiſſolubilitatis, & immutabilitatis, quæ immediatè promanat ex actuali fędere inter Epiſcopum electum, confirmatumque, & Eccleſiam; addi verò cum poteſtate ordinis exigentiã, & radicalem iuriſdictionem aliquo pacto indiſſolubilem; quare meritò in *cap. licet eodem titulo, dicitur hoc ſpirituale coniugium conſecratione omninò confirmari.*

18 Quinta concluſio. Indiſſolubilitas actualis competens Epiſcopo electo, & confirmato, certęque Eccleſiæ deſtinato, & Epiſcopalis ſtatus propria, eſt ex ſe perpetua, ni à ſuperiori cauſa dirimatur. Semel itaque contracto fœdere inter Epiſcopum, & Eccleſiam, non poſſunt, vt nec coniuges, neque mutuo conſenſu, neque ex quacumque alia cauſa illud diſſoluere; quæ indiſſolubilitas partim pendet remotè è Chriſti Domini inſtitutione taliter ſtatuentis Epiſcopatum: partim proximè ex pacto naturæ talis dignitatis proportionato. Huic aſſertioni a fortiori *Caietan. & Vaſq.* adſtipulantur, nec diſcrepant Auctores tertię ſententię, præſertim *Soar. cap. 12. num. 14.* adde *Sot. de iuſtit. & iur. libr. 10. quæſt. 2. art. vltim. concl. 2. & 3. Valent. 3. tom. diſputat. 10. de ſtat. Epiſc. quæſt. 3. punct. 3.* & conſtat ex *cap. Niſi cum pridem de renunciat. alijſque textibus*, ex quibus ſolius eſſe Summi Pontificis hoc pactum ſoluere infra demonſtrabimus: hoc idem probant omnia iura ſuper allata, Epiſcopale fœdus cum carnali comparantia, quo cum ſaltem in hoc conuenire debet, quòd ſicut matrimonium ratum, ſine auctoritate Pontificis ſolui non poteſt, nec prò coniugum arbitratu; ſic etiam, & hoc ſpirituale. Ratio à priori videtur eſſe, quòd ſicut non poteſt talis in Epiſcopum conſtitui; ita nec Epiſcopatu priuari, niſi per Summum Pontificem, cuius eſt Chriſti ouibus conſulere per immediatos paſtores, & Præſules; Quamobrem cum pactum inter Epiſcopum, & Eccleſiam, tum ex eo reſultans obligatio ſupremo ſubordinatur paſtori, ex natura rei; ita vt in illo fœdere conditio, vel quaſi conditio includatur, offerendi ſe talis Eccleſiæ miniſterio, cum ſubordinatione ad ſupremum paſtorem; qui quidem excellentiori poteſtate, vt *capit. 1.* dictum eſt, eidem præeſt Eccleſię. Dixi remotè hanc indiſſolubilitatem pendere ex inſtitutione Chriſti, ex qua habet Epiſcopatus ſuum eſſe, quod etſi, vt per conſecrationem collatum, actualem non habeat indiſſolubilitatem, ſicut neque iuriſdictionem applicatam, vt ex *2. & 3. conſtat aſſertione*, habet tamen radicalem; neque hac potitur indiſſolubilitate ex ſola prohibitione canonica, vt vult *Soar. cap. 16. num. 18.* ſed ex pacto, & fœdere ſancito, vt ſæpe diximus, idq; maximè conſentaneum eſt naturæ talis dignitatis, capitis, & viri in Eccleſiam ſponſam; quàm analogię ad paſtorẽ, vt Chriſtus Dominus, *Ioannis 10.* declarauit. *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis*, quarum ſalus propriæ vitæ eſt præferenda; ſic *Paulus ad Philippenſ. 1.* fruitionem perpetuæ felicitatis, pro tunc, poſthabere demonſtrauit neceſſitati, & ſaluti Eccleſiæ, cui ſe mancipauit; quòd *Sot. ſæpe citatus conc. 2.* probè perpẽdit; nec *Petrus Damianus* contrarium indicat, cum quæ *Epiſtol. 9.* refert exempla Præſulum renunciantium, eò ſolùm tendant, vt ſummam ſacrorum virorum humilitatem, ac deſiderium proprium abdicandi Epiſcopatu demonſtrent non ſine Pontificis licentia, vt conſtat ex principio, & ſine illius capitis.

19 Colligo ex his, primò mortaliter peccare Præſulem electum, & confirmatum, ſi propria reſiliat auctoritate à contractu inito cum ſua Eccleſia, de quo nos egimus *concluſ. 4.* ſic bene *Soar. cap. 16. num. 14.*

20 Deducitur ſecundò ſtabilitas neceſſaria ad rationem huius ſtatus inferius explicanda, quæ non ſolùm eſt quaſi in ſenſu compoſito, atque ex ſuppoſitione, quòd hic Epiſcopus in eo permanſurus ſit ſtatu, quando minimè ceſſabit à muneribus Epiſcopi proprijs, quæ quidem immobilitas, etſi fortaſſe ſatis eſſet ad rationem ſtatus, vt nonnulli apud *Soarium capite 15. numer. decimo*, volunt; eſt tamen imperfecta, ac ſola pendens à voluntate volubili, ſed eſt abſoluta cum obligatione in hoc munere permanendi, proximè orta ex pacto, remotè verò ex ipſa ratione eſſentiali Epiſcopatus contra quamcumque difficultatem in Præſulatu imbibitam, quem idcirco *Auguſtinus, alijque à nobis capite primo laudati*, magis oneris, quàm honoris dixerunt. Adde *Origenem*, dicentem *homil. 7. in Pſalm. Qui vocatur ad Epiſcopatum, non ad Principatum vocatur, ſed ad ſeruitutem totius Eccleſiæ.*

21 Colligo tertiò, Epiſcopum electum, & confirmatum carnale matrimonium ante conſecrationem ſine Pontificis licentia contrahẽtem, peccare mortaliter contra pactum initum cum Eccleſia paulò antè à nobis declaratum, cui ſtare naturali tenebatur obligatione; ſentit hoc idem *Soar.*

ſaud. num. 4. fauet *Sanch. libr. 4. in Decal. cap. 17.* dat nobis manum, quatenus docet, non poſſe Præſulem electum iam, & confirmatum ſine facultate Summi Pontificis reſilire neque ad Religionis ingreſſum, vt infra dicemus. Matrimonium verò initum ab Epiſcopo electo, & confirmato validum erit, cũ neque pactum ab eo initum vim habere conſtet dirimendi matrimonium ſubſequẽs, neque ſolemne caſtitatis votum Epiſcopatui connexum eſt, niſi ratione ordinis ſacri, quem illum adhuc non habere ſupponimus; neque Epiſcopatus, ordine ſacro præciſo, vllam inuoluit repugnantiam cum ſtatu coniugali, vt infra ſuo loco cum *Sanch. libr. 7. de Matrim. diſputat. 27. num. 9.* dicemus: matrimonio verò inito à tali Epiſcopo diſſolueretur primum vinculum ſpirituale, quo ex fœdere ſancito eum ſua Eccleſia ille tenebatur; ſecundùm præſentem Eccleſiæ morem, non tranſeundi ad matrimonium carnale, quo de facto redditur inhabilis quicumque ad Epiſcopatum tranſit, vt docet *Soarius citatus*.

22 Fit quartò virum abſque licentia vxoris non ſolùm ad Epiſcopatum, verùm etiam ad Summum euectum Pontificatum ab ea poſſe reuocari, cui tenebitur debitũ reddere; cùm enim hoc ius iuſtitię priùs ſit, nõ potuit per Pontificatum, quamuis bona fide ſuſceptum lædi, in eo v. g. caſu, quòd mortua vxor crederetur, vt probè *Gloſ. Cap. Si quis pecunia, verb. non Apoſtolicus; diſt. 79.* & ibi *Archidiacon. ad finem Ioan. Andr. cap. Conſtitutus in fine de conuerſ. coniug. & alij*, quos citat, & ſequitur *Sanch. libr. 7. citata diſputat. 38. num. 12.* qui quidem contra *Bellameram num. 20.* docet, poſſe in hoc caſu hunc iam electum in Summum Pontificem ſecum diſpenſare in matrimonio ſuo antea rato.

23 Fit quintò, nec matrimonium ratum carnale antecedens, per fœdus, & matrimonium hoc ratum ſpirituale, contractum ab Epiſcopo, & tali Eccleſia diſſolui, colligitur ex *cap. finali de tranſact.* ibi; *A ſinceritate canonica circa matrimonium recedere non licebit*; vbi *Gloſſa de matrimonijs legitimè contractis* intelligit, & ex *cap. licet de ſponſ. duor.* vbi definitur, neque per ſubſequens matrimonium conſummatum diſſolui, vt cum multis docet *Sanch. libr. 2. de matrimon. diſput. 14. num. 4. & per Extrauag. Antiqua de vot.* ex qua nec ſolemni caſtitatis voto in ordine ſacro emiſſo illud conſtat dirimi.

24 Fit ſextò, ſolui ſponſalia etiam antecedentia per electionem ex certa ſcientia factam à Pontifice ſponſi in Epiſcopum, quibus cẽſetur diſpenſare, vt docet *Paludan. in 4. diſt. 27. quæſt. 1. art. 3. num. 22.*

25 Fit ſeptimò, licèt verum ſit, quòd ex eodem *Paludan.* docet *Sanch. libr. 1. de ſponſal. diſput. 47. num. 3.* per ſolam electionem factam à Pontifice ſponſi in Epiſcopum, & nõ ex certa ſcientia, non ſolui ſponſalia; nihilo tamen minus probabile ſatis eſſe arbitror per eam electionem, acceptationem, & confirmationem, intercedente iam fœdere inter Antiſtitem ſponſum, & Eccleſiam, ad quam regendam electus, & confirmatus eſt, dirimi ſponſalia carnalia. Ducor primò, quia hoc fœdus in textibus ſupracitatis coniugium appellatur, & æquiualens matrimonio rato, præſertim *c. licet, & c. inter corporalia*, ſæpè citatis: atqui per matrimonium ratum validum, ſponſalia ſoluuntur; *cap. ſi inter de ſponſalib. & cap. 1. de ſponſ. duor. & can. finali 27. quæſt. 1.* ergo & per coniugium ſpirituale ex ſe indiſſolubile, dans formam, & ſtatum Epiſcopo in Eccleſia. Secundò per ſolum Religionis ingreſſum, etiam ante profeſſionem dirimuntur ſponſalia, vt probè docent *Henrq. lib. 11. de matrim. cap. 14. num. 3. Sot. in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 5. verſic. hoc tamen, Sanch. libr. 1. de matrim. diſput. 47. num. 2.* & ex Iuriſtis, *Innoc. cap. Veniens, Qui Cleric. vel vouen, initio in verb. votum. ibidem Hoſtienſ. eodem verbo Ioan. Andr. num. 2. & alij*, ergo per fœdus Epiſcopale etiam dirimentur. Conſequentia probatur, quia ſicut eo ipſo, quòd quis Religionem ingreditur, ſatis declarat ſe ſponſalibus miſſum dare, ita vt ad ſeculum regreſſus aliud poſſit matrimonium inire, ſic qui & electus, & confirmatus eſt Epiſcopus renunciaſſe cenſetur ſponſalibus antea contractis, ergo, &c. Tertiò, quia illa perſonæ mutatio notabilis eſt, & quamuis ſtatus coniugalis repugnantiam non habeat cum Epiſcopalibus miniſterijs, & cum ſtatu Præſulis, ex ſe conſiderato, ſacro ſecluſo ordine, ſed tantum ex quadam decentia, & honeſtate, vt fusè probat *Sanch. libr. 7. de Matrim. diſput. 27. num. 7.* ſpectato tamen eccleſiaſtico more, immo & iure, cum per ordinem ſacrum, quo Electus, & Confirmatus conſecrandus eſt, incompoſſibilitatẽ, vt ſupra dicebam, videatur habere cum ſpõſalibus, quod etiam ſubindicat *Soar. ſæpè citatus lib. 10. cap. 16. num. 14.* Hinc à fortiori diſſolui ſponſalia ſubſequentia dicendum eſt, immo non habere vim. Nihil hic definio de voto Religionis emiſſo, tum ante Epiſcopatum; an ſcilicèt eo ſoluatur hoc ſpirituale coniugium: tum de emiſſo poſt Epiſcopatum, an ad illud teneatur, de quibus infra *libr. 4. diſput. 1. & 2.*

26 Sextà concluſio ſolius Pontificis eſt diſpenſare in hoc vinculo huius Epiſcopi cum hac Eccleſia; conſtat ex iuribus ſupra relatis pro ſecunda præſertim ſententia, ac toto titulo de tranſlatione, ita vt quauis alia ſeculi

tate id fieret, inualida eſſet diſpenſatio. Et ſane quod ſine auctoritate Summi Pontificis id fieri minimè poſſit, inconfeſſo apud omnes eſt, & patebit *ex cap. 6. ſequentis diſputationis*. Quòd autem Pontifex diſpenſare poſſit, probatur ex vſu, quo ſæpe ſæpius videmus à Papa in his diſpenſari vinculis: igitur ex eo facultas eiuſdem probatur, cui Spiritus ſanctus in hiſce præſertim, quæ ſpectant ad Eccleſiæ regimen, magis aſſiſtit. Secundò, quia Pontificis poteſtas, quantum licet, extendenda eſt, in ijs præcipuè caſibus, qui Eccleſiæ vtiles ſunt, in quibus fas eſt credere, Chriſtum Dominum ſuo conſuluiſſe Vicario, plenam conferens poteſtatem ad ea, quæ bono Eccleſiæ regimini neceſſaria ſunt; igitur cum huiuſmodi diſpenſatio ſæpe neceſſaria videatur, vel valde perutilis ad remunerationem perſonarum virtute præditarum: ad vitanda ſcandala: ad magis neceſſitati Eccleſiarum prouidendum, vt infra, abſque dubio Pontificiæ non excedet limites poteſtatis; quod confirmant omnes adducti, atque adducendi textus.

27 Septima concluſio. Quando Pontifex in hoc diſpenſat vinculo de lege ordinaria, legitima ex cauſa, licite facit; de poteſtate verò abſoluta ſine cauſa, illicitè, ſed validè præſtat; in quo ſenſu tertiæ ſubſcribo ſententiæ. Accedit *Sotus libr. 10. de iuſtit. quæſt. 6. art. 4. concl. 4.* fauet *Sanch. libr. 7. de matrimon. & Ledeſm. tract. de matrimon. quæſt. 53. art. 3. poſt concluſ. tertiam, verſ. Sed vt hac*. Probatur per ſuas partes, doctrinam ſupponendo, quam ſupra notabili primò præmiſimus, declarantem quænam ſit ordinaria poteſtas Principis: neque hæc prima pars aliã de re, videtur habere difficultatem, ſed ſolùm de nomine, cùm omnes admittant legitima ex cauſa, & validè, & licitè Papam diſpenſare; ſupereſt igitur ſola difficultas aſſerendi abſolutam potentiam, per quam etiam ſine cauſa, validè, haud tamen licitè Papa diſpenſat, quæ quidem probatur primò ex *Cap. Inter corporalia*, ſæpe citato ibi; *Non enim humana; ſed potius diuina poteſtate coniugium ſpirituale diſſoluitur, cum per tranſlationem, depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate Rom. Pontificis (quem conſtat Vicarium eſſe Ieſu Chriſti) Epiſcopus ab Eccleſia remouetur*. Dicitur autem diuina poteſtate id facere Pontifex, tum ad oſtendendam grauitatem cauſæ, ex qua id facere debet, tum inſolitam potentiam, & ferè ſemper, præter communem vſum, id præſtare: tum quia ſicut determinatio ad hanc, vel illam Eccleſiam iuriſdictionis Epiſcopalis ab inſtitutione diuina hoc præſcribente regimen, per varios Epiſcopatus, in Eccleſia Dei promanat; ſic & tranſlatio, depoſitio, & ceſſatio Epiſcopatus, diuina dicuntur auctoritate fieri: dicitur etiam diuina, id eſt diuinitus ſuo Vicario data, vt probè *Soar. num 21.* neque alijs; ea tamen lege, vt iuſta tantum de cauſa, illa vti poſſit, ni velit, in detrimentum propriæ animæ, abſoluta vti poteſtate, ex qua in rigore ſumpta validè, illicitè tamen diſpenſat. Cum autem id abſolutè dicamur poſſe, quod iure poſſumus, *l. ſed licet ff. de off. Præſid.* ita vt etiam gentiles diuino fidei lumine deſtituti ſolum iuſtum, atque honeſtum poſſe Principes cenſerent, quo a Tyrannis diſcrimine noſcerentur, quemadmodum è *Chilone refert Rodigin. lib. 8. lect. antiq. & ex Auguſtino & Plut. in Apophteg*. Hinc eſt, vt ſacri textus vix videantur abſolutè hanc poteſtatem Romano Pontifici concedere. Secundo ex hoc textu eodem pacto deducitur eſſe reſeruatam diſpenſationem in hoc vinculo ſpirituali ſicut in carnali, ibi; *Dubitari non debet quin omnipotens Deus ſpirituale coniugium, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, ſuo tantùm iudicio reſeruauit diſſoluendum, qui diſſolutionem etiam carnalis coniugij, quod eſt inter virum, & fœminam ſuo tantum iudicio reſeruauit præcipiens: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Quod etiam repetitur *cap. licet eodem*. Hinc quæro de quo carnali vinculo hic habeatur ſermo? Non de matrimonij conſumati ligamine; alioquin vt eſt hoc omninò indiſſolubile, ita vt contrarium plusquam falſum ſit, vt probant *Bell. libr. 1. de matrim. & quàm plures apud Sanchez lib. 2. diſput. 13. num. 10.* ac nos indicauimus ſupra: ita & ſpirituale vinculum; quod falſiſſimum eſt; ergo ad ſummum de rato: atqui diſpenſationem in matrimonio rato ita eſſe iuris Pontificij, cenſent quàmplures auctores, vt poteſtatis ordinariæ ſit ex cauſa, & de abſoluta potentia valeat Papa ſine cauſa diſpenſare; igitur idem de vinculo ſpirituali à fortiori cenſendum eſt; Minorem huius argumenti probant Doctores à *Sanchez relati lib. 2. de matrim. diſp. 15. num. 1. & 2.* quibus ille probabiliter aſſentitur *num. 5.* & pro ea multos laudat Doctores *diſp. 13. nu. 3.* Tertiò probatur ex *cap. 4. de tranſlat.* vbi manifeſtè declaratur, non modo Pontificem, quando ſoluit hoc vinculum facere de poteſtate abſoluta, quia ſine cauſa, etiam validè præſtat, ſed quia illa poteſtas, ſpecialiter ei conceſſa eſt, & licitè alias applicari non debet, niſi ex vrgenti cauſa. Et in Epiſcopum, qui propria mutauerat auctoritate præſulatum, ſic ait Textus. *Non attendens quod veritas in Euangelio proteſtatur, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Poteſtatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus, & Magiſter, quod ſoli beato Petro Vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis, ſpeciali*

pri-

priuilegio, tribuit, & conceſſit. Vbi poſtquam *Gloſſa* multa numerauit, quæ à Pontifice de abſoluta fieri ſolent potentia, & poſitiuo iure prohibita tantum ſunt, in Notis ad eandem *Gloſſam* additur. *Hac quippe; quia in his quæ vult, ei eſt pro ratione voluntas. Inſtit. de iur. natur. §. ſed quod principium; nec eſt quod ei dicat, cur tu ita facis? de pœnit. diſt. 3. §. ex perſona*; & quamuis nos notabili ſecundo merito reiecerimus potentiam, in hoc ſenſu abſolutam, his tamen textibus in proprio noſtro ſenſu eam perpendimus, ad oſtendendam ſpecialem rationem, ex qua diſpenſando agit Pontifex. Demum quia ex contraria ſententia ſequeretur, & renunciationes, & translationes, ac omnes alias diſpenſationes, non ex vrgentiſſima, & ſufficienti cauſa, requiſita nimirum ad diſpenſandum in iure diuino habitas, eſſe inualidas, ex principio certo, quòd diſpenſatio in iure diuino facta, ſine ſufficienti cauſa non illicita modo, ſed etiam inualida eſt: hoc autem nil abſurdius eſt, ex quo ſane varia in Dei Eccleſia ſcandala poſſunt oriri: & demoſtratur præterea falſum ex *Cap. Quidam de renunc. & ex Cap. Niſi quum pridem eodem*. vbi non ex cauſa in commune bonum cadente, vel alia grauiſſima, quæ deſiderari ſolet in diſpenſatione matrimonij rati, quæ vt ex multis probat *Sanch. citatus nu. 6.* eſt iure Diuino reſeruata, huiuſmodi diſpenſationem procedere conſtat; ergo quamuis in hoc conueniamus cum contrarijs authoribus, non ex quacunque cauſa, ſed ex graui, & ſufficienti ad poteſtatis vſum, ſpecialiter Pontifici conceſſæ quippe quæ in hoc ſenſu abſoluta dici poteſt, ipſi quidem Pontifici diſpenſandum eſſe, in quo diſſentimus à *Soario* ſe nimis facilem præbente in huiuſmodi diſpenſationibus, ab eis tamen diſcedimus, & *Soario* ſubſcribimus, in neganda, & reſeruatione, & diſpenſatione iuris diuini, ex cuius vi hoc vinculum habere robur eſſentiale negauimus; Quæ omnia ex *libr. 2. diſp. 2.* conſtabunt magis, vbi ex inſtituto de facultate Summi Pontificis diſpenſandi in iure diuino diſputabimus.

28 Vltima concluſio. Vbi Pontifex diſpenſat in hoc vinculo mutuus non deſideratur coniugum ſpiritualium conſenſus, qui impedire minimè poteſt, vel ordinariā, vel abſolutam Pontificis poteſtatem, & quidem quando intercedit cauſa, & potentia vtitur ordinaria Pontifex, id certius eſt. Idem de abſoluta ſentiendum ob vltimum præſertim rationis momētum, abſurdum inferens ex contraria ſententia, & confirmari poteſt ex diſpenſatione in matrimonio rato à fortiori, de qua *Sanch. lib. 2. diſput. 15. num. 7.*

29 Supereſt, vt faciamus ſatis argumentis *nu. 2. & 3.* relatis. Et ad fundamentum primæ ſententiæ dicimus radicalem iuriſdictionem, & in actu primo iuris eſſe diuini, ex qua tenetur Epiſcopus vniuerſali Eccleſiæ, cui deuinctus eſt, quin huic, vel illi obligatus adhuc ſit; quæ quidem obligatio iuris eſt diuini, ſicut & ipſa radicalis iuriſdictio certæ adhuc Eccleſiæ non applicata, in quo à *Caietano* minimè diſſentimus, vt in *1. & 2. noſtra concluſione* videre eſt, etſi non eodem fundamento; ad eius autem momentum rationis, quatenus contra reliquas militat aſſertiones; primo dicimus in vigore, Epiſcopum, neque in munere conferendi ſacramenta principalem eſſe cauſam, ſed vt ipſa ſacramenta, Chriſti ſunt inſtrumenta, & ſacerdos in perſona Chriſti conſecrat, ita & Epiſcopus in eiuſdem perſona confirmat, & ordinat; neque in iuriſdictione exercenda, quam vt pene vices gerens Chriſti exerceret, quod ſi moraliter ſit ſermo, & cauſa principalis idcirco dicatur, quia primaria, ac princeps in Eccleſia Epiſcopus eſt cauſa, ordinariam habens iuriſdictionem, à qua cæteri miniſtri in ſua diœceſi pendent, ex hac profectò ratione cauſæ principalis, non video quomodo neceſſitatem aſſiſtēdi deducat *Caietanus*; quam neque agnoſcit aliquis in cauſa naturali principali, dum tantum eius aſſerunt, influēdi, quoties adeſt paſſum, ac reliquæ diſpoſitiones cum immediatione ſuppoſiti, vel virtutis; quare ex hac longè petita, & analogica proportione tenebitur quidem Epiſcopus, effectibus aſſiſtere, dum perſiſtit in hac Eccleſia, ſecus verò ab illa ſi diſcedat, vel amoueatur, ſicut etiam Summus Pontifex cum ſit in vniuerſali Eccleſia cauſa vniuerſaliſſima, & princeps, etſi teneatur ſuis aſſiſtere effectibus, nihilominus tamen poteſt ſe pontificatui abdicando renunciare, quin contra diuinum ius faciat.

Argumentis *Vazquez* pro ſecunda ſententia relatis vnico verbo ſatisfacio, aſſerens, & iuriſdictionem, & indiſſolubilitatem in actu primo, atque in ordine ad vniuerſalem Eccleſiam, vel ad aliquam peculiarem vagè, ita eſſe de ratione intrinſeca Præſulatus iure diuino, vt impoſſibile pene ſit vnum ſine altero ſimul inueniri; ſecus verò cenſendum eſt de indiſſolubilitate cum hac, vel illa certa Eccleſia, quæ pendet ex iuriſdictionis applicatione, iure Eccleſiaſtico Pontificio facienda. Omnia autem iura à *Vazquez* allata, tum ex fine ad quæ ſancita ſunt: tum ex tenore: tum eſt *Gloſſis*: tum ex vſu Eccleſiaſtico ſic explicanda ſunt, vt velint, non poſſe huiuſmodi vinculum cū Eccleſia, propria auctoritate Epiſcopi ſolui, ſed ſolum ex facultate Pontificis, vt probè *Panormitan-*

tum loco citato, tum Cap. Tuam de ord. coning. num. 3. nec ordinaria, ſed ſpecialiter eſt conceſſa, atque in hoc ſenſu, & iam abſoluta, dicenda; quapropter diſpenſatio in hoc vinculo grauem profectò cauſam deſiderauit, non tamen adeo grauem, ac requiſitam in diſpenſatione ad ius diuinum, ſine qua ſi habeatur, etſi illicita, valida tamen erit, penes aliquos docentes Papam in eo diſpenſare poſſe, ex quibus autem cauſis Pontifici diſpenſandum ſit, tum *lib. 2. diſp. 2. tum tomo 2. lib. 5. diſp. 3. cap. 6. à num. præſertim 26. ex Cap. Niſi cum pridem de renunc. & Can. ſcias 2. quæſt. 1.* dicemus.

CAPVT V.

An Epiſcopatus in Eccleſia Dei ſit neceſſarius.

SVMMA

Ratio exponitur dubitandi num. 1.
Chatolica proponitur ſententia num. 2.
Eccleſia vt exercitus indiget Epiſcopo num. 3.
Vt Reſpublica neceſſariò Præſules petit num. 4.
Cœli ſunt Epiſcopi num. 5.
Vt hierarchia angelicæ imitatrix Eccleſia debet Antiſtites habere num. 6.
Ex veteri teſtamento neceſſitas Epiſcoporũ probatur num. 7.
Ex ratione hac eadem veritas oſtenditur nu. 8.
Soluuntur argumenta contraria num. 9.

PRopoſitum mihi non eſt, indigentiam à legum ad humanam fragilitatem expendere: neque leges ipſas ſolas ad mortalium regimen ſufficere, quòd non ſit mei inſtituti, ac poſt antiquiores doctè præſtitit *Eminentiſſimus Cardinalis Paleotus In Archiepiſcopali Bononienſi can. 1. & 2.* ſed noſtri Preſulis tantum exponere neceſſitatem; ad quam.

1 Prima dubitandi ratio eſſe poteſt, quòd Eccleſiæ nullum pernicioſius videtur eſſe regimen Ariſtocratico; cum hæreſis chriſtianæ reipublicæ peſtis ab optimatibus potius, quàm à nouis hominibus, plebeiſque ortum duxerit; ſiquidem hæreſiarchæ ferè omnes, aut Epiſcopi, aut Præsbyteri fuerunt; ſunt enim hæreſes, vt notauit *Bell. 1. tom. lib. 1. de Roman. Pont. cap 8. col.* 502. quædam quaſi optimatum factiones, ſine quibus nullæ, vel admodum raræ reliquorum eſſent ſeditiones; ergo Epiſcopi, qui optimates ſunt, non erunt inſtituendi. Secundo Eccleſiæ Monarcha, vel eſt ſolus Chriſtus, vt docuit *Caluin. lib. 4. inſtit. cap. 6. §. 9.* vel Romanus Antiſtes, qui quidem eſt Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, ergo ſuperuacanei ſunt reliqui Epiſcopi. Tertio ſuperfluus eſt Epiſcopatus; cum per ſingulos Sacerdotes omnia poſſent Eccleſiaſtica munia adminiſtrari, ad quos expeditior foret acceſſus; ſiquidem quicunque Paræciani ad ſuum Plebanum facillimè accurrerent, à quo propriæ facilius definirentur cauſæ, ac lites dirimerentur.

2 Chatolica tamen eſt ſententia, neceſſarium ad bonum Eccleſiæ regimen eſſe Epiſcopatum. Ab hac aſſertione nec diſcedere audent hæretici, inter quos *Caluin. libr. 4. inſtit. cap* 6 §. 7. fatetur, ſingulis in hæreſibus rectè ſingulos conſtitui Epiſcopos, qui cæteris omnibus eius diuerſis miniſtris, & paſtoribus præſit: docetur præterea à chatolicis omnibus, quos & laudabimus, & laudauimus, Auctoribus. Probatur primo ſiue Eccleſiam militantem, vt exercitum ſpectes, ſiue vt rempublicam optimo rectam regimine, ſiue ad inſtar rerum naturalium ordinatam, ſiue vt æmulam Eccleſiæ triunfantis, præſertim Angelorum; quo argumento vtitur *Sanctus Greg. lib. 4. quæſt. 72.* cum certum ſit, illam huius noſtræ exemplar eſſe, & quaſi idæam, vt indicat, *Apoſt. ad Heb. 8.* & vnico Hieruſalem nomine donatur; & quidem de Cœlo deſcendens, vel quia, vt vult *Bernard. lib. 3. de conſid. ad Eugenium* ad exemplum Cæleſtis ciuitatis inſtituta, & confirmata eſt, vel quia origine ſua Cæleſtis eſt, in cœlis enim, vt probè Recentior quidam in hunc locum, orta eſt, Deo producta, & deſcendens de Cœlis, homines terreſtres Cæleſtes facit.

3 In hoc igitur exercitu Tribuni neceſſario conſtituendi erant vt in Militari, quorum vices gerere Epiſcopos bene docet *Bell. in præfatione ad libros de memb. Chriſti.* cum non totis imperent caſtris, ſed agmini quiſque ſuo; quod in partem ſollicitudinis Eccleſiarum vocati ſunt, non autem in plenitudinẽ poteſtatis, ſub quibus Presbyteri, quos Parrochos appellamus, quaſi quidam ſunt centuriones, ſingulis cohortibus præſidentes, ac cæteri miniſtri Eccleſiaſtici, vel ſigna, atque aquilas gerentes, vel tubis, ac tympanis præcedentes ad prælium, vel hùc, atque illùc celeriter diſcurrentes, atque Imperatoris mandata, & Ducum ad milites perferentes, vt eruditè proſequitur *Bell.*

Deinde in hac chriſtiana Republica, vt in quauis alia benè inſtituta polytico dictamine perneceſſarij ſunt Magiſtratuum ordines, vt plebs Iudicibus, ſeu Parochis, & hi ſuperioribus ſubſint Magiſtratibus, ac Principibus, Epiſcopis ſcilicet, quibus in *Conſtit. Apoſtol. cap. 29.* dicitur *Vos laicis qui*

inter

inter vos ſunt, *eſtis Prophetæ, Principes, Duces*, *& Reges Mediatores Dei*, *& fidelium ipſius*.

5 Et ſicut corporalia, ac minus nobiliora Deus, qui prima eſt omnium cauſa per ſupremos cœlorum orbes, & hos per primum mobile regit, ac mouet, perq; planetarum, & aſtrorum influxus, ſublunaria gignit, procreat, & conſeruat, ita per Epiſcopos influit, generat, conſeruat, regitque omnia ſpiritualia in Chriſti fidelibus. Et quidem cœlos eſſe Præſules colligitur ex *pſal. 18. Cæli enarrant gloriam Dei*, vbi nomine cœlorum, myſticè Prædicatores, vt ex officio ſunt Epiſcopi, & Apoſtoli veniunt, quibus quo ad hoc, ſaltem ſucceſſerunt Epiſcopi, vt *Hier. in Epiſt. ad Marcell. de Error. Mont. Sanct. Anaclet. Papæ. epiſt. 2. Trid. ſeſſ. 23. ca. 4. & can. 6. & 7. Greg. 9. mor. cap. 4. Orig. hom. 2. in Gen. Tertull. contra Iudæos Iuſt. Apol. 2. Hug. Card. in Epiſt. ad Rom. 19.* qui cœleſtes, deſcribit qualitates, quę in concionatoribus Apoſtolicis deſiderantur: *Epiſcopus prædicator igitur*, ait, *à terra eleuatus eſt per contemplationem*, *amplius per charitatem*: *ſplendet per ſapientiam*: *ſerenus per animi tranquillitatem*; *motus celeriter per intelligentiam*: *pluens per inſtructionem*: *tonans per obiurgationem*: *fulgurans per miracula*; *influens per liberalitatem*; *purus per ſanctitatem ſedes Dei per gratiam*, & *humilitatem*. Ex quibus horum neceſſitatem cœlorum colligere licet, non ſecus, ac materialium in ſublunaria influentium.

6 Demum inter beatas illas mentes chori ſunt, & hierarchiæ diſtinctæ, nimirum vt inferiores per ſuperiores illuminentur, ſic igitur, & in hac militanti Eccleſia ordines, & hierarchiæ diſtribuendę erant, vt vni ſubſint Romano Pontifici omnes, omnium Eccleſiarum Præſules: Archiepiſcopi plures ſuo Primatui: Metropolitano Epiſcopi: plures tamen Parrochi ſuo Epiſcopo, quem Angeli nomine donat *Dionyſius libr. de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 7. part. 3. & S. Gregor. ad Maur. Auguſt. libr. 4. epiſt. 75.* *Quid ergo mirum, ſi illos veſtra pietas dignata eſt honorare, id eſt Epiſcopos, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens, eos vt Angelos, aut Deos etiam appellat Deus*.

7 Probatur demum ex veteri teſtamento, quod figuram eſſe noui conſtat ex *1. ad Chorint. 10. Omnia contingebant illis in figuram*. In eo igitur cum tota Tribus leuitica diuino eſſet dicata cultui, vt *Sentent. Mag.* adnotauit *in 4. diſt. 24.* ſolus Aaron, nec non eius liberi erant ſacerdotes, quibus pręſtabat Pater, qui tantum Sancta Sanctorum adire poterat, diuerſis vtebatur indumentis, aliaque vngebatur vnctione ex *Leuitic. 4.* ſicut nunc Epiſcopi, in cuius vnctione, Aaronis fortaſſis idcirco mentio fit, vt in ordinatione Sacerdotum etiam; igitur idem ordo in Eccleſia noui teſtamenti conſtituendus erat.

8 Nec deeſt rationis momentum quod ſic efformo. Ad Populi regimen magna ſane neceſſaria eſt rerum prudentia; & ſapientia, morum probitas, atque auctoritas, vel ad puniendos malos, vel ad afficiendos præmio bonos, ad auertenda mala à grege Domini, ac demum bona eidem comparanda; atqui hæc ornamenta, omnibus, & ſingulis ſacerdotibus competere perdifficile quidem eſt, quibus vnus faciliori negocio prędicus inuenitur; ergo vnus præ cæteris in ſingulis diœceſibus eligendus erat, qui primas omnium haberet.

9 Ad primum argumentum oppoſitum, conceſſo antecedente cum *Bellarmino ibi laudato*, negamus conſequentiam, etenim Monarchicum, & nō Ariſtocraticum eſt Eccleſię regimen, quod ab vno Chriſti Vicario pendet, cui omnium Eccleſiarum vniuerſalis cura, ſuperiori ratione, ac principatu commiſſa eſt; at reliquis Epiſcopis fere nullum eſt votum in vniuerſali Eccleſia, ſed ſingulis in ſingulas, vt diximus, eſt iuriſdictio, quod minimè ſufficit ad ariſtocraticam puram rationem; monarchicum vero regimen, vt ſit perfectum aliquid etiam ariſtocratiæ admixtum habere debet, vt Eccleſiaſticum habet, & nos ſequenti *diſputat. cap. 4.* dicemus.

Ad ſecundum dico Chriſtum Dominum eſſe vnum ac proprium catholicæ Eccleſiæ monarcham, quam ſpiritualiter, atque inuiſibiliter regit, *vt Epiſcopus animarum noſtrarum*, *1. Petri 2.* nihilominus eſt etiam, & eius Vicarius Romanus Pontifex, cuius regimine viſibili, ac ſenſibili eget Eccleſia ſenſibilis pariter, ac viſibilis, vt optimè *Bellarm. libr. 1. de Roman. Pontific. cap. 9.* Romanus autem Pontifex qua ratione vniuerſalis Eccleſiæ dicatur Epiſcopus, nihil derogans cęteris ſingularum Eccleſiarum *cap. 2.* docuimus.

Ad tertium à Soto propoſitum, & in ſolutum relictum, negamus antecedens, cum & poteſtate ordinis quodāmodo, & iuriſdictionis maiores ſint Epiſcopi Sacerdotibus, quas poteſtates tot, ac tantis Sacerdotibus concedere, in quibus omnibus reperiri vix poterant deſideratę conditiones, opus non erat.

DISPVTATIO II.

De Epiſcopali Statu.

Hactenus eſſentiam expendimus Epiſcopatus: illum autem, qua ſtatum vt declaremus, & res admonet, & cap.3. diſputationis ſuperioris indicata promiſsio nos obligat.

CAPVT PRIMVM.

An Epiſcopalis Status ſit perfectionis.

SVMMA.

Ratio dubitandi, num.1.
Status definitio, num.2.
Dua deſiderantur conditiones ad ſtatum. nu.3.
Quid ſtatus apud Aſtrologos, quid apud Medicos, quid apud Iuriſperitos ſtatus hominis, quid apud Philoſophos ſtatus viuentis. num.4.
Quatuor deſiderantur requiſita ad Chriſtiana perfectionis ſtatum num.5.
Epiſcopalis eſt vere ſtatus. num.6.
Status Epiſcopalis eſt perfectionis. num.7.
Satisfit argumentis contrariis, num.8.

HAnc ex profeſſo quæſtionem expendit *Diuus Thomas opuſc.18.cap.16.& 2.2.q.18.art.2.*

1 Ratio dubitandi duplex eſt: altera in controuerſiam reuocans, vtrum Epiſcopatus ſit ſtatus: altera contendens eſſe quidem ſtatum, ſed non perfectionis. Pro prima argumentatur primo, miniſterium diſtinguitur à ſtatu, ſed Epiſcopi munus eſt miniſterium, ergo non eſt ſtatus. Maior probatur, quia miniſterium diſtinguitur à modo, & ratione viuendi, quod illud in ordine ad alios habetur, hæc in ordine ad ſe per quam conſtituitur ſtatus: Minor autem probatur, & ex *Paulo ad Epheſ.4. Alios autem paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*; & quia Præſulatus functiones omnes ad aliorum ſalutem ordinat, in quo maximè cum gratia gratis data conuenit; ergo, &c. Secundò ad ſtatum immobilitas neceſſario requiritur: ſed hac Epiſcopatus caret; ergo &c. Tertio probatur non eſſe ſtatum perfectionis; quia hic non modo ad præcepta; verùm ad conſilia ſe debet extendere, triplici præſertim via, vt cum *Diuo Thoma Opuſculo citato cap.16.* loquar, per renunciationem, tum fortunarum, tum propriarum voluptatum carnis, nec non per abnegationem ſuimet ipſius, quæ conficiuntur paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ voto: ſed Epiſcopus Eccleſiaſticorum bonorum dominium habet, vel ſaltem patrimonialium, caſtitatis votum ratione ſui, ordine ſacro præciſo, non expoſcit: obedientiam vel non promittit Pontifici, vel ſi promittit materiam habet illa neceſſariam, quam ſolum magis confirmat, quod ad perfectionis ſtatum, maxime conſilii, & ſupererogationis opera ſibi vendicantem, non ſufficit; ergo non eſt ſtatus perfectionis. Et quamuis Epiſcopus ex officio ad aliqua teneatur munia charitatis erga proximum, nihilo tamen minus hoc idem adeo eſt cæteris commune, quos certo certius eſt non eſſe in ſtatu perfectionis, vt hanc in Epiſcopatu arguere minimè poſſit; ſic ſunt Doctores, Magiſtri, Magiſtratus, Principes, Regeſque, quippe qui ex officio multa tenentur ad bonum Reipublicæ præſtare, & tamen in ſtatu perfectionis haud ſunt.

2 Antequam quæſtionis nodum ſoluam notandum eſt primo, ſtatum materialiter ſumptum per *Diuum Thomam 2.2.q.183.art.2. In corpore eſſe quandam poſitionis differentiam alicuius rei, ſecundum modum ſuæ natu-*

ra,quaſi in quādam immobilitate. Declarat hanc definitionem in homine Sanctus Doctor, ac duo veluti inuoluere docet; primū rectitudinem à proprietate verbi *ſtandi* deductam;cum in ea poſitione, ac ſitu ſingulæ corporis partes ſibi debitum,ac naturalem vendicent locum. *Naturale enim*, ait, *homini eſt,vt caput eius in ſuperiora tendat, & pedes in terra firmentur, & cætera membra media conuenienti ordine diſponantur*. Secundum quietem, quia ſi deambularet, ſtare minime diceretur homo, etſi rectus eſſet.

3 Ex hac autem ſic enucleata definitione duæ deducuntur ad quemuis ſtatum etiam moralem neceſſariæ conditiones: prima eſt perfectio in aliqua ratione ſeu eſſendi modo: ſecunda quies, ſeu immobilitas in eodem,quæ quidem, vt varijs competunt rebus, eiſdem ſtatus etiam conuenire dicitur ratio,

4 Hinc vt omittam Rethores, apud quos quid ſit ſtatus tradit *Cicero in Topicis*,certè Aſtrologi ſtatus nomine terminum donant aſcenſionis ſolis,& quia annui curſus periodum ille complens, gradum vltra minime facit;& quia veluti ſiſtit ibi curſum, vnde ſolſtitium vernum,& hyemale. Eodem pacto ſtatus febris,atque ægritudinis apud Medicos eſt ſummus eius terminus,in quo velut pedem illa figit; & à Iuriſperitis ſtatus hominis vigeſimus quartus dicitur annus, qui ſiſtit accretionem *l.cum pater.79. §. curatores, adiuncta Gloſſa ff. de legat. 2.* à quibus non diſcrepant Philoſophi, terminum accretionis appellantes viuentis ſtatum; vltra quem non datur alius; ideoque ſummum videtur eſſe faſtigium in quo ſtabilitatem habet quantitatiuum viuentis incrementum.

5 Notandū ſecundo ad chriſtianæ perfectionis ſtatum quatuor deſiderari conditiones. Prima eſt vt ſit externus, & viſibilis per *Diuum Th.2.2.q.184.art.4. in corp.*dicentem. *Secundum autem ea,quæ exterius aguntur,accipitur ſpiritualis ſtatus in homine per comparationem ad Eccleſiam, & ſic nunc de ſtatibus loquimur*, cum ſtatuum varietas in Eccleſia ad cōmunem fidelium profectum, & ipſiuſmet Eccleſiæ militantis ornatum referatur. Secunda vt ſit ſtabilis *ex eodem, tum initio capitis laudati, tum quæſtione* 185. *artic. præſertim* 5. *in principio dicendum eſt, quod ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio cum aliqua ſolēnitate*; quibus ex verbis tertia deducitur, nimirum ſolemnitas ab eodem deſiderata *art.4.*ex qua, vtpote viſibili, obligatio ad ſtatum etiam viſibilem ordinata conſtare poſſet,vt proſequitur *Soar. lib.1.c.5.num.8.* Quarta vt ordinetur ad opera perfectionis per eundem *Diuum Thomam paulo ante citatum art.5. ad ſtatum perfectionis requiritur obligatio perpetua ad ea,quæ ſūt perfectionis*; & ratio eſt manifeſta, quia omnis ſtatus, ſeu viuendi modus ad æternam ſalutem ordinatus ad actiones idoneas, quibus eam adipiſcimur, proximè debet referri.

6 His in hunc modum conſtitutis ſit prima concluſio. Epiſcopalis,eſt propriè ſtatus: ſic *Diuus Thomas ſæpe citatus*,nec aliquis quem nouerim Auctorum diſſentit, ratio autem eſt, quia ei competit prima ſtatus conditio *num.3.* expreſſa; cum exiſtendi integritatem,& perfectionem habeat,ſiue in dignitate,ſiue in viuendi modo etiam poſt motum, & quaſi ſucceſſiuam augmentationem ex ordine ad Eccleſiaſticam rationem agendi, vt patet. Habet etiam ſecundam, ſtabilitatem ſcilicet,vt *cap. 4. præcedentis diſputationis* probauimus,nec modo eam, quæ ex ſolo propoſito, *Henrico auctore quodl. 12. quæſt. 29. ad* 1. ſufficere videtur, ſed ex proprio pacto,& cauſa permanente, quæ vt *Sanctus Thom. art.1 ad 3.& per totum* docet, neceſſaria eſt ad ſtatum, adſtipulantibus *Soto lib. 7. de iuſt. quæſt. 5. art.1. Antonin. 3. part. in prologo §.4. Turrecr. lib.1. ſum. cap.73. Soar. lib. 1. de ſtat. perfect. cap.1. num.3.*

7 Secunda concluſio. Epiſcopalis, eſt chriſtianæ perfectionis ſtatus; & vt reliquas ſtatus rationes ad Eccleſiam, vt Rempublicam politicam ſpectantes omittamus, quemadmodum ſunt Liberorum, ac Seruorum ex *Cap. ſi quando 2. quæſt.6 ex leg.3. & 4. ff. de capit. deminut. & ex toto titulo. C de ingenuis manum. & ff. de ſtat. homin.* Nobilium & Plebeiorum, Coniugatorum,& Solutorum, Regum, Principum, Magiſtratuum, aliorumq; Vt etiam miſſos faciam ſtatus termini, vt eſt feliciſſimus beatitudinis, cui hoc nomen per antonomaſiam, ob ſummam præſtantiam,& perennitatem competit: & baratri infernalis, in quo ſumma eſt omnium pœnarum, ſolum de ſtatu viæ loquimur in Eccleſia Catholica; quatenus ſpiritualis quædam eſt Reſpublica, & vnū myſticum corpus per vnicam fidem, fideique profeſſionem eandem legem, eademque ſacramenta, ſub vno capite Chriſto,eiuſque Vicario ad æternam felicitatem per congruentia tendens media, quem dari, vt reliquos, non eſt noſtrum hic diſputare; ſed ſupponendum ex catholica doctrina certum,& probatum à *Diuo Thom. 2.2. quæſt. 187. art.2.* aliſque autoribus, quos citat, & ſequitur *Soar. lib.1. de Rel. cap.2.* Ex hac igitur ſuppoſitione concluſio nobis probanda eſt: tum Patrum auctoritate: tum ratione; & quamuis nonnulli Recentiores multas afferāt ſanctorum Doctorum ſententias, ex eis tamen quamplures ad ſanctitatem,

tem, & perfectioris vitæ rationem Epiſcopali perſonæ aliquo pacto neceſſariam, potiùs, quàm ad rationem ſtatus per ſe ſpectant; ego verò proprias ſtatum commendantes breui referam. Et prima ſit *Dionyſij capite quinto de Eccleſ. Hierarch. Pontificum ordo ſacratior, & primus eſt diuinæ ſpeculantium ordinum, idemque & ſummus, & vltimus*: quem *capit. ſexto* religioſo præfert ſtatui. Secundum teſtimonium eſt *Ignatij epiſtola ſecunda ad Smirnenſes. Epiſcopo nihil maius eſt in Eccleſia, quia Deo conſecratus pro totius mundi ſalute*: quibus proprium, & munus, & ſtatum Epiſcopi declarat; quippequi inter Deum, & homines mediator eſt, vt ait *Nanzianzen. Apol. 1. ex Apoſtolo infra citando*. Tertium accedit teſtimonium *Chryſoſtomi in oratione de Sancto Philogono. Nullum officium Deo carius eſt Epiſcopatu*.

Secundò probatur ratione. Quatuor allatæ in notabili ſecundo conditiones ſtatus perfectionis Epiſcopatui conueniunt; ergo ſtatus eſt perfectionis, & quidem Prima per ſe patet; Secunda ſuperiori aſſertione ex c. 4. probata eſt; Tertia autem his aſſeritur à *D. Thom. opuſc. 18. cap. 16. in fin. Sicut autem in humanis contractibus aliquæ ſolemnitates ſecundùm humana iura adhibentur, vt contractus firmior habeatur; ita cum quadam ſolemnitate, & benedictione ſtatus pontificalis aſſumitur*; quam ſolemnitatem declarans *quæſt. 184. art. 5. Adhibetur* (ait) *etiam quadam ſolemnitas conſecrationis, ſecundùm illud 2. ad Tim. 1. Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionẽ manuum mearum; quod Gloſſa interlinearis exponit de gratia Epiſcopali; & Dyonyſ. dicit 5. cap. Eccleſ. Hierarch. Quòd ſummus Sacerdos, ideſt Epiſcopus in ſua ordinatione habet eloquiorum ſuper caput ſanctiſſimam ſuper poſitionem, vt ſignificetur, quod ipſe eſt participatiuus integræ totius Hierarchicæ veritatis, &c.* hæc ille. Quarta verò, & vltima conditio è ſequenti momento rationis patebit. Tertiò igitur probatur concluſio: Eſſentialis perfectio in charitate erga Deum, & erga proximum ſita eſt; atqui ſtatus Epiſcopalis potiſſima ratione vtrâq; amplectitur; ergo eſt ſummæ perfectionis. Conſequentia huius argumenti euidens eſt: Maior omnium eſt auctorum calculis firmata, & probatur tum ex *Paul. ad Col. 4. Super omnia charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*, tum ratione *Angelici Doct. 2. 2. q. 184. art. 1.* perfectio eſt illa, qua quis vltimum ſuum aſſequitur finem, qui eſt perfectio rei, quaſi in facto eſſe, ſed charitas vnit nos Deo, qui eſt vltimus finis noſter, ex *Io. 14. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, ergo ſecundùm charitatem ſpecialiter attenditur perfectio: cum hac autem erga Deum, altera erga proximũ charitas maximè coniuncta eſt; quippequæ ſecundarium eſt obiectum habitus charitatis, & *ex his duobus præceptis pendent lex, & Propheta, Matt. 22.* quorum forma perfectionẽ profectò demonſtrat, *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo*; nam *D. Thoma art. 3. interprete*, totum, & perfectum idem ſunt ſecundum *Philoſophum 3. phyſ. tex. 64. Et proximum ſicut te ipſum*, cum vnuſquiſque ſeipſum maximè diligat; ergo eadem menſura ſine menſura dixerim primario Deus, & ſecundariò proximus ob Deum diligendus eſt; nec mirum cùm charitas finis ſit præcepti ex *Apoſt. 1. ad Thim. 1.* in fine autem non eſt adhibenda certa menſura; ſed in his quæ ſunt ad finem per *Ariſtot. 1. Politic. cap. 6. à medio*. Maior autem primi argumenti probatur tum ex *Ioan. 21.* vbi Chriſtus Dominus à primo paſtorum Paſtore Petro maiorem exigit charitatem, tum erga ſe, tum erga proximum; *Simon Ioannes diligis me plus his? paſce agnos meos. Dominus* (*inquit Euſebius Emiſenus in ſerm. de natiuitat. Ioann.*) *agnos deinde oues ei committit; quia non ſolùm paſtorem, ſed paſtorum paſtorem eum conſtituit*; à quo idcirco ſummam etiam præ cæteris Apoſtolis expoſtulat charitatem, in qua abſolutè officium paſtoris, ac munus Epiſcopale conſiſtit. *Sit* (inquit Auguſtinus locum Ioannis citatum acutè explicans) *amoris officium paſcere dominicum gregem; ſi fuit timoris indicium negare paſtorem. Qui hoc animo paſcunt oues Chriſti, vt ſuas velint eſſe, non Chriſti.* Et infra: *Nam quid eſt aliud ſi diligis me, paſce oues meas? quàm ſi diceretur, Si me diligis, non te paſcere cogita, ſed oues meas, ſicut meas paſce, non ſicut tuas, gloriam meam in eis quære, non tuam, &c.* Quibus ſanctus Doctor duo demonſtrat, & officium Epiſcopale ex debito, & obligatione ſtatum conſtituens, amorem requirere erga Deum, & ex hac paſcendo gregem Domini, charitatem erga proximum; quæ vt magis innoteſcerent, trino examine, ac trina Petri confeſſione ſunt declarata. Hinc *Bernardus in Cantic. 76. Non otiosè* (ait) *ſæpè repetitum eſt Petre amas me, in commiſſione ouium, & ego quidem id ſignificatum perinde puto, ac ſi illi dixiſſet Ieſus, niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia, quòd me ames, & valdè, perfectèque ames, nequaquam ſuſcipias curam hanc, &c.* Et quamuis omnia hæc Petro Summo Pontifici conueniant, cui ſpecialis curam omnium ouium dedit Deus, ſupra quem ædificauit Eccleſiam ſuam, auctore tamen *Maldonato verſicul. decimoſeptimo* ad omnes Prælatos, quibus animarum cura

C com-

commiſſa eſt; quare *Gregor.1.par.paſtor.cap.5.circa medium,allatus à Diuo Thoma quæſt.184.art.7.ad 2.Si dilectionis* (ait) *teſtimonium eſt cura paſtoralis, quiſquis virtutibus pollens gregem Dei renuit paſcere, paſtorem ſummum conuincitur non amare; hoc autem eſt maius dilectionis ſignum, vt homo propter amicum etiam alijs ſeruiat, quàm etiam ſi ſoli amico velit ſeruire.*

Demum probatur concluſio; Duplex eſt charitatis perfectio, altera neceſſaria, ſine qua minimè ipſa conſiſtere poteſt, & quamcumque excludit noxam mortalem; altera, quæ ad perfectionem Chriſtianæ vitæ maximè ſpectat, neque ab omnibus attingitur, quæ quidem ex *Diuo Thoma quæſt.284. ſæpe citato artic.* 2. tripliciter attendi poteſt. Primò extenſiuè, vt non ad amicos, notoſue modò, ſed etiam ad extraneos, atque inimicos latè pateat, quæque *Auguſtino iudice in Enchiridion*, eſt filiorum perfectorum. Secundò intenſiuè, & hæc ex his deducitur, quæ ab aliquo propter proximi cauſam contemnuntur, vt exteriora bona, nec non & vita varijs etiam cruciatibus expoſita, ex *Ioannis* 15. *Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, ideſt pro eis, quos ſumma cum dilectione proſequitur, ac tamquam amicos diligit, ab eiſdem tamen non ita diligitur, vt præſtitit Chriſtus Dominus, qui & animam ſuam pro amicis, ideſt, à ſe dilectis poſuit; à quibus haud amabatur, inimicis meritò dictis ad *Roman.* 5. *& à Petro epiſt.1.cap.3.* Tertia charitatis præſtantia cauſaliter perpendenda eſt, quatenus proximis impendēs, non temporalia modò beneficia, ſed ſpiritualia, immo ſe ipſum, ex *Apoſtoli* documēto 2 *ad Chor.* 12. Atqui hæc charitas penes triplicem declaratam præſtantiam, Epiſcopali maximè propria eſt ſtatui; ergo ſumma perfectio huic eidem ſtatui competit. Maior huius argumenti eſt tum *Auguſtini*, *& Diui Thomæ*, quos paulò ante citaui, tum per ſe patet; Minor verò probanda eſt ex eodem *Angelico opuſcul.*18.*cap.*16. *Cùm enim* (ait ſanctus Doctor) *Eccleſiæ vniuerſam curam ſuſceperint Epiſcopi, in qua plerumque inueniuntur aliqui eos odientes, perſequentes, & blaſphemantes, neceſſe habent inimicis, & perſequentibus dilectionis, & beneficentiæ vicem rependere, cuius exemplum in Apoſtolis apparet, quorum ſunt Epiſcopi ſucceſſores; in medio enim perſequutorum commorantes, ſalutem eorum procurabant. Vnde Dominus ei mandat Matth.* 10. *Ecce ego mitto vos in medio luporum, & infra ex Auguſtino libr. de ſerm. Dom. in monte, locum Matth.5.exponente. Si quis te percuſſerit, &c. & ex Paul.1.ad Chorint.* 4.*confirmatur, Maledicimur, & benedicimus, perſequutionem patimur, & ſubſtinemus, &c.* quibus extenſio charitatis, inimicos etiam proſequentis perbellè demonſtratur, vt Epiſcopatui annexa. Intenſio verò ex contemptu etiam propriæ vitæ declaratur à *Sancto Doctore tum ex Ioann.* 10. *Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis; tum ex commento Sancti Gregorij Papæ. Oſtenſa nobis eſt igitur de contemptu mortis via, quam ſequamur, appoſita eſt forma, qua imprimamur; primum nobis eſt, exteriora noſtra miſericorditer ouibus eius impendere; poſtremum verò, ſi neceſſe eſt, etiam mortem noſtram pro eis debemus miniſtrare.* Ex quibus & intenſio, & charitatis cauſalitas innoteſcunt, quæ tertia erat eius perfectio, in minore propoſitione noſtri argumenti aſſignata: obligatur ergo, concludit *Angelicus*, ex officio ſibi commiſſo Epiſcopus ad hanc perfectionem dilectionis, vt pro fratribus animam ponat, nè dum bona ſpiritualia proximis adminiſtret, vt pote inter Deum, & hominem mediator ex *Pauli ad Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*: omnem igitur omnium complexionem perfectionum charitatis, habet Epiſcopalis ſtatus. Huius euidentia ratiocinationis per ſe patet; neque ſecundùm membrum de intenſione charitatis alicui Critico faceſſat negocium; cum *Angelicus* nō formaliter, ſed quaſi in ſignis, & ex ſignis eam, ex contēptu nempe bonorum, perſonæ dilectæ gratia habito, vt euenire ſæpe ſolet, meritò deducit. Qui verò Præſulatus ſtatum non perpenderit, audaciam obtrectantium hiſce, quamuis alioquin fusè tractatis, compeſcendam non habebit; atque ad faſtidium hæc dicta cenſebit.

8 Ad primum contrarium argumentum *numer.*1. relatum, reſpondere quis poſſet è *Caietan.in 2.2.quæſt.* 183. *artic.2. iuxta ſenſum D.Thomæ quæſt.*184.*art.* 6. *in corpor.* officio, & miniſterio adiungi ad rationem ſtatus, quando eis adnectitur immobilitas; quā conuenire Præſulatui *concluſ.2 ex cap.*4. demonſtrauimus. Cęterùm meliùs ex eodem *Diuo Th.2.2.quæſt.*183.*art.*3. *ad* 3. dicimus: diuerſitatem ſtatuum, officiorum, & graduū, ſecundùm diuerſa ſumi, vt nimirum Officiū dicatur in ordine ad actiones, functioneſque erga alios ex *Ariſtot.* 9. *Met.tex.*16. Gradus ſecūdùm ordinem ſuperioritatis: Status autem per immobilitatem ad conditionē perſonæ, quod probè citat. S. Doctor declarat *ar.*1.*ad* 3. Verùm enim verò, vt cum eodē *ar.* 3 *ad* 3. loquar, cōtingit, vt iſta tria in eodem cōcurrant, puta cū aliquis deputatur ad aliquem

quem actum altiorem, ſimul ex hoc habet, & officium, & gradum, & vlteriùs quemdam perfectionis ſtatum, propter actus ſublimitatem, ſicut patet in Epiſcopo, & Epiſcopatu, qui quamuis primariò, vt ſequenti capite dicemus, inſtitutus ſit ad aliorum bonum ſpirituale eſt, & per opera charitatis valdè perfecta, paulò ante declarata, & per Sacramentorum miniſtrationem procuratur, non poteſt in magnum non redundare ſpiritualem profectum operantis Epiſcopi; qui quidem excludi nequit ab hoc munere, & ſicut cum peculiari functione ſacrificium offerendi pro ouibus, & pro peccatoribus, quod obire intereſt Epiſcopi, coniunxit *Apoſtol. ad Hebraos* 5. munus etiam offerendi pro ſe ipſo *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, &c.* quibus addit infra; *Quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, propterea debet quemadmodum pro populo, ita & pro ipſo offerre*, quam doctrinam *cap.*7. repetit, eadem ratione in cæteris actionibus ſalus perfectioque ſpiritualis proximi, cui conſulere tenetur Epiſcopus, minimè ſeiungitur à propria; cui ex naturali ſequela per charitatis opera, ni obicem ponat, abſque dubio proſpicit. Secundum argumentum contrarium tum *cap.* 4. *tum concluſ.* 1. *præſentis capitis* probatum eſt, eſſe falſum. Ad tertium, licèt in Epiſcopali ſtatu, triplici indicata via, etiam aliquo pacto progrediantur Epiſcopi, vt probat *Sanctus Thomas opuſcul.* 18. *cap.* 17. & nos ſequenti capite dicturi ſumus; nihilominus, & iam falſum eſſe exiſtimamus ad perfectionis ſtatum neceſſariò requiri tria illa vota, vt probè citatis locis *Angelicus, & ex eo Soar. cap.* 15. *num.* 12. & ratio eſt, quia perfectio eſſentialiter in charitate tum Dei, tum proximi ſita eſt, & ſecundariò nec non inſtrumentaliter vitur conſilijs, quæ ordinatur ad charitatem per remotionem impedimentorum, quibus ipſius actus retàrdantur, vt eſt matrimonium, occupatio negotiorum ſecularium, & huius generis alia: vota igitur illa tria perfectionis ſunt inſtrumenta non quidem omninò neceſſaria, ſine quibus illa haberi minimè poſſit, ſed maximè ad eam vtilia. Adde paupertatem, & remotionem bonorum externorum ſecundum præparationem animi, & non actualiter, eſſe de ratione perfectionis, ad quam ſtatus Epiſcopalis maximè obligat, vt nos cum Diuo *Thoma quæſt.* 184. *tum capite ſequenti, tum cap.*6. proſequemur. Alia autem in eo argumento enumerata opera charitatis ſpiritualia ex officio Epiſcopi minimè tenentur obire, ex quo inter illos, & Epiſcopatum patet diſcrimen.

CAPVT II.

An Epiſcopalis ſtatus ita ſit perfectionis exercendæ, vt non ſit acquirendæ.

SVMMA

Opinio Soarij, negans ſtatui Epiſcopali perfectionem acquirendam, num. 1. *&* 2.

Perfectio ſtatus eſt diſtincta à perfectione perſonæ illum ineuntis, num. 3.

Qui Præſulatum init, ſatis eſt, ſi in propoſito perfectionem ſummam habeat; neque ſub mortali eam habere tenetur, ibid.

Charitas tum erga Deum, tum erga proximum propria eſt Epiſcopalis muneris. numero 4.

Eſſentialis perfectio in charitate ſita eſt, numero 5.

*Perfectionis ſtatus adæquatè non diuiditur in perfectionem exercendam, & acquirendam, num.*6.

Epiſcopalis ſtatus non ita eſt perfectionis exercendæ, quin ſit etiam acquirendæ, numero 7.

*Quomodo intelligenda ſit Dionyſij ſententia Epiſcopalem ſtatum eſſe perfectiuorum. numer.*8.

*Status Epiſcopalis media præbet etiam perfectionis acquirendæ, num.*9.

*Etſi in actibus charitatis, atque aliarum virtutum perfectio acquirenda conſtituatur, peculiari nomine competit Epiſcopatui, numer.*10.

*Tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ ſimpliciter neceſſaria non ſunt ad perfectionem, num.*11.

*Vt ſe habet ſtatus Religioſus vitæ mixtæ, ſic Epiſcopalis, num.*12.

*Vita actiua Præſulatus adiumento eſt ad perfectionem, num.*13.

*Diſcrimina inter ſtatum Epiſcopalem, & Religioſum, num.*14.

*In quo ſenſu ad perfectionem acquirendam ſtatus Epiſcopi ordinatur, num.*15.

*Definitio ſtatus Epiſcopalis, num.*16.

*Contrarijs ſatisfit argumentis, num.*17.

1 QVæſtionem hanc ex ſe potius ad loquendi modum ſpectantem, quàm ad rem *Soar. libr.* 1. *de ſtat. perfect. cap.*14. peculiari quadam explicandi ratione, ad reale diſcrimen redegit.

2 Ac primo diuiſionem ſtatus perfectionis in Epiſcopalem, & Religioſum à Doctori-

bus communiter tradi ſolitam, vt videre eſt apud *Diuum Thomam 2. 2. quæſt. 184. art. 5. & 7. & Opuſc. 18. à cap. 16. ac deinceps*; in alteram expendendam conuertit, quam nos huius capitis inſcriptioni inſeruimus: nec non perfectionis acquirendæ nomine, ſtudium intelligit, & ſcholam, in qua tradatur, ac diſcatur perfectio; perfectionis verò exercendæ ſtatum putat eſſe, in quo obligetur quis opera perfectionis exercere; etiamſi ex vi eiuſdem ſtatus per propriam acquirere perfectionem non doceatur. Quibus poſitis tria promit *Soarius*, peculiaria. Primum *num. 3.* perfections nimirum ſtatum adæquatè, atque immediatè in duo diuidi membra, & quidem oppoſita, inter quę medium minimè dari poſſe docet, *num. 7.* Secundum, Epiſcopalem ſtatum ita perfectionis eſſe tantùm exercendæ, vt non ſit acquirendæ. Tertium *num. 7. & 8.* ſtatum Epiſcopalem media non conferre ex ſe acquirendi perfectionem. Primum probat ex *Diuo Thoma citato artic. 5. vbi in argumento ſed contra ex Dionyſio capit. 5. de diuin. nomin.* Epiſcopis tribuit perfectionem, tanquam perfectoribus, & *capit. 6.* concedit monachis perfectionem, vt Deo famulantibus; idemque ſumitur ex *artic. 7.* vbi vult perfectionem, alteram eſſe Perfectorum, alteram Perficientium: quam differentiam Auctor coincidere, cùm à ſe allata perfectionis exercendæ, & acquirendæ contendit. Secundò argumentatur ex eodem *Sancto Doctore quæſtion. 185. artic. 4. ad 1.* docente, *quod perfectio Religioſorum, & Epiſcoporum, ſecundùm diuerſa attenditur, nam ad perfectionem Religionis pertinet ſtudium, quòd quis adhibet ad propriam ſalutem: ad perfectionem autem ſtatus Epiſcopalis pertinet, adhibere ſtudium ad proximorum ſalutem.* Conglobat *Soarius* alia *Diui Thomæ* teſtimonia, quibus quamuis commendetur ſtatus perfectionis acquirendæ, vt Religionis; at minimè declaratur ſtatus perfectionis exercendæ, eſſe ſolùm exercendæ, vt ſæpè repetit *Soarius*. Tertiò probat ratione. In Eccleſia Dei datur ſtatus perfectionis acquirendæ, ſcilicet, Religioſus; ergo datur etiam perfectionis ſolum exercendæ, vt eſt Epiſcopalis. Quartò, perfectio intelligi non poteſt niſi, vel vt actiua, vel vt aliquis eam communicet, vel vt acquirat, cum non detur medium, neque per participationem, neque per carentiam vtriuſque extremi; quemadmodum inter Doctorem, & Diſcipulum in genere ſtudioſorum hominum, nec medium datur: non autem dari per participationem vtriuſque extremi, huius ſentẽtiæ Auctor minimè probat: per carentiam vero eorumdem conſtat, quia non eſſet ſub re diuiſa membrum illud, vtpote vitæ neutrarum perfectionum genus habentis. Secundum, & tertium placitum probat *num. 7.* Epiſcopi ſunt in ſtatu perfectionis, vt exploratum eſt: non acquirendæ; igitur ſolùm exercendæ, cum non poſſit excogitari medium. Minor propoſitio probatur ex vſu, & ex fine, atque inſtitutione talis ſtatus, qui ad illuminandos, & perficiendos alios inſtitutus eſt ex *Dionyſio citato capit. 5. & 6. per Matth. 5. Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi, nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Et ideo in illo ſtatu, qui conſtituitur, licèt perſonali, ac propria egeat perfectione, ex vi tamen huius ſtatus, quibus eam acquirat, non recipit media; ſed quibus illam exerceat circa alios: meritò igitur ſtatus dicitur perfectionis exercendæ: ex quo ſatis probata videtur illorum oppoſitio membrorum ex vario, ad quem tendunt, fine, diuerſis, quibus per ſe incumbunt, medijs, ac, quibus tenentur, diſtinctis obligationibus.

3 Ad ſolutionem notandum eſt primò, diſtinctum quid eſſe, loqui de perfectionis ſtatu, ac de perſonis illum eundem ſtatum ſubeuntibus: etenim ille perfectiſſimus cum eſſe poſſit, perſonas tamen eum obeuntes imperfectas eſſe, non repugnat, & è contra poſſet enim quis in ſtatu perfectionis non eſſe, & tamen eſſe perfectus, & è conuerſo nonnullos ſtatu tantùm, non re perfectos eſſe; cuius ratio probè traditur à *Diuo Thoma 2. 2. quæſtion. 384. artic. 4.* à nobis inferiùs indicanda. Illud autem inconfeſſo apud omnes eſt, quemcumque perfectionis ſtatum perſonam expoſcere aptam ad perfectam viuendi rationem, vt proportio ſeruetur inter formam, & ſubiectum, in quo eius capacitas ex antecedenti priuatione indicata, præexiſtere aliquo pacto debet. Quamobrem licet poſſit perſona ad ſtatum perfectionis aſſumpta, nullo præditum eſſe perfectionis gradu; nihilo tamen minus ſemper ſaltem capacitatem, atque aptitudinem eſſentialiter requirit. Hinc notandum obiter venit, ex *Soario libr. 1. capit. 14. num. 9.* licèt omni ex parte optandum ſit, vt dum inire quis vult ſtatum Epiſcopalem, perfectionis gradum aliquem attingat, vel in Religione, quæ huius eſt ſtudij ſchola, vel aliqua exercitatione, continuataque actuum virtuoſorum ſerie acquiſitum, nihilo tamen minus, dummodo in gratia fuerit, cùm conſecrabitur, eum non obligari ad aliam perfectionem ſub mortali, cum ſatis ſit in voto, ac propoſito, efficacique deſiderio habere; per actus poſtea perfectiſſimos

mos infra declarandos, & ſibi comparandam, & exercendam. Hinc vlterius ſequitur, quòd quamuis in eodem genere non poſſit quis eſſe perfectior quin ſit perfectus, in diſtincto tamen, eſſe poteſt perfectior, ſecundùm ſtatum, & operationes, illiuſque munera propria, quin in ſe, ac perſonaliter fuerit perfectus; neque obſtat quominus per eadem opera ritè peracta, vel primò acquirat Epiſcopus, vel conſeruet, vel propriam, ac perſonalem perfectionem augeat, vt infra.

4 Secundò, ex *præcedenti capite* ſuppono, charitatis actus, tum erga Deum ſine menſura, per ſummam perfectionem; tum erga proximos in perfectiſſimo gradu, proprios eſſe & officij, & muneris Epiſcopalis cum aliquali obligatione, atque immobilitate, vt ſuperiori declaratum eſt capite.

5 Tertiò ſupponendum, eſſentialem perfectionem in charitate ſitam eſſe, vt ex Catholica doctrina, *ſuperiori* diximus *capite*, cuius actus meritorij ſunt.

6 His adnotatis, ſit prima concluſio contra primam aſſertionẽ cõtrariæ ſententiæ. Perfectionis ſtatus adæquatè nõ diuiditur in perfectionem acquirendam; & exercẽdam, tamquam in membra ſic oppoſita, vt ſe mutuo penitus excludant; probatur, quia ſtatus perfectionis exercendæ, qui eſt Epiſcopalis, ita non eſt ſolius exercendæ, quin ſit etiam, vel de nouo acquirendæ; ſi nullam actualem reperiat perfectionem in perſona aſſumpta ad Epiſcopatum; ſed ſolùm propoſitum, ac deſiderium, ad quod tantùm teneri diximus talem perſonam *num.* 3. vel ſit ſtatus conſeruatiuus perfectionis præinuentæ in perſona Prælulis, immo & acquiſitiuus maioris, & maioris perfectionis, ad quam media expedita, ac proportionata propria ipſiuſmet præbeat; igitur perfectio in duo minimè diuiditur membra, ſe mutuò excludentia; cùm hic perfectionis ſtatus exercendæ, neceſſariò ſit, modo dicto etiam acquirendæ. Conſequentia eſt manifeſta, antecedens ſequentes demonſtrabunt aſſertiones.

7 Secunda concluſio. Epiſcopalis ſtatus non ita perfectionis eſt exercendæ; quin etiam ſit acquirendæ: Probatur primò, quia ſtatus ſolius perfectionis exercendæ, neque perfectionem præbens perſonæ in eo exiſtenti, neque præinuentam ex ſe conſeruans, neque augumentum eidem conferens, non modo non eſſet ſtatus perfectionis; ſed neque benè, ac prudenter inſtitutus, & conſequenter ſatis, ſuperque imperfectus: ergo talis ſtatus admittendus non eſt; probatur antecedens, quia perfectionis ſtatus, ſi re vera talis ſit, connotat opera perfectionis, ac virtuoſos actus proprios vitæ perfectæ: atqui hi actus ritè exerciti non poſſunt non eſſe perfectiui perſonæ eos elicientis, vt ſuppono certum ex Catholica doctrina *num.* 5. indicata; igitur ſi daretur ſtatus perfectionis non perficiens aliquo pacto perſonam eum obeuntem, profectò non eſſet talis, ac proinde duo contradictoria vera eſſent. Maior huius argumenti ex præcedenti capite conſtat; Minor ex Catholica doctrina 2. *ad Thimot.* 4. *ad Galat.* 5. 1. *ad Chorint.* 13. & videre eſt apud *Soarium*, contra quem argumentamur *tom.* 3. *de grat. libr.* 12. *capit.* 8. Conſequentia probè, vt patet, eſt deducta: Confirmatur, quia ſtatus perfectionis perſonam in eo exiſtentem debet iuuare ad ſalutem, ac facilitatem præbere, maioremque ſecuritatem illam comparandi: atqui ſtatus ad perfecta obligans opera, & ad perfectionem, vel quam non reperit, acquirendam, vel repertam conſeruandam, atque vlterius perficiendam non iuuans, ad ſalutem propriam adimento eſſe non poſſet; ſed magno cum detrimẽto potiùs hominem manifeſto perditionis periculo conſtitueret expoſitum; quippe qui ſuo muneri ſatisfacere minimè poſſet, ex vi ſtatus, quem inijt, igitur omninò imprudenter inſtitutus eſſet hic ſtatus, immò & malus. Nec me præterit de ratione ſtatus perfectionis non eſſe, omnem bonam conferre diſpoſitionem: at verò ſufficientem, & neceſſariam, ni doceret, atque aliquo pacto conferret, imprudenter ſanè inſtitutus eſſet; & quidem qua ratione, amabò vos, ſtatus Incipientium, Proficientium, & Perfectorum conſtare poſſent; ni ex ſe tribuerent neceſſaria ad hos tres gradus conſtituendos? Et vt facili negotio per ſingulos alios demonſtrari hæc veritas poſſet ita tempus in ea probanda terere, operæ pretium non eſt; cum etiam ex ſequenti capite clarius conſtabit. Neque ſimilis eſt ratio de ſcientia, ac de perfectione acquirenda; vt ibidem contendit *Soarius*; etenim etſi ſcientiam ſupponere debet ſtatus Epiſcopalis; minimè tamen per ſe obligatur ad actus, quibus illa ſcientia perficiatur; at verò ex vi ſtatus Epiſcopalis ad functiones obligatur Antiſtes, quæ ex ſe ſunt perperfectiuæ proprij ſubiecti, & perſonæ, quòd ſi cum ſcientia componenda eſſet perfectio, in eo ſolùm ſenſu, fieri poſſet, in quo, vt prouerbio dicitur: *Si vis ſcire, doce, quodque expreſſit Senec. epiſt.* 7. *Homines, dum docent diſcunt*; vt igitur docẽdi functio ad ſcientiam comparandam perfectiorem maximoperè confert; ita etiam ſtatus Epiſcopalis per ſuas proprias operationes, ad

quas ex obligatione refertur, maximè perſonam eum ſubeuntem perficit. Secundum argumentum ſtatus Epiſcopalis eſt charitatis primariò erga Deum, ex qua etiam proximos debet diligere, vt in *notabili ſecunda num. 4.* indicauimus, & *præcedenti capite* oſtendimus: atqui charitas Dei eſt maximè perfectiua perſonæ, quæ illam exercet, ergo.

8 Dices, Epiſcopalem ordinem eſſe non modò Perfectorum, ſed Perfectiuorum, vt ait *Dionyſ. libr. de Eccleſ. Hierarch.* ergo non eſt perfectionem Acquirentium. Reſpondeo, non implicare aliquem, ſtatum eſſe Perfectorum, & Perfectiuorum, & inſe Perficiendorum, per reſpectum, ac ordinem ad diuerſa; eſt enim ſtatus Epiſcopalis Perfectorum, quod ex ſe petit perfectionem aliquam in ſubiecto, vt *notabili primo* diximus, & ex definitione conſtabit; eſt Perfectiuorum, quia ex ſe inſtitutus eſt ad alios illuminandos, purgandos, ac perficiendos; eſt autem Perficiendorum, & quia non neceſſariò vitam ſupponit perfectam eius, qui hunc init ſtatum, ſed ſatis eſt, ſi perſonam ſupponat optantem illam, ea, quam ſupra diximus, ratione; & quia, ſi, vt par eſſet, ſupponit habere perſonam aliqualem ſui perfectionem, eſt ſanè eiuſdem conſeruatiuus, & ex ſe inductiuus maioris, & maioris perfectionis, per media maximè proportionata, vt ſequens aſſertio docebit; nam ſicut Religioſi ita ſunt in via ad perfectionem, vt in aliquo ſint etiam perfectionis ſtatu non penès eos modò, qui perfectionem adepti ſunt; verùm reſpectu omnium ad perfectionem contendentium maiorē, ad quam ſunt in via: licèt reſpectu perfectionis non adeò ſublimis ſint in termino; ſic & Epiſcopus, & ex ſuo ſtatu, eſt perfectos, ac in termino, cùm operæpretium eſſet, vt ſubiectiuè aliquam haberet perfectionem, ſaltem ſubſtantialem gratiæ, dum talem ſtatum per conſecrationem init; & eſt in via ad maiorem, quam habet in votis, perfectionem, in ordine ad quam vltra eſt perficiendos; neque merè per accidens, ſed per ſe, ex medijs, ſcilicet, proprijs ſui ſtatus, vt infra declarabimus: fauet huic doctrinæ *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione* 182. ſimile ſibi obijciens argumentum, atque hac pene ratione ſoluens, qua quidem diluitur argumentum allatum in contrarium à *Bellarmino in admonitione ad nepotem, contr. 4.*

9 Tertia Concluſio. Status Epiſcopalis ex ſe, non præbet modò media perfectionis exercendæ, ſed propria etiam perfectionis acquirendæ: probatur primò. Epiſcopalis ſtatus media propria ſunt ea, ad quæ ex obligatione, & vi eiuſdem tenetur Epiſcopus: atqui hæc ſunt præcipua ſalutis acquirendæ media; vt conſtat ex *notabili tertio numer. 5.* igitur ſtatus Epiſcopalis præbet ex ſe media proportionata, tum ad ſalutem, tum ad perfectionem acquirendam. Secundò, perfectio, quam ſtatus Epiſcopalis amplectitur, vel eſt charitatis habitualis, vel eſt actualis, vel effectiuæ: ſi primum, vt bene ſentit idem *Soarius ex multis libr. 1. cap. 4. num. 5.* operationes, & functiones Epiſcopalis ſtatus, actus cùm ſint proprij charitatis, tum erga Deum, tum erga proximos, non ſolùm media ſunt ad augendum, atque intendendum illum habitum ea ratione, qua cæteri actus ſupernaturales ſuos intendunt habitus; ſed præcedere etiam debent per iteratam frequentiam, ſecundùm legem ordinariam, vt ad permanentem facilitatem virtutis charitatis perueniatur; quæ moraliter minimè conſeruabitur ſine frequentia ſimilium actuum, vt probè *Sanctus Baſilius in ea verba, Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, quia eſſe, ait, ad imaginem in ipſo puncto creationis obtinuit homo; inſigniri autem ſimilitudine Dei, relictum eſt nobis acquirendum, certa animi deſtinatione, & efficaci, ac operatoria actione*: nomine enim ſimilitudinis perfectionem intelligit animi; ergo functiones propriæ Epiſcopales propria ſunt media ad acquirendam perfectionem.

10 Quòd ſi in actibus charitatis, vt quidam apud *Soarium* volunt *num. 4.* à fortiori factum argumentum probat. Si autem nomine perfectionis non modò charitas formaliter in ſe intelligatur, ſed ſecundariò, vel accidentaliter, ſeu effectiuè, quatenus alias amplectitur virtutes, accipiatur; ſiue hæ antecedenter, vt diſpoſitiones ei ſeruiant, ſiue vt proximæ facultates, quibus ipſa charitas vtitur ad perfectos illarum virtutum actus exercendos, ſiue aliquo ex his pacto inſtrumentaliter concurrant ad perfectionem, vt voluit *Abbas Moyſes apud Caſſianum coll. 1. cap. 7.* remouendo etiam impedimenta præcipuè conſiſtentia in concupiſcentia oculorum, carnis, & ſuperbiæ vitæ, quod præſtant paupertas, caſtitas, & obedientia, vt eruditè docet *Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 184. articulo ſecundo in corpore, & articulo 3. in fine ex Abbate Moyſe paulò ante citato*; etiam Epiſcopalis ſtatus maximè perfectus erit; *Tenentur enim* inquit, *ſanctus Doctor opuſc. 18. cap. 17. Epiſcopi bona temporalia, quæ habent, in neceſſitate ſuis ſubditis exhibere, quos paſcere debent non ſolum verbo, & exemplo, ſed temporali ſubſidio. Vnde Petro, Ioannis vltimo, ter dictum eſt à Domino, vt eius gregem paſceret; quod, ipſe retinens, alios ad hoc ipſum exhorta-*

tur dicens 1. Petri vltim. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Domini, & Gregorius in auctoritate ſuper adducta, Exteriora noſtra (inquit) *miſericorditer ouibus eius debemus impendere;* & infra, *Qui non dat pro ouibus ſubſtantiam ſuã, quomodo pro his daturus eſt animam ſuam? Ipſi etiam Epiſcopi ad caſtitatem obligantur, nam cum alios mundare debeant, ipſos præcipuè conuenit eſſe mundos;* Vnde *Dionyſ. 3. cap. Eccleſ. Hierarch.* ait, *quod purgatiuos ordines oportet ex abundantia purgationis alijs tradere de propria caſtitate.* Addo in præſentia, vt ex more Eccleſiaſtico res ſe habet, Epiſcopos conſecratos adiunctam habere in Eccleſia Catholica Occidentali ſaltem, caſtitatis votum ſolemne, vt *ſuperiori capite* indicauimus, & *lib. 3. cap. 2. numer.* præſertim 13. vberiùs dicemus ex *Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 184. art. 7. in corpor. Et quidem* (proſequitur ſanctus Doctor) *Religioſi per votum obedientiæ vni Prælato ſubijciuntur. Epiſcopus verò ſeruum ſe conſtituit omnium, quorum curam aſſumit, dum tenetur non quod ſuum eſt quærere, ſed, quod multis, vt ſalui fiant, ex Apoſt. 1. ad Cor. 10.* vnde ipſe de ſe ipſo dicit *9. cap. eiuſdem epiſtolæ: Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci; & 2. ad Cor. 4. Nos autem ſeruos veſtros per Ieſum;* vnde conſuetudo inoleuit, vt Summus Pontifex ſe ſcribat, *Seruus ſeruorum Dei;* Quid aptiùs ad rem dici poterat?

11 Nec refert, ex peculiaribus votis, Epiſcopum huiuſmodi non præſtare; cum ex obligatione officij paſtoralis ad ea teneatur: neque vota neceſſaria ſunt ad perfectionem ſimpliciter; ſed vt inſtrumenta, vel quaſi inſtrumenta, vt ſæpe *Sanctus Doctor in locis citatis 2. 2.* docet: & perfectio vnicam votorum cauſam neceſſariam, vel religioſum ſtatũ minimè habet, *vt idem auctor ibidem quæſt. 184 artic. 4.* neque tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vnica ſunt, atque ſola media perfectionis; ex quo ſequitur, quod multi ſtatum religioſum non obeuntes perfectionem, vt paulò ante dicebam, adipiſcantur: & ſtatus, Epiſcopalis perfectionis, id eſt libertatis à peccato, & ſeruitutis iuſtitiæ ſit; quas duas conditiones hunc importare ſtatum docet *Angelicus tum quæſt. 183. art. 4. tum tota pene quæſt. 184 ex epiſt. ad Rom. 6. cum ſerui eſſetis peccati, liberi facti eſtis iuſtitiæ: nunc verò liberati à peccato ſerui eſtis facti Deo.* per ſua quidem media Epiſcopi, quin ab alio emendicent.

12 Tertio *Soarius cap. 14. num. 9. ex Gerſone 3. tom. in tractatu de ſtatu Alphab. 67. lit. V. ad finem* admittit, licèt Prælatorum ſtatus ſit perfectionis exercendæ, non hoc tamen obſtare, quominus exercitio proprio Epiſcopali, perfectionem acquirant Epiſcopi: ex quo fit, illum eſſe ſtatum perfectionis etiam acquirendæ, in qua in diem creſcant per opera ſui muneris propria, quippe quæ, quò perfectiora, eò ad comparandam, conſeruandam, & augendam perfectionem aptiora ſunt; & ſicut aliquis reperitur religioſus ſtatus non modo acquirendæ perfectionis, verùm alijs communicandæ, & etiam exercendæ per opera charitatis, vt *Soarius docet cap. 18. eiuſdem libri num. 9.* & in explicatione ſtatus religionum mixtarum, quæ tum contemplatiuam, tum actiuam, in bonum proximorum amplexi ſunt vitam, ſic etiam Epiſcopalis ſtatus, eſto exercendæ ſit perfectionis, non obſtat eſſe etiam acquirendæ, immo à fortiori, quia non implicat aliquem religioſum inſtituti mixti ſibi vacare, & Deo; at obſtat, Epiſcopum talem eſſe, ac functiones, & opera ſui ſtatus propria nolle obire, & conſequenter, ni obicem ponat, & in charitate, & in perfectione vel non creſcere, vel excluſo per pœnitentiam peccato, eam non acquirere; vel non perficere comparatam.

13 Quartò, actiua Præſulis vita non modò impedimentum non eſt perfectioni, ſed adiumentum potiùs; cum ex vi ſtatus, id eſt obligationis, quam in hoc ſtatu ſubijt, ex amore Dei paſcere oues Chriſti teneatur, vt ſuperiori capite declarauimus, quare huius loci eſſe arbitror, quòd eruditè teſtatum nobis reliquit *Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 182. art. 2. in corp. Poteſt tamen contingere, ait, quod aliquis in operibus vitæ actiuæ plus mereatur, quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ: puta ſi propter abundantiam diuini amoris, vt eius voluntas impleatur, propter ipſius gloriam interdum ſuſtineat à dulcedine diuinæ contemplationis ſeparari.* Confirmat hoc idem *ex Apoſt. 9. ad Roman. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Hinc *Chriſoſtomus hic, Quid ais, Paule, nonnè iam dixiſti, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti immo ais, quia amo Chriſtum, cupio ſeparari à fruitione Chriſti, vt plures, immo omnes eum ament, & laudent;* ergo neque munia Epiſcopalia ex Dei dilectione obita officiunt, immo ſummopere ad perfectionem propriam comparandam conducunt.

14 Ex his colligo ſtatum Epiſcopalem per ſe, vt per definitionem infra ſubijciendam patebit perfectionem aliquam in perſona cum ineunte petere, quod probè *Diuus Thomas quæſt. 185. art. 1. ad 1.* elicit ex eo, quod Dominus à Petro quæſiuit, ſi plus eum cæteris diligeret, antequam ei committeret paſtorale officium; quocirca *Trid. ſeſſ. 6.*

cap.

cap.2.de reform. ſtatuit, *vt ad Eccleſiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, eligantur, &c.* vt infra ſuo loco expendemus; ſtatus autem religioſus hanc in ſuis perfectionem cum incuntibus non expoſcit; quod colligitur *ex Matth. 19. Si vis perfectus eſſe*, &c. deinde, qui conſecratur in Epiſcopum, eſſentialem perfectionem gratiæ, & charitatis habere tenetur, ſecus, qui religionem ingreditur; demum reliquum ſummæ perfectionis per actus charitatis erga Deum, & proximos ex officio exercendum, & comparandum in votis, atque efficaci deſiderio, tenetur ſibi proponere Promotus ad Præſulatum; non autem eadem ratione Religioſus. Hinc in Pontificali in examine, ſeu interrogationibus, quæ Epiſcopis proponuntur, dicitur. *Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris, Domino adiuuante, ad omne bonum commutare?* Reſpondet Epiſcopus. *Volo*.

15 Colligo ſecundo, licèt Epiſcopalis ſtatus primario ſit ad perfectionē inſtitutus exercendam; cum perfectio *auctore Dionyſ. & à nobis ſæpe, & à Diuo Thoma laudato quæſt. 183. art. 1. ad 2.* ad Epiſcopum actiuè pertineat, tanquam ad perfectiorem; nihilo tamen minus hic ſtatus, & propriam poſtulat perfectionem, & quam reperit ex ſe, per media propria conſeruat, auget, atque in ſummum faſtigium eam penducēdi eſt idoneus; quare non eſt, in eo ſenſu, ſecundario perfectionis etiam acquirendæ, quaſi omnino per accidens hæc ei competat; ſed ſecundario, vt neceſſario connexus cum primario quemadmodum ſolent, vel proprietates ſecundæ cum primis connecti; riſibilitas v.g. cum admiratiuo in homine; vel primæ cum eſſentia, vt admiratiuum cum rationali: itaque ſicut eſt adinaton eſſe actus veræ, & perfectæ charitatis erga Deum, & erga proximos, & non eſſe perfectiuos propriæ perſonæ, quæ eos elicit; eique meritorios gratiæ, & gloriæ per augumentum etiam charitatis habitualis: ita impoſſibile prorſus erit, ſtatum Epiſcopalem eſſe ſolius perfectionis exercendæ, quin ſit etiam acquirendæ. Hinc reijci facilè poteſt, quod quidam Neotericus ex nimio ad Religionem affectu ſcripſit, ſtatum Epiſcopalem, & requirere perfectionem, & eam minimè conferre.

16 Colligo tertio, definitionem ſtatus Epiſcopalis hanc eſſe. *Eſt ſtabilis ratio vitæ ſenſibilis per ſe ordinata ad chriſtianam perfectionem exercendam, petens propriam ſubiectis, cui per proportionata media per ſe etiā ſecūdario conſulit.* Loco generis eſt ſtabilis ratio vitæ ſenſibilis à nobis *cap. 1.* declarata, reliqua loco differentiæ explicatæ hoc integro capite. Noſcas igitur lector definitionem Epiſcopatus quatenus ſtatus hic nos propoſuiſſe: Vt ordo eſt *diſp. 1. cap. 3. num. 3.* Vt beneficium autem ad officium relatum *tom. 2. lib. 6 diſp 4. cap. 3. num. 11.* trademus.

17 Ad primum argumentum militans in primam noſtram aſſertionem, concedimus, ſtatum Epiſcopalem eſſe perfectiuum; non tamen ſolum aliorum perfectiuum, quin ſit etiam proprij ſubiecti; quamobrem nec Diuus *Thomas*, nec *Diuus Dionyſius*, neque auctorum aliquis in hoc ſenſu excluſiuo diuiſionem ſtatus perfectionis expendit.

Secundo, nonnullis à Soario, poſt relata, pretermiſſis verbis Angelici Doctoris, ſatisfacio: *Qui* (ideſt Epiſcopus ait) *ſe obligauit ad hoc, quod non ſolum ſuam ſalutem, ſed etiam aliorum procuraret.* Ex quibus in hoc ſtatu ordinem charitatis ſeruandum eſſe docet, quem ordinem *2.2. quæſt. 31. art. 3. in corp.* ex ordine naturæ declarauerat. *Eſt autem* (inquit) *talis ordo naturæ, vt vnumquodque agens naturale per prius magis diffundat ſuam actionem ad ea; quæ ſunt ſibi magis propinqua.* at nemo ſe ipſo, vt ita dicam propinquior ſibimet eſt, quem prius tenetur perficere, cæteris paribus, quàm ad alios per opera charitatis, beneficentiæ, vel miſericordiæ ſe extendat, præſertim in ſpiritualibus; hinc eſt quòd in forma præcepti Leuitici à *Matth. 22.* prænotata diligendi proximum, proponitur dilectio ſui, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, quare meritò ait Magiſter Chriſtus *Matth. 18. Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur, & in Apoſtolorum Actis* 20. Paulus Epiſcopis præcipit, *Attendite vobis, & vniuerſo gregi*; quaſi diceret, inuigilate, ac vobis primo conſulite, veſtręque ſaluti, & perfectioni, deinde fidelium veſtræ curæ commiſſorum; paſtor enim primam ſui curam gerere debet in ſpiritualibus, deinde ſui gregis; etenim quo magis ſe curat, & perficit, eo magis gregi conſulit, ſicut mater, quò magis ſibi proſpicit, pluſque comedit, propriæque incolumitati, ac ſaluti conſulit, eò plus habet lactis, quo lactet infantem; alioquin exareſcent Epiſcopi, vt arbores, auctore *Ariſtot. de gener. animal. lib. 3. cap. 2. circa medium. Arbores enim multæ, cum admodum copiosè tulerint, exareſcunt fructificatione, niſi corpori alimentum remanſerit*; Alimentum autem ad indiuidui priùs, poſtea ad ſpeciei bonum ordinatur.

Obijcies charitas prius inclinat ad ſui, quàm ad alterius perfectionem; ergo ſtatus Epiſcopalis, qui eſt charitatis prius ad ſui quàm ad aliorum perfectionem eſt inſtitutus. Reſpondeo hoc quidem argumento

ſal-

ſaltem noſtras probare concluſiones, deinde non inficior, ſtatum Epiſcopalem adæquatè ſumptum, pro quo ille ſupponit, includere, & conſequenter ſecum trahere, quod argumentum intendit, ſic enim conſideratus ſupponit perfectionem, quam petit, & hominem eum ineuntem eſſe in charitate, & vt chriſtianæ, atque Eccleſiaſticæ hierarchiæ adſcriptum, obligatum ad ſibi per ordinem charitatis conſulendum, at vero de ſtatu Epiſcopali formaliſſimè accepto, non eſt id concedendum, quippequi ordinatus ad ſalutem, & perfectionem aliorum, primario, & per ſe; quin proprij ſubiecti excludat perfectionem, ad quam ordinem etiam dicit; Et quidem ni ſtatus Epiſcopalis ad ſui ſubiecti tenderet etiam perfectionem, non eſſet charitatis; cuius inclinatio ad ſui conſeruationem, & non ad deſtructionem eſt, vt probè docet *ſanctus Thomas. 2. 2. quæſt. 26. art. 4. & quæſt. 43. art. 7. ad 5.* quem communiter ſequuntur Theologi.

Ad tertium conceſſo antecedente, negatur conſequentia, ratio diſcriminis eſt, quia poteſt perfectio in ordine ad ſe inueniri, quin ſit in ordine ad alios, in ordine ad quos ſufficit ad ſummum in præparatione animi, cum opus fuerit, & per conſequens ſtatus perfectionis tantum acquirendæ, vt patet in monachalibus præſertim religionibus; at verò non poteſt, cum implicet, dari perfectio exercenda, quæ non ſit perfectiua perſonæ, quæ illam exercet, ſi vt opus eſt, exerceat; quemadmodum repugnat etiam, quod opera, & actus charitatis eliciantur, quin ſint, & perfectiui perſonæ elicientis, & eidem meritorij.

Quare ad quartum reſpondemus falſum eſſe, nec probatur à *Soario*, non poſſe membrum illud perfectionis exercendæ ſimul eſſe, & acquirendæ, cum vtrunque habeat Epiſcopalis; qui quidem ita inſtitutus eſt ad bonum proximi, vt non modo proprij ſubiecti non excludat perfectionem, ſed inuoluat, vt ſupra diximus.

Ad argumentum pro ſecundo, & tertio *Soarij* placito negamus conſequentiam, eſto enim non ſint Epiſcopi in ſtatu perfectionis acquirendæ ſolum, neque ſolum exercendæ; ſunt tamẽ in ſtatu, & exercẽdę, & acquirẽdę ſimul; vt in ſimili docui in logicis de actu, neque purè ſpeculatiuo, neque pure practico, ſed partim ſpeculatiuo, & partim practico, vt ibi fuſius. Ad *Dionyſium* dicimus: non docuiſſe, ſic eſſe Epiſcopum aliorum perfectiuum, quin ſit ſuimetipſius. Ad locum *Matthæi* 5. Præſulem concedo eſſe ſalem terræ, & ſapore, & vi conſeruatina reliquos condire fideles, atque in gratia conſeruare, verum enim verò ni ſapiens in ſe fuerit Epiſcopus, vel ni docendo perficiatur, vt ſupra dicebamus, valeatque ſuam ſapientiam, ac perfectionem conſeruare, atque augere, neque alios illuminare, neque condire poterit. Quamobrem ea ſolum ratione ſunt lucernæ lucentes Epiſcopi, quia ardentes; atque ita eorum ſtatus eſt lucendi, vt hoc ipſum habeat ex flamma amoris diuini, quam proprio fouent pectore: *Ardens enim* (ait *Gregorius* citatum locum moraliter expendens) *per cæleſte deſiderium, lucens per verbum, vt ergo ſeruetur veritas prædicandi, teneatur neceſſe eſt altitudo viuendi.*

CAPVT III.

An Epiſcopatus cuiuis ſeculari præſtet principatui.

SVMMA.

Epiſcopatus ſeculari cuicunque præſtat dignitati num. 1. & 2.
Dignitas Epiſcopatus eſt maxima dignitatum num. 3.
Vt ſol luna præſtat, ita Præſul Regi. nu. 4.
Epiſcopi Regum Patres ſunt, & Magiſtri. nu. 5.
Nullus in Eccleſia honorabilior Epiſcopo. num. 6.
Epiſcopale quouis alio præſtantius eſt imperio. num 7.
Honor Antiſtitis nullis poteſt comparationibus adæquari. num. 3.
Voluntatibus, & animis præeſt Epiſcopus: Rex corporibus. num. 9.
Sacerdotium excellentius eſt Regno, vt ſpiritus carne. num. 10.
Exemplum Conſtantini Imperatoris Præſulibus obſequentis. num. 11.
Dij cenſendi ſunt Epiſcopi. num. 12.
Spiritualis eorum eſt poteſtas. num. 13.
Apoſtolorum ſunt ſucceſſores. num. 14.
Nanzianzenus Imperatorem alloquutus. n. 15
Auguſtini admonitio ad Epiſcopos. nu. 16.

1 Epiſcopatum adæquatè ſumptum cum quauis ſeculari dignitate locus hic nos admonet comparare: quam quęſtionem aſſertione abſoluam vnica.

Epiſcopatus quacunque ſeculari dignitate præſtantior eſt. Tripilici momento hæc eſt probanda concluſio, primo ſub vniuerſalibus terminis; ſecundo à fortiori, tertio in ſpecie, atque indiuiduo.

2 Primo igitur auctoritate *Marcelli Pontificis*, quæ habetur *diſtinct. 17. cap. 1. in fine*

Ma-

Maxentio ſcribentis. Neque vllum Epiſcopum, qui ad hanc appellauerit Apoſtolicam ſedem damnare, antequam hinc ſententia definitiua procedat: nam ſi ſeculares in publicis iudicijs libellis vtuntur appellatorijs, quantò magis ſacerdotibus hac eadem agere licet, qui ſuper illos ſunt, de quibus dictum eſt: Dij eſtis.

3 Secundum momentum à fortiori ducimus è prærogatiua, quam ſacri Canones, ac Sancti Doctores clericis ſolent tribuere *Cap. Duo ſunt genere 14. quæſt. 1. Hi namque* (id eſt clerici) *ſunt reges, id eſt ſe, & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc deſignat corona in capite*; cum autem Epiſcopus ſit dignitate præſtantior clericis, ac ſimplicibus ſacerdotibus, vt *ſeq. c.* demõſtrabimus, & docetur *per Tex. cap. 1. de priuil.* vbi Epiſcópo deberi meliora ſcribi tur, quòd culmen ſit dignitatum *Cap. Venerabilis de præbend. ibi ad culmina dignitatum.* omnium expoſitorum calculis; id eſt ad Epiſcopatum: *& ex Gloſſ. verb. dignitatum in cap. 2. eodem titulo in 6.* & videre eſt apud *Caſſean. in cathalog. glor. mund. part. 4. conſid. 25 Paul. Fuſc. de viſit. lib. 1. cap. 2, num. 12. demum apud Trid. ſeſſ 14. de reform. cap. 1.* Epiſcopus dicitur ſuper omnes Eccleſiaſticos gradus conſtitutus, *& ſeſſ 25. de reform. cap. 6.* docens Epiſcopo primam deberi ſedem, & præcipuam rerum agendarum auctoritatem, quam ad rem expendit *Sbroz de offic. vicar. in præfat. num. 9.* ſequitur Epiſcopatum æqualem eſſe Regiæ poteſtati, immo præſtantiorem.

4 Tertium momentum maioris roboris duco ex *Cap. ſolitæ benignitati affectus de maior. & obed.* Vbi Papa Innocentius Tertius Conſtantinopolitano Imperatori locum præbẽti Patriarchæ Conſtantinopolitano ad ſuos pedes, à ſiniſtro latere ita loquitur, *Præterea noſſe debueras quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli; luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, vtrumque magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo magna luminaria; id eſt duas conſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas, ſed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualibus maior eſt, quæ vero carnalibus minor, vt quanta eſt inter ſolem, & lunam, tantum inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur.*

5 Secundo *ex Cap. Quis dubitet diſt. 96. q. 6.* vbi Gregorius Septimus reſpõdens Hermano Epiſcopo ſciſcitanti, an Epiſcopi Regibus, & Principibus eſſent ſubiecti, ait *Quis dubitet Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri? nonnè miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius Patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare? &c.*

6 Tertiò è *Sancto Ignatio in epiſtola ad Smirnenſes à medio: Ego autem dico, honorate quidem Deum, & auctorem omnium, & dominum; Epiſcopum autem tanquam principem ſacerdotum, imaginem Dei ferentem; principatum quidem ſecundum Deum, ſacerdotium vero ſecundum Chriſtum, & poſt hæc honorare oportet Regem,* & afferens rationem addit; *Nemo enim potior eſt Deo, neque ſimilis ei; neque Epiſcopo honorabilior in Eccleſia, Sacerdotium Deo gerenti pro mundi ſalute; neque Regi quis ſimilis eſt in exercitu pacem, & beneuolentiam omnibus Principibus cogitanti. Et infra ſacerdotium ſumma eſt omnium bonarum qui in hominibus conſurgunt.*

7 Quarto è *Gregorio Nanzianzeno ſic Imperatorem alloquente in oratione ad Ciues Nãzianzenos, non multum à fine. Quid igitur dicitis; aut quid inter nos cõuenit, an me liberè loquentem æquo animo fertis? nam vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſellijs lex Chriſti ſubijcit; imperium enim ipſi quoque gerimus; addo etiam, præſtantius, ac perfectius; niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere.*

8 Quinto è *Sancto Ambroſio libr. de ſacerd. dignit. cap. 2. Honor igitur fratres, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari; ſi Regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videris Regum colla, & Principum ſubmiſſis genibus ſacerdotum & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credent ſe muniri.*

9 Sexto ex *Hieronymo epiſt. 3. ad Eliod. Ille enim* (id eſt Rex) *nolentibus præeſt: hic* [Epiſcopus ſcilicet] *volentibus: ille terrore ſubijcit, hic ſeruitute donatur: ille corpora cuſtodit ad mortem, hic animas ſeruat ad vitam.*

10 Septimo *Sancti Ioannis Chryſoſtomi lib. 3. de ſacerd. ſub initio. Sacerdotij vero optione propoſita, quod quidem Regno tanto eſt excellentius, quantum ſpiritus, & carnis interuallum eſſe poteſt, ſuſtinebit nè quiſquam contemptus, ac faſtidij nos accerſere? &c.*

11 Octauo probatur maximorum Imperatorum, ac Regum exemplis, quorum vnum, vel alterum, vt breuitati conſulam, hic ſubijciam; primum Conſtantini Magni, qui quidem Nicænum Concilium ingreſſus ſtans nõ prius, quam annuerent Epiſcopi, ſedere voluit *auctore Euſeb. lib. 3. de vita eiuſd. Conſtant.* Alterum Valentini Imperatoris eandem erga Epiſcopos obſeruantia *ex lib. 3. tripart. hiſtor cap. 8.*

12 Demum hæc probatur veritas rationibus indicatis ab auctoribus ſupra relatis; prima

eſt

eſt Marcelli, quia nimirum Epiſcopi in terris Dij dicuntur, ſecundum ſimilitudinem per participationem attributi diuini, vt vult *Diuus Thomas 1. part. quæſt. 13. art. 9.* & ſecundum gratiam, *vt ait Baſilius epiſt. 141.* extenſo gratiæ nomine ad munia, atque inſignia, præſertim Eccleſiaſticæ poteſtatis, & quidem cum Apoſtolis ſucceſſerunt Epiſcopi, vt nos ſupra diximus, ac docet *Trid. ſeſſ. 23. cap. 4.* de quibus probè *Sanctus Hieronymus ſcripſit lib. 3. comment. in Matth. cap. 16. ad ea verba, Vos autem, quem me eſſe dicitis. Prudens lector attende* (ſubdit) *quod ex conſequentibus cõtextuq. ſermonis Apoſtoli nequaquam homines, ſed Dij appellantur; Vos autem, quem me eſſe dicitis? illis, quia homines ſunt humana opinantibus vos, qui eſtis Dij quem me eſſe exiſtimatis?* apertè ſanè conſequitur, eſſe tali nomine donandos Præſules, de quibus *Pſalm. 87.* ſcribitur, *Ego dixi, Dij eſtis,* non modo ea, quam ex *Baſilio, & Thoma* indicauimus ratione, neque ea, quam tradit *Hieronymus in cap. 12. Michea, Quia Epiſcopi humana ſunt vitia relinquentes, conuerſationem diuinitatis imitantur, & exilientes ex hominibus feruntur ad cœlum.* Nec ſolũ quia, *vt idem in Sophon. cap 1. Qui deficiunt, vt homines contemnendo humana, & non vltimo moriuntur vt homines;* ſed maximè *Antonino iudice 2. part. titul. 3. cap. 8.* propter poteſtatem panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Domini mutandi, in Epiſcopis præcipuo iure exiſtentem, & ad alios per eos ordinatos deriuatam, vt ſuo loco dicemus: *Quod* (ait ſanctus) *nullus Angelus, nullus ſanctus in cœlo, ideſt anima, nec ipſa Virgo beatiſſima poteſt, ſed ſolus Deus. Præterea quia poſſunt abſoluere à peccatis, vt abſoluti debitè intrent regnum cælorum,* In qua Antonini ratione illud adnotaſſe operæpretiũ erit, illũ non negaturum animabus ſanctorũ ſacerdotum ſaltem huiuſmodi poteſtatem, quippe quæ ex indelebili ortũ habet charactere, ſed ſolum eius exercitium, quod non permittet vnquam Deus. Demum meritò *Sanctus Gregorius Papa lib. 4. Epiſt. 31.* Mauritium Imperatorem his admonuit: *Quid ergo mirum, ſi illos veſtra pietas dignetur honorare, quibus, in ſuo eloquia honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos, ipſe etiam appellat Deus?* Subditque celebre Conſtantini reſponſum, atque egregium factum, nulla vnquam obliuione delendum *ex Rufino lib. 10. Eccleſiaſt. hierarch. cap. 2.* cùm libellos accuſatorios contra Epiſcopos in Concilio Nicæno ſibi oblatos, in conſpectu Epiſcoporum combuſſit, addens. *Vos nobis à Deo dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt; Deus ſtetit in in Synagoga Deorum in medio autem Deos diſcernit. &c. Pſalm. 81.* Igitur ſi Dij Epiſcopi cenſendi ſunt, quid ni cuiuis ſeculari præſtent dignitati? Hùc ſpectat Mitra, quam nunc ex inſtitutione, & vſu apoſtolico in ſignum regij muneris, regaliſque ſacerdotij vtuntur Epiſcopi, vt notat *Baron. anno Domini 34. num. 86.*

13 Secunda ratio *ex Innocentio, quem num. 4. retulimus è Nanzianzeno num. 7. Chriſoſtomo num. 8.* quia nimirum dignitas, atque Epiſcopalis præſentia eſt ſpiritualis circa ſpirituale regimen ad bonum animæ, at verò cuiuſuis ſecularis dinaſtæ temporalis, & carnalis.

14 Tertia ratio Gregorij Septimi *num. 5.* deſcripta, quia Patres ſunt, & Magiſtri; & quidem Patres, Apoſtolorum ſucceſſores, qui Patres ſanè fuerunt credentium, quorum vnus *1. ad Chor. 4. ait. Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui, & ad Philem. 10.* quem genui in vinculis, diſtincto tamen modo, quo Phariſei ambitioſi Patres, & Præceptores vocari gloriabantur, quamobrem meritò in quarto decalogi præcepto Antiſtites intelligi docent Theologi ex loco modo laudato Pauli. *Non vt confundam vos hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo; nam ſi duodecim millia pedagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres, nam in Chriſto Ieſu. &c. vt ſupra.*

15 Reliquum eſt, vt ſinguli Principes Gregorium Nanzianzenum Theologorum Principem, Imperatorem loco laudato alloquentem audiant. *Sed non dubito* (inquit) *quia hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, vt pote ſacri mei gregis ouis ſacra, magnique paſtoris alumna, rectèque iam inde à primis annis ſpiritu ducta, & inſtituta, ſanctèque, & Beatæ Trinitatis lumine æquè ac nos ipſi colluſtrata.*

16 Epiſcopi verò non me ſacerdotum minimum, ſed cum præcipua eorum dignitatis ratio ſit Dei imago peculiari, vt diximus ratione ab eis prælata, auctore *Marcello Papa, num. 16 laudato, & Ignatio num. 6. Auguſtinum* Epiſcopum, ac Sanctiſſimum Doctorem magna, vt par eſt, attentione audiant *ſerm. 1. de natiu.* dicentem *Inter Deos numeratur qui auaritiam non habet:* In quo, vt addit *Hieronymus epiſt. 22. Non eſt diſſentio & æmulatio.* Addo *in Pſalm. 109.* Melchiſedech, ſecundum cuius ordinem Chriſtus Sacerdos dicitur, meritò aſſimulatum eſſe Dei filio, quia Rex pacis ſine Patre, ſine Matre ſine Genealogia *ad Hebr. 7,* talem docet eſſe virum Deo, & Dei filio ſimilem, talemque noſtrum decet eſſe ſacerdotem, & Regem; qui carnem, & ſanguinem, atque affinitates omnes ignoret, ac tantum charitatis lege eas amore proſequatur pacificet, atque re-

conciliet mundum Deo: iuſtitiam in ſe, atque in alijs ſeruet, quod ſi omnibus maximè tamen Epiſcopis cauendum, nè imaginem Dei geſtent in anulo tantum, ſed quod *Sophronius orat. 1. de natiuit. quæ habetur tom. 2. biblioteca veterum Patrum*, de Chriſti agẽs natali hortatur, diuinorum ſe munerum capaces reddere ſtudeant, neque comprehendi ſe ſinant acri *Diui Gregor. Papæ Epiſt. 25*, obiurgatione. *Quid autem dicturi ſumus, qui populum Dei, cui indignè præſumus peccatorum noſtrorum oneribus premimus? qui quod per linguam prædicamus, per exempla deſtruimus, qui iniqua docemus operibus, & ſola voce ea quæ ſunt iuſta prætendimus, oſſa ieiunijs atteruntur, & mente turgemus, corpus deſpectis veſtibus tegitur, & elatione cordis purpuram comparamus; iacemus in cinere, & excelſa non deſpicimus; Doctores humilium, duces ſuperbiæ; ouina facie, lupinos dentes abſcondimus.*

CAPVT IV.

An Epiſcopatus Presbyteratu maior ſit?

SVMMA.

Falſa hæreticorum placita num. 1.
Hieronymus pro ſe ab hæreticis allatus n. 2.
Argumentum hæreticorum ex ſacra doctrina ductum num. 3.
Hæreticorum argumentum ductum ab auctoritate Hieronymi num. 4.
Aliud ab auctoritate Ambroſij, num. 5.
Auctoritate Chryſoſtomi, & Auguſtini Presbyteri per hæreticos videntur Epiſcopis non inferiores num. 6.
Ratio hæreticorum. num. 7.
Notanda ad ſolutionem quæſtionis neceſſaria. num. 8.
Epiſcopatus abſolutè maior eſt Presbyteratu num. 9.
Poteſtate ordinis iure diuino, maior eſt Epiſcopatus Presbyteratu num 10.
Probatur ex ſcriptura num. 10. & 11.
E Concilijs demonſtratur. num. 12.
E traditione. num. 13.
Ab auctoritate Pontificum. num. 14.
Auctoritate Sanctorum Doctorum, quorum primus eſt Ignatius. num. 15.
Teſtimonio Irenæi in ſecundo ſæculo. nu. 16.
In tertio ſeculo teſtimonio Tertulliani, & Cypriani martyris. num. 17.
In ſeculo quarto Nazianzeni, & Baſilij. num. 18.
In eodem ex Hieronymo. *num. 19.*
In quinto ex Auguſtino. num. 20.
Probatur ratione. num. 21.
Epiſcopi maiores Presbyteris poteſtate etiam iuriſdictionis probatur è ſcriptura, num. 22.
Ex canone Apoſtolorum. num. 23.
Ex Ignatio. num. 24.
Ratione. num. 25.
Papa iure diuino tenetur certis locis Epiſcopos conſtituere. num. 26.
Inter Presbyteros Epiſcopus eſt, vt Princeps inter ſuos conſiliarios. num 27.
Satisfit argumentis contrarijs ductis è ſcriptura. num. 28.
Soluitur argumentum auctoritate Hieronymi firmatum. num. 29.
Cætera ſoluuntur argumenta. num. 30.
Admonitio ad Epiſcopos. num. 31.

1 HAereticorum proteruia inuitum è terminis me breuitatis educit. Hæreſis igitur fuit Aerij, quam ex Erebo in Eccleſiam reduxit Vuiclephus eadem ambitionis peſte ductus, atque Aerius; etenim vt *Auguſt. tom. 6. lib. 6. de hæreſib. paulo poſt initium Aeriani ab Aerio quodam* (ait) *ſunt nominati, qui cum eſſet Presbyter doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari*, qui quidem inter cæteros, quos docebat, errores, etiam aſſerebat *Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere ſecerni*: Vuiclephum etiam excluſum ab Epiſcopatu in hanc prorupiſſe inſaniam teſtatur *Thomas Valdenſ. lib. 2. doctrina fidei art. 5. cap. 60.* hos autem catholica luce orbatos duces, hac noſtra fere tempeſtate, ſecuti ſunt impijſſimus *Lutherus tum in libello contra falſa nomina ſtatuum Eccleſiæ, tum in libro de captiuit. Babylon.* vbi non ſolum Præsbyteros Epiſcopis facit æquales; ſed, & chriſtianos quoſque: *Caluinus etiam lib. 4. inſtit. cap. 4. §. 2. Kemnit. in exam. ſeſſ. 23. Trid. & Eraſm. adnotat ad 4. cap. 1. ad Timot.* qui quidem omnes hæretici vnum obiectant catholicæ Eccleſię
2 Achillem *Sanctum, ſcilicet, Hieron. in epiſt. præſertim ad Titum cap. 1.* quem non modo in hoc fautorem hæreticorum *Michael Medina lib. 1 de ſacror. homin. orig. adſtruit*: verum incautè *Ambroſium, Primatium, Chryſoſtomum*, alioſque doctos viros falſo, ac temerè adiunxit, vt probè in eum oſtendit *Bellarm. tom. 1. lib. 1. de cleric. cap. 15. col. Mihi 1129. §. Cæterum.*
3 Probant primò hanc hæreſim ſupra citati hæretici ex 1. *cap. Epiſtolæ ad Philippenſ. Paulus & Thimotheus ſerui Ieſu Chriſti omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconibus*, vbi nomine Epiſcoporum Sacerdotes intelligit Apoſtolus; ſiquidem plures Epiſcopi, in eadem ciuitate, vt nec

etiam

etiam nunc, tunc temporis minimè fuerunt. Secundò ex *epiſtol. ad Titum capite primo huius gratia reliqui te Cretæ, vt conſtituas per Ciuitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi*; & infra: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c.* ergo vice verſa hoc nomine Presbyterorum declarantur etiam Epiſcopi. Tertiò ex 3. *cap.* 3. *ad Timoth.* vbi mentionem Epiſcoporum, & Diaconorum ſolùm fecit Apoſtolus, quos inſtruxit; minimè verò Presbyterorum, quos Epiſcoporum nomine videtur comprehendiſſe. Quartò ex *cap.* 4. *eiuſdem epiſtolæ. Noli negligere gratiam Dei, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij*: ex quo loco *Kemnitius Sanctum Hieronymum* demonſtraſſe ait, à Presbyteris Epiſcopum poſſe ordinari.

Quintò ex ſimilibus Sacræ Scripturæ locis ex *Actor.* 20. *ex epiſt.* 2. *&* 3. *ſancti Ioannis*. in quibus promiſcuè nomen Presbyteri, & Epiſcopi vſui eſt.

Sextò ex *Diuo Hieronymo* qui *c.* 1. *ad Titum*. vbi aſſeuerat olim idem fuiſſe Presbyterum, ac Epiſcopum, quem morem ſublatum poſtea fuiſſe ob diſſentionem fidelium; quorum nonnulli Cæphæ; nonnulli Apollo, alij Pauli dicebantur, ita vt vnus è Presbyteris electus eſſet deinceps in Epiſcopum. Addit demum Sanctus Doctor, *Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi propoſitus fuerit, eſſe ſubiectos: ita Epiſcopi nouerint, ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores, & in communi debere Eccleſiam regere.*

5 Septimò ex *Ambroſio in comm. capit.* 4. *epiſtol. ad Epheſ. ſic ſcribente, Thimotheum Epiſcopum à ſe creatum, Presbyterum vocat; quia primi Presbyteri Epiſcopi appellabantur; vt recedente eo, ſequens eis ſuccederet. Denique apud Aegyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus: ſed quia cæperunt ſequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio, vt non ordo; ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum iudicio conſtitutum.*

6 Octauò ex *Chryſoſtomo in comment.* 3. *cap.* 1. *ad Timoth. homil.* 11. *Inter Epiſcopum, atque Presbyterum intereſt fermè nihil, quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt, & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt; ſola quippe ordinatione ſuperiores illi ſunt, atque hoc tantùm pluſquam Presbyteri habere videntur.* Quæ doctrina à *Primatio, Theophilacto, & Oecumenio in huiuſmet loci commentarijs habetur, & à Theodoreto in commentar. capit. primi ad Philippenſ. & ab Auguſtino epiſtol. decimanona ad Hieronym. dicente. Quamuis enim ſecundùm honorum nomina, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit; in multis rebus tamen Auguſtinus Hieronymo minor eſt.*

7 Demum Presbyteri ſuccedunt Apoſtolis non minus ac Epiſcopi *per Diuum Clementem libr. ſecundo conſtitution. capite* 32. *Ignatium in epiſtol. ad Smirnenſ.* Adde Presbyteros ordinatos à Chriſto in cæna; cùm tamen Epiſcopos ab eodem initiatos non legamus, ergo, &c.

8 Ad Catholicæ dilucidationem veritatis ſupponenda primò, quæ *capit.* 1. *præcedentis diſputationis numero præſertim nono* dicta ſunt de communitate huius nominis Epiſcopi, quæ priſcis illis temporibus erat in vſu, & ad Presbyteros etiam latè patebat.

Suppono ſecundò ex ibi dictis, etiam tunc fuiſſe diſcrimen inter Epiſcopos, & Presbyteros, quod clarius ex dicendis conſtabit, & optimè notat *Sanctus Thomas* 2. 2. *quæſtione* 184. *articul ſeptimo ad primum*. Demum noto hic non eſſe animum, inueſtigare, illamque dirimere quæſtionem, ſit ne idem ordo, idemque Sacramentum Epiſcopatus, ac Presbyteratus, quod dilucidandum habemus *tomo* 2. *libro* 8.

9 His adnotatis, ſit prima concluſio. Presbyteratu longè maior eſt Epiſcopatus. Hæc aſſertio ſub his generalibus terminis à nullo Catholicorum negari poterit; cum omnes quotquot pro contraria citantur ſententia Auctores eam doceant; præſtare, ſcilicet, Epiſcopos Presbyteris; & *ſanctus Hieronymus* (cui tantùm in hoc deferunt Hæretici, cætera ab eo, vt ab alijs ſanctis Doctoribus diſcedentes) vbique Epiſcopum Presbytero maiorem agnoſcit, ſiue ordinis poteſtate, vt infra; ſiue abſolutè, ſaltem ex Eccleſiaſtica conſuetudine; quàm vt *Aerius, Luterani, & Caluiniſtæ* impudenter damnant; ita *Hieronymus* piè veneratur; neceſſarium exiſtimans hoc diſcrimen ad ſchiſmata ſubcidenda, vt ex *loco ſupracitato in ſexto argumento contrario numero quarto* patet. Igitur non eſt, à quo Catholicorum Auctore negetur prædicta concluſio, quam *Concil. Tridentinum* definiuit *ſeſſion.* 23. *canon. quarto*. Proinde *ſancta Synodus declarat cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe*; quod etiam auctoritate *Euſebij capite primo diſp. præcedentis num.* 9. compro-

bauimus; Et quidem ſi ex *Ariſtotel. 3. Topic. cap. 1. à medio*, quod eſt meliorum, videtur eſſe honorabilius, cum ſtatus Epiſcopalis Meliorum ſit, vtpote pe.fectorum; qui qui quidem nec etiam Presbyteris propriè competit, ſtabilitatis defectu, vt probè *Diuus Thomas 2. 2. quæſtion. 183. artic. 2. ad 3. ex Iſidoro libr. 6. etymolog. capit. 11. & alijs*, quid ni Epiſcopatus abſolutè præſtet Preſbyteratui?

10 Secunda concluſio. Poteſtate ordinis iure dinino maior eſt Epiſcopatus Presbyteratu. Primò ex *epiſtol. ad Epheſ. cap. 4. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas: alios autem Paſtores, & Doctores*. Nomine autem Paſtorum communis Interpretum ſententia, Epiſcopos intelligit, quibus Eccleſiæ certæ quarundam Ciuitatum commiſſæ sũt, vt *Timotheo* (ait *Theophilactus*) *commiſſa fuit Epheſus: Tito Creta*. Alij autem interpretes nomine Apoſtolorum Epiſcopos venire docent, vt videre eſt in 1. *ad Chorint. 12.* quòd ſi nomine Doctorum veniant Preſbyteri, vt vult *Anſelmus in citatum locum*, hi ſanè diſcriminantur ab Epiſcopis nomine Paſtorum, atque ab Archiepiſcopis, nomine Apoſtolorum ex eodem Auctore interprete, quos quidem omnes dedit Chriſtus regere Eccleſiam ſuam.

31 Secundò ex *Actuum Apoſtolorum capit. 20. verſic. 12. Amileto autem mittens Epheſum vocauit maiores natu Eccleſiæ*: quibus iniunxit *verſ. 28. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit. Epiſcopos regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*. Viden, vt Epiſcopalis cura, officium, iuriſdictio, & poteſtas inſtituta ſint à Spiritu ſancto per Chriſtum? Nec Paulum dicas Presbyteros tantùm vocauiſſe; cùm Epheſi vous ſolus fuiſſet Epiſcopus, Thimoteus nempe, quem non aduocauit, quòd ſecum haberet, vt patet ex *verſ. 4.* & ſequentibus; quia longè certius eſt, Apoſtolum plures aduocaſſe, reuera, Epiſcopos, ac Præſules Ciuitatum Prouinciæ Epheſinæ) Metropolis enim erat Epheſus) vt indicatur *verſ. 25. Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans Regnum Dei*, vt probè recentior quidam Interpres notauit; habeo etiam auctorem, *Sanctum Irenæum Epiſcopum, & Martyrem, Sancti Policarpi diſcipulum*, qui ſecundo ſeculo Apoſtolorum proximo vixit, & *libr. 13. cap. 14.* ſic ait., *Paulus Amileto conuocatis Epiſcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & à reliquis proximis Ciuitatibus, &c.* intelligit etiam hunc textum *Tridentin. ſeſſ. vigeſimatertia, capit. quarto de Epiſcopis*, vt ſuperiori adnotauimus aſſertione, & dicturi ſumusetiam *capite ſequenti*.

12 Probatur tertiò auctoritate *Concilij Sardicenſis à nobis capit. 1. diſputation. 1. numer. 11. relati. Ex Antiocheno cap. 10. & Ancirano canon. 12. ac demum ex Tridentin. ſupra laudato canon. 6. Si quis dixerit in Eccleſia catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.*

13 Quartò probatur ab Eccleſiæ traditione, & conſuetudine; nam ſtatim ab initio Apoſtoli proprios crearunt Epiſcopos Eccleſiarum: Iacobum Hieroſolymitanæ: Thimoteum Epheſinæ: Titum Cretæ, atque aliarum alios, vt ex Epiſtolis Pauli, & Apoſtolorum actibus liquet, proſequitur *Bellarmin. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 6.* atque ex modo, quo id præſtiterunt, ſatis abundè conſtat, humanum non fuiſſe conſilium; immò ſicut Beatum Petrum, Auctore *Hieronymo lib. 1. aduerſus Iouinianum* à Chriſto Domino fuiſſe electum in omnium caput, & Põtificem, certum eſt, vt capite conſtituto, ſchiſmatum tolleretur occaſio, ita de alijs, modo infra indicando ſentiendum eſt.

14 Probatur ſextò ex *Pio Primo in epiſtol. 1. & Cornelio Papa in epiſt. 2.* Deum aſſerentium poſuiſſe Epiſcopos, vt veluti oculi Eccleſiæ eſſent.

15 Septimò, Catholicæ Eccleſiæ ſenſus per omnes Sanctos Patres, ac Doctores expreſſus, hanc ſole clariorem veritatem explicat. Et in primo ſeculo ſit ſanctus Ignatius ſignifer, qui in epiſtola ad Magoaſianos; *Iuuenis* (inquit) *fuit etiam Chriſtophorus Thimoteus; ſed audite, quid ſcripſit magiſter; nemo iuuentam tuam contemnat; ſed forma eſto fidelium in verbo, in conuerſatione*. En qua ratione de veris Epiſcopis, prout à Preſbyteris, ea etiam tempeſtate diſtinctis loquatur: addit mox. *Dignum eſt ergo & vos obedire Epiſcopo veſtro, & in nullo ei contradicere; terribile eſt enim tali contradicere, non enim iſtum viſibilem quis ſpernit; ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt à quoquam contemni, hic enim non ab homine, ſed à Deo habet promotionem*. Et in epiſtol. ad Epheſios; *Feſtinate ergo dilectiſſimi ſubditi eſſe Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis*: Eaque permiſſa diſtinctione addit paucis interiectis. *Quando enim videtis tacere Epiſcopum, plus eum timete. omnem itaque, quem mittit Paterfamilias; pro ſua diſpenſatione, ſic nos oportet ſuſcipere, quemadmodum ipſum, qui mittit*. Alludens fortaſſis ad locum Matth. 24. *Fidelis*

ſeruus

ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam à ſancto Hilario, cæteriſque Patribus de Epiſcopis ad literam explicatum.

16 In ſecundo autem ſeculo teſtimonium eſt nobis *Irenæi in 2. Actor. numer. 11.* relatum.

17 In tertio contra *Lutherum*, æquantem Epiſcopo Chriſtianum quemque, *Tertullianum* habeo *in libr. de præſumpt. aduerſus hæreticos* illius temporis, Lutheranis ſimillimos. *Ordinationes eorum* (inquit ille) *temerariæ, leues, inconſtantes, nunc Neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros; vt gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt; nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promerere eſt; itaque alios hodie Epiſcopos, cras alios: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter, qui erat laicus.* Ad tempus autem noſtram in hoc eodem ſeculo inclitus Martyr *Cyprianus epiſtol. 65. ad Rogatianum Epiſcopum* de ſuperbo Diacono hæc habet. *Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Præpoſitos Dominus elegit.*

18 In ſeculo quarto *Gregorium Nanzianzenum ſentiamus homilia in electionem Dnaicenſium* ad Epiſcopum ſermonem habentem. *At nunc, ò Paſtorum optime, & præſtantiſſime ades dum, ac nobiſcum, immò ante nos populum tuum accipe, quem Spiritus ſanctus tibi commiſit.* Concinit *Sanctus Baſilius in epiſt. 62.*

19 In hoc eodem ſeculo fuit & *Hieronymus, qui epiſt. 85. ad Euagrium. Quid facit* (ait) *Epiſcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non faciat?* Et ibidem Aaroni componit Epiſcopum, Presbyteros verò filijs Aaronis; & in *Epiſtola ad Marcellam de erroribus Montani*, Apoſtolis ſuccedere Epiſcopos docet: nec dubium eſſe poteſt, Aaronem filijs, Apoſtolos cæteris Diſcipulis, iure diuino, maiores fuiſſe, poteſtate ordinis, & iuriſdictionis.

20 Demum in quinto ſeculo, nè longior ad faſtidium ſim, *Auguſtinus tum loco ſuprà citato in principio capitis*, vbi hanc hæreſim Aerio tribuit; & ex eo notauit, & confirmauit *Diuus Thomas 2. 2. quæſtion. 184. articul. 7. ad 1.* tum loco, quem nono argumento nobis obiecimus, ex cuius ſolutione veritas hæc meridiana luce clarior innoteſcet.

21 Probatur etiam ratione, à *Tridentino* pro prima noſtra concluſione laudato indicata, ex hierarchico ordine; quod quidem momentum proſequuti ſumus *capit. 5. præcedentis diſputationis*. Secundò, quia Chriſtus Dominus perfectam conſtituit in Eccleſia Monarchiam, vt præ cæteris eruditè, ac doctè tradit *Bellarmin. libr. 1. de Roman. Pontific. à capit. præſertim 6.* ad perfectionem autem Monarchiæ, bonumque eius regimen ſpectat, vt in tota Eccleſia, & vnus eſſet Monarcha, & ſub eo plures, veluti Principes Eccleſiæ ſupremo Principi, Vicario Chriſti ſubordinati; ergo hoc totum regimen Chriſtus inſtituit. Minor probatur, tum quia Monarchia, vt ſit perfecta, admixtum aliquid vt habeat Ariſtocratiæ, opus eſt in hac vita; quemadmodum ex *Diuo Thoma*, ac reliquis Theologis docet citatus *Bellarmin. capit. 1. & 3.* vt in Republica varij ſint Principes, qui ſint, veluti fundamenta, & nerui eius: tum quia Chriſtianæ Reipublicæ hoc maximè intererat, quæ cùm ſit ampliſſima, eiuſque regimen præcipuum ſpirituale, & internum, exactè hoc minimè haberi poterat, niſi per Paſtores, & Principes Eccleſiaſticos; quorum virtutes, dona, atque ornamenta in cætu omnium Presbyterorum haud facilè inueniri poterant, vt *capit. 5. præcedentis diſputationis* momento tertio diximus. Tertio ex veteri Teſtamento, quod capite modo citato propoſuimus, confirmarique poteſt ex *24. & 40. Exodi*, ex *Leuitici 8.* ex *Numerorum 2, 3. & 20.* nec non ex *Deutoronomio 17.* vbi conſtat poteſtatem, & iuriſdictionem apud Summum fuiſſe Pontificem. *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex ſententia Iudicis moriatur.* Quod nec audit negare *Caluinus libr. 6. inſtitut. cap. 6. §. Illic* (inquit) *vnum Antiſtitem præfecit, quem omnes reſpicerent, quo meliùs in vnitate continerentur.* Fatentur etiam *Centuriones Magdeburgenſes centur. 1. libr. 1. cap. 7. columu. 256.* At Epiſcopi id ſunt in Eccleſia, quod Pontifices in veteri Teſtamento; id Presbyteri, quod ibi minores Sacerdotes, vt etiam id Diaconi, quòd minores Leuitæ, Auctore *Damaſo in epiſtol. 3. de Corepiſcop.* Exprimit denique huius momenti vim *Leo Papa epiſtol. 66.* quæ eſt ad vniuerſos Galliæ, atque Germaniæ Epiſcopos. Verùm hic *Hieronymi* (cui tantùm hæretici noſtri temporis in hac deferunt controuerſia) verba referre, me non pœnitet, *in fine epiſtolæ ad Euagrium, quem paulò ante retulimus, Scripturæ locum exponentis. Et vt ſciamus* (ait) *traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Demum ex ordinatione, ordine, & Sacramento Epiſcopali infra pertractandis patebit magis hæc veritas; etenim cùm ſolus Epiſcopus ordinare poſſit ordinaria poteſtate, & ſpirituales generare Patres Eccleſiæ, vt *S. Epiphanius* in

Aerium argumentatur, non eſt, qui poſſit vmbram dubij catholicæ huic luci obijcere.

22 Tertia concluſio. Epiſcopi non ſolùm maiores ſunt poteſtate ordinis Presbyteris; ſed poteſtate etiam iuriſdictionis; quæ quidem aſſertio è ſuperiori videtur probata, cuius momenta rationum penè omnia pro hac eadem faciunt. Probatur prætereà primò ex 1. ad *Timot.* 5. *Aduerſus Presbyterum, accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus*; ergo Epiſcopus conſtitutus iure diuino, iuriſdictionem iudiciariam in Presbyteros habet.

23 Secundò ex *Canone Apoſtolorum* 40. *Presbyteri, & Diaconi præter Epiſcopum, nihil agere pertinent, nam Domini Populus illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus eſt rationem.*

24 Tertiò ex *Ignatio in epiſtola ad Philadelphenſes*; *Boni ſunt Sacerdotes, & ſermonis miniſtri; melior autem eſt Pontifex, cui credita ſunt ſancta Sanctorum, cui ſoli commiſſa ſunt ſecreta Dei.*

25 Quartò in dignitate iuriſdictionis Apoſtoli Diſcipulis ſeptuaginta fuere præſtantiores, & quidem iure diuino: atqui Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi; Presbyteri Diſcipulis, ergo, &c. Maior huius argumenti propoſitio adeò clara eſt, vt oculos etiam *Vuiclephi* perſtringat, ac penitus conuincat, vt refert *Vualdenſis* citatus, & conſtat ex *Ioan.* 20. vbi ſolis Apoſtolis dictum eſt, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; *& ex Actuum Apoſtolor.* 1. conſtat, certa quadam cum ſolemnitate Matthiam ad duodenarium Apoſtolorum adſcriptum eſſe numerum. Minor verò, quæ per ſummam contumaciam impudenter negatur ab *Vuiclepho*, cæteriſq; Nouatoribus; vt ſanctos Patres hùc vſque laudatos omittam, nec non Tridentinum; Primò auctoritate vnius Pontificis, deinde alterius Epiſcopi, demum Presbyteri, ſanctiſſimorum pariter, atque eruditiſſimorum virorum probanda eſt. *Damaſus* igitur Papa, qui quarto ſeculo viguit in *epiſt. ad Corepiſcop* quos Sacerdotes tantùm fuiſſe decernit, nec poſſe confirmationis Sacramentum miniſtrare, ſic ait: *Quod autem ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus proprium ſit officij, tradere Spiritum ſanctum, liber Actuum Apoſtolorum docet; præſertim cùm nullus à ſeptuaginta Diſcipulis, quorum iſti* (ſupple Corepiſcopi) *in Eccleſia ſpeciem gerunt, legatur, donum ſancti Spiritus per manuum impoſitionem, vt prædictum eſt, tradidiſſe.* Accedat *Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis*, qui in ſeptimo floruit ſeculo, *ſermone in Synodo habito. Presbyteri quippe* (inquit) *ſucceſſores, & Vicarij ſunt ſeptuaginta Diſcipulorum, qui præcedebant Dominum Ieſum Chriſtum in omnem Ciuitatem, & locum, quo erat ipſe venturus: ita Presbyteri, quia adiutores ſunt Epiſcoporum, rudes populos inſtituunt, baptizandos vnitati Eccleſiæ incorporant, in omnibus Sacramentis vſque ad manus impoſitionem populo Dei miniſtrant; Epiſcopi verò ſucceſſores ſunt Apoſtolorum.* Tertia demum auctoritas *Venerabilis eſt Bedæ Presbyteri in octauo ſeculo, qui libro tertio in Lucam capit.* 15. *Sicut duodecim* (ait) *Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere ſimul, & demonſtrare, nemo eſt, qui dubitet, ſic & hos ſeptuaginta figuram Presbyterorum, id eſt ſecundi ordinis Sacerdotum geſſiſſe, ſciendum eſt; tametſi primis Eccleſiæ temporibus, vt Apoſtolica Scriptura teſtis eſt, vtrique Presbyteri, vtrique vocabantur Epiſcopi.* Secundò probatur. Poteſtas iuriſdictionis, cùm ſpiritualis ſit, & ad finem etiam internum, ac forum conſcientiæ latè pateat, vt ſuo loco dicemus, nullus inueniri facilè poterit, adeò rerum ignarus, vel contumax, qui à Chriſto Domino eam neget inſtitutam, & Eccleſiæ collatam: quam Epiſcopis competere potentialiter, & in radice, dum confertur poteſtas ordinis, ſatis abundè demonſtratum eſt, vt *ſuperiori diſputat. capite quarto*; deinde, quod hæc eadem iuriſdictionis poteſtas intrinſecè connexa ſit muneri Epiſcopali, etiam ibi dictum eſt, & docet in terminis optimè *Soarius 4. tomo in 3. part. diſputat. 25. ſect. 1. numer.* 9. & ratio eſt, quia cùm Epiſcopi paſtores ſint: & moderatores animarum, certo certiùs eſt, iuriſdictionem eis competere ad hoc ſpirituale regimen, ad internum, atque externum bonum animæ pernecceſſarium; & quamuis huius iuriſdictionis actualis applicatio, iuris ſit Pontificij, vt nos ibidem docuimus; nihilotamen minus eius exigentiam iuris eſſe diuini; & eadem, etſi non adhuc applicata, Presbyteris maiores eſſe etiam Epiſcopos, exploratum eſt.

26 Ex his fit primo, quod probè notauit *Aegidius ConinK. de Sacrament. diſputat. 8. numero 19. & diſputat. 20. numero* 27. Pontificem Maximum iure diuino teneri certis locis Epiſcopos conſtituere, qui plebem ſibi commiſſam regant, ac paſcant, eiſque iuriſdictionem actualiter applicatam, ad hoc ſpirituale regimen neceſſariam conferre, prò viribus vt incumbant *Vniuerſo gregi, in quo eos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei Actor.* 20. miſſi nimirum à Chriſto Domino, ſicut & ipſe miſſus à Patre, *Ioannis* 20. quod confirmauit *Tridentinum ſeſſione vigeſimatertia, Canone ſexto.*

Fit

27 Fit ſecundò, noo eſſe Epiſcopum inter Presbyreros, quaſi Conſulem in Senatu; quod impiè, atque indoctè docuit *Caluinus*, ſed tamquam Principem iuter ſuos Conſiliarios, vt è locis citatis 1. *ad Timoth.* 5. *& ad Titum capite* 5. deducitur; quodque non obſcurè iudicauit *Hieronym. epiſt. ad Nepotian. Illud etiam dico, quòd Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe nouerint, non Dominos; honorent Clericos, quaſi Clericos, vt & ipſis à Clericis quaſi honor deferatur: ſcitum illud Oratoris Domitij: cur ego te* (inquit) *habeam vt Principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem? Et ſanctus Ignatius ad Trullianos: Quid aliud eſt Epiſcopus, quàm is, qui omni Principatu, & poteſtate ſuperior eſt, &c. Quid verò Sacerdotium aliud eſt, quàm ſacer cœtus, Conſiliarij, & aſſeſſores Epiſcopo.*

28 Supereſt, vt Aduerſariorum argumenta ſoluamus; & quidem, quæ petita ſunt è ſacris literis, vnico verbo ſolui poſſent, vltrò concedentes, Communitatem nominis tum Presbyteri, ſe ad Epiſcopos extendentis: tum Epiſcopi latè patentis ad Presbyteros, quæ in Eccleſiæ incunabulis erat vſui; vt *Beda* modò laudatus indicauit, *& nos diſputat.* 1. *cap.* 1. proſequuti ſumus; Verùm enim verò tunc etiam Epiſcopi nomine abſolutè prolato, Antiſtes, & Præſul ſignificabatur; qui ſemper ſiue ordinis, ſiue iuriſdictionis poteſtate à ſimplicibus diſtinctus fuit Sacerdotibus; neque contrarium ex adductis ſacræ Scripturæ locis deduci poteſt. Cęterùm vt ſingulis ſacræ paginæ ſententijs ſatisfaciamus.

Ad primam ex 1. *ad Philipp.* omiſſis varijs à *Bellarmin.* eruditè allatis ſolutionibus, dico hanc epiſtolam (*Chryſoſtomo* interprete) ad Clerum Philippenſem fuiſſe datam, cui ſalutem dicens *Paulus* duplici nomine omnes Eccleſiaſticos gradus comprehendenti eos complectitur, Epiſcoporum ſcilicet, & Diaconorum: ſicut igitur ex hoc loco inferri minimè liceret, præter indicatos à *Paulo*, reliquos inferiores non eſſe grados in Eccleſia, Subdiaconorũ, Accolytorum, &c. alios alijs præſtantiores, tametſi nomine Diaconorum omnes ab Apoſtolo comprehenſi ſint: ita nec Presbyteros ab Epiſcopis, quibus inferiores ſunt, ſemperque fuere poteſtate ordinis in conferendis Sacramentis, & iuriſdictionis, vt infra; licèt vnico à *Paulo* nomine donati.

Ad ſecundam ex *Epiſtola ad Titum*, poſita nominis, quam explicauimus, communitate; præterea hic non occurrit, quam iubere *Paulum*, ac facere *Tito* facultatem, vt in ſingulis Oppidis conſtituat Presbyteros: in maioribus ſcilicet Epiſcopos veros, ac reales, Presbyteris maiores: in minoribus autē Sacerdotes, ſiue Curatos, aut Parrochos; Ita enim explicat hunc locum, *Leo I. Papa epiſt.* 86. *ad Epiſc. Afric. cap.* 2. *& Cōc. Sardic. can.* 6. cuius verba *diſp.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. inſeruimus.

Tertiæ ſententiæ ex 1. *ad Timoth.* quadrat ſolutio, primo loco ſcripturæ tradita; adde præterea meminiſſe ibi Apoſtolum Parrochorum, & Sacerdotum, quos ſub Epiſcopi nomine comprehendit; quòd idem ſit eorum onus, & munus, quæ tunc *Paulus* intendebat commendare, docendi ſcilicet, paſcendi, ac regendi populum, & quidem minoris numeri, & conditionis, cum ſubordinatione tamen ad ſuos Prælatos, à quibus ordinis, & iuriſdictionis poteſtatē acceperāt.

In quarto loco, Presbyterij nomine plores Epiſcopos (tres enim Epiſcopi ordinando Præſuli manus imponunt) intelligit Apoſtolus è *Theoph. Oecumen. & Theodoret.* Neque alio fundamento, quàm mendacio, ex *Hieronymi* doctrina ſuum deriuare errorem videtur *Kemnitius*, quādo ille in *Epiſt. ad Euagrium à Kemnitio ipſo* citata expreſſis aſſerit verbis, Presbyteros ordinare non poſſe; *Quid facit* (inquit) *Epiſcopus excepta ordinatione, quod non etiam faciat Presbyter?*

Ex locis verò pro quinto argumento adductis, quam communitas nominis, quippiam non elicitur: Adde Authorum ſententiam pro nobis eſſe, vt ex primo patet argumento pro Catholica ſententia ſuper allato.

29 Ad *D. Hieronymum* primo dicimus cum *Theoph. D. Thom. & alijs*, olim nomen tātum fuiſſe commune, non verò dignitatem, ſeu ordinis, ſeu iuriſdictionis; immò nomen Epiſcopi abſolutè pronunciatum Presbyterum non quemcumque; ſed Antiſtitem, ac Pręſulem ſignificabat, vt *diſp.* 1. *cap.* 1. *& num. præcedenti* hic indicauimus. Secundò dicimus è *Bellarm. cap.* 15. *ad* 6. *obiect.* nunquam *Hieronymum* negaſſe Epiſcopos Presbyteris fuiſſe maiores, poteſtate ordinis, vt nos ſupra ex eodem *Hieronymo* demonſtrauimus: poteſtate autem iuriſdictionis nonnumquā Presbyteros donatos, vel delegatos fuiſſe ob varias Eccleſiæ neceſſitates. Tertiò aio in eo ſenſu illa verba *Hieronymi*, *Magis conſuetudine, quàm Diuina inſtitutione Epiſcopos Presbyteris eſſe maiores*, intelligēda eſſe, vt non ipſam Epiſcoporum poteſtatem, & auctoritatem, ſed poteſtatis vſum, & exercitium exprimant; Chriſtus enim de facto minimè inſtituit Hierarchici ordinis, & iuriſdictionis diſtinctionem, ita vt eam in actū, atque exercitium deduceret; ſed permiſit, vt quamdiù primus ille perſeueraret zelus animarum, cōmuni omnium labore, ac ſpiritu ipſius regeretur Eccleſia, quo tamen refrigeſcente, vt Apoſtoli diſtinctionem hanc,

& iuriſdictionem per ſe communicatam Epiſcopis, in praxim, & vſum redigerent, voluit, vt probè recentior *Cornel. à Lap. Commentator Epiſtolæ ad Titum numero* 16. Demum defectu cohærentiæ *Diuum Hieronymum* illius ſententiæ non fuiſſe, certò cõſtat; etenim, vt eius dicta eſſent conſtantia, primo quidem loco æqualitatem, ac paritatem graduum Epiſcopatus, & Presbyteratus probare debebat: deinde inæqualitatem illam ex conſuetudine. Quocirca minus cohærenter vice verſa rem non ad rem probaret, nam ex *epiſt. ad Corinth.* vbi ſeditio narratur fidelium aſſerentium, *Ego ſum Apollo; ego ſum Pauli*, conſuetudinem colligit, & rationem diſcriminis inter Epiſcopos, & Presbyteros, quæ quidem prior eſt *epiſtolis ſcriptis ad Titum, & ad Philippenſes; nec non epiſtolis ſcriptis Petro, & Ioanni*, ex quibus æqualitatem deriuat: & in *libris de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Iacobum, ait, continuò poſt Chriſti Aſcenſionem ordinatum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Quando igitur illud fuit tempus, quo Eccleſiæ ſine Epiſcopis regebantur? Hæc autem, quæ pro *Hieronymi* auctoritate diximus, aſſertum etiam volumus de *Anſel. & Sedulio, qui in Commẽtarijs cap. 1. ad Titũ* ad verbum *Hieronymi* ſenſum expreſſerũt.

30 Ad ſeptimum ex *Ambroſio*, nego illa cõmentaria eſſe *Ambroſij, vt Cardin. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſtic.* eruditè probat. Quid quòd eumdem ipſum illorum commentariorum Auctorem palmare diſcrimen inter Epiſcopum, & Presbyteros ſæpe ſæpius aſſeruiſſe, ex *capit. quarto ad Ephesios, & capite tertio prioris ad Timoth. demonſtrat Bellarminus primo loco laudatus cap.* 15. *ad* 7. At ego veri *Ambroſij* ſubiijcio ſententiam, qui quidem, etſi paſſim in *Tractatu de dignitate Sacerdotali* hoc aſſerat diſcrimen, *capit.* tamen 3. *in principio*, ait; *Hac verò cuncta, fratres, ideo nos præmiſiſſe debetis cognoſcere, vt oſtenderemus, nihil eſſe in hoc ſeculo excellentius Sacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis reperiri.*

Ad octauum *Chryſoſtomi* dicimus ex illis verbis colligi, Epiſcopos maiores eſſe Presbyteris poteſtate ordinis; quamuis cætera munia iuriſdictionis Presbyteris cum poſſint delegari, ex eodem *Chryſoſtomo, Theophilacto, & Oecumenio*, per eoſdem Doctores, Presbyteri non dicuntur quoàd hæc Epiſcopis inferiores. Mentem verò ſancti Doctoris dilucidat eruditè *Bellarminus ex eius homil.* 1. *in epiſtol. ad Philipp.*

Ad *Auguſtinum*, ni velimus imprudenter aſſerere, ſponte in ſententiam eum abiiſſe, quam *libro de hæreſibus ſupracitato*, hæreticam meritò dixit, neceſſariò ſenſum illorum verborum aſſerendum eſt fuiſſe; quod licèt olim dicta nomina onus tantum, ex vſu, & communitate, non honorem exprimerent; nunc tamen & honorem, & dignitatem ſignificant.

Ad vltimum dico, Apoſtolorum loco ſucceſſiſſe Præſules abſolutè loquendo, vt ſæpe hoc capite, præſertim è Tridentino deduximus; verùm ſi nonnunquam illud etiam Presbyteris tribuitur, id vel eſt, quatenus prò ea tempeſtate hoc Epiſcoporum nomine etiam ipſi donabantur; vel quia proportione ſeruata id fiebat, ita tamen, vt præcipuus ſemper locus Epiſcopis tribueretur. Quamobrem ſi Epiſcopi Dei tenere locum dicebantur; Presbyteri tunc Chriſti munere, Diaconi Apoſtolorum fungi pariter aſſerebantur: ſicut in *libr.* 2. videre eſt *Conſtit. Apoſtolic. cap.* 30. quòd ſi Chriſti vices dari nonnunquam videntur Epiſcopis; tunc Apoſtolorum Presbyteris, Diſcipulorum Diaconis conceduntur; ita conſtat ex *Clemente libr. de Conſtitut. Apoſtol. capit.* 32. Iterum ſi Epiſcopis, vt frequenter fit, locus datur Apoſtolorum; Presbyteris tunc Diſcipulorum aſſignatur, vt vidimus; neque vllas falſitatis tenebras huic lumini veritatis hæretici poterunt offundere, quin illa ſuis radijs, omnibus innoteſcat. Quòad ordinem verò ſpectat Apoſtolorum Princeps Petrus à Chriſto Domino Epiſcopus ordinatus eſt, vt docent, & probant *Turrecrem. libr.* 2. *ſum. de Eccleſ. cap.* 32. *Bellarmin. libr.* 1. *de Roman. Pontif. cap.* 23. ab illo autem Iacobum Maiorem, Ioannem, Iacobum Minorem ordinatos fuiſſe ſcribunt *Anaclet. in epiſt.* 2. *Clemens Alexandrin. apud Euſeb. lib.* 2. *hiſtor. cap.* 1. *Hieronym. de Vir. Illuſtr.* & ſic ſucceſſiuè de alijs dicendum eſt Epiſcopis.

31 Cæterùm Epiſcopi pareant Summo Põtifici, & Epiſcopo animarum noſtrarum, quas inæſtimabili ſanguine ſuo redemit, *Matth.* 20. *Scitis, quia Princeps gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos, non ita erit inter vos, ſed quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Diſcant ab Apoſtolorum Principe, & Epiſcoporum Epiſcopo Petro, Chriſti Vicario in ſua *prima epiſtol. capit.* 5. docente; *Neque dominantes in Cleris, ſed in forma facti gregis ex animo, &c.* in Cleris enim, quaſi in Clericis, exponunt *Septima Synodus generalis canon.* 4. *Sanctus Hieronymus epiſtol.* 2. *Sanctus Ephrem opuſc. de pænit. iniung. epiſt.* 237. Perpendant *Sancti Leonis verba epiſt.* 84. *cap.* 1. *licèt nonnunquam accidat in ſacerdotalibus reprehendenda perſonis, plus tamen in corrigendos agat beneuolentia, quàm ſeueritas; & hortatio, quàm commotio; charitas, quàm poteſtas: ſed ab his,*

qui

qui quæ ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, facilè ab hac lege diſceditur; & dum dominari magis, quàm conſulere ſubditis, quærunt, placet honor, inſtat ſuperbia, & quod promiſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Hæc igitur declinando, memoria Epiſcopi teneant, & corde foueant Auctoris incogniti doctrinam, in primam Chriſti ſententiam ex *Matth.* 20. ſuper allatam *Principes Eccleſiæ ſiunt* (Epiſcopi ſcilicet) *vt inſeruiant minoribus ſuis, vt miniſtrent eis, quemadmodum acceperunt à Chriſto, & ſuas vtilitates negligant, & aliorum procurent, vt ſi opus fuerit, neque mori recuſent pro ſalute inferiorum ſuorum, ſicut Apoſtolus ad Chorint.* 12. *Ego inquit impendam, & ſuper impendam pro animabus veſtris.* Demum præ oculis ſemper illud habeant, quod proprium appellat canticum *Diuus Bernardus de conſid. ad Eugen. circa medium. Monſtruoſa res gradus ſũmus, & animus infimus, ſedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas.*

CAPVT V.

An Epiſcopatus Cardinalatu præſtantior ſit.

SVMMA

Status quæſtionis num. 1.

Epiſcopatus, ordinis poteſtate, Cardinali etiam presbytero potior, vt num. 2.

Maior eſt poteſtas iuriſdictionis Epiſcopalis in ſuam Eccleſiam cardinalitia in ſuam proprij tituli num. 3.

Poteſtate iuriſdictionis ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ præſtantior eſt Epiſcopo Cardinalis. num. 4.

Cardinales creant, præcedunt, iudicant, atque Epiſcopos deponunt. num. 5.

Romanæ Curiæ more, Cardinales honoris dignitate præſtantiores Epiſcopis. num. 6.

Obiectio Caluini. num. 7.

Solutio Cardinalis Bellarmini. num. 8.

Propria. num. 9.

Sanctus Hieronymus fuit Cardinalis. num. 10.

Olim Cardinalatus gradus ad Epiſcopatum erat. ibidem.

1 NEque animus eſt, neque locus cardinalitiam explicandi dignitatem, quod multi præſtiterunt; ſolum igitur breui Epiſcopatum cum Cardinalatu, prò meo inſtituto, conferam, ad quod ſuppono, vt omnibus exploratum, Epiſcopum Cardinalem Epiſcopo præſtare non Cardinali: quamobrem hos inter comparatio habenda non erit; ſed inter Epiſcopum & Cardinalem diaconum, vel presyterum.

2 Prima ſit aſſertio: Epiſcopus ordinis poteſtate Cardinale etiam Præsbytero præſtantior eſt. *ſic Bellarminus libr. primo de clerie. cap.* 16. *colum. mihi* 1145. §. 3. *& alijs* probatur eiſdem fere rationibus, quibus ſupra de Epiſcopis hoc idem probauimus cum presbyteris collatis, quibus abſque dubio ordinis etiam poteſtate maiores ſunt; quia & ordines conferunt, & Parres inſtituunt Eccleſiæ, ac ſacerdotes: conferunt etiam Confirmationis ſacramentum, tanquam proprij miniſtri, ac cætera obeunt munera, inferius explicanda, tali ordini adnexa, ad quæ Presbyteri Cardinalis poteſtas minimè ſe extendit, ergo &c.

3 Secunda concluſio. Penes iuriſdictionem in propriam Eccleſiam Epiſcopi, ſcilicet, in ſuam diœceſim: & Cardinalis in ſui tituli Eccleſiam, maior eſt Epiſcopalis poteſtas iuriſdictionis, quàm Cardinalitia: ita *laudatus Bellarm. colum, mihi* 1546. §. *pari ratione.* Ratio eſt, quia non modo maior eſt Diæceſis Antiſtitis peculiari Eccleſia Cardinalitia, verum etiã in eam, vt proprius & ordinarius paſtor maiorem exercet Præſul iuriſdictionem ferendi leges, diſpenſandi, puniendi, indulgendi, cæteraſque Epiſcopales obeundi functiones, quę Cardinalibus minimè cõpetunt, quippe qui, vt ſic, quaſi Parrochi ſunt Epiſcopi, Romani ſcilicet Põtificis Maximi; & in hoc ſenſu ſententiam interpretor Barroli, ac nonnullorum Iuriſconſultorum *in leg.* 1. §. *ſi quis ff. de appellation. & Marci Mantuæ tractat. de concil. num.* 67.

4 Tertia concluſio. Poteſtate iuriſdictionis ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ præſtantior eſt Epiſcopo Cardinalis, *ſic Bellarm. citatus, ac alij apud Azor. part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *quæſtiunc.* 1. *&* 9. Quia totius Eccleſiæ, vna cum Pontifice curam gerere, Cardinalium intereſt, cum quo vnum veluti myſticum corpus conſtituunt, cuius caput eſt ipſe Pontifex, ſine cuius licentia nec diſcedere à Romana Curia poſſunt, vt videre eſt apud *Flaminium lib.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 27. *Camill. Borell. in ſumma omnium deciſion tit.* 10. *num.* 8. *Gonzal. ad regul. octau. cancellar. Gloſſ.* 24. *num.* 123. *& alios.* Neque id aliquod inuoluere abſurdum patet ex eo caſu, quo Epiſcopus electus, nec dum ordinatus, aut conſecratus cum maior ſit iuriſdictione quouis Presbytero, ab eodem tamen poteſtate or-ordinis ſuperatur.

5 Hinc eſt Epiſcopos à Cardinalibus, vt Summi Pontificis cooperatoribus creari iudicari, deponi, vnde *Sanctus Bernardus libr.*

4. de

4. de conſid. ad Eugen. de Cardinalibus ſcribens. Veniamus (inquit) *ad Collaterales; & Coadiutores tuos, hi ſeduli tui, hi intimi tui*, & infra, *An non eligendi de toto orbe orbem iudicaturi? & in epiſt. 188. Nulli dubium* (ait) *quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas; ſedare querelas* & inferius. *Agite prò loco, quem tenetis, prò dignitate, qua polletis, prò poteſtate, quam accipitis*, Demum ratio concluſionis deducenda etiam eſt è facultate ad ſolos Cardinales deriuata, ſummum eligẽdi Pontificem; quam prerogatiuam, officij nomine, Iuriſconſulti *num. 3.* citati declararunt.

6 Aſſertio quarta. Romanæ Curiæ more, multis ſaltem ab hinc annis, Cardinales honoris dignitate præſtant Epiſcopis, probatur multis à *Iacobatio in lib. 3. de concil. apud Azorium citatum*, præſertim ex *Epiſtola Eugenij Quarti ad Archiepiſcopum Cantuarienſem.* Mihi tantum libet hic adnotaſſe ex dictis auctoribus placitum *Conſtantini Magni*, quo Romanæ Eccleſiæ Clericos Reuerendiſſimos declarauit, ſingulosque habere ſanctum illud culmen potentiæ, & excellentiæ, quo ſanctiſſimi Senatus ſui adornabantur Conſules; patricioſque fieri, qui quidem à conſilijs etiam ſunt Papæ, de quorum conſilio multa ſtatuere teſtatur ſæpe Pontifex in ſuis bullis: primi ab ipſo ſummo Pontifice ſedent, ſuffragia ac ſententiam ferunt, & ſubſcribunt; quibus cæteri loco cedunt. Huius autem conſuetudinis ratio duplex aſſignari poteſt, prima, quòd ad Cardinales deuoluta eſt electio ſummi Pontificis: altera, quia non ſolum à conſilijs Papæ ſunt; ſed in Concilijs cæperunt adeſſe Cardinales ſummis Pontificibus; nam primis ſex, vel ſeptem ſeculis à partu Virginis ad grauiora quæque Eccleſiæ negocia, nationalia cogebant Concilia Pontifices, in quibus primus erat Epiſcopis locus; vt eruditè docet *Bellar. laudatus*; At ſecus poſtea, negocijs identidem vrgentibus, ad quæ, vt ad regimen etiã principatus temporalis, conſiliarijs indigebat præſentibus Papa, quando nec ſine magno labore, ac diſpendio, neque opportunè ſemper Concilia indici potuiſſent, quamobrem eo vſu, & neceſſitate merito, cum onere, honor ad Cardinales deriuatus potior eſt eo, qui Epiſcopis debetur, vt doctè citatus proſequitur Bellarminus.

7 Obijcit nobis *Caluinus lib. 4. inſtitut. cap. 7.* locum *Auguſtini ſuperiori capite adductum epiſt. 19. ad Hieronymum. Quamquam ſecundum honorum vocabula quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit Epiſcopatus presbyterio maior ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt*; Atqui Hieronymus Romanus erat Presbyter Cardinalis? ergo è ſententia Auguſtini maior eſt Epiſcopus honoris dignitate Presbytero Cardinali,

At miror attritam hæreticorum frontem; qui cum, ſicut ſuperiori capite vidimus, eò Epiſcopalem afflixerint dignitatem, vt chriſtianum quemque Præſuli æquarent; Nunc inſanè ſic eam attollant, vt Cardinalibus præferant, nimirum vt ſecum pugnet hęreſis, ac proprio pereat gladio.

8 Argumenti ergo minorem propoſitionem negat *Bellarminus*; ac Hieronymum non Romanæ Eccleſiæ fuiſſe Presbyterum; ſed Antiochenæ contendit; quemadmodum ipſemet Hieronymus ad Pammachium teſtatur; idque ex eo probatur, quod quamuis Romæ fuerit ab Epiſtolis Damaſo Papæ, è re magis tamen ei fuiſſet contra Ioannem Hieroſolymorum Epiſcopum, ſi verè de ſe potuiſſet aſſerere, Presbyterum eſſe Eccleſiæ Romanæ, maioris abſque dubio Hieroſolymitana, & tamen Antiochenæ Eccleſiæ ſe eſſe Presbyterum ſolum teſtatur. *Ob id inquit, & ego Antiochiam, & ille Conſtantinopolim, Vrbes celeberrimas deſeruimus: non vt te in populis prædicantem laudaremus; ſed vt in agris, & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus.*

9 Cęterum, & ſi non inficiar Hieronymum Antiochenæ Eccleſiæ fuiſſe Presbyterum, cui ordinatus fuit, à Paulino Epiſcopo: nihilo tamen minus poſtea Romam, quam repetierit Presbyter, neque à ſecretis modo fuerit Damaſo Pontifici; ſed totius orbis quęſtionibus, præſertim Synodalibus, quæ ad Romanam deferebantur ſedem, præfuerit; improbabile ſanè non eſt in Cardinalium numerum fuiſſe adſcriptum, vt affirmat *Gloſſa Cap. Quamquam 2. quæſt 7. & nonnulli apud Auguſtinum, ſerm. 24. Microl cap. 21.* quod etiam è traditione ortus vſus Pictorum videtur adſtruere.

10 Idcirco aio, tempore Hieronymi, & Auguſtini Epiſcopos prælatos fuiſſe Cardinalibus non Epiſcopis, immo Cardinalatum ad Epiſcopatum fuiſſe gradum, *teſte Honufrio in libro de Cardinal.* & fatetur idemet *Bellarminus*, addens annis ſexcentis, vel ſeptingentis poſtremis hunc mutatum fuiſſe ordinem, quod ſi S. *Greg. Magni* ſeculo, Cardinalatus ad Epiſcopatum gradus erat, qui quidem ſeculo viguit ſexto, quid ni ſeculo, quo Auguſtinus floruit, nimirum inter quartum, & quintum (viguit enim anno 420.) hũc etiam morem viguiſſe? quem ex vrgentiſſimis mutatum eſſe cauſis poſtea ex Bellarmino vidimus. Hinc nullius poteſt eſſe roboris Caluini momentum, & hac eadem ſolutione alteram eiuſdem rationem reijcio,

è Car.

è Carthaginenſi Concilio deſumptam, cum in alijs poſterioribus Concilijs ſederint Ppresbyteri Romani ante Epiſcopos.

CAPVT VI.

An Epiſcopatus Religioſo præſtet ſtatui.

SVMMA.

Status quæſtionis. num.1.
Contrariorum argumenta. num.2.
Epiſcopalis cuiuis Religioſo præſtat ſtatui. num.3.
Definitio cauſæ efficientis ab Ariſtotele tradita Epiſcopo perfectori accomodatur. num.4.
Splendens eſt lucerna Præſul, quòd ardens. num.5.
E religioſo ſtatu ad Epiſcopalem licet tranſire, non è contra, inconſulto ſummo Pontifice. num.6.
Epiſcopalis vita non modo actiua, ſed contemplatiua eſt. num.8.
Bonorum Eccleſiaſticorum, quo funguntur, miniſterium Epiſcopi non obſtat perfectioni. num.9.
Fortunarum actualis renunciatio perfectioni neceſſaria non eſt. num. 10.
Quid ſit renunciare omnibus. num. 11.
Explicatur locus Matthæi, Nolite poſſidere aurum. num.12.
Prudentiæ regula variam Apoſtolicis viris paupertatis præſcribit rationem. numero 13.
Primum, & eſſentialem paupertatis gradum Epiſcopatus amplectitur. num.14.
Secundus paupertatis gradus Epiſcopatui conuenit. num. 15.
Chriſto, & Apoſtolis nonnullorum dominium rerum fuit. num. 16.
Omnium rerum abdicatio Præſulibus minimè conuenit. num.17.
Immo eſſet nocua. num. 18.
Functiones Epiſcopales charitatis erga Deum, & homines ex ſe perfectiores ſunt Religionis. num. 19.
Prælatis etiam Generalibus Religionum ſunt Antiſtites præſtantiores. num.20.
Epiſcopi vt Patres ſe habent Religioſorum. num.22.

1 VT cæteræ hactenus expenſæ comparationes ad naturam, atque Epiſcopalis eſſentiam ſtatus elucidandam, non ad inuidiam odioſæ fuerunt; ita & præſens habenda quicquid *Valdenſis libro tertio tomo tertio de Sacrament. titul.* 8. dixerit, cui nimis religioſè non ſubſcribit *Soar.tom.3.de relig. lib.ſecundo capite decimo octauo;* & quamuis ad exactam præſentis quæſtionis dilucidationem, earum videantur facere controuerſiarum ſolutiones, an liceat Epiſcopatum appetere, vouere, non acceptare, votum religionis cum eo commutare, ac ſimiles: nihilo tamen minus, cum horum ſingulæ ſingula ſibi meritò vendicent capita, ex quibus librum quartum Deo dante contexemus, idcircò maius operæ pretium facturos non eſſe arbitramur, ſi in eum locum eas omnes reijcientes, quæſtionem propoſitam tantum expendamus.

2 In contrarium igitur primum ſit argumentum, probans religioſum ſtatum Epiſcopatui præſtare. Status ex ordine ad actiones, ad quas ex obligatione tendit, ſpecificatur; atqui Religioſus ad amorem Dei, Epiſcopalis verò ad amorem proximi, ordinatur; ergo quò præſtantior eſt amor Dei proximorum amore, eò religioſus ſtatus præſtabit Epiſcopali. Maior ex primo, & ſecundo capite conſtat, vbi eſſentialem rationem Chriſtianæ religionis conſtitutiuam charitatem eſſe diximus primario erga Deum; Minor verò probatur, tum quia ſtatus perfectionis Epiſcopalis exercendæ, vt patet ex etymologia nominis Epiſcopi *cap.1.diſp.1.declarata, & ex cap. 2. huius diſputationis*: tum quia totus Epiſcopatus, quantus eſt, ad proximorum ordinatur bonum: tum quia Religioſi, ex *Dyoniſio de Eccleſiaſt.hierarc.* Deo addicti ſunt, & per dilectionem intimè vniti. Secundò vita contemplatiua vitam actiuam perfectione vincit, ex communi, & certa ſententia; atqui Epiſcopus vitæ eſt potius actiuæ; Religioſus autem contemplatiuæ magis incumbit; ergo huius, illius præſtantior eſt ſtatu: Tertio ſtatus Religioſus ex ſe ſuccidit omnia perfectionis impedimenta tribus votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quæ coniuncta minimè ſunt Epiſcopatui; idque clarius eſt de voto paupertatis; etenim non modo erogare non tenentur Epiſcopi omnia pauperibus, vt *Matthæi* 19. præcipit omnibus Dominus perfectionem adamantibus; ſed patrimonialia ſaltem retinere, per teſtamentum legare, ac prò arbitratu diſtribuere poſſunt. Quarto præter hæc vota habet religioſus ſtatus regularem obſeruantiam, multa perfectionis munera meditationis rerum diuinarum, prædicationis, curæ, & ſollicitudinis de animarum ſalute, ex obedientiæ voto ſuſceptæ, & cætera huiuſmodi, quibus caret Epiſcopatus, ergo. Quinto Regu-

Regulares Prælati, præſertim perpetui, vt nonnullarum ſunt Generales Religionum, præter votorum,& regularis diſciplinæ obſeruantiam iuriſdictione, ac munere funguntur Epiſcopali, etſi dignitatem ordinis non habeant, quæ ad perfectionem haud multum) conducit, ergò ſaltem hi Epiſcopis præſtabunt.

3 Dicendum tamen eſt. Epiſcopatum religioſo quouis ſtatu præſtantiorem eſſe: quod commune videtur axioma Sanctorum, & Catholicorum Doctorum, vt ex ipſorũ ſententijs huc vſque adductis conſtare facile poteſt. Illud docent in terminis *Diuus Thomas 2.2.quæſt.84.art.7.& opuſc.18. cap. 17, & 18. Soar. modo citatus, & Auctores lib. 3. à nobis citandi à Suarez de votis, & iuramentis Epiſcoporum vouentium, vel iurantium religionem*. Probatur primò; ſiue perfectio eſſentialiter,ac primariò ſumatur, ſiue ſecundariò quatenus recitiua eſt impedimentorum, à ſtatu Epiſcopali præſtantiori ratione vendicatur, quàm à Religioſo, vt *cap. 1.& 2.* demonſtratum eſt,ergo. Secundo probatur argumento *Diui Thomæ* citati. Epiſcoporum ordo eſt perfectiuus auctore *Areopagita de Eccleſiaſt.hierarc. cap. 5.* ordo autem Religioſus ex *eodem cap 6.* eſt Perfectorum ſed inconfeſſo eſt, maiorem arguere perfectionem alijs eam communicare poſſe,quàm habere, vt maius quidem eſt poſſe quempiam talem facere,quàm eſſe talẽ,)ergo,&c. eſt enim omnis cauſa potior ſuo effectu; & auctore *Auguſtino 12. Geneſi ad literam* agens præſtantius eſt patiente, ergo &c. habent enim ſe Præſules,& Religioſi, vt perficientes,& perfectibiles; quippe qui per ordinem ad perfectionis actum ab ipſis Epiſcopis (vt infra quartum ſoluentes argumentum dicemus) reducibiles, ac perfectibiles ſunt.

4 Quamobrem Ariſtotelis definitio efficientis cauſæ ad rem noſtram accomodari facile poterit,quam tradit 6. *Metaphyſ.cap.2.& 2.Phyſic.cap. 3. Inde primum principium eſt mutationis,& quietis,ideſt principium per ſe,à quo primum eſt mutatio*, nimirum perfectionis, nam etſi *non ſit currentis,neque volentis,ſed miſerentis Dei,ad Rom. 9.* & Dominus tantum ſit, qui perfectionis dat incrementum, quamuis Apollo rigauerit &c. nihilo tamen minus Tò *primum* in definitione huius cauſæ poſitum,primam non excludit cauſam, quæ ad noſtrum propoſitum omnis eſt fons ſanctitatis; & ſolum in proprio genere cauſæ ſecundæ dicitur primo concurrens Epiſcopus, vt in cæteris naturalibus,proportione ſeruata, comprehenſis ab Ariſtotele cauſis; quippe qui, vt probè notat *Scotus eandem explicans definitionem,& Soar. diſp. 11. Metaphyſ. ſect. 1. num.4.* exemplo patris generantis filium, & conſulentis, conferentiſque conſilium, manifeſtò declarauit,quaſcunque, ſua definitione ſuper allata, aliquo pacto efficientes amplexum fuiſſe cauſas: gratia autem, ac virtutes, quas Epiſcopalis ſibi vendicat ſtatus,vt *cap. 1.& 2.* exarauimus, non modo ad Epiſcopum ipſum,ſed per ſe primò etiam ſpectant ad purgandum,illuminandum, inflammandum,ac proximum perficiendum. Hinc *Trident.ſeſſ.25.cap.11.de reform.docet prædicare eſſe proprium Epiſcoporum munus* iuxta Domini præceptum Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, ad quod munus, Apoſtolis ſuccedunt Antiſtites,ac iuxta *Septimam ſynodum act.7. can.2. ſubſtantia ſummi ſacerdotis noſtri ſunt eloquia diuinitus tradita, ideſt vera diuinarum ſcripturarum diſciplina*. Adde doctrinam *Areopagitæ de cæleſt. hierarc. cap. 6. Purgatiuos ordines,vt eſt Epiſcopalis, oportere ex abundantia purgationis alijs tradere de propria caſtitate*, quam affert *Diuus Thomas opuſc. 18.cap.17.* & quidem veram quo ad reliquas etiam virtutes, quarum ex vi, & obligatione ſtatus Antiſtes alijs, etiam Religioſis,eſt communicatiuus, qui cum Ec-
5 cleſiæ lucerna ſit, ardens eſſe debet, vt luceat. Quocirca ad rem *Bernardus ſermone de Sancti Ioannis Baptiſtæ natiuitate. Non ait lucens,& ardens, quia Ioannis ex feruore ſplendor,non feruor produit ex ſplendore*; dixerat enim paulò ante idemet Bernardus *Singulariter Apoſtolis, & apoſtolicis viris dicitur luceat lux veſtra coram hominibus Matth.5.* nimirum *tanquam accenſis, & vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulſione ventorum*, & optimè *Concil.Toletanum 1. cap. 2. Quantum quis* (ait) *præcelſi culminis obtinet locum,tanto neceſſe eſt præcedat cæteros gratia meritorum, & in eo quod præſidet ſingulis, ſingulariter ornetur eminentia ſanctitatis, habens ſemper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis*. Itaque cum in eo perfectionis actu ſit Epiſcopalis ſtatus, vt *cap. 1.& 2.* docuimus, quem Proximis, & Religioſis ex ſe ſpectatis communicare tenentur Antiſtites, & ad quem eſt in potentia,& in via religioſus ſtatus, Hinc eſt à primo ad vltimum, maiorem eſſe Epiſcopalem ſtatum perfectione, religioſo. Neque hic tempus abs re terere opus eſt,declarando, in quo genere cauſæ principalis nè, vel inſtrumentalis,aut quomodo Epiſcopalis ſtatus perfectiuus ſit, ac rem ad metaphyſicam trutinã redigere,cum oſtendiſſe ſatis. ſuperque ſit,& aliquo pacto effectiue,atque exemplariter concurrere Præſules ad ſpecialem hanc generationem filiorum Dei, & perfe-

ctionis

ctionis in eos inducendæ, eoſque ex vi ſtatus petere huius actus perfectionis poſſeſſionem, vt ita dicam, ad quam religioſus ſtatus ex ſe eſt in potentia.

6 Tertio probatur aſſertio. E ſtatu religioſo ad Epiſcopalem licet per ſe gradum facere; ſine facultate verò ſummi Pontificis ex Epiſcopali nequaquam ad religioſum tranſire; quia nimirum, vt *Diuus Thomas laudatus habet in argumento ſed contra; nulli licet à maiori ſtatu ad minorem tranſire; hoc enim eſſet retro aſpicere*. ergo &c. Antecedens, quo ad primam partem probat *Diuus Thomas ex 18.quæſt.1.cap.ſtatutum eſt*, vbi habetur *ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit*, & præterea conſtat *Cap. ſi Abbatem. Cap. ſi Religioſus. Cap. Quorundum de elect. in 6. & Clement. I. in fine eodem titulo*, noſque dicturi ſumus *lib.4.cap.2.nu.præſertim tertio*. Quo ad ſecundam argumenti partem præter dicenda *lib.4. diſp. 1. cap. 5.* probatur ex *Cap. licet de regular. verſ. Illa*. Neque ad id iuſta cauſa cenſeri debet mutatio vitæ *Cap. ſugeſtum 7.quæſt.3.* vt ibi Expoſitores, quos citat, ac ſequitur *Menoch. de arbitrar. caſ. 423. & Azor. inſtit. mor. par. 1. lib. 11. cap. 16. quæſt. 2.*

7 Ad primum contrarium argumentum concessa Maiori, neganda eſt Minor, ſi de ſolo proximi amore intelligatur, quòd amor proximi in Epiſcopis ex amore Dei ortum ducet, ideoque à Chriſto Domino ter Petro dictum eſt, quaſi per periculum eius dilectionis, *amas me?* cui tandem aſſerenti ex corde illum Amare, chriſtiani commiſſa eſt cura gregis *Paſce oues meas, & ad Chorint. 5. Apoſtolus, Charitas* (inquit) *Chriſti vrget nos, vt pro vobis omnia faciamus*, & probè *Gloſ.* atque ex ea *Diuus Thomas cap. 18. & Sanctus Gregorius in Paſtorali apud eundem 2.2.quæſt.183.art.7.ad 2. Si dilectionis* (ait) *teſtimonium eſt cura paſtoralis, quiſquis virtutibus pollens gregem Dei renuit paſcere, paſtorem ſuum conuincitur non amare*, quæ, & aliorum Patrum ſententiæ *cap.1.* à nobis allatæ ſunt.

8 Ex his ſecundi ſolutio eſt in promptu; cum munus Epiſcopale non actiuum modo, ſed contemplatiuum ſit, immo ex vi charitatis erga Deum, proximo conſulere, Epiſcoporum intereſt; ad rem igitur *Diuus Gregorius in Paſtorali, relatus à Diuo Thoma, tum opuſc. 18. cap. 18. tum 2.2. quæſt. modò citata art. 7. ad 3. Sit Præſul* (ait) *actione præcipuus præ cunctis, & contemplatione ſuſpenſus*, quod ex noſtris rationum momentis perſpicuo liquet.

9 Pro tertio præter ea, quæ *toto cap.1.* (in ſolutione tertij præſertim) adduximus, adde Præſules quoſcunque, vt diſpenſatores miniſtrare bona Eccleſiæ, quod perfectioni minimè derogat; alioquin, vt probè Angelicus Prælati regulares, bona Relegioſorum ad eorum vſum præ manibus habentes, contra perfectionem ſanè facerent; quo nihil

10 abſurdius. Ad confirmationem, ex eodem *Diuo Thoma in art.7.quæſt.184.ad 1. & in opuſc.18.ad 3.* dicimus fortunarum renunciationem, & in actu, & in animi præparatione conſiderari, atque haberi poſſe; & priori quidem modo non ſpectare ad eſſentialem perfectionem, ſed eius inſtrumentum eſſe, ſiue medium, nec quidem neceſſarium, ſine quo perfectionem quis conſequi poterit. At ſecundo modo, vt ſit paratus quis omnia dimittere, vel diſtribuere, directè quidem ad perfectionem facere: ſic quod Matthæi 5. dicitur: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium*, non ſemper actu obligat; nec ſemper perfecti homines hos actus executioni mãdant; alioquin Chriſtus Dominus (quod nefas eſt cogitare, nè dum dicere) à perfectione defeciſſet, quippe qui maxillam percutienti alteram haud præbuit; ſed, *Si malè* (reſpondit) *locutus ſum, perhibe teſtimonium de malo: ſi autem benè, cur me cedis? Ioannis 18.* huius exemplum ſequutus eſt fideliſſimus diſcipulus Paulus Actorum 33. percuſſori dicens, *Percutiat te Deus, paries dealbate*: & cæſus virgis, & in vincula coniectus iusſuum acriter proſecutus eſt Actorum 16. Quam

11 obrem *Auguſtinus quæſt. 5. ad Marcell.* hoc eodem pacto hunc explicat locum, *Etenim ibidem indicans Dominus quid ſit renunciare omnibus ait, ſi quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus, & tamen nec tenemur, nec poſſumus parentes, filios, vxorem, & multò minus vitam odiſſe, niſi in præparatione animi*. Vel quatenus impedimenro nobis eſſent, nè beatitatem conſequeremur, *Ex Greg. hom. 38. in Euang. Vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduerſarios in via Dei patimur odiendo, & fugiendo, neſciamus*. Solum igitur in præparatione animi abdicatio bonorum ad perfectionem neceſſaria eſt; quare Præſulis erit, omnia ſua ad Dei honorem, proprijque gregis ſalutem, ſi fuerit opus, contemnere, vel in pauperes effundere, vel eorundem rapinam patienter tolerare. *In hoc enim* (ait Auguſtinus de ſermone Domini in monte) *perfectio hominis conſiſtit, vt homo habeat animum paratum ad hæc facienda, quotieſcunque fuerit opus*; & de quæſtionibus Euangelij. *Oſtendit Dominus filios ſapientiæ, intellige, non in abſtinendo, nec in manducando eſſe iuſtitiam, ſed in æquanimitate tolerandi, inopiam, ex Apo-*

ſtolo

ſtolo ad Philippenſes 4. Scio & abundare, & penuriam pati,

12 Obijcies Matthæi 10. Apoſtolis præſcripſit Dominus, *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, &c.* & conſequenter præcipit Epiſcopis, quos Apoſtolis ſæpe ſæpius ſucceſſiſſe demonſtrauimus: atqui præceptum illud exercitium, & executionem actualem indicat; igitur ad hanc actualem abdicationem diuitiarum tenetur Antiſtes.

Duas Diuus Thomas affert huius argumenti ſolutiones: alteram, quam ſecundo loco adducit, vt in prima miſſione Apoſtolorum in Iudeam facienda hoc eis tantum ſit præceptum impoſitum, cum apud Hebræos in more poſitum fuiſſet, vt Doctores è ſtipendio diſcipulorum, atque addiſcentium viuerent: idque varijs de cauſis, quas refert ex Chryſoſtomo: at verò in ſecunda miſſione ad Gentes facienda, hoc eis præceptum minimè impoſuit; immo contrarium indicauit *Lucæ 22. ſed nunc, qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.* Altera Doctoris Angelici ſolutio eſt *ex Auguſtino de conſenſu Euangeliſtarum* prædicta Chriſti Domini verba, non præceptum, ſed permiſſionem expreſſiſſe quod colligitur ex ratione, ob quam ea protulerit: *Dignus eſt enim* (mox addidit) *operarius mercede ſua,* quaſi diceret, permitto vobis Apoſtolis non hebere aurum, nè hac ſollicitudine comparandi victum, veſtitum, cæteraque ad vitam neceſſaria vrgeamini; cum operarius dignus ſit mercede ſua; Iudæorum præſertim penes vſum, auctore *Diuo Hieronymo in Matth. 27:* quæ quidem merces tanquam ſtipendium debetur militantibus: tanquam fructus vineæ plantatoribus: tanquam paſtoribus lac gregis, aſſerente *Paulo 1. ad Chorint. 9. quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit?* quare concludit Apoſtolus: *Si nos ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus?* Hinc Auguſtinus in pſalm. 103. ſerm. 3. quęrens: *Quomodo ergo producit terra fœnum iumentis?* reſpondet: *Quia Dominus conſtituit, vt, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant:* & infra; *Non eſt illa donatio vtrum* (ait) *ſed veſtra merces,* & inferius: vt oſtenderet præceptum eſſe impoſitum fidelibus ſubminiſtrandi ſuis magiſtris neceſſaria: non magiſtris autem de ſubminiſtratis tantùm, ac non de alijs viuendi, afferens locum Pauli 2. ad Chorint. 9. *Ego* (inquit) *nullius horum vſus ſum oſtendit ſibi deberi, & non accipit; nec condemnauit eos, qui acceperunt; quod debebatur.* Hac autem permiſſione quemadmodum poterant vti, ita haud tenebantur, vt neque obligantur Apoſtolici viri Eccleſiæ Præſules; quod etiam ex ſanctiſſimorum virorum factis deducere nos docet Angelicus; cum igitur Sanctiſſimos Antiſtites, de quorum ſanctitate, nec minimum fas eſt habere dubium; illa verba ſciamus, vt præceptum continentia non ſeruaſſe; abſque vlla hæſitatione illud non continere aſſerendum eſt; etenim, vt docet ipſemet ſanctus Doctor argumentatur idem Spiritus Sanctus; qui loquitur in ſcripturis ſanctis, ſanctiſſimos monet viros ad operandum, ex *epiſt. ad Rom.* 28. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Quamobrem concludit Sanctus Auguſtinus de conſenſu Euangeliſtarum *cap. 20. Hæc non ita præcepiſſe Dominum, tanquam Euangeliſtæ viuere aliunde debeant, quam eis præbentibus, quibus annunciant Euangelium; alioquin contra hoc præceptum fecit idem Apoſtolus 1. ad Theſſal. 2. Qui victum de manuum ſuarum laboribus tranſigebat, nè cuiquam grauis eſſet,* immo & Chriſtus ipſe Dominus, vt infra.

Hanc ſecundam Diui Thomæ ſolutionem à me ſatis abunde locupletatam contrarium diluere argumentum certo certius eſt, vt ſancto Doctori plerique catholicorum ſubſcribunt; cæterum nonnullam prima ſolutio dare hæreticis anſam videtur, quippe qui vellent Apoſtolos, & diuites, & coniugatos, & elegantes, bonis etiam omnibus ad luxum affluentes; nè eis monachi, ac religioſi viri, quos ferre non poſſunt, ſimiles eſſent; & cum ad vtranque miſſionem illa dominica ſpectent verba, vt eruditè perpendit *Maldonatus in eum locum è ſanctiſſimorum Doctorum ſententia Chryſoſtomi hom. 23. Ambroſij lib. 9. in Lucam, Auguſtini lib. 2. de conſenſ. Euangeliſt. Hilarij, Hieronymi, & aliorum;* idcirco eam reijciendam eſſe ipſe Maldonatus opinatur. At ego non video, cur ob hæreticos reijcienda ſit Angelici doctrina, qui quidem hæretici, vt noctuæ lumen veritatis fugientes; eo tamen & perſtringuntur, & in meridiana quidem luce cæcutiunt; quam vt oppugnent locum ſæpe minimè ſibi conſtantes decertant, nam ſi ex illis Dominicis verbis, ad primam tantum miſſionem ſpectantibus, eorum nonnulli ad inſtar aſpidum, venenum contra paupertatem hauriunt, alij vt *Vuiclefus apud Thomam Valdenſ. lib. 4. doct. fid. art. 3.* ex eiſdem, vt abſolutum præceptum continentibus, virus, ad perniciem catholicæ veritatis, & ſugunt, & euomunt, docentes non poſſe neque clericos, neque eccleſiaſticos ſtabilia bona, vel agros habere; immo teneri patrimonialia etiam relinquere; quemadmodum tradit *Thomas Valdenſis citatus cap. 42.*

Ad.

13 Ad hæc non parùm momẽti huic primæ *D.Thom.*ſolutioni addere prudentiæ regulam, dictantem non eamdem omnibus ſeruandam eſſe rationem paupertatis; quare aliam iuſſit Dominus ſeruandam in prima miſſione, ante ſuam paſſionem in Iudæam habenda, nulla vrgente perſecutione: aliam verò præſcripſit poſt paſſionem *Lucæ* 22. dum & Paſtores, & oues morti deſtinandæ erant: aliam, dum Euangeliſtæ peragraturi erant Orbem: aliam, vbi cœperunt poſt Chriſti Aſcenſionem figere pedem certis in locis, & curam Eccleſiarum, ac Pauperum gerere, quando bona temporalia, nec pauca recipiebant, ex *Actorum* 4.5.*&* 6. Ad rem igitur *Theophilactus* ea verba: *Quando miſi vos, &c. Lucæ* 22.conferẽs cum loco *Matthæi ſupracitato* ait, *Illorum enim curam habens, tunc tanquam infirmorum faciebat eis omnia neceſſaria affluere abundè, citra ipſorum curam; nunc autem contraria recipit, non contrarius ſibi ipſi, ſed oſtendens eis, quod vſque ad hoc tempus tanquam paruulos geſtarit, & non fecerit eos de quoquam ſollicitos; nunc autem opus eſt eis, vt curent ea, quæ virorum ſunt, vt prouideant ſibi ipſis*. Ex quo concordiam, *cap.Exiuit de verb. ſignific. in* 6. *Nicolai* 3. *& Extrauagant. Antiquorum, & Quia, Quorundam de verbor. ſignific.deducunt Florentius* 4.*part. titul.* 12. §.23.*Cardin.libr.*4. *quæſtionarij, & alij apud Vaſquez in opuſcul.tractat.de redd.Eccleſiaſt. cap.*1.*numer.*5. *&* 6. Verùm enim verò licèt oppoſita obiectio ſoluta prorſus ſit, nihilo tamen minus negari nequaquam poteſt, perfectiorem paupertatis eſſe gradum, quem ſtatus religioſus amplexus eſt: quamobrem qua ratione ab hac perfectione Epiſcopalis minimè diſcedat, opus erit oſtendere: ad quod meminiſſe oportebit prudentialis regulæ paulò ante indicatæ, ex qua patet paupertatem ex eis eſſe virtutibus, quæ non eodem ſemper modo, ac æquè omnibus vſui eſſe debet: prætereà eius votum inſtrumentum, & medium eſſe perfectionis; ex quo fit paupertatis regulam ex fine charitatis præſcribendam eſſe; & quamuis, in genere, diuitiarum abdicatio, miſſo fortunis proprijs dato per paupertatis votum, maiorem per ſe arguat perfectionem, & nõnullis Regularibus, vt maximum competat ornamentum, & medium ad perfectionem comparandam efficax; at verò alijs etiam Religioſis, animarum ſaluti per ſtudia bonarum artium, diſputationes, diſceptationeſque cùm hæreticis, conciones, Sacramẽtorum adminiſtrationem, aliaque munia præſtantiora: nec non Monachis, qui contemplatiuæ vitæ incumbunt, neque è clauſtris egredi, ſed ſibi, ac Deo vacare ex inſtituto tenentur, hæc eadem haud expedit; ſed in communi redditus, agroſque habere poſſunt, & meritò debent; neque idcircò horum omnium inſtitutum minus perfectũ ſanè cenſendum eſt, cùm ad proprium, quẽ ſibi ſtatuit finem, vnuſquiſque regularis Ordo hoc paupertatis medio attemperato, nec aliàs vti debeat.

14 Quibus prælibatis, Epiſcopatum aio eſſentiam paupertatis comprehendere, in eo ſitam, quòd ex corde omnes diuitias parui faciat, prò ratione finis, charitatis ſcilicet, & perfectionis, & exercendæ, & in ſe perficiendæ; quas ſolùm vel habere, vel conſeruare velit ad munera ſui officij propria, ritè obeunda: tum erga ſuam Eccleſiam; tum erga pauperes, vt *cap.*1.*&* 2. declarauimus: hic autem paupertatis gradus maximè perfectus eſt, vt habetur apud *Bonauentur. lib. de gradib.virtut. cap.*8.*poſt Bernard. epiſtol.* 100. dicentem: *Non enim paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor. Denique beati pauperes non rebus, ſed ſpiritu.*

15 Secundus paupertatis gradus proprius eſt etiam Epiſcoporum: ad vitam nempe neceſſaria habere ex eleemoſynis, decimis, ac donatione fidelium; nam bona Eccleſiaſtica huiuſmodi profectò ſunt, vt ſuo loco videbimus; ex his itaque bonis viuunt Epiſcopi, Chriſtum Dominum imitantes, qui nonnumquam, apud *Lucam* 8. (quod etiam indicat *Auguſtinus infrà in pſalm.*103.*citandus*) ſanctarum mulierum, vel eleemoſynæ titulo, vel gratitudinis, aut charitatis ei ſubminiſtrantium facultatibus viuebat, iuxta Iudæorum ſuper indicatum morem, quo Magiſtri, legiſque Doctores ad vitam neceſſaria à pijs excipiebant perſonis: aliquando pecunia ad quotidianum victum opportuna emebãtur ab Apoſtolis, cuius cuſtos, & quaſi theſaurarius, ad Chriſti, ac Apoſtolici Collegij neceſſitates eleuandas, Iudas erat ex *Ioan.*4.12.*&* 13.*Iterum Matt.*17. Dominus Petro præcepiſſe legitur, vt ſtaterem daret in tributum exigentibus; idemq; conſtat ex ſexcentis alijs allatis locis à *Gloſſ. Extr. Ad conditorem de verb.ſign.*adde *Extr.Cùm inter eodem.* vbi dominium Chriſto, & Apoſtolis fuiſſe bonorum ſaltem in communi, definitur. Confirmatur hoc idem denium auctoritate *Auguſt.tract.*62.*in Ioan.allata* 12.*quæſ.* 1.*cap.*1.*Habebat* (ait S.Doctor) *Dominus loculos, & à fidelibus oblata conſeruans, vt ſuorum neceſſitatibus, & alijs indigentibus tribuat. Tunc primum Eccleſiaſtica pecuniæ forma eſt inſtituta, vbi intelligeremus, quod præcepit non cogitandum eſſe de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ ſeruetur à Sanctis; ſed nè Deo pro iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem iuſtitia*

deſeratur. Licet igitur omnimoda paupertas, omne dominium abdicans, ex ſe perfectior ſit, Chriſto tamen non ſemper vſui fuit; ſed vt expediens erat pró ratione temporis locorum, cęterarumque circumſtantiarum, ad eruditionem Fidelium Religioſorum, ac Prælatorum. Hinc nec Prælatis eſſet perfectior, quum alia eorum inſtituto magis conſentanea ſit, & ad finem magis proportionata; quare componens *Auguſtinus* Chriſti paupertatem cum paupertate Pauli, recuſantis mercedem laborum ſuorum, quam propriæ conſuleret neceſſitati. *1. ad Corint. 9 in Pſalm.103. conc. 3.* ait: *Sublimius Paulus numquid eſt Chriſto? Sublimius Chriſtus, quia miſericordius, &c.* hoc ipſum ad rem de paupertate religioſa, atque Epiſcopali dixerim. Denium patrimonialia bona, vt infra ſuo loco dicemus, poſſideri à Clericis, & Epiſcopis poſſunt, cùm *1. ad Timoth. 1.* Apoſtolus iubeat eligi Epiſcopum hoſpitalem, &c. necnon *Can. 40. Apoſtolorum* dicatur: *Sint manifeſtæ res Epiſcopi, ſi tamen habet proprias, manifeſtæ dominicæ, vt poteſtatem habeat de proprijs moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere.* Accedit *Euſebius libr.3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 19.* qui ex conſanguineis Domini quoſdam ſcribit habuiſſe agellos è paterna hæreditate; & tamen horũ nõnulli fuerunt Epiſcopi, vt probè *Bellarmin. libr.1. de Cleric. cap. 27.* Domum etiam habuiſſe fertur Petrus Apoſtolorum Princeps; *Matthæi 8.* & notatur à *Gloſſa in Extrauaganti citata*.

17 Hæc enim, nec alia paupertas ſtatui conueniens erat Epiſcopali, né cum irreuerentia, & contemptu ſacri ordinis, poſtea ſibi ad vitam neceſſaria quærere cogerentur Antiſtites, actionibus, vel negotiationibus, Eccleſiaſticis perſonis indignis, vt colligitur ex *Trident. ſeſſ. 21. cap. 2.* Quamobrem meritò *Clement. In pleriſque de elect. & elect. Poteſt.* dicitur de pauperibus Religioſis, qui tunc temporis promouebantur malis etiam artibus ad Epiſcopalem dignitatem; *Qui nec (vt expediret) prodeſſe, nec præeſſe (vt deceret) valentes inſtabilitate vagationis, & mẽdicitatis opprobrijs, ſeruitutem Pontificalis obnubilant dignitatis; turpe enim eſt (vt addit Gloſſa) Epiſcopis mendicare, vt in quolibet etiam Clerico*. Epiſcopis igitur maiores eſſe debent facultates ad conciliandam auctoritatem, quæ alioquin peſſum iret; & quamuis, vt ſæpè diximus, inſtrumentum, ac medium ſit omnimoda paupertas aptum ad perfectionem comparandam; nihilominus tamen non eſt neceſſarium, & ad finem ſtatus Epiſcopalis haud idoneum. Hinc
18 *Paulus 1. ad Corint. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. Neque pericula ex hac bonorum poſſeſſione imminentia Epiſcopalis ſtatus officiunt perfectioni: tum quia in his moralibus, immo & in naturalibus optima quæque ſuas habent difficultates, & abſurda, ob quæ nec Sol è mundo: nec Sacramenta ab Eccleſia: nec tot, ac tanta, quæ optima cum ſint, non carent abuſus occaſione, prohibenda, atque è medio tollenda; quando maiora ſunt, quæ è tali ſtatu ſic inſtituto, abſque dubio, naſcantur bona: quare ad rem *Caietanus in ſolutionem quarti argumenti ſancti Thomæ articul.3. quæſtion.186.* diuitias ex ſe profectò noxias, ait, eſſe, aptaſque ſpiritualem impedire profectum cæterorum; non autem Epiſcoporum; quippe qui in ſtatu ſunt perfecto, è cuius natura *tenentur bona temporalia, quæ habent, in neceſſitate ſuis ſubditis exhibere, quos paſcere debent non ſolùm verbo, & exemplo, ſed temporali ſubſidio*; vt optimè *Diuus Thomas cap. 17. opuſcul. 18.* idque è ſpeciali obligatione ſui proprij officij: quocirca *Bernardus epiſtola* 100 quem volumus faſtigium imponere huic ſolutioni, ad Epiſcopos ſermonem habens, ait, *Et quidem nobis in hoc benefacitis, ſed vobis melius; niſi fortè excidit vobis illa ſententia, beatiùs eſt dare, quàm accipere. Hoc planè decet Epiſcopum, hoc Sacerdotium veſtrum commendat, ornat coronam, nobilitat dignitatem, ſi quem miniſterium probibet eſſe pauperem, adminiſtratio probet pauperum amatorem.*

19 Ad quartum reſpondeo proprias Epiſcopalis ſtatus functiones, vtporè charitatis erga Deum, & proximum, religioſi ſtatus actionibus ex ſe præſtare; quód ſi illas nonnulli obeant Religioſi, ex delegatione, non autem ex proprio munere, neque ex maxima, qua tenentur Epiſcopi obligatione; quid? quòd nonnulla Præſuli ſunt propria charitatis, & perfectionis egregia munera, à quibus Religioſi prortus arcentur; vt fideles confirmare ſacros, conferre Ordines, in veritatibus fidei definiendis iuridicũ habere ſuffragium, cęteraq; ſuo loco exponenda. Adde Præſules Epiſcopatus iure, ſecluſis priuilegijs Paſtores, & Perfectores ipſorum met Religioſorũ eſſe, qui ab eorum iuriſdictione per ſe nõ eximũtur, vt infra ſuo loco.

20 Vltimò dicimus Regulares Prælatos non perpetuos, cùm non ſint in ſtatu Prælaturæ defectu perpetuitatis, haud eſſe cum Epiſcopis comparandos: cæteri perpetui, vincuntur primo ordinis poteſtate, ita vt Epiſcopos non modò non ęquent, ſed ab eiſdem ordinari deberent, ni ſacris antea eſſent initiati, & vt perfectibiles reſpectu perfectorum, & perficientiũ comparã[illegible] deinde

præſtan;

præſtantiora Præſulum munera ex inſtituto illi non reſpiciunt; neque adeò arctiori vinculo tenentur Supetiores Religioſorum ſic, vt Epiſcopi, quin dignitati, & oſticio miſſum dare poſſint.

21 Quæ cùm ita ſit, reliquum eſt, vt auctore *Hieronymo epiſtol. 63. ad Thophil. Patres ſe ſciant eſſe Epiſcopi, non Dominos, maxime apud eos, qui ſpretis ambitionibus ſeculi, nihil quieti, & otio præferunt.*

CAPVT VII.

An Angelis Epiſcopi præſtent.

SVMMA.

Error Samoſateni, num. 1.
Sunt Angelis æquales Epiſcopi, num. 2.
Sunt Superiores, num. 3.
Angelos proprio iudicio ſunt iudicaturi, numero 4.

1 PRocul ab Epiſcopatus culmine faſtus, atque execranda *Pauli Samoſateni* ſuperbia ſit, qui eò deuenit audaciæ, vt non ſeculares modò ambiret honores tactus Epiſcopus; verùm populos expilabat, quibus tyrannico dominabatur more, atque inſani pompa incedens Angelus appellari volebat, & pſalmos, non de Chriſto, ſed de ſe, & ad ſui honorem decantari impudenter, atque impiè, vt alter Lucifer, præcipiebat, auctore *Euſebio libr. 7. cap. 26.*

2 At nobis neque in natura, doniſque naturalibus, neque in gratiæ confirmatione, aut beatitudine, cum Epiſcopis Angelos cõferre conſilium eſt; cùm certò ſit certius, angelicas mentes in naturalibus homines omnes vincere, & in ſupernaturalibus bonis ſingulos viatores, ſaltem ratione beatitatis, quam poſſident. Sed ſolùm ſiue dignitate ordinis ſpectemus Epiſcopos, ſiue dignitate iuriſdictionis in Eccleſia, ſiue poteſtate iudicandi, quam præcipua ratione, tamquam Apoſtolis ſucceſſores in extremo habebunt iudicio, quando etiam Angelos
3 iudicaturi ſunt *ex 1. ad Corinth. 6.* Eos dicimus non modò Angelis eſſe pares, ſed aliquo pacto ſuperiores: hinc Angeli dicuntur *Lucæ 8.* quod vt nuncij mittuntur
4 ad verbum Domini prædicandum. Maiores, ac Superiores dixerim, quia vnà cum Apoſtolis ius habebunt, ſententiam ferendi, & iudicandi in die iudicij, auctore *Paulo*, dicente *vbi ſupra, Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus?* nec minus propriè, quomodo dicuntur *Matth. 12. Regina auſtri, & Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt generationem iſtam*; ſed iudicio propriè dicto, approbationis quidem, laudis, & glorificationis erga bonos; erga malos verò condemnationis, & exprobrationis ad ſummum ſuperborum dæmonum contemptum, atque iniuriam, immò & rabiem, vt poſt alios notauit *Suar. 3. part. diſp. 57. ſect. 8* & ex communi Patrum probat *Cornel. à Lap. 1. ad Corint. 6. num. 85.* Adde cùm promiſſio *Matth. 19.* à Chriſto Domino facta, *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes, &c.* Ad Apoſtolos tamquam ad Doctores; ac fidei, morumque magiſtros ſpectet, penes quam rationem cum eis Epiſcopi ſuccedãt, dum mortalem vitam agunt; ob eandem ad eos etiam ſpectabit in alia immortali. Quid igitur mirum, ſi ab *Areopagita part. 3. Eccleſiaſt. Hierarch.* Angeli dicuntur Antiſtites, vt etiam à *Nanzianzeno in Apologet. 1. & in oratione de laud. Athanaſ.* immò à *Baſilio epiſtol. 61.* Angelis dicuntur digniores, quòd ex ſupradictis, & ex alijs à *Thoma Boſſi* allatis *de ſignis Eccleſiæ tom. 2. lib. 16. cap. 9.* confirmari poteſt.

LIBER SECVNDVS.

De ſubiectiua Epiſcopatus cauſa, ideſt, de perſona Præſulatum ineunte, ac de remotis diſpoſitionibus in ea deſideratis.

NAturam, & Epiſcopatus eſſentiam primo contentam libro eiuſſequitur ſubiectum, quod hoc aggredimur explicandum; Etenim ſiue Epiſcopatum, vt materiale concretum (Philoſophicè loquor) ſpectes: ſiue vt formale, ſubiectum ſemper, aut directè, & in recto, aut connotatiuè, atque in obliquo deſignat. Itaque illius per varias huius libri diſputationes, & capita expendemus conditiones, qualitateſque, præſertim naturales; quorum oppoſitæ cùm ad formam Epiſcopatus inducendam impedimento ſint, hoc eodem libro comprehendentur; ita vt non ſubiectum nudatum, & quaſi materiam puram in ſuo eſſe; ſed ſignatam (vt cum nonnullis Philoſophis loquar) ſuis diſpoſitionibus, ac qualitatibus diſpoſitam exponemus; neque mihi ſingulas animus eſt proſequi irregularitates, atque inhabilitates, quæ ſacros impediunt Ordines, quod extra meum profectò eſſet inſtitutum; ſed ex profeſſo, quas numerant Doctores Epiſcopatui officientes, obiter verò cœteras percurrere. Verùm enim verò cùm, quid Summus Pontifex diſpenſando poſſit in nonnullis neceſſariò requiſitis ad Epiſcopatum, ſæpe dicendum ſit; hanc ex inſtituto decidere quæſtionem in ipſo libri veſtibulo magnum operæpretium futurum arbitror. Num Papa, vel quilibet alius Princeps ſupremus in proprijs, humaniſque legibus diſpenſari poſſit? dicturus *tom.2 lib.5.diſput.3.cap.6.*

DISPVTATIO I.

An Pontifex in iure naturali Diuino diſpenſare poſſit.

Cùm quid Summus Pontifex diſpenſando poſſit in quampluribus neceſſariò requiſitis Epiſcopi conditionibus ſæpe dicendum ſit, hanc ex profeſſo decidere quæſtionem opere eſſe quidem arbitror.

CAPVT PRIMVM.

Ad Diſputationem Proluſio.

S V M M A.

Triplex naturalis legis conſideratio,num. 1.
Naturalis propria,ibid.
Naturalis lex antecedens, & fundamentalis vna: altera ſubſequens actualis iudicij, num. 2.
Lex naturalis ipſa eſt natura rationalis, vt talis, num. 3.
*In Deo ſecluſis imperfectionibus, lex concedi poteſt,num.*4.
*Qua ratione lex naturalis diuina dici poſſit. num.*5.
*Lex diuina legem naturalem per quadam ſua præcepta,vt materiam exprimit. num.*6.
*Duplex eſt ius naturale diuinum. num.*7.
*Quid ſit legis irritatio. num.*8.
*Quid ſit abrogatio. num.*9.
*Quid derogatio.num.*10.
*Subrogatio quid ſit.num.*11.
*Interpretatio quid.num.*12.
*Quid diſpenſatio.num.*13.
*Quomodo diſpenſatio, & declaratio diſtinguantur. num.*14.
Interpretatio bifariam conſideratur, numero 15.
Quando purè doctrinalis dicenda ſit: quando authentica. ibidem.
Quid ſit æquitas. ibidem.

1 Notandum primò, naturalem legem trifariã conſiderari poſſe. Primò latiſſimo quidem modo, quo cuncta creata, inſita quadam vi à natura in ſuos quoſque fines tendunt: ſecundò, quo, non innato quodam pondere, ſed aliqua cognitione duce in eos feruntur: tertiò vt intellectualibus inſita creaturis, cuius tanquam face mens illuſtrata bonum à turpi profecto diſtinguit,

Primam rationem *Plato in Timæo,& Fadro*, cui Philoſophi ſubſcribunt, apertè docuit,nec negat *Diuus Thomas* 1.2.*quæſt.* 91. *art.* 2. vbi quæ diuina reguntur prouidentia res, æternæ participes eſſe legis dicuntur,ex cuius efficacia in proprios fines tendere habent: ſecunda ratio Cæſarij iuris Peritorum eſt, quam ad animantia cuncta, ab intellectualibus ſubſtantijs diſtincta, extendunt illi ex §. 1. *de iur. natural.* vbi ius naturale ab Imperatore finitur, *Quod natura omnia animalia docuit*; neque humani proprium eſſe generis docetur; tertia intellectualibus ſolùm communis eſt ſubſtantijs, meritò à Theologis propria nuncupata; à quibus non diſcrepant Canoniſtæ ex *capit. Ius naturale, & ex capit. Ius gentium diſtinct. prima*; hæc autem non exarata calamo, non ære inciſa, non libris contenta, aut mandata tabulis, ſed in cordibus hominum deſcripta, dicta eſt

 ab An-

ab *Auguſtin.2.confeſſ. cap.4.* æternæ participatio legis à *Diuo Thoma 1. 2 quæſt.91.art. 2.ex pſalm. 4. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: dicitur naturalis, tum quia à Deo auctore naturæ creaturis intellectualibus inſita eſt: tum quia vel naturam ipſam rationalem ad inſtar proprietatis ſequitur, vel in ea imbibitur, vt infra. Verùm enim verò cum natura vt ſic, & vt per gratiam eleuata ad eſſe ſpirituale conſideranda ſit, duplex etiam naturalis lex diſtingui, ac dici poterit: vna abſolutè: altera reſpectu diuinæ gratiæ, quæ quidem propriam habet naturam, & eſſentiam: cui lumen competit, hominem ea donatum per honeſtas, rectas ſupernaturaleſque actiones dirigens, fuganſque errorum tenebras à lege naturali, cuius exactam ſublimiori exigit ratione obſeruantiam.

2 Notandum ſecundò naturalem, rigoroſo, atque vltimo modo explanatam legem, duplicem eſſe; primam fundamentalem antecedentem, & originalem; alteram formalem conſequentem, & proximam; prima eſt ipſamet natura rationalis, cui ex propria ratione eſſentiæ quædam ſunt conſentanea, quædam ei diſſona, quæque per vim iudicatiuam habet poſtea iudicare: ſecunda eſt ipſamet vis iudicatiua, ſiue iudicium intellectuale, quod actuale potiùs dixerim, quàm habituale. Nec facile ſubſcribo *Soario libr. 2.de leg.cap.5. in Vaſquez* agenti; etenim quidquid in eum 1. 2. *diſputat.150.cap.3.* naturalem legem, in natura ipſa rationali conſiſtere docentem affert, in eundem *Soarium*, aſſerentem hanc eandem legem in lumine intellectus, ad dictandum de agendis expedito, conſiſtere, facili negocio contorqueri poſſunt. Et quidem

3 quam expoſui ſententiam eſſe ipſius *Vaſquez* non ambigo, quam merito veneror; atque aio propriæ legis naturalis nomine donandam eſſe rationalem, ſeu intellectualem naturam, vt talem, ideſt, vt principium radicale ratiocionandi, vltimo conſtitutiuum eiuſdem naturæ in gradu intellectiuo, ſeu rationali; etenim nonnullas, prauas; alias rectas eſſe actiones, quarum malitiam, vel bonitatem ex prohibitione extrinſeca, aut iudicio rationis non pendere, nec idemmet inficiatur *Soarius, aut alius quiſpiam Theologorum in 2.diſtinct.37. vel cum Diuo Thoma 1.2.quæſt.100.artic.8.* quum actus moralis propriam ſibi vendicet naturam, & eſſentiam, ab extrinſeca cauſa minimè pendentem; non ſecus ac quæuis alia res; cum autem hi actus bonitatem, vel turpitudinem per conformitatem, aut difformitatem habeant ad aliquam legem, penes ſententiam *Auguſtini, peccatum definientis contra Fauſtum cap.37. eſſe dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei*: Non ita accipiendum, quaſi ideo mali ſint, quia prohibiti, ſed vel quòd omnes reuera contra Dei voluntatem ſunt, iure etiam diuino prohibiti, vt *num.* 6. dicemus; vel quòd ſi ſunt contra legem humanam, cenſentur eſſe contra diuinam etiam, à qua omnis humana poteſtas; aut, ſi ſint contra legem naturalem, ſunt etiam de facto contra diuinam, vt ſupra, & contra radicem iuris naturalis, Deum ſcilicet, vt *num.* 5. dicendum; nil ſanctus Doctor peccatum definiuerit illud, quod ideo eſt malum, quia prohibitum; dicitur autem natura intellectualis, propriè lex prima fundamentalis antecedens, atque nobis originalis, cui conueniens actus eſt bonus, diſconueniens malus, ante omne iudicium rationis; quippe quod idcirco iudicat mendacium, verbi gratia, eſſe malum, quia malitiam ei in eſſe ſupponit; quare ſicut menſura conuenientium, vel diſconuenientium in reliquis, nulla eſt aſſignare diſtincta ab eorundem naturis, ita in

4 actibus rationalis ſubſtantiæ. Nec ſatis intelligo, qui *Soarius* intrinſecam bonitatem, vel malitiam actus concedere poſſit, eamq. præcedere iudicium rationis; negare verò per conuenientiam, vel diſconuenientiam naturæ rationali primo deſumendam. Hæc igitur natura lex erit prima, vt paulò ante dicebam, quæ & radicaliter per propriã propenſionem, vel auerſionem ſuo modo illuminat, dirigit, honeſtatem præcipit, commendatque, & à malitia, quam ſuo modo prohibet, auertit; nec modò fundamentum eſt honeſtatis; ſed lex prima, certa, & infallibilis. Nec eſt quòd nos terreat *Soarius* ex hac ſententia ſequi, D.O.M. propriam eſſe legem; nam hanc ſequelam per ordinem ad actus diuini intellectus, & voluntatis atque ad intra ad ipſummet ſuum eſſe terminatos ſine habitudine ad creaturas, intelligi minimè poſſe, nec *Soarius* inficiabitur, cum lex non ſit de rebus per ſe, atque ab intrinſeco neceſſarijs, ac naturalibus. De actibus verò liberis ſicut in Deo menſura conceditur, non video, cur ſecluſa quauis imperfectione, lex directiua, aliquo pacto, aſſeri non poſſit, *cum Diuo Thoma 1.part.quæſt.21. art. 1.ad 2. Impoſſibile eſſe* (dicente) *Deum velle, niſi quod ratio ſuæ ſapientiæ habet, quæ quidem eſt, ſicut lex iuſtitiæ, ſecundum quam eius voluntas recta, & iuſta eſt.* Declarans autem Sanctus Doctor quænam ſit hæc lex in Deo, ait *Deus autem ſibi ipſi eſt lex*, ideſt natura illa diuina, cui mendacium, atque infidelitas, vt reliqua intrinſecè mala cum repugnent, ac diſſentanea ſint, malitiam hoc ipſo habent, quamobrem idem *Sanctus*

Doctor

Doctor citatus ad 3. debitum (inquit) *eſt Deo , vt impleatur in rebus id,quod eius ſapientia,& voluntas habet , & quod ſuam bonitatem manifeſtat,& ſecundum , hoc iuſtitia Dei reſpicit decentiam ipſius* : neque ab alio ſuperiori opus eſt , legem naturalem eſſe impoſitam , vt ipſemet *Soarius* aſſerit in communi ſententia *lib.2.de leg. cap. 6. num.*6.& in hoc ſenſu à Theologis ſcientia diuina reſpectu actuum liberorum diuinorum prudentialis dicitur , oſtendens quid deceat Deum ipſum operari.

5 Meritò igitur rationalis natura lex naturalis , & diuina etiam dicitur ; quia eſt à Deo naturæ,& diuinæ conformis ſapientiæ, ac bonitati , quę quidem quamuis , ordine rationis , eſſentialiter conſiderata prior ſit iudicio Dei iudicantis,& approbantis dictamina ipſiuſmet naturæ , eiuſque prima principia,quæ bonitatem indicant,vel malitiam in obiecto, independenter etiam à lege diuina,vt indicat *Soarius citatus num. 8. & probè docet lib.2.cap.6.num.*10. per ordinem ad ipſammet naturam rationalem , eſt tamen proſterior eſſentia diuina conſiderata in ratione cauſæ exemplaris , & entis participabilis , vel non implicantis contradictionem , quo pacto radix eſt ipſius iuris naturalis, vt probè *Vaſquez 1.2.diſp.97.cap. 4.num.*9. & conſequenter ab ipſomet Deo pendet , cuius naturæ dictamina diuinum eſt donum hoc pacto deſcendens à Patre luminum,prima ſcilicet cauſa omnium bonorum,etiam naturalium , à qua omnis veritatis manifeſtatio eſt *ex Paul. ad Rom.* 1. quem locum in ratione magiſterij explicant *Chryſoſt.ibi homil. 3. ibidem Ambroſ. Cirill.lib.3.contra Iulianum,Auguſt.ſerm. 5. de verb.Dom.& lib.2,de ſerm.Dom. in monte cap.9. Quis* (ait) *legem naturalem in cordibus hominum ſcribit,niſi Deus* ? Ex quibus breui , tradita rationum momenta à *Soario locis citatis* adducta ruunt,eo potiori iure , quo illa omnia in iudicium rationis ab illo aſſertum militant. Verum enim vero , vel inuitus pene lapſus ſum ad aliam materiam, & currente rota,vt cum *Hieronymo* loquar , dum vrceum facere cogito , amphoram finxit manus ; nè igitur diù vager , eòque vnde digreſſa,reuertatur noſtra diſputatio.

6 Notandum tertio,legem diuinam à Chriſto Domino,vero Deo , *per quem Pater nouiſſimè , loquutus eſt nobis,teſte Paulo ad Hebraos* 1. tanquam materiam legem etiam naturalem , ſecundum ſua expreſſiſſe præcepta , huiuſmodi ſunt quæcunque à recta ratione , atque inſtinto naturali dictata ſeruanda præſcribuntur , vt Deum eſſe colendum,parentes honorandos , nemini faciendam eſſe iniuriam,& huiuſmodi ; neç non in his quæ facta ſacramentorum inſtitutione , ex hypoteſi ad ius naturale ſpectare , probè notant Auctores,quos citat , & ſequitur *Soarius de leg. lib. 10.cap.6.num.* 19. immo omnem legem naturalem humanam habere connexionem cum lege diuina . quia ex diuina prouidentia , quæcumque illi repugnāt prohibentur,doctè probat idemmet *Soarius de leg. lib.2. cap. 6. num. 6.* in hac igitur lege naturali diuina , eiuſque materia num Pontifex poſſit diſpenſare quærimus .

7 Notandum quarto duplex eſſe ius naturale diuinum,alterum abſolutum,alterum humanum,ſupponens voluntatem,ex qua quaſi ex fundamento ducit ortum , atque obligandi vim ; quod etiam bifariam conſiderari poteſt , primo obligationem inter mortales ſupponens vt reſultans ex humanis contractibus ; ſecundo humanam non modo ſupponens voluntatem , ſed diuinam acceptationem,vt in voto ; & iuramento videre eſt.

8 Quinto noto *ex Soto de iuſt.& iure lib. 1. quaſt.vltima à principio. Valentia tom. 2. diſput.7.quaſt.4 punct.6.in princ.*poſt alios,diſcrimen inter irritationem,abrogationem , derogationem,ſubrogationem ; interpretationem,ac diſpenſationem . Equidem irritatio eſt, cum lex abolctur , antequam perfectè obliget ; vel cum ritè ſancita non eſt, defectu iuſtitiæ , vel poteſtatis eam ferentis, vel quando perfecta , plenaque exiſtente legis obligatione ex alterius pendet voluntate , eam nolentis approbare ; vt ſi lex Reipublicæ à Principe ; vel Principis à Republica ſit approbanda,tunc , ni fiat hæc approbatio , derogata , & irritata dicitur lex : ſic ni à Pontifice Concilij leges approbentur.

9 Abrogatio eſt , quando lex , quæ perfectam iam induxit obligationem expungitur,aut antiquatur,nec proprie mutatur : in quo diſcrepo à Valentia citato ; vt enim lex,olim,rogatio etiam dicebatur,ſic quando abrogatur,aliud quidem agitur , quam cum rogatur,contrarium ab eo,quod eſt rogatum , ſiue præſcriptum . Quomodo verò legem abrogari oporteat ex *Baldo in ſua chateeb.1.part.ſub finem petendum eſt.*

10 Derogatio autem , veprobè *Iuriſconſultus de verb.ſignif.* eſt , cum pars detrahitur legis,auctore etiam *Modeſtino in leg. Derogatur 102.ff.de uerb. ſignif. idem docet Vlpianus inſtit.tit.* 1.

11 Subrogationem idemmet Vlpianus ait eſſe,cum aliquid primæ adijcitur legi.

12 Interpretatio , eſt declaratio legis in aliquo caſu non obligante *auctore Becano part. 2.ſum.Theolog.tract.3.cap.3. num.3.* Verùm

in eo

in eo ſenſu hoc admiſerim, cum de extenſiua interpretatione, quam Recentiores appellant, intelligatur, quamque ratiocinationem appellat *Cicero*, & collectiuam *Fortunatins*, quia ex eo, quod ſcriptum eſt, id colligimus, quod exaratum haud eſt, varioa iuxta modos, quos affert *Salomonius lib. 5. Comm. in leg. Omnis populi apud Simonem Scardium in lexico iuridico, verb. interpretatio extenſiua.*

13 Diſpenſatio eſt remotio (quantum eſt ex vi diſpenſationis) obligationis legis ab aliquo, in caſu, quando alioquin obligaret, vt recte *Riccardus in 3. ſenten. diſt. 27. ar. 1. quaeſt. 5. Durand. in 1. diſt. 47. quaeſt. 4. num. 6. Heruaeus eadem diſt. quaeſt. 3. art. 1. ac Theologi Recentiores ſupra laudati; quibus conſonant Canoniſtae; definitur autem à Speculat. in titulo de diſpenſat. Iuris prouida relaxatio; vel vigoris iuris per eum, ad quem ſpectat, canonicè facta relaxatio Cap. Niſi rigor. 1. q. 7.*

14 Et quamuis nonnunquam diſpenſatio pro iuris accipiatur declaratione, minus tamen proprie; etenim diſpenſatio à ſuperiore tantum fieri poteſt, actuſque eſt iuriſdictionis; declaratio vero ſepæ à ſubdito, ac priuatis perſonis; quarum etiam intereſt ex EpijKia declarare in re non admodũ dubia; licet in dubia ſuperior plerunque ſibi declarationem reſeruae, vt infra: diſpenſatio iuriſdictione, ac poteſtate indiget; doctrina, ac prudentia interpretatio: illa; quando lex viget, locum habet; hæc, quando non obligare lex putatur: relaxat illa obligationem; hæc non adeſſe demonſtrat, vel quia nunquam fuit, vel quia ceſſauit omnino, vel hic, & nunc: illa vrgentes requirit circumſtantias, ſub quibus lex ante obligabat; mutatas ſupponit tantum declaratio: illa à voluntate pendet, & gratia ac liberalitatis rationem ſortitur; hæc ab intellectu rationem iuſtitiæ potius inuoluit, ſeu æquitatis *ex Diuo Thoma 2. 2. q. 120.* & priuatim facta prudentia iudicij eſt actus; ex poteſtate autem iuridicè habita, rationem inuoluit ſententiæ, & *ab Ariſtot. 5. ethicor cap. 10. EpyKia dicta eſt,* ſeu emendatio legis, ſpecie tenus; & quo ad generalem verborum ſignificationem, de qua infra, vt recte *Riccard. Durand. Heruaeu. Valent. modo citati, quibus ſubſcribunt Vazquez in primam ſecunda diſp. 178. cap. 2. Soar. de leg. lib. 1. cap 20. num. 10. & de vot. lib. 6. cap. 9.*

15 Notandum vltimo ex Philoſopho, ac Theologis modo citatis, interpretationem bifariam cõſiderari poſſe: primo, vt ex æquitate correctionem inuoluit legis, quæ ad caſus vniuerſales, cum ſit lata, ſæpe ſæpius quoſdam non comprehendit peculiares; hęc autem *æquitas* à citato Philoſopho definitur, *emendatio legis ea ex parte, qua deficit propter vniuerſale*; ad quam ſtatuit partem iuſtitiæ, quam, vt ſupra diximus, EpijKiam appellauit, *a Bartolo autem l. 1. C. de legib. in fine*, æquitas aſſerta, conuenientia dicitur, ſeu benignitas iuris, *à Panormit. in caput vltimum de tranſact. num. 6. e Speculatore, & Io: Andrea Iuſtitia dulcore miſericordia temperata nuncupatur*. Secundo modo interpretatio accipi poteſt pro ea, cum qua, vt ſuperius, & interius EpijKia comparatur; nam omnis EpijKia, legis eſt interpretatio; non autem è contra, omnia interpretatio legis eſt EpijKia; quod probè aduertit *Caietan. 2. 2 q. 120. ar. 1.* & merito, cum EpijKia non quæuis interpretatio ſit, ſed quaſi ex æquitate corrigens ius, quod quidem ex *defectu naturæ* vt ait Ariſtoteles, ideſt, materiæ mutabilis, quod rei conſulat, quæ plerunque, non quæ raro accidit, vt dicitur etiam *l. 3. ff. de legib.* non enim erat rationi cõſentaneum vt ad ſingulos raro accidentes lex pateret caſus, in quibus eam ſeruare error eſſet practicus, contra naturalem æquitatem. Præterea pura interpretatio legis ſenſum eius intendit ſolum explanare: quæ tum purè doctrinalis eſſe poteſt, vt à nonnullis appellatur; tum authentica, quaſi ab habente authoritatem, atque ex officio data. Plura de his *tom. 2. libr. 7.*

CAPVT II.

Variæ Doctorum referuntur ſententiæ.

SVMMA

Prima ſententia, in vtroque iure diuino poſſe Pontificem diſpenſare docet. num. 1.

Probatur ab inductione caſuum ius naturale eſſe diſpenſabile. ibidem.

Probatur hoc idem ratione. num. 2.

Ius diuinum diſpenſabile demonſtratur ex Matthæi 16. num. 3.

Probatur hoc idem ex varijs diſpenſationibus datis. num. 4.

Secunda ſententia negans facultatem in iure diuino diſpenſandi ſummo etiam Pontifici ex vrgentiſſima cauſa num. 5.

Tertia ſententia in quocunque iure aſſerit poſſe Pontificem diſpenſare. numero 6. & 7.

Eam peccare, vel cum alijs coincidere demonſtratur à num. 8. ac deinceps.

Nullus Summo Pontifice inferior in iure diuino diſpenſare poteſt num. 9.

Na-

Naturalis lex diuina, neque irritari, neque abrogari, neque derogari poteſt, numero 10.

His præmiſſis varias apud auctores, qnas inuenimus, hac de re ſententias hoc compræhendemus capite, ſequenti veram explanaturi.

1 Prima igitur aię, Pontificem in vtroque, quod *num.6.& 7. ſuperioris capitis* adnotauimus, iure diuino diſpenſare ex vrgentiſſima cauſa poſſe: in iure orto ex antecedenti voluntate creata penitus, atque adęquatè, in abſoluto autem inadęquatè, articulis dnmtaxat fidei, exceptis. Hanc ſententiam amplectuntur *Gloſſ.in Cap. A uobis de decim. Gloſſ. in leg. Manumiſsio verb. naſcerentur. Gloſſ.1.in leg. Iuſciuile ff. de iuſt.& iur. Abbas Cap. Cum tanto de contract.num.3.Cap. Quæ in Eccleſiarum de conſtitut.num.11.Cap. Propoſuit num.20.de conceſſ. prabend.* citans *Innocentium in Cap. Cum ad monaſterium de ſtat. monachor.* ſubſcribunt præterea *Nauarr. conſ. 2. Qui filij ſunt legitimi num. 8. Decius conſ. 112. num.3. in fine voluminis primi, & Cap. Quæ in Eccleſiarum in noua editione num.44.& 45. de conſtitut.& in antiquo 16. & 17. Felinus in Cap. in* Eccleſiarum *de conſtitut. num. 19. & 20.* vbi etiam ex cauſa ait poſſe Pontificem mutare formam baptiſmi conſuetam in hanc, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis, & Cap.1. de conſtit. num. 23.* Papam poſſe creare docet vnico verbo ſacerdotem, vt, *ſis Presbyter*, & Epiſcopum inſtituere vt, *ſis Epiſcopus*. Hi autem omnes Iuriſconſulti expreſſius: Quum alij iura confundentes obſcurè ſatis loquantur, qnorum quidem ſententia quo ad primam partem, in qua cum tertia mox ſubijcienda conuenit *num.6.* probanda eſt, quo ad ſecundam verò de inre abſoluto probatur inductione. Primo petita à diuiſione bonorum, quæ quidem antea iure naturę communia erant, ab hominibus tamen inducta *Cap. Ius naturale diſt. 1. Cap. Quo iure diſt.* 8. quæque diuiſio in *Cap. Dilectiſſimis* 12.*quaſt.* 1. per iniquitatem ſcribitur illata. Secundo à libertate iure naturæ mortalibus competente; humanis tamen legibus eis ablata *Leg. libertas ff. de ſtat. liber. §. Ius autem. leg. Manumiſsiones ff. de conſtitution. & iur. Inſtituta de iure natura gent. & ciuil.* Tertia inductio eſt mutui conſenſus maris, & fœminæ ſufficientis ad ineundum iure naturæ matrimonium, qui tamen mutatus eſt per varios requiſitos teſtes, ac ſolemnitates. Quarto non ſibi vindicandi alienum; quod tamen vſucapione, & præſcriptione mutationem ſubijſſe videtur. Quinto pro arbitratu teſtamentum condendi, ad quod tamen iure poſitiuo multę deſiderātur ſolemnitates. Vltimo reſtituendi depoſitum, quod per legem non reſtituendi gladium furioſo etiam mutatum eſt.

2 Secundo argumentantur hi Doctores. Conſentaneum rationi eſt, vt facultas ad bonum Eccleſiæ regimen neceſſaria à D. O. M. Pontifici minimè denegata ſit, alioquin ſuo gregi à Paſtore diuino non bene conſultum eſſe ait *Angelus verb. Papa num. 1. ex Riccardo in 4. diſt.26.art.9.quæſt.* 1. atqui diſpenſandi poteſtas in multis, quos recenſuimus, atque in alijs paſſim occurrentibus caſibus, eſt neceſſaria ad bonum Eccleſiæ regimen; ergo ſicut ex hoc eodem principio deducimus homines poteſtate donatos eſſe puniendi, & capite Reos minuendi, quando è Republica fuerit; ita à pari hanc diſpenſandi facultatem Eccleſiæ traditam eſſe aſſerendum.

3 Tertio ius diuinum diſpenſabile probatur ex *Mathæi 16 Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis*, quæ vniuerſalis conceſſio non eſt, cur limitetur, cum *Bartolus allegatus ab Abbate Cap. Vnico de commod. num. 18.* ſub clauſula generali, caſus comprehendi ſimiles expreſſos, in iure doceat, immo in non odioſis maiores expreſſis, vt docet etiam *Innocent. in Cap. ſede de reſcript.* igitur ſi ex relata Domini ſentētia colligitur diſpenſandi poteſtas in iuramentis, votis, matrimonio rato, atque in vinculo ſpirituali inter Epiſcopos, & Eccleſiam, quod iuris eſſe diuini arbitratur *Innocent. Tertius Cap. Inter corporalia de translat. Epiſc.* iuxta multos, nec non in profeſſione religioſa; igitur idem dicendum in reliquis iuris diuini, ac legis gratiæ. Confirmatur ex momento ſimili ei, quo ad facultatem diſpenſandi in iure naturæ præcedenti numero probauimus; non enim Eccleſiæ Dei bene conſultum eſſet, ſi deſtituta fuiſſet hac poteſtate in tot, ac tantis, qui paſſim occurrunt, caſibus, in quibus nocua, nè obſeruatu impoſſibilis, hic, & nunc lex indiſpenſabilis eſſet, potius quam apta, & vtilis.

4 Quartò ex varijs diſpenſationibus iam factis optimè argumentatur ad earum probandam facultatem; cùm igitur *Innocentius Octauus*, vt in vna ſola panis ſpecie auguſtiſſimum conficeretur Euchariſtiæ Sacrificium Saxonibus conceſſerit, auctore *Volaterrano libr.7. Geograph. cap. de Saxonib. nec non Honufrio in Cronico anni* 1490. *Turrecremata in cap. comperimus de conſecr. diſtinct.2. Antonino 3.part. titul.13. capit.6. §.* 1. nec deſunt, qui hanc eandem facultatem factam Nouergis ab Innocentio Quarto aſſerunt: ſic *Claudius de Euchar. repetit. 10. cap.3.*

cap.3.& 4.ad finem apud Neotericum, Fagundez primo præcepto Eccleſiaſtico libr.3. capit. 5.num.2. qui addit à Sede Apoſtolica diſpẽſarum fuiſſe cum Danis; & tamen vtriuſque ſpeciei conſecrationem iuris eſſe diuini, cõmunis docet ſententia Doctorum, quam Conciliorum auctoritate probè poſt alios firmat *Soarius 3.tom.in 3.part. diſputat 43. ſect.3.* De iure pariter diuino eſt, vt Sacerdos, conficiens rem ſacram, vtramque ſumat ſpeciem; atqui in ordinatione Sacerdotum, cum ſinguli, qui ordinantur, conſecrẽt, alteram tantum, hoſtiam nempe, ſumunt, ergo &c. Confirmationem præterea ſolius eſt Epiſcopi conferre: ſed confirmandi facultas ſimplici ſolet ſacerdoti per Pontificem fieri, ergo &c. In articulo etiam mortis Euchariſtiam ſumere iuris eſt diuini, quam tamen ex cauſa multis Eccleſia denegat; igitur facultas in iure diuino diſpenſando apud Romanum Pontificem eius Caput erit.

5 Secunda ſententia propriè diſpenſandi facultatem in iure diuino ex vrgentiſſima etiam cauſa, Pontifici negat; cui tamen ex propria auctoritate auctenticè illud interpretandi concedit, ita *Diuus Thomas quodlib.4.art.3.in corp.& ad primum: Durand. in 4.diſt.33.quæſt.1.num.15. Maior in 4. diſt.27. quæſt.6.columnn.4.verſ.Propter hoc argumentum. Almain.de poteſt. Eccleſ. cap.13. Catharin.lib. 6. in Caietan.in quæſt. An Pontifex diſpenſare poſſit in voto ſolemni Religioſorum; Sotus in 4.diſt.16.quæſt. 1. art.5. ad 1. & lib.1.de iuſt.quæſt.7. art. 3. ad 3.* Citat *Sanchez lib.8.de matrim.diſp. 6. num. 4.* pro hac ſententia *Soarium 3.tom in 3. part. diſp. 43. ſect.4.verſ.tertia ſententia, & verſic.quinto poteſt*. Verùm enim verò, licèt *Soarius* Pontificem in iure diuino abſoluto, ab humana voluntate independente diſpenſare non poſſe defendat, atque in conſecratione in vna ſpecie, loco iam citato, ab extrinſeco tantum id probabile aſſerat, Doctorum auctoritati innixus, quoad ſecundam tamen partem de interpretatione auctentica, dicto quarto negat, poſſe Pontificem interpretari ſemper ius diuinum, vt in materia conſecrandi per ſe ſpeciem vnam ſine altera, & in *to mo de legibus, quem poſt tractatum Sanchy de matrim.* publicis conſignauit monumentis *libr.10.cap.6.* hanc eandem ſententiam negantem ſummo Pontifici auctoritatem per Epikiam interpretandi, tum præcepta poſitiua legis gratiæ, cum inſtitutiones Eccleſiæ doctè proſequitur: hæc igitur ſententia quoad primam partem probabitur à nobis infra, quo ad ſecundam verò, cum argumentis præcedentis opinionis, cum ſequentis ſententiæ oſtendetur, quæ quidem eam ſaltem concludunt,

6 Tertia ſententia poſſe docet Pontificem non ſolùm in iure diuino humanam ſupponente voluntatem diſpenſare; verùm etiam aliquando in abſoluto ex vrgente cauſa, ſic *Milis in Repertorio littera D. num. 23. verbo Diſpenſatio, Felinus Cap. Finali num. 1. & 8.de maior.obed. & Auctores laudati pro prima opinione à fortiori, inter quos Abbas, & alij quos citat, & ſequitur Sanchez lib. 4. de Matrim.diſp.6.num. 5.* quem tamen non poſſum non mirari loco citato ſibimet non cohærentem, cum *lib. 2. de matrim. diſp. 14. num.5.ad 4* dixerit in hoc nempe naturali iure abſoluto nullo modo Pontificem diſpenſare. Verum vt omittam duram, nè dicam improbabilem *Cyni, & nonnullorum opinionem apud Panormitanum Cap. Quæ in Eccleſiarum num. 14. de conſtitutionibus* aſſerentium præſumi pro Principe cauſam ſufficiẽtem, qua motus me bonis iure naturali proprijs priuat, adeoq. præſumi, vt non admittatur probatio in contrariũ, quæ quidem ſententia meritò à citato requitur Abbate, à quo aſſeritur non poſſe Principem omnem contractum ad arbitrium eneruare, & cum de fœudo aliquis ſit contractus initus, abſque cauſæ cognitione non poſſe à Principe vaſſallum illo priuari: duas inuenio regulas; apud huius ſententiæ Doctores, ex quibus conſtare poſſit quo in iure poſſit, necnè Papa diſpenſare: alteram apud *Panormitanum capit. Cùm tanto de conſuet. num.3.* quæ ſic habet. Vbi ratio naturalis ſuadet ius diuinum diſtingui, & limitari, tunc diſpenſabile erit, ita vt tranſgreſſio peccatum non inducat; leges autem rationis naturalis, ex quibus ius diuinum eſſe diſpenſabile colligatur, ſummo Pontifici ineſſe concedit *Abbas*: alteram regulam tradit *Sanchez citatus, è Catherino ſuperiori numero relato*, qua *Catherinus* vtitur ad agnoſcendum, quando, & quodnam ius interpretari, vel declarare fas Pōtifici ſit, quæ ſic habet. Quædam ſunt de iure diuino, quæ talis ſunt abſque dubio conditionis, vt nunquam in eos cadere poſſit diſpenſatio Pontificia, quod nequeat excogitari caſus, in quo ſit cauſa diſpenſandi, vt ad fornicandum, vel nè filius veneretur parentes, vel ad mutandas Sacramentorum formas: alia verò ſunt quæ licèt in vniuerſum expediant, verùm in aliquo caſu ſpeciali poſſunt non expedire, ac diſpenſationem admittere, cum non contineant perfectam, atque apertam indecentiam, quippe quæ à iuſta occurrente cauſa vinci facilè poterit, vt videre eſt in reſidentia Epiſcopi, quæ iuris naturalis, & diuini dicitur eſſe à multis: & in conſecratione alterius tantùm ſpeciei. Hæc ferè

San-

Sanchez, qui eum ſibi minimè ſatisfeciſſe videatur præcedenti regula, ei addit aliqua, nimirum inter ea, quæ modò diximus, non poſſe præcepta diſpēſari à Pontifice, connumerari etiā illud de pluribus vxoribus non ducendis, & ratio eſt, quia quamuis Deus præuiderit poſſe caſus occurrere, in quibus rationi videretur conſentanea, atque expeditior diſpenſatio; nihilo tamen minus, quia præponderat huic bono inuiolabilis illius, atque aliarum ſimilium legum cuſtodia, nè aperta relinqueretur diſpenſandi via in illis, quæ paſſim impoſterum inirentur, idcirco talis diſpenſandi facultas omnino ſublata eſt: In has quas retulimus regulas, recurrit alia, quam idcirco ab eiſdem non omnino diſtinctam do, ſcriptam à *Cano Relectione de pœnitent. part. 2. docente*, duplicia eſſe præcepta diuina: quædam, quæ nullum ſubiectis detrimentum afferre poſſunt, vt Confeſſionis, & Baptiſmi, in quibus diſpenſandis Deus Eccleſiæ poteſtatem minimè contulit; alia, quæ nonnunquam maiori bono ſpirituali obeſſe, vel impedimento eſſe poſſunt, vt ſunt iuramentum, votum, ac ſimilia, in quibus vult datam Pontifici diſpenſandi facultatem exurgente maioris boni cauſa. Prima pars huius ſententiæ ita probatur, vt ex facto deducatur facultas præſtandi, atque ex ipſo actu potentia in hunc modum. Primo diſpenſat ſæpiſſime Pontifex in iuramentis, votis, matrimonio rato, non dum conſumato, in reſidentia Epiſcoporum, quæ eſt iuris diuini naturalis vt ſenſit *Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat.* ergo eſt Pontifici facultas in eo diſpenſandi: neque interpretatio dici hæc poterit, tum quia in multis caſibus datur hæc, vrgente obligatione, tum quia eadem conceditur formula, qua cæteræ concedi ſolent à Papa diſpenſationes, & in his, quo vſus eſt vocabulo, eodem etiam *Tridentinum* vtitur *ſeſſ. 6. cap. 2. de reformat.* agens de allegatione reſidendi Beneficiatorum ad reſidendum obligatorum. Idem argumentum de diſpenſatione in impedimentis, matrimonium irritantibus, iure naturali, fieri poteſt, nam in matrimonio inter fratres refert *Angelus verb. Papa, numero primo*, adde *Syluest. tum in verb. Papa num. 17.* fuiſſe diſpenſatum; in ſoluendis decimis etiam; quarum ſolutionem Iuriſtæ, & Canoniſtæ, diuini aſſerunt eſſe iuris: in exemptione Clerici à iuriſdictione ſeculari, nec non ſexcentis alijs caſibus, quos legere eſt apud *Felinum cap. vltimo de maior. & obed. num. 7.*

7 Secunda autem pars non argumentis modò ſuper allatis *num. 1. 2. & 3.* probatur; quia optimum Eccleſiæ regimen id iure ſuo expoſtulat, vt Epiſcopis ſit facultas in nonnulis diſpenſandi caſibus, ſoli Romano Pontifici reſeruatis, ex vrgenti nimirum cauſa, & vbi facilis non datur ad ipſum Pontificem aditus; igitur à pari ſummo Pontifici à Deo concedenda ſimilis erat poteſtas in nonnullis iuris diuini præceptis ex vrgenti neceſſitate, eò vel maximè quòd in eis nequaquam adiri Deus ad diſpenſationem obtinendam poteſt: quamobrem ſicut inferiores Prælati ex cauſa iam dicta diſpenſantes, ſuperiorum auctoritati minimè derogant, ita nec Pontifex diuinæ.

8 Cæterùm vel huius ſententiæ Auctores in aliquibus iuris diuini caſibus Summo Pontifici facultatem concedunt diſpenſandi, in reliquis negant: vel vniuerſalem, quam ei tribuunt diſpenſandi poteſtatem, nonnullis in caſibus executioni mandari aſſerunt à Pontifice, in quibus peropportuna cauſa ſeſe offert, neutiquam in alijs ſufficienti cauſa deſtitutis? Si eorum animus in primum inclinat ſenſum, gratis aſſertum id arbitror; nam cum Chriſtus Dominus *Matthæi 16.* vt *num. 3.* indicauimus, vniuerſalem tradiderit poteſtatem Petro, ſi eis verbis, quem vſurpant Aduerſarij, ſenſus eſſet, abſque fundamento diceremus hanc ab eodem Chriſto limitatam fuiſſe poteſtatem; quum omnia illa iuris ſint eiuſdem diuini abſoluti. Quòd ſi ſecundum amplectantur ſenſum hi Doctores, manum auctoribus primæ ſententiæ dediſſe profectò videntur; à quibus materialiter tantum diſcrepant, quòd illi in pluribus legibus diſpenſandi cauſas vrgentes contingere aiunt: hi negant in tantis; inter quas operoſum erit aſſignare diſcrimen, vt infra proſequemur.

9 Ad rem igitur propriùs accedentes cum omnibus harum opinionum Doctoribus in eo prorſus conuenimus, ſummo Pontifice Inferiorem, qui in iure naturali diſpenſare poſſit, eſſe neminem: vel quia ſpirituali omninò caret iuriſdictione, ad id pernceſſaria, vt ſunt Reges, Imperatores, & huiuſmodi cæteri Principes, vel quia licèt Eccleſiæ neceſſaria hæc eſſet poteſtas, cuius vſus rariſſimus, ac tanti ponderis eſt, non inferioribus Prelatis, ſed Epiſcoporum Epiſcopo, Romano Pontifici ſanè data foret.

10 Cum eiſdem etiam ſentimus Auctoribus, legem naturalem diuinam, neque irritari neque abrogari, neque ei derogari poſſe, quòd ex terminis harum vocum præcedenti capite à *num. 7.* ac deinceps explicatarum conſtat. Hinc meritò *Lactantius lib. 6. diuinar. inſtit. cap. 8.* ait. *Marcum Tullium Ciceronem* ſapientiſſima voce vim legis naturæ deſcripſiſſe his verbis, *in lib. 3. de Republica. Eſt vero lex recta ratio natura congruens*

gruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna; Huic legi nec prorogari fas eſt: nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt, nec verò aut per Senatum, aut per populum hac lege liberari poſſumus, cui ſubſcribunt Theologi apud *Soarium lib. 2. de leg. cap. 14. à num. 8. & cap. 15. num. 3. & 4.*

CAPVT III.

Aſſeritur vera ſententia.

SVMMA

Lex naturalis ſubrogationem poteſt ſubire num. 1.

In iure naturali directè ſummus Pontifex diſpenſare non poteſt. num. 2. & 3.

Nonnulla præcepta naturalia ſemper ſub omnibus obligant circumſtantijs, alia ſub nonnullis. num. 4.

Probatur diuinum ius non eſſe directè per ſummum Pontificem diſpenſabile. num. 5.

Monumenta fidei, religionis, nec non præcipua præcepta, quæ fundamentum ſunt Chriſtianæ ſtructuræ, immobilia debent eſſe. num. 6.

Naturalis lex diuina fœdus æternum à ſacris literis meritò dicitur. num. 7.

Inferior in lege ſuperioris immediatè diſpenſare non poteſt. num. 8.

Probatur concluſio quo ad ſingula. num. 9.

Præcepta naturalia ex diuina inſtitutione reſultantia, ſunt indiſpenſabilia. numero 10.

Vix datur ratio, cur in nonnullis poſsit iuris diuini naturalis abſoluti Pontifex diſpenſare; nequaquam in alijs. num. 11.

Lex naturalis propriè capax non eſt EpÿKia. num. 12.

Quomodo EpÿKia in depoſito non reſtituendo locum non habeat. num. 13.

Mors in propriam defenſionem, vel publica auctoritate illata, quin interueniat EpÿKia, licita eſt. num. 14.

Idem dicendum de iuramento nonnunquam non obligante, & de voto non melioris boni. num. 15.

Lex diuina, & gratiæ obnoxia non eſt EpÿKia. num. 16.

Papa nec formam, nec materiam poteſt mutare Sacramentorum. num. 17.

Papa non poteſt facere, vt ſanctè ſancta non tractentur. num. 18.

Secretum confeſsionis vel ab intrinſico ſubſequens, ad inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ, vel ſaltem vt ſpecialiter ei adiunctum EpÿKiam omninò reſpuit. nu. 19.

Refugit EpÿKiam Præceptum obicem non ponendi ſacramento. num. 20.

Lex naturalis diuina authenticè capax eſt interpretationis, ſummo etiam Pontifici reſeruata. num. 21.

Qua ratione authentica dicenda ſit Pontificis interpretatio, num. 22.

Cardinali legato mentem, legemque Pontificis interpretandi, vt Inferiori Superioris aliquando eſt facultas. num. 23.

Eſt in Eccleſia Poteſtas indirectè diſpenſandi in iure naturali diuino humanam ſupponente voluntatem. num. 24.

Eſt etiam Eccleſiæ poteſtas in eodem diſpenſandi humanam ſupponente voluntatem, contractum ineuntem. num. 25.

Eſt ſpiritualis hæc poteſtas ad ſolum ſpectans Chriſti Vicarium, non ad Principem ſecularem. num. 26.

Licèt in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi in votis, iuramentis, & alijs huiuſmodi erga Deum obligationem inducentibus, hæc tamen eſt indirectè iuris diuini diſpenſatiua. num. 27.

Hæc autem non eſt declaratiua tantum voti, vel iuramenti, num. 28.

Neque innititur conditioni, quà votum ſubditi vim habeat niſi à ſuperiore diſpenſetur. num. 29.

Neque eſt diſpenſatiua voti, cuius obligatio in particulari non ſit iuris diuini num. 30.

Neque eſt, quia ſolum tollit obligationem à voluntate tantum humana pendentem. numero. 31.

Facultas diſpenſandi in votis, & iuramentis vera, & tollit obligationem, & cedit iuri acquiſito Deo per illam, quo pacto indirectè in iure diuino diſpenſat. num. 32.

Ex his ruunt rationes in contrarium. numero 33.

Facultas cedendi iuri à Deo acquiſito per votum eſt in Eccleſia apud ſummum Pontificem. num. 34

Duplex ratio materiæ iuris diuini, num. 35.

1 PRima concluſio. Lex naturalis ſubrogationem ſubire poteſt. Probatur, quia tunc ſubrogatur vt *cap. 1. num. 10.* dictum eſt, cùm aliquid primæ legi adijcitur; ſed legem naturalem additionem accipere poſſe docet *Diuus Thomas. 1. 2. quæſt. 94. art. 5.* & probatur quòd multa præcepta non modò diuina, vt iudicialia, atque ceremonialia in veteri: ſacramentalia verò in nouo addita ſunt teſtamento; ſed etiam Pontificia, immò Imperatoria in ciuili, & canonico iure exarata, quæ quidem, vel vniuerſalem legem naturalem ad certas determinant perſonarum locorum, &c. circumſtantias, vel ad acqui-

acquirendas, conſeruandaſque virtutes tum naturales, tum ſupernaturales faciunt, vel ad finem aliquem bonum conſequendum, qua ratione, vt probè, poſt cæteros *Becanus tract.3.de leg cap.2.nu.3.* iure gentium inter mortales rerum diuiſio, proprietas, bella, captiuitates, ſeruitutes, varijque contractus, hiſque ſimilia inducta ſunt, tùm ad otium vitandum, tum ad iuſtitiam, & Reipublicæ pacem ſeruendam.

2 Secunda aſſertio contra primam opinionem. In omni iure naturali diuino directè diſpenſare Summus Pontifex non poteſt: eſt communis Theologorum ſententia, & quidem de lege naturali docetur à, *Diuo Thoma 1.2.quæſt.100.art.8. & quodlib.4.art.13. Alenſi 3.part. quæſt.27. membr. 4. Almayno de poteſt. Eccleſ.cap. 13. concl.1. Syluestro verb.Papa.16.& alijs,quos citant, ac ſequuntur Soarius lib.2.de legib.cap.14. num.5. Valentia tom.2. de legib. diſp.7. quæſt. 4. punt.6. Becano tract. de legib. cap.3. quæſt.3. neque negatur à Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.6. num.3. ſubſcribunt Canoniſtæ Turrecrem. in ſumma lib.3.cap.54.& 57. Nauarr. conſ.4. de deſponſ.in puber. num.16. Couarrub.in regula Peccatum part.2.§.11.à num.3. & lib.4. decretal.part.2.cap.6.§.9. num.3.* vbi reprehendit *Panormitanum in* Cap. *vltimum de conſtitut.* aſſerentem, poſſe ius naturale tolli.

In diuino vero iure nec Pontifici facultatem eſſe diſpenſandi, docent, *Diuus Thomas citatus art.8. ad 3. & quodlib.4. art.13. quodlib.9. art.15. necnon in 4.diſt.25. qu.3. art.3.ad.2.* vbi ſolum ea excipiens, quæ de apoſtolica ſunt inſtitutione, nec propriè diuina, regulam ſanè firmat in contrarium, quem ſectantur *Thomiſtæ citati à Soario de legib. lib.10. cap.6. nu.7. quibus alij ſubſcribunt Recentiores.*

3 De naturali probatur primo momentis, quæ indicantur 25.*qu.2.à cap.1.ac deinceps, & ſub initio diſt.1.* vbi dicitur, legem naturalem Euangelio contineri, quod abſque dubio immutabile eſt: deindè non poteſt Deus, iure ſaltem ordinario, diſpenſare in cunctis præceptis naturalibus; quod ſi in aliquo id præſtat per abſolutam potentiam, & dominium præſtat; ergo neque Pontifex. Conſequentia manifeſta eſt: antecedens nō modo de vniuerſaliſſimis principijs naturalibus patet, vt malum eſſe fugiendum, bonum amandum, de quibus non eſt; qui dubitet; verùm etiam de concluſionibus omnibus, illis principijs immediate coniunctis, vt ſunt præcepta decalogi ex communi Theologorum ſententia, paucis exceptis, quorum opinio merito falſitatis, & abſurditatis damnatur, vt videre eſt apud *Soarium lib. 2. de legib. cap. 15. num. 4.* Nec modo de cunctis præceptis ſimul ſumptis; verum de ſingulis docent *Diuus Thomas 1.2. q.100. art. 8. vbi Caietan. & alij Tomiſtæ Sotus lib.2 de iuſtit.q 3.art.8. & alij quos citant, ac ſequuntur Molina tom.6.tract.5.diſp.51.num. 6.* immo in nullis alijs propriè Deum diſpenſare docent. *Soarius lib.2.citato cap.15.num 26. Becanus tract.3. cap.3.num.5.* & hùc ſpectat Ciceronis auctoris etiam ethnici quam in calce ſuperioris capitis retulimus, ſententia. Tertio probatur concluſio diſpenſare in lege nihil eſt aliud, quam facultatem alicui facere, vt contra legem, alioquin omnibus vrgentibus circumſtantijs vigentem, atque obligantem agat: ſed Papa non poteſt alicui concedere, vt contra legem agat naturalem omnibus exiſtentibus circumſtantijs, ſub quibus illa viget, obligatq; quum, quicquid contra eam, vt ſic obligantem fieret, intrinſecè malum eſſet, neque per diſpenſationem indui bonitate poſſet, ergo &c. Etenim lex naturalis prima, & radicalis ipſamet eſt natura rationalis, vt talis, proxima vero, atque immediata naturale dictamen eſt inuariabile rationis; ergo quicquid eſt conſorme vtrique legi naturali, conſentaneum eſt naturæ rationali, & eius rationi: & è conuerſo, quicquid diſſonum eſt legi naturali, naturæ ipſi rationali, rectæque rationi difforme eſt; igitur ſicut Papa non poteſt rationalem immutare naturam, rectumque rationis dictamen, ita in lege naturali directè diſpenſare minime poteſt. Minor propoſitio huius argumenti eſt euidens: Maior patet ex his, quę diximus cap.1.num.13.& 14.diſcrimen indicantes inter diſpenſationem, atque interpretationem è communiori ſententia. Demū quia ſi Pontifici concederetur hæc facultas, non eſſet facile dictu, cur Imperatori, vel Regi, aut Summo Principi, in his quidem præceptis, quæ circa temporalia verſantur, & ad proximos referuntur, deneganda eſſet, quod maximum abſurdum eſt; ſequela vero patet, etenim Cæſar, Rex aut Summus Princeps vices Dei gerunt ex *Paulo ad Roman.13.* neque alijs, quam ipſis hæc facultas ante inſtitutionem pontificiæ poteſtatis, competere poterat; quæ quidem à Pontifice non impedita in præſentia perſeueraret. Hinc in *Clement. Paſtoralis de re iudic. in fine* hæc habentur. *Nec prædicta ſuppletio circa ſubditum ad ea potuiſſet de ratione referri, per quæ de crimine præſertim ſic graui delato defenſionis (quæ è iure prouenit naturali) facultas adimi valuiſſet; cum illa Imperatori tollere non licuerit, quæ iuris naturalis exiſtunt.*

4 Illud autem adnotaſſe operæ pretium eſſe iudicauerim, quædam naturalia præcepta

ſemper quibuſcumq; poſitis circumſtantijs deuincire; vt quæ mendacium, per iurium, Dei odium, idololatriam prohibent; alia verò non ſimpliciter obligare, ſed certis intercedentibus circumſtantijs, ſic præceptum, quo non licet interficere hominem priuata ſcilicet auctoritate, atque extra caſum neceſſariæ defenſionis. Demum alia ratione adiunctiualia demum ratione periculi, vt notat *Aegidius ConinK. diſp. 26. de matrim. dub 6 num. 16.*

5 De iure autem diuino probatur primò ex *cap. ſuper eo de vſur.* ibi *Reſpondemus, quod cum vſurarum crimen vtriuſque teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus.* Et quam uis vrgeret illo tunc cauſa, & quidem grauiſſima redemptionis vnius Captiui; nihilòminus tamen locum hand eſſe diſpenſationi deciditur, *quia cum ſcriptura ſacra probibeat pro alterius vita mentiri, multò magis probibendus eſt quis, nè etiam pro redimenda vita Captiui vſurarum crimine innoluatur.* hæc in textu, cui accedunt *Cap. ſunt quidam:* nec non duo ſequentia capita 25. *quæſt. 1. ex Vrbano Papa*, in quibus contra ſtatuta Pattum nihil poſſe concedi, vel mutati, etiam per Apoſtolicæ Sedis auctoritatem decernitur, quod de ſtatutis intelligendum eſt, ab Apoſtolis ex ore Chriſti deriuatis; idque meridiana reddit luce clarius *Leo Papa Can. ſicut. diſt. 14. ſicut quędam ſunt* (inquit) *quæ nulla poſſunt ratione conuelli, ita multa ſunt, quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum, oporteat temperari. Id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inueniatur aduerſum*, vbi Gloſſa ius naturale indiſpenſabile apertis verbis declarat eſſe, vt præcepta decalogi, & formam Baptiſmi. Qui omnes textus, & ſi clariſſimi ſint; primus tamen longe clarior Panormitanum ſupra citatum num. 3. adeo perſtringit, vt negare non audeat in huiuſmodi rebus illicitam eſſe diſpenſationem.

6 Probatur ſecundo rationibus, quas nobis præbent Sacri Canones, ex quibus vrgentem hunc in modum efformo ratiocinationem, rerum naturis conſentaneum maximè fore, negabit mihi nemo, vt quędam Chriſtianæ Reipublicæ eſſent pro fundamẽto, quæ ipſa firmitate firmiora eſſent, atque vnitatem inducerent immutabilem. At nulla arctior colligatio, chriſtianos omnes in vnum coniungens, inueniri poteſt, quam eadem habere monumenta, non modo fidei, verùm etiam religionis, externi cultus, atq; inſtitutionis: hanc autem qua quæſo ratione habere potuiſſet Eccleſia, ſi fidei, vel religionis, vel præcipua cultus, & inſtitutionis eccleſiaſticæ fundamenta labefactari, ac diſpenſatione concuti potuiſſent? etenim decurſu timporis ex varijs incidentibus caſibus tantam profectò hæc ſubijſſent mutationem, vt aliam, non hanc, quam modo habemus, meritò quis Remplublicam chriſtianam exiſtimaret, & , vt ad aliud dixerat *Hieronymus* propoſitum *Ingemiſcens Orbis terrarum Arianum ſe eſſe miratus eſt*, dicere quis poſſet.

7 Quamobrem naturalis, diuina lex à ſacris litteris ſapienter foedus dici ſolet ſempiternum *Iſaia 24. Terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerũt ius, diſſipauerunt foedus ſempiternum, propter hoc maledictio vorabit terram*; quem locum præcipuè de præceptis decalogi intelligendum docet *Diuus Thomas 1. 2. q. 100. art. 8.*

8 Tertio probatur concluſio Inferior in lege Superioris diſpenſare minimè poteſt, ni facta per eum facultate; ſed nòn modo conſentaneum rerum naturis, & Chriſtianæ Reipublicæ bono expediens non erat, vt paulò ante dicebam, hæc facultas Eccleſiæ communicata, verum, vt in lege veteri nulli facta legitur, ita neque in noua, vt ex ſolutione conſtabit argumentorum, ergo &c.

9 Probatur quarto de diuino præcepto fidei ad ſalutem neceſſariæ: hanc autem, vel quis poteſt habere explicitè, vel non? ſi primum, nón poteſt cum eo diſpenſari, nè actu eam habeat, quia Papa poteſtatem non habet mutandi media ad ſalutem neceſſaria, vt paruolus, verbi gratia, ſine baptiſmo ſaluetur; Quod ſi quis poterit fidem nõnullorum habere myſteriorum; non autem omnium, hic quidem vel non ſaluabitur, quia reliquorum veritas, quam ignorat, ob eandem indicatam rationem neceſſitatis ad ſalutem ſuppleri ab Eccleſia non valet: vel ſi ſaluabitur, non ob diſpenſationem ſaluabitur; ſed ob ſufficiẽtiã fidei habitę, quippequę per charitatem poterit ad amorem Dei ſuper omnia eliciendum ſufficienter concurrere. Hæc autem ratiocinatio adaptari facile poterit ſacramentis, quorum eſſentialia minime pendent ab Eccleſia, vt clarius ex ſolutione patebit argumẽtorũ, iuxta communem omnium Theologorum ſententiam; pendent enim illa omnia ex mera Chriſti inſtitutione; à qua ſi forte recederent, gratiam minime conferrent, quæ Chriſti inſtitutioni, & promiſſa, & ſanè colligata eſt; vt probè poſt multos *Suar. lib. 10. de legib. cap. 6. num. 13.* Chriſti autem inſtitutio per diſpẽſationẽ profectò rueret, ſi per eã aliquod ſignũ, opus, vel verba, præter Chriſti pręſcriptũ, vim habere cẽſerentur, & ſigni-

ſignificationem ſanctificandi. Poſſet etiam factus diſcurſus Eccleſiaſticæ Reipublicæ iuſtitutioni applicari; etenim chriſtianam Rẽpublicã cunctos ex ſe aptam eſſe amplecti mortales patet; cùm tamen eius aditus nemini pateat, niſi per ſanctiſſimæ Trinitatis fidẽ in Baptiſmo aliquo pacto profeſſam: cuius Princeps, & Caput vnus ſit Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius: cuius hierarchica ſit ratio, tum quo ad poteſtatem ordinis, tum iuriſdictionis; hiſque ſimilia firma adeo ſunt, atque ab omni mutabilitate immunia, vt quamcumque prorſus recuſent diſpenſationem, quod ex *num.* 38. ac deinceps infra magis conſtabit.

10 Quòd ſi in hiſce ad diuinam ſpectantibus inſtitutionem diſpenſationi locus non eſt, multò minus erit in præceptis, vel ex natura rei incluſis, vel ex illa iuſtitutione reſultantibus, quippequæ iuris ſunt naturalis, ſic, verbi gratia, ex inſtitutione ſacramentorum naſcitur obligatio ea obeundi, debita cum diſpoſitione, vt ſancta ſanctè tractenetur; & quamuis poſſet Eccleſia declarare, quænam hæc ſanctitas eſſe debeat, verum in ea abſolutè diſpenſare minimè poteſt.

11 Tertia concluſio contra tertiam ſententiam. Vix aſſignari poteſt ratio, cur Pontifex in aliquibus diſpenſare poſſit iuris naturalis diuini abſoluti, & non in alijs; etenim vbi per Aduerſarios lex naturalis diuina abſolutè à libero Principis arbitrio pendens poneretur, etiam ſi ex cauſa concederetur diſpenſationi obnoxia, nihil firmum, nihil ſanctum profectò eſſet inuenire; quum aliquã adornare cauſam legitimam diſpẽſandi in quaſi cunctis naturalibus, ac diuinis præceptis haud difficile cuipiam futurum eſſet; nam quid facilius, quàm deficiente aqua in aliquo caſu, vt ſaluti animam agentis paruuli conſuleretur, aſſerere. Pontificem diſpenſare poſſe, vt abſq; ea, ſola tantũ auguſtiſſimæ Trinitatis inuocatione, ille baptizaretur? quid probabilius videretur alteri, quã deficiente ſacerdote, affirmare ad ſpirituale periculum mox diem claudentis hominis auertendum, diſpenſationi locum eſſe, vt ad minimum Diaconus ſacramentum poſſet conferre pœnitentiæ, quo validè fieret ille ex attrito contritus, ac donaretur ſanctificante gratia? & ſicut in nonnullarum Nationum gratiam abſque vini cõſecratione aſſerunt Aduerſarij diſpenſatum eſſe aliquando, vt verum Euchariſtię ſacrificiũ offerreretur, ita pariter ſi alicubi triticum deſit (vt in multis Indiarum prouincijs deeſſe fertur) poſſet aſſeri à Pontifice concedi, vt ſine hoſtia triticea, ſed in pane hordeaceo, vel alia farina ſacrum fieret. Et nè diù in iure diuino veritis immorer; quid ad oſtentationem magis videretur plauſibile, quàm aſſerere, vt à Republica graue reijceretur damnum, aut Innocentis vitæ conſuleretur, poſſe Pontificem diſpenſare ad mendacium licitè proferendum, vel ad matrimonium conſumatum dirimendũ, ſigillum confeſſionis non ſeruandum, ac demum ad pluralitatem vxorum: quæ omnia vt catholicæ abhorrent aures, ita admittendum non eſt, Pontificem poſſe in ſimilibus rebus diſpenſare, in quibus eadem eſt ratio iuris naturalis diuini, & inter quas diſcrimen aſſignare, me iudice, à Cõtrarijs haud facile poterit. Auctore igitur *Victoria de poteſt. Papæ num. & prop.* 9 *& Corduba in ſuo quæſtion. lib.* 4. *quæſt.* 8. *column. antepenultima*, leges naturales diuinas omnes quotquot ſunt, quæ aliquo pacto humanum ſupponunt arbitrium, indiſpenſabiles eſſe, longè probabiliùs, ac tutiùs erit defendere. Et quamuis præuiderit Deus, fore vt varij occurrerent caſus, in quibus aliquo pacto conueniens videretur illarum legum diſpenſatio, quia tamen magis è Chriſtiana Republica eſt inuiolabilis earum obſeruatio, nè ſemel ſi diſpenſatum cum illis eſſet, obuius paſſim diſpenſationi daretur locus, Eccleſiæ ſuæ hanc meritò facultatem denegauit, magis abſque dubio expedire ratus ſimilibus diſpenſationibus, paſſim alioquin dandis, occludere viam, quam in nonnullis Eccleſiæ facere poteſtatem.

12 Quarta concluſio. Neque lex naturalis neque diuina abſolutè conſiderata propriè capax eſt EpijKiæ. Prima pars docetur à *Soario lib.* 2. *de legib. cap.* 16. *num.* 4. 7. *ac deinceps.* & probatur. EpijKia *vt cap.* 1. *num.* 14. *& num.* 15. adnotauimus, emendatio legis eſt ex æquitate; atqui naturalis lex prima quidem ipſa eſt natura rationalis, ſecunda verò, & à poſteriori cum in recta ratione ſtatuta ſit, corrigi non poſſunt, igitur lex naturalis capax non eſt EpijKiæ. Minor huius ratiocinationis propoſitio cõſtat ex *cap.* 1. *num.* 2. 3. *&* 4. Maior verò probatur, quia vel defectus ſupponeretur in lege corrigenda, vel in eius materia, iuſto ſcilicet, legali: non in lege, quia vel hac deficiente eſſe deſineret rationalis natura, vt talis; vel ratio non eſſet recta, non in iuſto legali, quod cum etiam naturale ſit ex conformitate cum natura rationali, vt tali, & cum recta ratione, eiſdem manentibus extremis, eandem ſemper ſeruabit conformitatem. Quòd ſi extrema mutarentur non ex EpijKia ceſſaret obligatio, ſed ex mutatione materiæ, & medij virtutis, vt exemplis infra reddetur clarius. Secundo quia dictamen rationis per ſe conſideratum, vt practicè verum, non fertur in indeterminatum, atque vniuerſale, in quo latere equiuocationes docuit *Philoſophus*

quodque varijs ſubeſt defectionibus, verùm ad inſtar notitiæ intuitiuæ (vt ita rem explicem) ſub his, ac illis circumſtantijs, ſub quibus & res, & materia, in quam fertur, expers eſt mutationis, alioquin neque per ſe verum neceſſariò eſſet, neque rectum, neque præceptum continens naturale.

13 Hoc autem præ oculis diſponunt varia, quæ ab auctoribus etiam contrariæ ſententiæ, referuntur exempla. Primum eſt depoſiti à Caietano allatum vtique contra iuſtitiam, vel caritatem, EpijKia ita dictante, minimè reſtituendi. Verùm enim verò cum depoſiti reſtitutio ſit conformis naturæ rationali, vt tali non abſolutè, ſed ſub nonnullis circumſtantijs, habenda eſt; & cum præceptum illud reſtituendi in recta ſitum ſit ratione; quæ nec abſolute, ſed certis iuſtitiæ & charitatis circumſtantijs ſeruatis præſcribat depoſitum eſſe ſeruandum, EpijKiam prorſus reſpuit, & potius declaratio erit illa, qua legis fines indicantur, quibus ille caſus non comprehendi dicitur, quam EpijKia, legem ex æquitate corrigens.

14 Secundum exemplum à Nauarro affertur de homicidio, quinto decalogi præcepto prohibito, quippe quod non comprehendi videtur ex EpijKia mortem, ſcilicet, publica auctoritate, vel ob propriam neceſſariam defenſionem illatam. Cæterùm hoc ſecundum exemplum eſt primò inſufficientius; etenim cum hoc homicidium diſſonum ſit rationali naturæ, quatenus obiectiuè iniuſtum, & cum illud præceptum in recta ratione fundetur, ex cuius dictamine robur habet, non prohibet in illis caſibus homicidium, quod aliàs eſſet iniuſtum, neque habet corrigi per EpijKiam, ſed pura petit interpretatione declarari.

15 Idem dicas de iuramento non obligante ad ſeruandum ſtatutum illicitum. De voto circa rem non melioris boni, de qua interpretatio tantum eſt neceſſaria, ſeu declaratio, vel materiæ mutatæ, vel intentionis vouentis, quæ, vt infra dicemus, in mutationem ipſiuſmet materiæ reincidit.

16 Ex his autem facili negotio ſecunda noſtræ concluſionis pars probatur, de lege diuina, & gratiæ; quæ quo ad affirmatiua præcepta EpijKiam non admittit, vt poſt antiquiores *Soarius lib. 10. de legib. cap. 6. num. 10.* Nam illa vel indefinita ſunt, ac doctrinali, ſeu prudentiali tantum, vt infra dicetur, indigent interpretatione; vel ſi aliquando circumſtantias præſcriberent, non correctionem, ſed expoſitionem expetunt ad ipſorum limites declarandos, & obligationem indicandam, quæ quidem ſi authenticè habeatur, ſupremi Paſtoris eſt, eorumque, qui ab eo facultatem acceperint, vt ſequens mox docebit concluſio. Quo ad inſtitutionẽ verò Eccleſiaſticam immediatè ab ipſo Chriſto Domino factam etiam probatur, quia in hiſce ab inſtitutione eſſentialiter habentibus ſignificationem, efficaciam, vel alicuius virtutis deriuationem, aut illationem locum non habet ampliatio, vel reſtrictio per EpijKiam; quoniam horum eſſentia ſita eſt quaſi in diuiſibili determinatione talium verborum, ordinem ad talem circumſcriptam materiam referentium.

17. Hinc cum verba conſecrationis calicis talia ſint, vt vinum indicent in ſanguinem Chriſti tranſubſtantiandum, neque alius poterit liquor per diſpenſationem ſubrogari, neque talem materiam poterit vel Papa per EpijKiam mutare; neque hic, & nunc ex æquitate talem corrigere formam, vel aliam adhibere conſecrationis materiam. Et hoc idem à fortiori probat de naturalibus præceptis ex natura rei incluſis, vel deriuatis ex harum inſtitutione rerum, in quæ non cadit EpijKia.

18 Nam eſto quænam ſit, verbi gratia, diſpoſitio ad ſanctè tractanda ſacramenta poſſit ab Eccleſia declarari; per EpijKiam tamen minimè poterit huiuſmodi lex corrigi, vel declarari, quaſi vim non habens obligationis inducendæ ſufficientis diſpoſitionis, ſine qua ſanctè ſancta minimè tractarentur. Quamobrem vel huiuſmodi ſunt præcepta poſitiua, quæ tantum interpretatione indigent circa tempus, in quo propriè EpijKia non verſatur; vel nonnulla ſunt negatiua ſubſequentia ad affirmatiua, aut cum eis intimè coniuncta, ex poſitiua inſtitutione alicuius ſacramẽti, ſacrificij, vel muneris ſacri, quæ horum affirmatiuorum naturam ſequantur.

19. Sic videtur eſſe prohibitio Confeſſorum, nè vlla de cauſa ſecretum frangant confeſſionis; quod quamcumque reſpuit interpretationem EpijKiæ, ſiue tanquam intrinſecè Sacramenti pœnitentiæ ſubſequens inſtitutionem intelligatur, quod ſatis probabile iudicat *Soarius tom. 4. in 3. part. diſp. 33. ſect. 1.* ſiue vt ſpecialiter ei adiunctum iudicetur. Et ſanè ſi ſemel in hiſce admitteretur correctio EpijKiæ; vel ſimilis interpretatio, pullularent profectò cauſæ, ratione etiam communis boni apparentes, quibus EpijKia ad hoc ſecretum labefactandum, vt & ad ſimilia concedenda paſſim videretur probabilis: quod falſum omninò eſſe quis non videt?

20 Sic etiam EpijKiam reſpuit obligatio, ex præcepto manans non ponendi obicem ſacramento, cuius oppoſitum nunquam poterit eſſe licitum.

21 Quinta concluſio. Lex naturalis diuina

capax

capax eſt interpretationis authenticæ, ſoli etiam Summo Pontifici propria. Prima pars probatur, quo ad legem naturalem ſiue ſecundum ſe, ſiue per legem poſitiuam, expreſſam; & ratio deſumitur tum ex ipſiuſmet legis tum ex materiæ natura, circa quam verſatur; & quidem cum ſingula naturalia præcepta nec æquè cognitu facilia, nec æquè cognita, aut expedita ſint, doctrinalem expoſtulant interpretationem: eorum verò materia, quum actus humani ſint, quorum bonitas, vel malitia ex varijs pendit circumſtantijs, interpretationem non reſpuit, vt clarius ſaltem agnoſcatur; hæc autem explicatio, tametſi nonnunquam comparata cum mente legiſlatoris, EpijKia dici poſſit, quando nimirum naturale præceptum per legem exponitur poſitiuam, in qua EpijKia humani mens Legilatoris declaratur, & ex æquitate corrigitur; nihilominus tamen reſpectu legis naturalis, non EpijKia, ſed explicatio pura eſt mutationis nempè iam factæ in materia.

22 Secunda pars ſubindicata videtur *à Soar. tum 2. lib. de legib. cap. 16. num. 7. tum lib. 10. cap. 6. in fine, tum 2. tom. de relig. lib. 6. de vot. cap. 9. num. 12. tum tom. 3. in 3. part. diſp. 43. ſect. 4. §. tertia ſententia*; & quamuis me non fugiat, authẽticam interpretationem eam in rigore dici, quæ legis habeat auctoritatem, eundemque petens Auctorem, qui legis conditor fuit, vel eo ſuperior, quod inſinuatur *leg. vltima C. de legib.* cum omnem legis interpretationem ab Imperatore datam *ratam, & indubitatam* habendam eſſe, ex ea doceatur ratione; *quia ſi leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, etiam leges interpretari, ſolo dignum Imperio eſſe oportet*; atque apertè traditur *Cap. Inter Corporalia de ſent. excomm. vt vnde ius prodijt, interpretatio quoque procedat*, & meritò, cùm non mera iuris declaratio hæc ſanè ſit, ſed aliquam etiam innoluens ſæpe mutationem additione, vel diminutione, vt colligitur *ex Cap. primo de iuram. calumn. & Cap. vltimo de cleric. coniug. in 6.* Verùm enim verò Pontificiam auctoritatem in pura declaratione, vel iuris naturalis diuini, dictis non obſtantibus, interpretatione maximi momenti eſſe, ac aliquo pacto authenticam dici poſſe non ambigo.

23 Quòd ſi legato Cardinali facultas eſt legem, mentemque Pontificis nonnunquam interpretandi; vt habetur *Cap. primo de poſtul. prælat. adiuncta Gloſſ. verb. Interpretationis*; & ſaltem, vbi verba legis, conſtitutionis &c. huiuſmodi, valde obſcura non ſunt, id licet inferiori, vt docet *Gloſſ. verb. Iudicari Cap. Cum veniſſent de iudic.* ſic poterit Pontifici auctoritas eſſe interpretãdi iua naturale diuinum; etenim cum Eccleſiæ ſuæ non defuerit Deus in neceſſarijs, hãc Pontifici Maximo dediſſe facultatem rationi conſentaneum profectò erat; & ſicut Prælatis inferioribus facultatem commiſſam eſſe conſtat in pontificijs diſpenſandi legibus, vbi neceſſitas aut difficultas aditum ad ipſum interdicat Pontificem ex communi Doctorum ſententia, quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 8 de matrim. diſp. 6. num. 5.* & nos ſuo loco infra, *Deo* dante, dicemus; ſic Pontifex hanc interpretandi authenticam habere facultatem cenſendus eſſet, quæ nec ſuper indicata inducit abſurda, neque derogat auctoritati, diuinæque iuriſdictioni; quum ea tacita atque iure optimo, præſumpta Dei commiſſione Pontifici data ſit, multoſque ſcrupulos, ac perplexitates ad bonum, ac ſuaue chriſtianæ reipublicæ regimen aufert, de qua nonnulli ex contrarijs Doctoribus accuratè ſi legantur, dum Papæ veram interpretandi poteſtatem in iure naturali diuino, vel EpijKiam concedunt, loqui ſine dubio videntur. Authenticam autem hanc interpretandi iuris diuini facultatem in Pontifice adſtruunt Auctores pro ſecunda ſententia *num. 19.* citati, quibus ſubſcribit *Sanchez libro quarto oper. moral. capite 37.* qui authenticam, quam enodauimus interpretationem, actum eſſe iuriſdictionis *numer. 2.* docet.

24 Sexta concluſio. Eſt in Eccleſia poteſtas, aliqualiter indirectè diſpenſandi in iure naturali diuino humanam ſupponente voluntatem *num. 7.* declarato. Hæc aſſertio communis eſt omnium, quos ſupra pro ſecunda, & tertia opinione citauimus, Auctorum; qui quidem in hac adſtruenda conueniunt, cuius prima pars negatiua, nempe non directè diſpenſandi poteſtatem eſſe in Eccleſia ex aſſertis iam concluſionibus conſtat. Secunda verò licèt aliquam præſeferre difficultatem videatur, quia illius eſt perſonæ, cui promiſſa res eſt, obligationem ex promiſſione alterius ortam remittere: & ſic ſolius intererit Dei, obligationem, verbi gratia, voti relaxare, cui è religioſa fidelitate tenemur; nihilò tamen minus, ſub quibus aſſerta eſt terminis, certa omnino habenda eſt, atque in vniuerſum probatur, quia diſpenſatio hæc potius eſt facti, quàm iuris, vt bene notat *Soar. de legib. libr. 2. cap. 14. num. 11. ad finem*, cùm materiam variari non ſit contra legem naturalem diuinam, neque ſit ſupra poteſtatem Pontificis Max. à qua Chriſtianorum voluntas pendet. Probatur etiã ſpeciatim in votis, iuramentis, ſimilibuſq; obligationibus, debitiſque cum Deo contractis, circa quæ noſtra videtur aſſertio tanquam de fide tenenda, vt poſt multos

docuit *Leonard. Leſius lib. 2. de vot. cap. 40. dub. 17. nu. 114.* & patet ex *2. ad Chorint. 2. Nam, & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti*, Ex quibus Apoſtoli verbis debitum pœnæ contractum illis chriſtianis condonaſſe conſtat; quod per indulgentias nunc in Eccleſia à Summo Pontifice fit. Ex hac autem Pauli ſententia merito Doctores cum *Sācto Thoma 2. 2. q. 88. art. 12.* colligunt poteſtatem diſpenſandi in votis iuramentis, ac reliquis huiuſmodi obligationibus. Deinde vniuerſalis ſenſus Dominicæ ſententię *Matth. 16. Quodcumque ſolueris ſuper terram, &c.* minimè denegandus eſt, qui vt ſic hanc etiam comprehendit facultatem diſpenſandi; neq; aſſignari ratio facile poterit, cur data ſit poteſtas Eccleſiæ à vinculo culpæ, & pœnæ abſoluēdi, ſecus vero à vinculo voti, atq; iuramenti; cum ad bonum Reipublicæ Chriſtianæ regimen vtraque neceſſaria videatur, & quidem facultas hæc in votis, & iuramentis diſpenſandis antiquo, frequentique Eccleſiæ vſu ita firmata eſt, vt dubium prorſus excludat; alioquin intolerabilis eſſet error Eccleſiæ in re ad mores maxime neceſſaria, quod nefas eſt dicere. Demum vt argumentatur Diuus Thomas citatus votum inſtar humanę legis ſe habet, quam, Deo acceptante, quis ſibi imponit; ergo ſicut ablata aliqua humana lege ab habente facultatem, ceſſat naturalis, diuinaque obligatio eam ſeruandi, ſic etiam ablato voto, quod quidem, cum ex humana deliberatione, omnia non valente perpendere, naſcatur, non expedire aliquādo, vel quia maius impedit bonum, vel quia aliquod inducit malum vtique vitandum, comperitur. Qua vero ratione id fiat in votis præſertim emiſſis, hoc opus, hic labor eſt; ſequenti tamen numero prò viribus declarabitur.

25 Septima cōcluſio. Eſt in Eccleſia poteſtas apud Papam indirectè diſpenſandi in iure naturali diuino humanam ſupponente voluntatem contractum ineuntem; ex qua obligatio reſultat inter homines. Eſt communis hæc aſſertio Doctorum pro tribus ſententijs relatis præcedenti capite, & quamuis contracta ad matrimonium ratum negetur à multis optimæ notæ doctoribus *Soto in 4. diſt. 31. qu. 1. verſ. Tertio modo dici poteſt Almaino de poteſt. eccleſ. cap. 15. Paludano in 4. diſt. 27. q. 1. art. 2. num. 14. & qu. 3. art. 3. num. 22. & 25. Soto ibidem q. 1. art. 4. verſ. id tamen nihil, & lib. 7. de iuſtit. qu. 2. art. 5. verſ. licet propria*, nec diſcrepat Diuus *Bonauentura in 4. diſt. 27. art. 3. q. 2.* cum dicat quandam habere indiſſolubilitatem matrimonium ratū, vt non niſi morte, vel Religionis ingreſſu ſolui poſſit. Cęterum etiam hac pacto noſtra conclusio accepta, probabilior aſſeritur à *Gloſſ. Cap. Ex publico de conuerſ. coniug.* vbi *Goffredus, Alan., & Vincentius, Innocentius, & alij in finem ab Hoſtienſi, ibi verbo. Conſumatum relati, Io. Andreas num. 9. Antonius num. 16. Cardinalis num. 2. q. 1. Abbas in fine, & Cap. Ex parte il 2. eodem titulo num. 3. Baldus l. Deo nobis, in principio num. 7. C. de Epiſcopis, & clericis, & l. 1. num. 7. C. de ſponſalib. & alibi.* Conſtat etiam ex Theologis *Diuo Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 2. num. 2. § 3. Caietano opuſculor. tom. 1. tract. 28. de matrim. q. vnica. Bellarmino lib. 2. de monachis cap. 38. § Altera ſolutio, iuncto § Ad tertium dico, Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 11. & lib. 12. cap. 5. num. 7. Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 14. num. 2.* Ratio eſt quia Summus poteſt Pontifex fundamentum humani contractus dextruere, nec modo contractum nullum reddere antequam fiat per impoſitionem dirimentis impedimenti, vel inhabilitando perſonas ad contractum, vt potuit, ac præſtitit Tridentinum in matrimonio clandeſtino; de quo probè *Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 4.* verum etiam poſtquam initum eſt, indirectè tamen; quoniam tollit obligationem, quæ fundamentum eſt, & materia, circa quam naturale diuinum verſatur ius, dictans eam eſſe ſeruandam, quam homo actu humano ſibi impoſuit, vt optimè *Diuus Thomas 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2.* & hoc eſt diſpenſare in illo contractu directè, indirectè vero in iure naturali diuino ex illo reſultante: etenim non remouet tunc auctoritas pontificia obligationem diuinæ legis, naturalis, manentibus omnibus conditionibus, quibus ſe obligat (quod eſſet in lege naturali diuina propriè, ac directè diſpenſare) ſed humanæ legis, vel contractus, remouet obligationem, qua ſublata, naturalis diuina lex non obligat; cuius obligationem cum propriè nō remoueat Papa, quod deſideraretur ad diſpenſationem, in ea directè non diſpenſat.

26 Poteſtas autem hæc ad matrimonium ratum diſpenſandum ſoli Summo Pontifici facta eſt à Deo; & eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis in Eccleſia, in qua inſolubilitas rati matrimonij iuris eſt naturalis diuini, ſaltem poſt inſtitutionem ipſam diuinam, vt colligunt communiter Doctores ex *Cap. Vnico de vot. in 6. Trident. ſeſſ. 24. de matrim.* docetque expreſsè *Diuus Thomas in 4. diſt. 33. q. 2. art. 2. in corpore, Lyranus in Matth. 19. paulò poſt principium, Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. verſ. Vnde ipſum, Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 18. num. 2. & Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 13. num. 7.* Et quamuis me non lateat, ex ſe non eſſe ſupra poteſtatem Principis ſæcularis, quoſdam irritare contractus, immo & ad contractum matrimonij, dirimens aliquod in-

inducere impedimentum; vt ex multis probat citatus *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 3. num. 2.* at in confeſſo eſt omnes apud catholicos, huius poteſtatis vſum Chriſtianis Principibus merito prohibitum eſſe, ex eleuatione, qua hic ſpecialis contractus ad fundamẽtum Sacramenti ſuperioris ordinis relatus eſt. Quamobrem in Pontifice tum ad huius diſpenſationem ratione materiæ, tum ad reliquas ratione muneris, atque vniuerſalis poteſtatis, quæ illi eſt in chriſtianos, ſpiritualis, & ſupernaturalis aſſerenda eſt huiuſmodi facultas diſpenſandi. Illud autem haud inficior, potiori ratione, hanc poteſtatem ad contractus purè humanos diſpẽſandos extenſam, dicendam eſſe iuris merè naturalis, quam alteram præcedenti concluſione aſſertam; ita vt, ſecluſa ſpeciali inſtitutione Chriſti, fuiſſet etiam tempore legis naturalis, immo in ſolo dictamine ipſius naturæ, cui Deus, vt eiuſdem auctor nõ defuiſſet in neceſſarijs: quare ſtando in pura natura in Republica humana eſſe poſſet hęc facultas, alicui magiſtratui concedenda; cũ itaque non inuoluat de facto poteſtas diſpenſandi in huiuſmodi contractibus pure naturalibus condonationem iuris, quod aliquo pacto Deo ſit acquiſitum, vt ſequenti dicemus aſſertione, maiori tum fundamento aſſerenda, ex iure naturæ, humanæ Reipublicæ competere, cui actus humani ſubiacent, atque impediri ex iuſta cauſa facile poſſunt, quo ad obligationem præſertim ciuilem contrahendam, vel contractam, vt probè notat, *Sanchez in oper. moral. lib. 4. c. 24. num. 44.* hinc indirecta huiuſmodi diſpenſatio impropria merito dicitur à *Valentia tom. 2. de legib. diſp. 7. punt. 6. §. quod ſi quis.* neque in Summo Pontifice repugnat

27 Vltima concluſio. Licet in Eccleſia ſit poteſtas in uotis, iuramentis atque alijs, à quibus promiſſionibus obligatio erga Deum oritur: aliquo pacto, diſpenſandi s, vt communis fert ſententia, à qua temerarium adminimum eſſet diſcedere, nihilo tamen minus hæc poteſtas eſt diſpenſandi indirectè in iure naturali diuino ex illis reſultante. Primum huius concluſionis membrum noſtri non eſt inſtituti, ſed ſapienter demonſtratur, præ cæteris à *Diuo Thoma 2. 2. qu. 88. & in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 4.* tum etiam à *Canoniſtis in cap. Non eſt deuot. & cap. Propoſuit de conceſſ. præbend.* Secundum quamuis à fere omnibus etiam aſſeratur, vulgarẽ tamen auctoribus non ingerit difficultatem eius aſſignandi rationem.

28 Etenim primus modus docens facultatẽ potius in Eccleſia eſſe declarandi votum nullum, obligationemque ceſſaſſe, cui videtur fauere *Sanctus Thomas 2. 2. qu. 88. art. 10.* *tum in corpore, tum in ſolutione ad 2.* & ſubſcribunt *Abulenſ. in cap. 30. Numeror. q. 102. & 103. Caietan. in ſumma verb. Votum cap. de diſpenſat. vbi. verſu rationabilis autem.* Addo *Gloſ. clarius id docentem cap. Non eſt verb. Auctoritates de voc.* & ibi quam plures Canoniſtas citatos à *Sanchez lib. 4. oper. mor. c. 37. nu. 4. in fine.* Et Præterquam quòd contra communem eſſe ſententiam à citato *Sanchez* demonſtratum eſt, illud in eum afferre habeo. Hanc facultatem in Eccleſia præcipuè deduci ex verbis *Matthæi 16. Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cęlis,* vbi auctore *Diuo Thoma*, *in Commentarys* error maxime fugiendus indicatur, nè ligare, vel ſoluere idem eſſe iudicetur, ac homines aut iam à Deo ligatos, aut iam ſolutos declarare; ſicut in veteri lege Sacerdotes neque inducebant lepram, neque curabant, ſed vel verè iam leproſos, vel verè à lepra curatos declarabant; qui quidem error eſt grauiſſimus, quoad facultatem ſoluendi à peccatis, & Caluiniſtis maximè cordi eſt: & quoad facultatem ſoluendi ab huiuſmodi vinculis, nè ſit erronea hæc opinio, defendenda prò viribus eſt à ſuis Auctoribus; reijcitur tamen efficaciter ex ipſa loquendi ratione, qua vſus eſt Chriſtus, qui quidem non dixit, quodcumque ſolutum erit in cœlis, ſoluas, Petre, ſuper terram; ſed è contra *Quæcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in coelis.*

Hinc quod multis abs re inuoluit *Fagun. de primo Eccleſiæ præcepto lib. 3. cap. 5.* erit facile reijcere, qui quidem quum *à num. 6.* Papæ facultatem conceſſiſſet propriè diſpenſandi in iure Diuino: quam ſententiam *num. 7.* in fine communiorem eſſe, neſcio quo fundamento ſcribit, demum *nu. 8.* addit, Pontificem tantum declarare Ius diuinum, conſecrandi, verb. grat, vtramque ſpeciem hic, & nunc, vel non obligare, quòd firmius eſt ius aliud diuinum inductum per cauſas vrgentes ad non conſecrandum in vtraque ſpecie. Verùm enim vero hoc non eſſe diſpenſare, neque obligationem tollere, ſed ſublatam iam declarare, & conſequẽter non eſſe facultatem diſpenſandi, ſed declarandi, quis eſt, qui non videat?

29 Secundus hanc difficultatem explicandi modus eſt *Riccardi in 4. diſt. 38. art. 9. qu. 1. ad 1. Goffredi 1. part. deciſion. lib. 8. cap. 31. n. 18.* conditionem in quouis voto agnoſcẽtium, ſub qua valorem illud dicunt habiturum, niſi Prælatus, vel Superior ex iuſta diſpenſauerit cauſa. Cæterum petunt hi auctores principium; nam idcirco votum eam dicũt inuoluere conditionem, quia ſubditus poteſtati, quam habet Superior, diſpenſandi derogare nequit, quod quidem ſub lite, ac

quęſtione eſt. Præterea ratio hæc declarandi diſpenſatiuam facultatem, & falſa, & minimè vniuerſalis eſt: falſa cum ex illa ſequeretur, poſſe quoduis votum à Superiore ſine cauſa validè etiam remitti, tanquam ab habente dominatiuam poteſtatem, quod abſurdum eſſe, non eſt, qui neget. Neque eſt vniuerſalis, nam Papa, cui potiori nomine facultas hæc eſſe deberet, ſecularium vota, in quus dominatiua caret poteſtate, irritare minimè poſſet, vt probè è communi Doctorum ſententia tradunt *Vaſquez 1. part. diſp. 165. cap 4. nu. 30. Soarius lib. 6 de vot. cap 2. num. 3. Sanchez lib. 4. oper. moral. c. 24. num 13*

30 Tertiùs modus Couarrubiæ *cap. 2. in fine de teſtam.* & aliorum negantium iuris eſſe diuini naturalis obligationem huius voti, in particulari, quamuis voti quidem in cõmuni ſit, improbabilis eſt, etenim aut de ratione communis voti eſt obligationem inducere iuris naturalis diuini, & negare id huic voto in particulari contra infallibilem eſſet Dialecticorum regulam, penes quam prædicatum aſſertum de omni in propoſitione vniuerſali, minimè poteſt ſingulari non conuenire, in propoſitione illi vniuerſali ſubalterna; nam ſi omnis homo eſt animal, hæc etiam propoſitio erit vera, Petrus eſt animal. Quod ſi obligationem induci per iuris diuini votum ab inferioribus abſtractum tãtum contendant hi Auctores aſſerere, peccant etiam in Dialecticam; cum prædicatum neceſſario competens vniuerſali rationi, ſingulis etiam competat peculiaribus; rationabilitas enim homini competens etiam ab indiuiduis abſtracto, non poteſt ſingulis ſub homine contentis non conuenire; immo nulli voto competeret id, ſi ſingularibus ſingularum perſonarum non cõueniret, quippeque illa emittunt, ſeruarique tenentur vota.

31 *Quartus Caietani modus in 2. 2. q. 88. art. 12. colum. ante penultima Abulenſ. Victor. & aliorum, quos citat Sanchez lib. 4. oper. mor. cap. 37. num. 10. aſſerentium*, duo ad voti valorem concurrere: alterum tanquam fundamentum, quod eſt humana voluntas: alterum tãquam ius diuinum naturale pręſcribens votum eſſe ſeruãdum; diſpenſationem autem circa primum verſari, atque obligationem, voluntate humana contractam, tollere, qua ſublata, ius naturale diuinum non obligat; quemadmodum abrogata lege humana, ius diuinum ad eam ſeruandam non cogit. Verum hic modus non eſt alijs ſufficientior. Primo quia obligatio reſultans ex voto à ſola humana voluntate non pendet, ſed à diuina; nam vt cõtractus, eſt vltro, citroque obligatio, quemadmodum definitur *leg. labeo 5. ſeu de verb. ſignif.* ideſt (vt aliàs interpretati ſumus) mutuus conſenſus, externè ſufficienter declaratus, obligationem inducens: & vt obligatio etiam promiſſionis inter homines, à ſolo non pendet promittente, verùm à promiſſario etiam; ſic obligatiò voti non à ſolo homine per votum promittente, ſed etiam à Deo pendet acceptante, cui quæſitum eſt ius per hanc acceptationem, ergo quamuis poſſit homo alteri ſuperior, illius actui derogare, non tamen poterit iuri à Deo acquiſito, cui ſtandum eſſe lex naturalis diuina præcipit. Secundo vt humanus contractus, quem ſuper expoſui, diſſoluatur, vel opus eſt vt duæ à quibus initus eſt, voluntates conſentiant, vel vt poteſtas vtrique voluntati ſuperior illum diſſoluat: atqui obligatio voti ex humana promittente, ac diuina voluntate acceptante manat; ergo tolli nequit à ſola humana voluntate diſpenſante, diuina etiam inferiore.

32 Quintus cæteris ſupra relatis probabilior eſt, cui ſubſcribimus. Ratio autem tradita eſt à *Vazquez 2. 2. diſp. 178. num. 12. Soar. tom. 2. de relig. tract. de vot. lib. 6. cap. 9. num. 11. ac de legib. lib. 2. cap. 14. num. 11. Leonardo Leſſio de iuſtit. & iur. lib. 2. cap. 14. dub. 12. num. 99.* cum quibus diſtinguo tria in voto, Primum actum humanum, quo vouetur: Secundum actum diuinum, quo acceptatur; Tertium obligationem ex eis reſultantem. Præterea huic obligationi ex voto mananti reſpondet, ius quod acquiſitum eſt Deo per tale votum & quidem diuinum, quoniam à Deo quæſitum, ſicut ius dicitur regium, quod per promiſſionem Regi factam, & à Rege acceptatam oritur; quod ſanè diſtinguitur à lege, & iure naturali diuino dictante, ac præcipiente, votum ſeruandum eſſe; cùm illud prius ius pro obiecto ſumatur iuſtitiæ, quod vnicuique eſt ſeruandum, & conſiſtit in quadam vi, & facultate, aut actione, ſeu dominio, quod cuique eſt in rem ſuam, diuidique ſolet in re, & ad rem de quibus probè *Briſonius, ac alij lib. 9. de verb. ſig. verb. Ius, nec non Theologi de iuſt. & iur. quibuscum nos lib. 5* agemus & in ſacris literis ſub hoc ſenſu ſæpe vſurpatur, ſic Iacob vbi à ſocero diſceſſit, quæ ſui iuris erant tuliſſe dicitur, *Geneſis 31. 23. Date mihi ius ſepulcri, inquit Abraham.* Hoc autem alterum accipitur pro lege pręcipiente penes ſenſum paragraphorum ſingulorum *Inſtit. de rer. diuiſ. & leg. Ius naturale ff. de legib.* His prænotatis, aio, in Eccleſia poteſtatem eſſe tollendi obligationem, quam paulò ante declaraui, per facultatem eidem à Deo factam; qui quidem, vt Rex ſolet Proregi poteſtatem facere, poteſt etiam ſimilem poteſtatem Eccleſiæ concedere

cedere remittendæ ,promiſſionis eis factæ; qua remiſſa non ampliùs lex naturalis diuina obligat eum,qui votum emiſit, illi ſtare, quod quidem abrogata ipſius obligatione , per ceſſionem iuris Deo antea quæſiti haud vltra viget,per hanc itaque facultatem licet in iure diuino naturali directè non diſpenſetur,diſpenſatur tamen indirectè,eo pacto , quo homo diſpenſator etiam miſteriorum Dei dicitur *ab Apoſtolo* 1. *ad Corinth.* 4. & ſicut in Eccleſia facultas eſt relaxandi vincula peccatorum,ſic à fortiori erit hæc , de qua loquimur , ad vincula ſoluenda votorum,atque iuramentorum ; quæ tamen tametſi immediata dici diſpenſatio minimè poſſit; rectè tamen, mediante remiſſione facta ex parte materiæ , circa quam lex naturalis diuina verſabatur: & ſicut ablata obligatione deriuata ex promiſſione inter homines acceptata, non obligat ius naturale illam ſeruandi : ſic facta mutatione , in materia non obligat ius diuinum naturale , in quo directè,ac propriè non diſpenſatur , ſed indirectè materiam auferendo .

33 Ex his, quas affert *Sanchez libro quarto cap. 37. num* 13. in contrarium rationes ferè nullius eſſe roboris facilè eſt videre ; cum ad quæſtionem de nomine ſpectent, neque ſacri Canones , neque Pontifices hanc diſpenſandi facultatem aſſerentes,in alio ſenſu explicant; cum vera hæc à nobis expoſita poſſit diſpenſatio dici,hoc eſt ,remotio obligationis voti , quamuis minimè ſit diſpenſatio in iure naturali diuino illius præcipiente obſeruantiam.

34 Reliqui verò nobis illud eſt , vt vnde conſtet hanc facultatem à Chriſto in Eccleſia ſuo Vicario datam eſſe,declaremus; quum eidem negauerimus in iure diuino diſpenſandi factam fuiſſe poteſtatem . Verùm enim verò cum hæc voti diſpenſatio non ſit iuris,ac legis diuinæ naturalis , ſed potius materiæ mox explicandæ, quæ quidem lex ſolum dictat,votum eſſe ſeruandum , nec voluntatem humanam ſemel voto ligatam poſſe prò arbitratu mutari:nec præcipit , facta remiſſione iuris Deo acquiſiti per Chriſti Vicarium, votum permanere in ſuo robore;neque voluntatem humanam perſeuerare adhuc deuinctam , abrogata obligatione , quam contraxit à voluntate ſuperiore , eſt ſanè ſpecialis ratio,cur aſſeratur hæc poteſtas eſſe in ſummo Pontifice , cui tamen negatur altera in iure naturali diuino diſpenſandi ob rationes ſupra factas , quæ in hanc non militant. Et præterea , quia lex præceptiua diuina infallibiles continet regulas,& principia bene operandi , quæ neceſſariam inuoluunt veritatem , & immutabilitatem ; at verò ius acquiſitum Deo materia tantum eſt legis præceptiuæ,ſita in tali conditione rerum creatarum,quæ multas ſane ſubeunt varietates,ſuntque mutabilitati in varijs circumſtantijs patentes . Quamobrem meritò hanc dicimus illa vniuerſali facultate comprehendi , quæ hiſce exprimitur verbis . *Quodcunque ligaueris , &c. & Quodcunque ſolueris,&c.* Secus aliam .

35 His addo, nonnullam eſſe iuris naturalis diuini materiam ſitam in rebus,quæ vel omninò bonæ intrinſecè ſunt , vt ſanctitas neceſſaria in ſanctis tractandis : vel intrinſecè malæ,vt odium Dei,libido contra naturam , mendacium,& ſimilia: aliæ materia quidem ſunt iuris diuini ; verùm non adeò abſolutè bonæ,vel malæ,quia ſæpe licitè , vel illicitè fieri poſſunt,ratione alicuius adiuncti . Prima materia non modo à ſummo Pontifice, ſed neque à Deo licitè poteſt , vel illicitè fieri : alia verò ſecundi generis , & à Deo poteſt , & à Papa , facta per eum facultate tollendi , aut ponendi illud adiunctum : vt in re noſtra cedendi iuri Deo acquiſito , & obligationi humanę per votum contractæ . Poteſt etiam Papa non quidem in iure diuino , neque in eius materia primi generis diſpenſare,ſed in adiuncto , obligationis,ſcilicet,humanæ , & iuris Deo acquiſiti , ac proinde in votis directè ; indirectè ; verò in iure, fauet huic ratiocinationi *Aegidius Coninch. diſp. 26. de matrimon. dub.2. num.*16.

CAPVT IV.

Contraria ſoluuntur argumenta.

SVMMA

*Iure naturæ cuncta fuere communia , non poſitiuè ſed negatiuè . num.*1.

*Natura homini dedit libertatem : non tamen prohibuit,nè priuari poſſet. num.*2.

*Quo ſenſu ſeruitutem aſſerant Iuriſperiti eſſe contra legem naturalem, num.*3.

*Ius naturæ non præcipit,vt matrimonium ſine tot teſtibus valeat , ſed negatiuè ſe habet , neque additionem reſpuit, num.*4.

*Nullus alienum , vt alienum retinere poteſt, à Principe tamen fieri poteſt , nè illud ſit alienum, ſed præſcriptione cenſeatur proprium, num.*5.

Retentio rei,& ſublatio phyſicè conſiderata , ex adiuncto tantùm eſt contra ius naturæ , num 6.

Quomodo Deus non potens in iure diuino diſpenſare,potuit tamen mortem filij Abrahæ ſpolia-

ſpoliationem Aegyptiorum, ac ſimilia Iudæis præcipere, num 7.

Non eſt contra ius naturæ gladium furioſo; aut domino depoſitum irrationabiliter petenti denegare, num.8.

Facultas directè diſpenſandi in iure naturali diuino haud expediens fuit Eccleſiæ, numer.9.

Ex vniuerſali facultate à Chriſto conceſſa Petro, Quicquid ligaueris ſuper terram, &c. & quicquid ſolueris ſuper terram, &c. *minimè deducitur facultas directè diſpenſandi in iure naturali diuino, numero 10.*

Quo ſenſu inter fauorabilia numerata ſit diſpenſandi facultas, num.11.

Reſidentia Epiſcopi eſt de iure humano, in quo diſpenſatur. num.12.

Satis dubia res eſt, Pontificem diſpenſaſſe in altera vnius ſpeciei conſecratione. numero 13.

Nulla intercedit diſpenſatio, dum ordinantur Sacerdotes, & ſingulis conſecrantibus, vnus conſumit ſacrificium. num.14.

Quomodo ſine diſpenſatione in iure diuino, poſſet Confirmationis Sacramentum miniſtrare ſimplex ſacerdos. num.12.

Viatici præceptum in limine vitæ non ſemper obligat. num.16.

Nunquam in matrimonio iure naturali prohibito à ſummo Pontifice videtur diſpenſatum. num.17

Diſpenſatio de non ſoluendis decimis fuit in iure humano, non diuino. num.18.

Poteſt Pontifex, ac reliqui Prælati, ſacros iuxta Canones, in Clericos brachio vti ſeculari. num.19.

Reſpondetur rationi Sanchez. num.20.

1 SVpereſt, vt argumentis relatarum opinionum *cap.1.* quatenus noſtris obſtant aſſertionibus, ſatisfaciamus.

Primò igitur reſpondeo, cuncta per ius naturale fuiſſe communia, non quidem poſitiuè, quaſi naturale ius præſcripſerit rerum omnium communitatem, ac prohibuerit diuiſionem, & proprietatem, quiquid in contrarium dixerint *Sotus in 4. diſt. 15. quæſt.2.art.1.& ibidem Gabriel quæſt. 1. in principio* ſed negatiuè, quia nihil ab initio ſtatutum eſt, nec quicquam proprium cuique aſſignatum, ſed omnia omnibus communia erant; poſtea tamen ex vrgentibus rationibus, iure gentium, factum eſt, vt ſua quiſque propria poſſideret, & cum antea nullum eſſet præceptum naturalis legis de rerum communitate, vel proprietate, iure gentium ſtatutum eſt, vt reiecta communitate, ſinguli proprijs potirentur: ex quo nullam ſubijt mutationem naturalis lex, vt docet *Diuus Thomas 1.2.quæſt.94. art. 5. ad 3.* ſed aliquid additum eſt per ius gentium iuri naturali, quod nos ſuperiori capite *num. 10.* ex eodem ſancto Doctore docuimus.

2 Ad ſecundum exemplum, quamuis natura libertatem homini dederit; abſolutè tamen non prohibuit, nè ea priuari poſſet immò cum ſuæ quiſque ſit Dominus libertatis, illam vẽdere, vel à ſe abdicare; atque à Republica altiori, qua illa pollet in eum poteſtate, vt abſolutè vita, ita & libertate priuari poteſt. Demum de iure naturali eſt, vt omnes libertate fruantur, nulla tamen intercedente culpa, vel aliorum iniuria, quibus interuenientibus libertas, ſeruitute inducta, tolli poteſt. Ratio autem eſt, quia ius naturale, vt iuſto me bello, ſeu velitatione defendam, permittit, hoſtemque interficiam per inculpatam tutelam; ergo ſi naturali iuri hoſtem in hoc euentu vita ſpoliare, cur & in ſeruitutem redactum libertate non licebit nudare, mortemque cum ſeruitute mutare? quod ſanè euenit iure gentium, vt ipſum ſerui nomen indicat, ſeruus enim dictus eſt à ſeruando quempiam, morti cætera dicatum *ex ff. de ſtatu homin.leg.4. & Inſtit.de iur. perſonar.ibi; Serui autem ex eo appellati ſunt, quod Imperatores, captiuos vendere, & per hos ſeruare, nec occidere ſolent.*

3 Hinc patet, quo ſenſu Iuris conſulti ſeruitutem eſſe contra ius naturale, ac de iure gentium dicant, vt habetur *Inſtituta à Contrarijs citata*; id enim aſſerunt non abſolutè, cum quis vel ex ſe abdicare ſemper libertate potuiſſet, vel ex altiori poteſtate Reipublicæ, vt pauló ante dicebam, priuari; ſed id aiunt, ſpectata prima rerum inſtitutione; ante quàm bella inter populos orirentur, quando ab alio particulari inuitus quis illa ſpoliari minimè poterat; ſecus verò poſtquam per illatas iniurias licuit ſe tutari, hoſtique vitam, nè dum libertatem abripere modis licitis, vt ſuo loco.

4 Ad tertium exemplum dico, ius naturale non præcipere, vt matrimonium tot ſine teſtibus valeat, ſed merè negatiuè in his ſe habere; quo vſque igitur ius poſitiuum eos non poſtulauit teſtes, matrimonium abſque illis profectò validum erat; vbi verò præcepit certum teſtium numerum, non contra ius naturale id præſtitit, ſed aliquid ei addidit, quod minimè repugnare *ſuperiori cap. num.1.* tradidimus, Hæc autem ſolutio momento contrario de teſtamentis etiam quadrat.

5 Tertio autem exemplo à contrarijs allato reſpondemus, adhuc iuris eſſe naturalis, nè quis retineat alienum inuito Domino, cui quidem iuri minimè derogat præſcriptionis

lex,

lex,quæ non concedit facultatem , alienum inuito domino retinendi,perſiſtens alienum; quod vtique eſſet contra ius naturale , ſed ſolum efficit , vt quod erât alienum tale deinceps minimè ſit,ſed proprium , qua mutata materia , quid ni ceſſet obligatio naturalis iuris ; vt *præcedenti capite,concluſioone* 7. *num.* 25.aſſertum eſt ; quum enim Principes iure naturali , poteſtatem habeant priuandi ſubditos proprijs bonis,vt rei , & bono publico conſulant , iuſtè ſtatuere ſanè poterunt,vt qui bona fide rem alienam certo quodam tempore poſſediſſet, ad varias reſecandas lites , & iuſtam in negligentes pœnam ſtatuendam ; dominium in eam, quo negligens priuaretur , ſibi merito compararet.

6 Hinc huiuſcemodi res non rigoroſi naturalis diuini iuris indiſpenſabilis eſſe meritò dicuntur,quòd ſecundum phyſicam earum ſpeciem iuri non ita repugnent naturæ, quin ſæpè licitè fieri poſſent ; quamuis illi repugnent iuri,ratione adiuncti : ſic furtum,eſt quidem contra ius naturæ , quia continet iniuriam contra Dominum rei ; à quo tamen ſi fiat alteri facultas, eam ſibi vẽdicandi,ſubreptionis actio,quæ cum furtiua eadem erat phyſicè,moraliter tamen diſtincta,bona in præſentia erit ; ſic etiam à pari retentio rei alienæ,quæ nulla facta per Principem mutatione,iniuſta eſſet,ex adiuncto , quod eſſet aliena : facta ſanè,ob bonum publicum,quam diximus,mutatione diuturnitati temporis accomodata , licèt phyſicè ſit eadem,moraliter tamen eſt diſtincta , ac licita.

7 Ex his vlterius patet,qua ratione , tametſi abſolutè verum ſit Theologorum axioma, cuius ſuperiori capite meminimus, Deum nempe nunquam poſſe in iure naturæ diſpenſare , ipſe tamen potuerit præcipere Abrahæ,vt filium interficeret: aut Iſraelitis, vt bonis nudarent Aegyptios, aut eiſdemmet permittere,vt Chananæis fœnerarentur; quia nimirum vitæ, bonorumque noſtrorum ſupremus eſt Dominus (quorum nos vſuarij propriè ſumus, neque aliùm vſum habemus,quàm ab illo conceſſum) poteſt nobis etiam inuitis,vel per ſe,vel per alios ad libitum,& vitam,& bona tollere, nec non cuicunque,quam libuerit , in ea concedere poteſtatem,non ſecus ac Petrus,ex gratia , mihi poſſet dare veniam , vt prò arbitratu ſuos mihi poſſem ſumere equos,boues, armenta, eaque in priuatum occidere vſum ; quod, quin contra ius naturæ facerem , præſtare poſſem.

8 Demum nunquam iuris fuit naturalis furioſo gladium reſtituere,neque depoſitum Domino irrationabiliter petenti denegare.

9 Secundum argumentum *num.* 2.*primi cap*. allatum penultimæ , atque vltimæ noſtris concluſionibus fauere dicimus, neque contra cæteras eſſe;& ratio primùm deſumenda eſt,quòd in his,quæ à conſenſu humano aliqua ratione pendent,frequens cum futura fuiſſet,atque vrgens diſpenſandi neceſſitas, diuinæ conſentaneum fuit prouidentiæ, vt Eccleſiæ huiuſmodi facultas tribueretur: deinde ex natura materiæ talis obligationis,quæ quidem ex ſe maximè mutabilis eſt, tum ex variatione circumſtantiarum,tum ex imprudenti modo tendendi , quo ſæpe humana voluntas in aliqnod fertur ; ac verò in alijs iuris naturæ omninò independentibus ab humana voluntate non erat facultas diſpenſandi directè , ac propriè, expediens,vel neceſſaria ob ea,quæ *cap.*2.*à num.* 8.*ac deinceps* diximus.

10 Ad tertium reſpondeo ex illa vniuerſali ſententia Chriſti Domini, facultatem directè diſpenſandi in iure diuino non deduci , tum quia ſub generali conceſſione,quæ ſpecialem difficultatem ,diuerſamque ab alijs: ſub ea contentis , rationem habent, venire minimè ſolent ; quippequæ indigent ſpeciali conceſſione,vt probè notauit *Diuus Thomas* 12.*queſt*.67.*art*.4. *ad* 3. *Quæ ſunt à Deo, nullus poteſt diſpenſare , niſi Deus , vel is,cui ipſe ſpecialiter committeret* : tum quia ſi ſub vniuerſaliori ſignificatione illa Domini ſententia excipienda ſit,vniuerſalem dicenda eſſet tribuere facultatem Papæ diſpenſandi in omni diuino iure; quod ſanè , vt exploſum *cap*.3.*num*.2. reiecimus : cum quia poteſtas hæc in iure diuino diſpenſandi , in deſtructionem potiùs , quàm in ædificationem data quidem eſſet,contra 2. *ad Corinth*. 13. ob rationes,quas ſuperiori capite *num*. 11. retulimus:neque Petro, eiuſq; ſucceſſoribus Chriſti vicem gerentibus , aliud vt facerent, per hanc ſententiam conceſſum eſt, quam quod ipſe Chriſtus, apud mortales ſi degeret,facturus eſſet, vt probè *Maldonatus* in hunc locum; Chriſtum autem ob rationes, quas modò laudaui,fundamenta ſuæ Reipublicæ,atque Eccleſiæ inconcuſſa,firma,& immobilia fore tunc voliturum , quis ibit inficias? tum quia Pontifices Maximi , quorum eſt,verum ſenſum è ſcripturis deducere,quemadmodum conſtat ex ſuper allatis *cap*. 3. *num*.23. & 22. in iure diuino diſpenſare omninò renuunt.

11 Nec me fugit diſpenſandi facultatem inter fauorabilia numerari , lateque interpretandam eſſe,quando nulli fit præiudicium per diſpenſationem,præter quàm ſoli concedenti,neque odium intercedit tertij,vt communis fert Doctorum ſententia ; cæterum ſicut aliqui caſus exprimuntur in conceſ-

ſione

ſione facultatis ſpeciale mandatum petentes; poſt quos clauſula ſubiungitur generalis,& tunc ad ſimiles,& aliquando ad maiores in fauorabilibus hęc clauſula exendenda eſt,ex *Cap. Qui ad agendum de procur. in 6.* ſic è contra, quando dicti non exprimerentur caſus. Quamobrem non eſt, cur in nos hæc regula producatur; quum ob rationes allatas,neque par ſit de alijs ratio, ac de diſpenſatione in iure naturali diuino,quę longè ſanè maiores difficultates, immò & impoſſibilitates inuoluit; neque aliud *Bartolus* docuit, vt ex ſolutione ſequentis argumenti conſtabit. Ad confirmationem aio,ex ſuperioris argumenti ſolutione liquidò patere, non expediſſe hanc facultatem à Chriſto Domino Eccleſiæ committi, cui quædam ſtabilia debent eſſe fundamenta,ob rationes ſupra ſæpius indicatas. Diſpenſatio autem in votis,iuramentis,matrimonio rato,atque alijs huiuſmodi,non eſt in iure diuino directè;ſed in eorum materia, vt *num.* 17. docuimus. Adde votum ſolemne religionis,à iure humano habere ſpecialem firmitatem.

12 Diſpenſatio autem in Reſidentia Epiſcopi,licèt proprium ſibi vendicatura ſit locum infra, nunc breuiter concedenda non eſt de iure diuino,ſed de humano,nam tametſi indiſſolubilitas radicalis ad iuriſdictionem pariter aliquo pacto radicalem ſubſequens cum aliqua Eccleſia vagè,ſit iuris diuini, vt *lib.1.diſp.1.cap.4.num.* 12.*&* 14.demonſtrauimus; actualis tamen connexio cum hac certa Eccleſia huius Epiſcopi, canonici, atque humani eſt iuris ad inſtar Matrimonij rati vinculum, immo poteſt à Pontifice facilius diſpenſari, vt loco citato diximus *nu.* 11. iuxta noſtram tertiam præſentis capitis concluſionem,quod vberius infra ſuo loco, Deo dante,proſequemur. His addo ad vberiorem doctrinam, tametſi daremus, iuris eſſe diuini reſidentiam Epiſcoporum, in eo tamen negamus directè Papam diſpenſare, ſed ſolum indirectè,ac mediatè, mutando materiam,quatenus ex conſenſu, atque humana pendentem voluntate,cuius mutatione facta naturale,diuinumque præceptum per ſe ceſſat; etenim reſidendi obligatio non reſultat,niſi ex fœdere, ac pacto inter Epiſcopum,& talem Eccleſiam, vt *lib.1.diſput.1.cap.4.num.*15.docuimus, quod quidem cùm humana voluntate contrahatur, ex hac parte mutabile cenſendum eſt, per ſuperiorem voluntatem Pontificis, vt *citato* probauimus *loco num.* 18. cui ſanè ſubordinatur Epiſcopus,vt ſupremo Paſtori, ſuperiorem, atque excellentiorem in illa eadem Eccleſia, poteſtatem habenti; quippequi quando in tali diſpenſat reſidentia,decernit, qua ratione pro tali tempore illi conſulendum ſit Eccleſiæ,cuius onus, vt probè *Soarius lib.2.de leg.cap.*14. *num.* 22. in ſe ſuſcipit, à quo liberat Epiſcopum non per diſpenſationem in præcepto naturali diuino; ſed quia non aliàs Epiſcopus pactum, ac fœdus cum ſua Eccleſia inijt, quam dependenter à Papa, neque aliam ſtabilitatem illud fœdus habet, quæ ſolui non poſſit à Summo Pontifice vt *à num.* 15. *ac deinceps* loco citato ſepe diximus.

13 Ad quartum, ex actu formali alicuius facultatis rectè facultatem ipſam deduci libenter, concedimus: dixi ex actu formali; nam variata formalitate poteſt idemmet actus materialis promanare, qui quidem non ab ea facultate,ſed ab alia pendebit; ſi enim Pontifex diſpenſans in Epiſcopi reſidentia eam iuris eſſe humani putaret, hìc diſpenſationis actus facultatem,ac poteſtatem in iure humano, non autem in iure diuino argueret,neque ab eo ad hanc ductum (vt patet) firmum valeret argumentum: vt autem ad primum exemplum proximius accedamus,primò dicimus, hiſtoriam illam ſatis ſuperque eſſe incertam, cuius dubiæ fidei coniecturas eruditè perpendit *Soarius tom.3.in 3.part.diſp.* 43. *dict.*3. Deinde aio, quamplures non deeſſe Doctores vtriuſque conſecrationem ſpeciei, iuris tantum eſſe humani docentes *Maior in* 4. *diſt.* 93. *ad* 5. *Gabriel in canone miſſæ lib.*13. *dub.*3. *Adrian. in* 4. *quæſt.*6. *de Euchar.* alijque, quos Recentiores citant,hac de re agentes,in quorum quidem ſententia ruere Aduerſariorum argumentum per ſe patet,& ei ſi Innocentius ab extrinſeco ſubſcripſiſſet,ac diſpenſationem illam dediſſet, ex eius actu, vtpote diſtincto formaliter,facultatem diſpenſandi in iure diuino,vt paulò ante dicebam, rectè non colligeretur: ſic in ſimili *Sanchez reſpondet lib.*8.*de matrim.diſp.*6.*num.* 10. ſi forte fortuna nonnunquam legeretur à Papa diſpenſatum fuiſſe in impedimẽto in primo gradu tranſuerſali,inter fratrem,& ſororem. Tertio aſſero non deeſſe probabilitatis gradum,ab extrinſeco ſaltem contrariæ opinioni,ex tot,quot *cap.*2.*num.*4. laudauimus Auctoribus,aſſerentibus poſſe Papam in iure aliquo diuino, ex magna, atque vrgentiſſima cauſa diſpenſare,cui adhærens Pontifex potuiſſet id præſtare. Quarto dici poſſet, non diſpenſaſſe, neque diſpenſare potuiſſe Pontificem in iure diuino duarum ſpecierum conſecrandarum, ſed illud tantum interpretatum fuiſſe, & quidem authenticè, vt poſſe docuimus *cap.*3.*num.*21. quod ſuppoſita talis ſacrificij, ac ſacramenti inſtitutione,dictamen naturale videtur etiam eſſe, dictans offerendum eſſe Deo integrum,per-

fectum;

ſectũmque ſacrificium, & hoc, quod dixi, præceptum affirmatiuum, & expreſſiuum iuris naturalis diuini ſacrificandi ſub duabus ſpeciebus, ſemper non obligat, atque interpretationem ſubire poteſt; quando laboraret, verb. grat. aliqua regio inopia vini, vt à pari affirmatiuum præceptum viatici ad finem vitæ non obligare dicitur, quando copia non eſſet Sacramenti, vt communis fert opinio; in eo autem caſu in regione illa ceſſaret obligatio non ſacrificandi potiùs, quàm in vna tantùm ſpecie rem ſacram faciendi; cum non eſſet defectus ille eſſentialis, ſed integralis, & vnius conſecratio ſine alterius conſecratione ſpeciei ſit valida, Deoque grata dici poſſet, quippequi omnibus conſulere, atque ad hoc iuge omnes vocare conuiuium probabilius eſt voluiſſe. Et hanc rem valde dubiam, & contra vniuerſalem Eccleſiæ morem ad minimum, ſolius Pontificis eſſe, & non alterius, deducimus, ex ea, quam tradidimus, doctrina *numer. 21. citato.*

14 Aliud exemplum de conſumatione ſacrificij, & communione in vtraque ſpecie nullam habet difficultatis anſam; nam qui ordinantur Sacerdotes, omnes vnum integrant principium productiuum, & cum ſinguli ſufficerent ex ſe, ſatis eſt, vt ſub vtraque ſpecie à miniſtro legitimo in vna tamen perſona Sacramentum ſumatur.

15 Tertium exemplum infrà ſuo loco perpendemus; in præſentia verò nihil definiendo, reſpondemus ius diuinum non modò Epiſcopum determinaſſe tanquam ordinarium confirmationis miniſtrum, ſed vt hæc eadem poteſtas Presbytero poſſet delegari, vbi ex cauſa id expedire Papa iudicauerit; qui non diſpenſat, ſed hic, & nunc, ſecundum hanc ſententiam arbitratur expedire, vt Sacerdos ex delegatione tali fungatur officio.

16 Sic pariter faciendum eſt ſatis quarto exẽplo, cùm in his, ac illis circumſtantijs obligatio ceſſet ſumendi viaticum Corporis Chriſti, & obligatio miniſtrandi, quod vtraque ex affirmatiuo præcepto ortum ducat, quippequod, vt paulò ante dicebam, non ſemper obligat.

Secundæ ſententiæ noſtro modo ſubſcripſimus *cap. 3.*

17 Tertia opinio ex parte noſtræ contraria non eſt doctrinæ, quatenus autem diſpenſatum ait fuiſſe in matrimonio iure naturali prohibito, atque in impedimento per illud dirimente, vt inter fratrem, & ſororem negamus id factum aliquando fuiſſe cum eodem *Sanchez pro hac eadem opinione ibi cap. 1. citato, & Soarez lib. 2. de legib. num. 23.* quod ſi in gratiam Aduerſariorum id præſtitum concederemus factum profectò fuiſſe aſſerimus, ex opinione docente illud impedimentum iuris non eſſe naturalis, ex quo diſpenſationis actu facultas in iure diuino diſpenſandi, vt ſæpe diximus, colligi nequaquam poteſt.

18 Ad exemplum de decimis, aſſerere habeo minimè derogatam eſſe per eam diſpenſationem iuri naturali, ſed humanæ determinationi; nam eſto ſubſtentatio Eccleſiaſticorum iuris ſit naturalis diuini, modus tamen, ac diſtributio talis oneris inter ſingulos fideles, humani eſt prorſus iuris, in quo ſolùm ſit mutatio, vt doctè *Soarius tract. 2. de relig. lib. 1. cap. 14.*

19 Ad vltimum de immunitate Eccleſiaſtica aio, non eſſe iuris naturalis, ita Clericos eſſe immunes, vt à Summo Pontifice, cæteriſque Prælatis, vt per ſacros Canones, licet, tradi non poſſint brachio ſeculari, quod vt Miniſter ſe habet Pontificiæ poteſtatis. Ex his autem hiſce ſimilia ſolui facilè poterunt exempla.

20 Fundamento Sanchez reſpondendum eſt *cap. 3. aſſert. 2. & 3. num. 11. & 12.* vbi rationem contrariam aſſeruimus, qua demonſtratum eſt rationi conſentaneum fuiſſe, vt multa firma, ac mutabilitati minimè ſubiecta ad bonum eſſent Eccleſiæ catholicæ, cui minimè conſuleretur denegatione facultatis diſpenſandi in his, quæ ſunt iuris humani, quæ quidem hic, & nunc non expediret eſſe ab alijs Prælatis diſpenſabilia; neque ab hac facultate iuris humani diſpenſandi, ad ius diuinum nos gradum facimus, ſed ſemper in eodem verſamur iure. Adde ſufficientem à *Sanchez* regulam non eſſe aſſignatam, neque vrgentiorem rationem, cur in nonnullis, & non in alijs iuris diuini poſſit à Pontifice diſpenſari, vt *num. 12. cap. 3.* indicauimus.

Præcepta etiam poſitiua legis gratiæ pauciſſima ſunt, ac per ſe affirmatiua, quæ ex eodem iure diuino certi non habent temporis determinationem; quapropter ad occurrendum caſibus paſſim obuijs data eſt Eccleſiæ poteſtas interpretandi, non doctrinaliter modo, verùm etiam authenticè ad clauem ſcientiæ ſpectans, iuxta ea, quæ *num. 21.* tradidimus.

DISPVTATIO II.

De legitimis Epiſcopi Natalibus.

Videbitur fortaſſe cuipiam, quam propoſuimus, quæſtio noſtri propria non eſſe inſtituti, ad cenſuræ Eccleſiaſticæ, vel ordinis potiùs Sacramenti Tractatum ſpectans; nihilominus tamen, & quòd altiùs repetenda eſt nobis doctrina, atque è ſuo fonte prò viribus deriuanda, & quòd, vt mox dicturi ſumus, ex illegitimis natalibus peculiaris nota Epiſcopo inuritur, quæ noua delenda eſt diſpenſatione: & quòd legitimationem per ſubſequens matrimonium, ad Epiſcopatum ſufficere multi in dubium reuocant, quas ſolent Auctores tum locis citatis, tum hic agitare, difficultates expendemus.

CAPVT PRIMVM.

Illegitimi reijciuntur ab Epiſcopali dignitate.

SVMMA.

Varia illegitimorum ſpecies, num. 1.
Qui ſunt Naturales, num. 2.
Qui ſunt Nothi, num. 3.
Qui Manſeres, num. 4.
Qui Spurij, num. 5.
Epiſcopus legitimis ortus natalibus eſſe debet, num. 6.
Arcentur illegitimi à ſtatu religioſo, num. 7.
Remouentur ab hereditaria ſucceſſione, numero 8.
Repelluntur à Regnorum ſucceſſione, num. 9.
Scelus illegitimorum varijs legitimis mortem inferentium, num. 10.
Ab hac regula excipiuntur nonnulli, numero 11.
Nobiles non ſunt, num. 12.
Rationes, quibus infamia probatur illegitimorum, num. 13. & 14.
Ob defectũ natalibus Diſpenſatus ad ordines, beneficia, ac dignitatem Epiſcopali minorem, non cenſetur eſſe diſpenſatus ad Epiſcopatum, num. 15.
Diſpenſatus ad Minores Ordines non habetur diſpenſatus ad beneficium ſimplex, & diſpenſatus ad curatum, num. 16.
Diſpenſatio, vel legitimatio eò difficilior eſt, quo ex turpiori congreſſu natus eſt filius, num. 17.
Arctiore tenentur irregularitate filij Presbyterorum, num. 18.
Illegitimus non eſt, qui ex legitimo matrimonio natus, cuius Pater poſtea fit Epiſcopus, cui tamen non poſſet immediatè ſuccedere in Epiſcopatu, num. 19.
Illegitimus non eligendus, ſed poſtulandus eſt; ſecus ſi ſiat, electio eſt nulla, & electores ipſo facto priuantur beneficijs, ni probent ignoranter feciſſe, num. 20.
Allegantis ignorantiam incumbit probare. num. 21.

Qui-

Quinam ſit canonicè illegitimus. num.22.
Eſt irregularis canonice illegitimus ſaltem ad ſpiritualia num.12.
Hæc irregularitas ad filios extenditur religioſorum, & presbyterorum. num.24.
Proles nata ex deuinctis voto ſimplici caſtitatis non eſt illegitima, num.25.
Quid de filio nato à Patre ligato voto caſtitatis ſimplicis, emiſſi in Societate Ieſu, num.26.
Eſt legitima proles habita per copulam ſacrilegam, inter eos, qui antea contraxerant matrimonium, quando autem eam habuere, voto erant ligati caſtitatis, non ſolemni Religionis, num.27.
Religioſus legitimatus officium Vicarij exercere non poteſt, num.28.

1 QVamuis monſtruoſæ fœtus adulterini ſpecies, omni iure infames haud viderentur diuidendæ; quia tamen ex maiori ſingularum turpitudine, maior oritur diſpenſandi, vel legitimandi difficultas, eas, omiſſa ſignificationum varietate, quæ ad faſtidium apud Auctores reperitur, vt ad noſtrum inſtitutum aptiores, ſic potius enumero, quàm diuido. Illegitimorum igitur fœtuum, alios naturales dixerim: ſpurios alios: Naturalium verò alij ſunt nothi, ſecus alij.

2 Naturalis eſt, qui tametſi non adoptione, ſed natura, & ſanguine tuus eſt, at verò ex non tua illum habuiſti, quæ tamen ſoluta cùm fuerit, poterat à te in vxorem duci. Sic apud Iuriſconſultos frequenter venit hoc nomen, & videre eſt apud *Canon. libr. 2. cap. 16.* Præterea Naturalis, prout à Notho diſtinguitur, à concubina natus eſt, domi retenta immo & vnica, ex *Authentica, Quibus modis Naturales efficiuntur ſui, §. Si quis autem defectus coll.7.* & ex multis textibus, quos eruditè refert *Abbas in cap. Per venerabilem, Qui filij ſunt legitimi, num.31.* Nothus autem nomen eſt græcum, quo defectu latini vocabuli vtimur, vt *Cato apud Marcum Fabium Inſtit. libr. 1.* ſcribit, vel ex concubina; quum à Iuſtiniano etiam dica-
3 tur Nothus, qui ex Ancilla ſuſceptus eſt, vt explicat *Ferrandus libr. 2. in conſtit. quibus modis Naturales efficiuntur ſui cap. 33.* vel ex muliere vulgati corporis, ita vt cum extra domum, & fit, & pariat, proles certò non dicatur talis hominis, ni ab eo, & cognoſcatur, & probetur, vt legere eſt apud *Abbatem in cap. Per venerabilem modo citatum num. 1. Couarrub. 2. part. 4. cap. 8. §. 4.* quamuis inficias non eam, aliquando ſub latiori vocabulo Nothum dici filium quemcumque ex illegitimo concubitu habitum.
4 Ex his autem Nothis, qui ex vulgatiſſimi corporis fœmina, ſcorto ſcilicet ſuſcipitur filius Manſer dicitur, barbarum vtiq; nomen, vt notat *Connan. libr. 2. cap. 16 num. 2.* docet *Gloſ. cap. Niſi quum pridem verb. Manſer de renunc. & auctore Hoſtienſi Manſer, quaſi vulgò quæſitus* dicitur.

5 Spurius etſi latiore ſub ſignificatione quouis incerto patre natos comprehendat, *§. ſi aduerſus in fine Inſtit. de nupt. leg. 25 ff. de captiu. leg. 5. C. ſoluto matrimonio leg. 29. §. 1. ff. de inoffic. teſtam. leg. 4. ff. vnde cognati leg. 6. ff. de decurionib. vt rectè Caius lib. 1. Inſtit. tit. 4. Vlpian. in Inſtit. tit. 4.* Nihilominus tamen ſub ea vſu venit acceptione hoc nomen, vt natum ſignificet, etiam ex certo Patre, qui tamen iuſtè, ac legitimè talis eſſe non poterat, quo pacto ciuili etiam iure, & prohibetur eius generatio, & ſpecialiter punitur. Quamobrem tres veluti ſpecies horum ſpuriorum aſſignari facilè poterunt: Adulterinorum prima: Inceſtuoſorum ſecunda: Tertia Sacrilegorum. Et quidem primo vel ex Coniugato, & ſoluta, vel ex Coniugata, & ſoluto, vel ex vtriſque parentibus coniugatis comprehendit natos. Secunda ex patribus impedimentum habentibus conſanguinitatis & affinitatis natos amplectitur, qui prò varietate graduum huius impedimenti diſtinctionem ipſi etiam ſortiuntur. Tertia ad filios ſe extendit è patribus; quorum alteruter, vel vterque voto eſt irretitus caſtitatis.

6 His prænotatis ſit prima concluſio. Epiſcopus ortus legitimis natalibus eſſe debet. Habetur hæc concluſio in proprijs terminis *cap. Cum in cunctis de elect. cap. Vt innotuit, & cap. Vuitonienſis Eccleſia eodem. Gloſſ. in cap. Grandi verb. legitimo. de ſupplend. neglig. Prælator. in 6. Trident. ſeſſ. 7. de reform. cap. 1. & alijs ibi textibus citatis*; quibus Doctorum accedit conſenſus. Deinde probatur à fortiori argumento petito à *Gloſſa citati capitis Vt in cunctis, & cap. Vt filij de filijs presb. & penultimo, eodem*; nam ſi qui ad ſacros ordines, vel ad beneficia promouentur, legitimi ſanè deſiderantur, potiori quidem iure igitur Epiſcopi legitimis orti debent eſſe natalibus. Quo circa ſi Illegitimi, quicumque illi fuerint, ab Eccleſiaſtico ordine, ac dignitate meritò repelluntur toto titulo de filijs presbyterorum, cum in Decretalibus, tum etiam in 6. quidni à culmine dignitatum, Epiſcopatu ſcilicet, huiuſmodi monſtra reijciantur? Adde tertiò, cum ſtatus Epiſcopalis quemadmodum ſuperiore libro demonſtrauimus perfectior ſit Religioſo, ſi ab hoc olim arcebantur illegitimi, conſtitutione Sixti Quinti Papæ incipiente, *Cum de omnibus*, addita limitatione Gregorij XIV. quidni, & ab Epiſcopatu longe

amandandi ſint? Et conſonum eſt *Deutoronomij* 23. vbi Manſer ingredi in Eccleſiam Domini vſque ad decimam generationem
8 prohibetur. Quartò, quia iure ſaltem Pontificio ab hæreditaria ſucceſſione remouentur illegitimi, *per Pij Quinti conſtitutionem, cuius initium, Quæ ordini Eccleſiaſtica anno Domini* 1573. *datam, nec non per alteram editam anno* 1572. *incipientem, Romanum Pontificem*, quibus incapaces ſaltem redduntur bonorum, originem, aliqua ratione, ducentium à bonis Eccleſiaſticis, vt conſtat per *Deciſionem Rota Romana inter diuerſas* 214. *datam* 29. *Octobris anni* 1584.

9 Repelluntur præterea à Regnorum ſucceſſione iure gentium, præſertim apud Gallos tempore Caroli Magni maximopere vigente. In Regno Sueuorum, Gothorum, & Noruegiorum viles habentur, ac flocci fiunt; idque maiori nomine, ſi legitima extiterit proles, patetque hoc paſſim ex iure ciuili, præcipuè *l. Generaliter* §. *Spurios, & l. Spurius ff. de decurion.* & meritò, cùm ſæpe magiſtra compertum ſit experientia, effrænata dominandi cupiditate huiuſmodi illegitimos in prolem legitimam, vel in proprios parentes venenum odij ad mortem effudiſſe.

10 Sic Abimelech ſpurius Ieroboam ſeptuaginta fratres patri legitimos occidit ex *lib. Iudicum* 9. Phraates Mithridatis Parthorũ Regis Illegitimus, etiam, necato patre, Regnum occupauit: ſic Phraherſes Herodis Parthorum Regis filius illegitimus, & patrem, & triginta fratres pariter Naturalis, vt ſolus Regno potiretur, è medio ſuſtulit, *Iuſtino auctore libr.* 12. quibus non fuit diſſimilis Iugurta fratricida apud *Saluſtium de bell. Iugurt. & apud Plutarch. in Aemilio* ſimile ſcelus de Philippo Spurio Demetrij legimus: Henricus etiam ſecundus Alphonſi Tertij Hiſpaniarum Regis naturalis filius Petrum fratrem legitimum interfecit, *Auctore Ric. lib. 3. de Reg. Hiſpanor.* quid de Iacobo Ioannis Regis Cypri illegitimo dicam? vt videre eſt apud Auctorem tituli Regij Sereniſſimæ Sabaudiæ Ducis ex multis. Teſtatur hoc idem noſtra Vrbs, noſtrumque Regnum Neapolitanum per Corradi mortem hæredis à Federico Secundo patre inſtituti, à Manfredo tamen eiuſdem Federici filio ſpurio per ſummum nefas necati, vt ferunt *Antonius in 3. part. tit. 19. cap. 6. §. 4. Blond. libr. 7. decad. 2. & Ioannes à Coſtanz. patruo magno meo libr. 1. hiſtoria Neapolitana.* Quid demum de monſtro illo ex Erebo, & Stygia palude ex omni vitiorum fæce compacto, Ferdinando illegitimo Alphonſi Primi Regis Neapoli tuni dicam? qui quidem exlex, atque infidus, apprimè crudelis proditoriè tot Principes viros è medio ſuſtulit, nec vnquam Neapolitanorum Illuſtriſſimorum expletus ſanguine; quo auxit potius homicidam ſitim, quàm extinxit, Neapoli, ac vniuerſo Regno ſemper dirus, hic vt maternos, ideſt impudiciſſimos imitaretur mores, auctore *Conſtantio libr.* 19. inceſtuoſas propriæ ſororis amplexibus expleuit libidines, vt non ab alio, quàm à ſe ipſo omniũ mortalium ſceleſtiſſimo ipſa turpitudine, turpiori infamiæ inureretur nota.

11 Non me latet Herculem, atque Alexandrum Magnum, alioſque fortaſſe perſpicuos viros ex illicito parentum congreſſu natos circumferri, quod etiam de Marco Beuto Plutarchus affirmat, ac de ſe dat ſuſpicari *Bartal. Iuriſperitorum apex in l. Quidam cum filium col. 3. ff. de verb. obligat.* Verùm quæcumque ſuas habet regula, vel generalis exceptiones.

12 Nobiles inſuper non ſunt habendi *auctore Tiraquello de nobilit. cap. 25. num. 10.* iure præſertim ciuili, quicquid de nonnullarum conſuetudine Nationum in contrarium ſit; immò inhabiles ad honores, *l. Regia tit. 15. part. 4. apud Sanchez lib. 7. de matrim. diſput. 24. num. 1. & nos diſput. 4.* vberius proſequemur.

13 Rationes autem ab intrinſeco, ac proprias quibus Sanctiſſimi Eccleſiæ Pontifices in has animaduertere peſtes, Sixtus V. Pontifex Maximus, quum à ſtatu, & dignitate quacumquẽ Religioſs remouerit, breui aperuit. Prima, quòd illegitimi ex peccato nati ſunt. Secunda, quia iure humano infames ſunt, vt ſupra diximus. Tertia, quòd non animo ſeruiendi Deo ad Eccleſiaſticam confugiunt diſciplinam. Quarta, ob vitia parentum, quæ propriis moribus ſolent exprimere, quam rationem indicat etiam *Abbas per textum cap. litteras de filijs Presbyterorum num. 3.* Quinta nè alios Religioſos ſacræ Militiæ addictos inficiant. Libeat Sanctiſſimum audire in *Conſtitutione*, cuius initium, *Cùm de omnibus*.

14 *Siquidem res ipſa nos admonet, quàm indecorum ſit, & ab ea, qua Diuina Maieſtati, eique conſecratis perſonis debetur, reuerentia alienum, ſi eiuſcemodi homines, qui propter immunditiam, ac peccata, ex quibus orti ſunt, notati perpetua ignominia ab omni mundano honore, & à paterna hæreditate repellantur, ijdem Omnipotenti Deo tanquam hoſtiæ offerantur, & infra. Nè igitur contingat illegitimè genitos, qui vt plurimum parentum vitia, & incontinentiam imitari ſolent, nec pietatis ſtudio, ſed temporalium bonorum intuitu, quia hæreditates maiorum, aut dignitates aliquas conſequi non poſſunt, ad religioſam confugiunt vitam, quam animo à Religione alieno ſu-*

ſcepe-

ſteperunt, ab inſtitatis religioſis, alienam plerumque cum dedecore, ac propria ſalutis diſpendio ducere, ſuiſque corruptis moribus, & malis exemplis, quietem, & ſtatum caeterorum Deo famulantium perturbare, aut hâc quaſi faece, & colluuione ipſarum Religionum honorem, & exiſtimationem lædi.

Cum his cauſis cohærent aſſertæ ab Hoſtienſi, quas refert *Abbas cap. Præſentiam de fil. Presbit.* quarum prima ordinis eſt excellentia, quæ turpes, infameſque reſpuit *Cap. inter dilectos de exceſſib. Prælat.* Secunda, paterni deteſtatio criminis, exoſi etiam in filijs C. *ad legem Iuliam*. Tertia, timor paternæ incontinentiæ *cap. ſi gens diſt. 56.* & alibi, quæ omnes cauſæ perfectiſſimo Præſulatus ſtatui applicatæ, maiorem habent vim, ac robur.

15 Sit ſecunda concluſio. Illegitimorum defectus natalium diſpenſatus etiam ad ordines ſacros, beneficia, vel aliam dignitatem Epiſcopali minorem, non cenſebitur diſpenſatus ad Epiſcopale faſtigium aſcendendũ. Deducitur manifeſtò ex *cap. Cùm Vuitouienſis Eccleſia de elect. & cap. Innotuit eodem*, vbi probè notat *Abbas num. 4.* legitimè diſpenſatum in maiori præſertim Epiſcopali: idemque repetit *cap. litteras de fil. presbyt. num. 6.* ſic etiam *Calder. conſ. 1. de fil. presbyt.* & in caſibus expreſſis per citatos textus, & ordinati erant, & beneficia, nonnullaſque poſſidebant illegitimi, de quibus ibi erat ſermo, dignitates; & tamen inhabiles ad Epiſcopatum habebantur. Quamobrem ad permiſſionem minoris dignitatis non venire permiſſionem maioris, docet ex *l. Relegatorum in fine, ff. de interd. & relig.* Ratio autem eſt, vel quia diſtinctus eſt ordo, ac Sacramentum Epiſcopatus, vt *tom. 2.* dicendum eſt, vel quia tantum dignitatis culmen à fortiori reſpuit illegitimorum na-
16 talium noxam; quare conſequenter diſpenſatum ad minores Ordines non arbitrati diſpenſatum ad beneficium ſimplex ſcribit, *Nauarr. conſ. 3. libr. 3. Conſiliar. de qualitat. ordinandor. ad 5. quæſt.* nec diſpenſatum à Papa ad ſacros Ordines etiam Sacerdotis, cenſeri diſpẽſatum ad beneficium curatum, notat *Henriquez lib. 10. de matrimon cap. 8. num. 10. lit. C.* etſi citet *Doctores Salmaticenſes* in contrarium, aſſerentes diſpenſatum à Papa ad beneficium curatum, ac dignitates, haberi diſpenſatum ad Epiſcopatum.

17 Ex his fit primò, legitimationem, ſeu diſpenſationem eò futuram magis arduã, quò è turpiori parentum congreſſu nati fuerint illegitimi, vt probè *Henriquez* apud *Auilã de cenſur. 7. part. de irregul. diſput. 3. dub. 6. concl. 2.* Nec quis nobis objiciat *cap. Dominus 56.* quod, vt benè *Gloſſa*, contra hoc corollarium non facit.

18 Fit ſecundò arctiori irregularitate teneri Presbyterorum filios, è toto penè titulo *de filijs Presbyterorum citato*, præſertim ſi (quod Deus auertat) contingeret, Epiſcopum præfuturum Eccleſię, in qua pater presbyter vel adminiſtrat, vel adminiſtrauerit, *cap. Vt quorum Presbyteri eorum fuere patres. cap. Ad præſentiam, cap. Conquerente, & alijs eodem.*

19 Fit tertiò illegitimum non eſſe Titium è legitimo matrimonio natum, cuius pater poſtea fuit Epiſcopus, vel talis Sacerdos Eccleſiæ, cuius non impedientibus natalibus poſſet eſſe Epiſcopus ipſe Titius, ex *cap. Ad extirpandas*, & ibi *Gloſſa de filijs Presbyterorum*, quamuis id repugnet ex alio capite, nè detur ſucceſſio in beneficijs, vt ibi notat *Abbas num. 2.* poterit tamen habere aliud beneficium diſtinctum filius in eadem Eccleſia, ex eodem Auctore, vt in *cap. Ad hæc ex tua eodem, num. 5. & 6.* Secus autem eſſet, ſi inter patrem, & filium alia perſona interceſſiſſet eius Eccleſiæ Præſul, vt ibi *Gloſ. litter. F.* quam ſequuntur *Panormitanus, & alij.*

20 Fit quartò, quemcumque, & quomodolibet illegitimum non eligendum, ſed poſtulandum eſſe; ſecus ſi fieret, electio tunc nulla eſſet, & eligentes iure eligendi priuarentur illa vice, necnon Eccleſiaſticis beneficijs per triennium ex *Concilio Lateranenſi relato cap. Cum in cunctis de elect.* vbi *Gloſ. verb. Tunc priuati*, idque ipſo facto per *cap. Innotuit eodem, & Gloſ. verb. Nullum eſſe*, vbi *Canon citatus Cum in cunctis* indicatur eſſe latæ ſententiæ, vt benè modò *citata Gloſſa, & Panormitanus cap. Innotuit de electión. num. 26. ex cap. ſi Compromiſſarius, & cap. quamquam eodem libr. 6.* dum modò non probauerint electores ignoranter id feciſſe.

21 Alleganti enim ignorantiam incumbit eam probare per *Abbatem cap. innotuit de elect. num. 9. ex regul. iuris in cap. quamuis de iur. iud.* Et ſanè quis præſumitur ſcire factum alterius, quod ex munere tenetubatur indagare. Quomodo autem probanda ſit talis ignorantia, quæ ſanè inſufficiens alioquin erit, exiſtente fama contraria, de illegitimis natalibus electi, apud eumdem legas Auctorem, *cap. Innotuit citato num. 22. & nos tom. ſecundo, lib. 1. diſput 6. cap. 8. & 9.* proſequemur.

22 Fit quintò, canonicè illegitimum eſſe filium natum ex legitima vxore, habitum tamen poſtquam vterque, vel alteruter voto ſolemni ſe deuinxit caſtitatis, de quo *capit. Litteras de filijs Presbyterorum*; vbi notat apud *Abbatem numer. 5. Bernard.*

illegitimos natales non cauſari à ſola ſubſtantia vinculi matrimonialis, ſed ab eius executione, qua per ſolemne votum caſtitatis impedita, redditur acceſſus illicitus, & ex eo illegitima proles, inepta, ſaltem ad ſpiritualia; dixi ſaltem, quia *Panormitanus* iudicare videtur *num.* 4. talem filium eſſe ciuiliter legitimum, ideſt aptum ad ſucceſſio-

23 nem hæreditatis. Ineptitudo igitur ad ſpiritualia huius confirmatur auctoritate *Innocentij, Adriani. Hoſtienſis, & aliorum Doctorum*, tam ex verbis integri textus allati, *quē ex Antonio Auguſtino in collect. 2. decretalium cap. 5. affert Soarius de cenſur. diſp. 50, ſect. 2. num. 5.* Et dum textus indicat talem irregularitatem indici ob incontinentiam parentum, voto ſolemni ligatorum, per quod in iure canonico ſic impeditus eſt vſus matrimonij, vt vxor non habeatur tanquam vxor, meritò *per additionem ad Abbatem factam in dicto Cap. litteras citato, & per Antonium Francum, & alios ibi* extenditur

24 ad prolem ſuſceptam à Religioſis, & in ſacris, & ſi non ſacer dotibus, ex communi ſententia, neque ex vi argumenti ducti à ſimili, ſed à formali ratione huius irregularitatis, quæ quidem ſita eſt in voto ſolemni, ex cuius vi propria vxor talis non reputatur, quo ad debitum reddendum.

25 Ex quo deducitur differentia inter votum ſolemne, & purè ſimplex, cui hoc minimè competit, vt notauit *Soarius citatus num.* 4. nam eſto Coniuges habentes ſimplex votum caſtitatis conuenirent, & quidem ſacrilegè; proles tamen non eſſet illegitima.

26 Conſultò ſermonem tantum habui de voto purè ſimplici, nam de eo, quod emittitur caſtitatis in Societate Ieſu poſt biennium tyrocinij, mihi exploratum non eſt, & videtur ligatus hoc voto, ſi ex propria, quam antea habebat vxore, filium ſuſcepiſſet, eum non fore ad ſacros ordines irregularem; ratio eſt, quòd hæc irregularitas in ſolemni caſtitatis voto fundatur, vt diximus, & docet *Soarius citatus num.* 6. ſed illud votum à Scholaribus Societatis Ieſu, ſacris nō initiatis adhuc ordinibus, emiſſum, non eſt ſolemne: ergo &c. Præterea ſicut huic voto vis, quæ ſolemni conceditur, irritandi ratum matrimonium, antea contractum, non tribuitur, auctoribus *Vaſquez 1.2. diſp. 165. cap. 10. Sanchez 2. tom oper. mor. lib. 5. cap. 1. num. 29. Soario 4. tom. de relig. lib. 4. cap. 2.* pariter neque cenſenda eſt tribui vis illegitimum reddendi filium, alioquin naturaliter legitimum; Quamuis non me fugiat, in contrarium quempiam dicere poſſe, vim irritandi matrimonium ratum, nec ſolemni voto caſtitatis ſacro adiuncto Ordini concedi, vt idem *Sanchez ibidem, & Soarius diſput.* 50. *citatus ſect. 2. num.* 3. cum tamen hæc vis huic voto Scholaſticorum *numer.* 6. concedatur à *Soario*; at primum eſt mihi probabilius: niſi quid in contrarium ſancitum ſit, quod ipſe ignoro.

27 Fit ſexto, vt ſicut proles ſuſcepta à perſonis, quæ poſt votum ſolemne, vel religioſo ſtatui, vel ordini annexum, contraxere, eſt ſacrilega atque illegitima; ſic prolem ſuſceptam ab his qui antea contraxerant matrimonium ratum, vel conſummatum, quando autem conuenere voto erant legati caſtitatis, non ſolemni in religioſa profeſſione emiſſo, eſſe legitimam; non obſtante dicto voto ſimplici, vel ſolemni ordini ſacro adiuncto, vt bene *Couarr. in 4. decret. cap. 7. §. 4. num. 9. Maiol. lib. 1. cap. 9. num. 8. Soar. diſp. 50. de cenſur. ſect. 2. num. 2.*

Obijcies *Cap. Oſius diſt.* 56. vbi multi referūtur Pōtifices ex illigitimis natalibus nati. Reſpōdeo *cum Gloſ.* ibi, relatos, filios fuiſſe Presbyterorum ſuſceptorum in laicali ſtatu, vel à patribus minoribus tantum ordinibus initiatis, quando vſus eis licebat vxorum.

Fit vltimò Monachum, vel religioſum illegitimum, quamuis profeſſione legitimatum, Vicarij officium exercere non poſſe propter præminentiam iuriſdictionis, ſic *Maiolus de irreg. lib. 1. cap. 10. ſub numero 3. verſ. Ideoq.*

CAPVT II.

Legitimi natales Epiſcopi quàm notorij eſſe debeant.

SVMMA.

Refertur ſententia aſſerens ob delictū, atq. illegitimos natales occultos non incurri irregularitatem. num. 1.

Sententia contraria habetur. num. 2.

Non eſt improbabile per defectum natalium occultè illegitimorum non contrahi irregularitatem. num. 3.

Vera ſententia contrahi docet irregularitatem etiam ob natales occultè illigitimos, num. 4.

Declaratur Cap. Chriſtiana 33. quæſtion. 5. num. 5.

Expenditur textus Cap. Ex tenore de temp. ordinand. num. 6.

Diſcrimen aſſignatur inter occultam Eccleſiæ violationem, & occultum defectum natalium. num. 7.

Illegitimus occultus, ordinatus, intercedente periculo manifeſtationis, poſſet impunè in

ſuſce-

ſuſcepto miniſtare ordine. numero 8.
Explicantur Cap. Conquerente, Cap. Quoniam, Cap. Ex tua nobis, de filijs presbyterorum. num. 9.

1 QVam docuit ſententiam *Gloſſa Capit. vltimo de temp. ordinat.* non incurri, ſcilicet, irregularitatem ob delictum occultum, vno excepto homicidio, ſequunturque nonnulli Doctores, *Caſtrus lib. 1. de leg. pœnal. cap. vlt. concl. 3.* ita defendit, vt ſolum ab hac communi doctrina *Gloſſa* homicidium omninò occultum excipiat. Quod ſi à nullo mortalium ſciatur, non inducat irregularitatem; ſecus verò, ſi ita eſſet occultum, vt ab vno, vel paucis teneretur, & in iudicio poſſet probari; & ſi in eo non eſſet probatum; neque eſſet notorium: Ex qua ſententia deducit *Caſtrus*, quòd ſi filius presbyteri, & coniugatæ, per atteſtationem ſciret parentum, ſe non eſſe legitimum, idque eſſet cæteris occultum, poterit ſine diſpenſatione ordinari; idemque dixiſſet *Caſtrus* de ordinatione, & promotione in Epiſcopum. Probat primò, quia propter peccatum ita occultum, vt ferè à nullo ſciatur, non eſt obnoxius homo pœnis Eccleſiaſticis, *cap. Chriſtiana 13. quæſt. 5.* vbi latentia peccata non ſubeſſe vindictæ dicuntur. Secundò *ex cap. Ex tenore de temp. ordinan.* vbi, nulla adhibita homicidij exceptione, ob peccatum aſſeritur occultum, degradatione etiam dignum, criminoſus occultus non prohibendus, ſed perſuadendus, vt facta ſalutari pœnitentia, ordine tantum vtatur ſuſcepto, neque ad ſuperiorem gradum aſcẽdere contendat. Tertiò, Eccleſia reconciliatione non indiget ob occultam violationem, ergo neque Eccleſiaſticus, templum viuum cum ſit Dei, ob occultum delictum indigebit diſpenſatione. Quartò ex contraria ſententia illud ſequeretur abſurdum, quòd ſæpe occultum detegi vitium opus eſſet.

2 Huic contrariam ſententiam docet *Couarr. part. 2. §. 3. Card. lib. 1. quæſtionum, quæſt. 35. in opin. 5. & in Summa quæſt. 41. Henriquez cap. 3. num. 2. Nauarr. cap. 27. Summa num.* 194. qui contrariam opinionem contra communem Eccleſiæ vſum, hactenus ſeruatum eſſe ait: ſubſcribit *Auila 7. par. diſp. 2. dub. 2.* & primò notat duo eſſe delictorum genera, alterum eorum, quæ rationem ſolius enormitatis, & notorietatis irregularitatem inducunt; alterum eorum, quibus impoſita eſt irregularitas, non requiſita enormitatis, vel publicitatis conditione: illa igitur ni enormia ſint, ac publica, haud inducent irregularitatem; maximè verò hæc, alia, quod præcipuè probatur ex *Tridentino non modo ſeſſ. 4. de reform. cap. 7.* decernente homicidium, etiam occultum ad ſacros inhabilitare ordines (qua deciſione coactus *Caſtrus* ſe ipſo doctior *in editione ſecunda* ſententiam mutauit quo ad dictum homicidium) verum etiam *ſeſſ. 24. cap. 6.* vbi fit Epiſcopis facultas in omnibus diſpenſandi prouenientibus ex delicto occulto irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, ergo quando defectus natalium erit occultus, etiam indigebit diſpenſatione.

3 Ego verò *Gloſſæ & Caſtri* ſententiam ad defectum occultum illegitimorum natalium contractam non omninò improbabilem eſſe duco, ex fundamento, præſertim petito è Tridentino, ab Auila tamen, & Nauarro deſumpto non cohærenter. Prima pars probatur, quia communis Doctorum ſententia, vt infra videbimus, docet facultatem à Tridentino factam Epiſcopis ad diſpenſandas irregularitates, prouenientes ex delicto occulto non ſe extendere ad hunc illegitimorum natalium defectum, vt apud pleroſque videre eſt Auctores, quos citant, ac ſequuntur *Soar. de cenſur. diſp. 50. ſect. 5. num. 5. Aegid. ConinK. ibidem diſp. 8. dub. 14. num. 3.* ergo non rectè, neque efficaciter ab *Auila, & Nauarro tum num. citato, tum* 101. hoc argumentum è Tridentino in eam ſententiam hoc pacto contractam, deſumptum eſt, aut minimè cohærenter; etenim vel Textus Tridentini comprehendit irregularitatem illegitimorum natalium occultorum, vel non? ſi comprehendit, quaſi verò prouenientem remotè ex delicto occulto parentum, vt cohærenter tenet Auila infra citatus, erit ſanè facultas Epiſcopis ad eam diſpenſandam, quod *Nauarrus mordicus negat loco citato in fine num. 194. & 201.* ſi non comprehendit, ergo inefficaciter, & minus cohærenter hic affertur Tridentini textus contra Caſtrum; cum non de irregularitate natalium, ſed de prouenienti loquitur irregularitate ex proprio delicto: Verùm enim verò non inficior in primam illam ſententiam adæquatè ſumptam, vt irregularitatem ex omnibus delictis occultis comprehendentem, vno excepto homicidio, Tridentini textum ſatis vrgere; cæterùm eam ad ſolos illegitimos natales occultos contractam, ſic etiam confirmo ſpeciali textu *cap. Conquerente de fil. Presb.* vbi hæc habentur *Fraternitati tuæ mãdamus, quatenus ſi publicum eſt, & notorium Patrem R. Clerici habuiſſe in prædicta Eccleſia perſonatum, filium eius ibidem miniſtrare, aut eiuſdem Eccleſiæ perſonatum habere nullatenus patiaris, & ſi idem inſtitutus eſt ibi, etiam inde non differas demandare.* Idem prorſus habetur in *cap. Quoniam, & cap. Ex Tua nobis, eodem* per

ea.

ea. Vt ſi conſtaret eos eſſe filios ſacerdotis, &c. ex quibus textibus manifeſtè liquet, illegitimos natales impedimento non eſſe, quominus poſſit quis beneficium, ſeu dignitatem adipiſci, ni ſint notorij, ac publici; ergo ſi occulti fuerint, inhabilitatem ad beneficia, vel ad ordines, quorum eadem videtur eſſe ratio, non inducent, cum à contrario ſenſu vim argumentum habeat. Confirmatur, quòd circa hanc inhabilitatem ad beneficia lex canonica publicos ſolum conſiderauit natales illegitimos, quos punit, non autem alios; exceptio enim firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis, *leg. nam cũ liquidè ff. de pœna legata, & leg. quæſitum 22. paulò ante §. ſi quis fundum verſ. idem reſpondit ff. de fund. inſtructo.* & cum habeant eſſe de eodem, vt notatur frequenter à Doctoribus, non eſt dubium, quin ad rem noſtram dicta regula faciat. Demum adde ex *Cap. Innotuit de elect.* vbi, vt *Gloſſa* animaduertit, non ex ſola ſecreta confeſſione natalium illegitimorum habita ab Archidiacono Heboracenſi, electo in Epiſcopum, ſed ex notitia, quam Pontifex comparauit ex quibuſdam ſuffraganeis, illud condidit decretum, &c. ergo opus eſt, vt notorius ſit defectus hic natalium ad inducendam irregularitatem.

4 Cæterum contrariæ ſubſcribo ſententiæ, quæ è Canoniſtis quampluribus defenditur, inter quos eſt *Abbas. cap. Innotuit nobis de elect. & cap. vltimo de tempore ordinand. nu. 6.* & certa, eo potiori nomine, cenſenda eſt, quo infra nec omninò improbabilem Tridentini interpretationẽ allatam ab Auila dicemus, & alteram afferemus, quibus huiuſmodi inhabilitatem, poſſe per occultam illegitimorum natalium defectum contrahi, conſtabit: in præſentia verò probatur, quia hæc nota, ſiue defectus intrinſecè videtur eſſe ſanguinem inficiens, & vt rationes ſuperioris capitis oſtendunt, independenter ſe habet à notitia, vel ignorantia cæterorum, vt eas perpendenti patebit; ergo non apparet ratio, cur Pontifices ad hanc publicitatem ſpectauerint potius, quam ad turpitudinem in ſe conſideratam, quippe quæ, vt ex *Innocentio ſuperiori capite* notaui, prolem maximopere fœdat. Secundò hæc delicta probari, vel non probari poſſe, ad forum potius pertinet litigioſum, atque externum, & ad ſententiam iudicis: ſed ſine hac ſententia, eum obligatione etiam ad forum internum, hæc nota contrahitur, ergo, &c. Tertiò, Eccleſia ad matrimonium reddit inhabiles per crimina etiam occulta; pari etiam ratione potuit ad ordines inhabilem facere, nè licitè recipiantur. His adde momenta *num. 2.* ralata, quæ hùc aliquo pacto tendunt, maiuſque habent robur ad arcendam hanc notam ab Epiſcopo, quem potiori ratione illa vacare decet.

5 Ad primum argumentum Caſtri. Omnia allata iura de pœna intelligenda eſſe dico, per ſententiam iudicis in exteriori foro decreta, vel decernenda; minimè verò de alijs quibus ſubiacemus pœnis in interno foro, nullo ius dicente iudice. In eo autem textu à Caſtro allegato de muliere ſermo eſt, quæ cum virum adulterij non accuſat, non poteſt hic pœna in externo foro affici, cum latentia non delata, aut accuſata peccata, aliàs occulta vindictam non habeant.

6 Ad ſecundum cum *Innocentio, & Abbate* reſpondeo, illum textum de crimine enormi loqui, quod ex illis eſt, quibus non annectitur directè, ac per ſe irregularitas, ſed tantum ſecundariò ratione ſcandaloſæ enormitatis, degradatione dignæ; verùm multa ſunt alia, quæ quamuis occulta, ex iure tamen irregularitatem per ſe ſunt inferentia, & huiuſmodi non eſſe ſolum homicidium, notat etiam *Abbas capit. vltimo de temp. ordinand. num. 5. & 6.*

7 Ad tertiam. Reconciliationem Eccleſiæ ordinatam eſſe aio ad hominum eruditionem, vt ea, qua par eſt reuerentia, templum colant; ſicut & prima conſecratio *Sancto Thoma auctore 3. part. quæſt. 83. art. 3.* vbi autem violatio fuerit occulta, ceſſat ratio qua & erudirentur peccatores, & putarent peccatis ſe factos indignos Dei hoſpitio, ſicut illud templum violatione remanet interdictum: at verò in irregularitate perſonæ vel delicta intenduntur punienda neque aliàs, quàm ſecundariò, ad alios reſpicitur per hanc pœnam.

8 Ad quartum. Nullum eſſe morale periculum reſpondeo, eo quòd quis non ordinetur, declarandi natalium defectum, maximè, ſi ordinandus ſit in Epiſcopum, cum alio quæſito colore, alijſque adumbratis cauſis dicendus ille eſſet non ordinari, vt probè *Corduba in ſumm. quæſt. 143.* Quòd ſi ordinatus, & conſecratus fuerit, facta pœnitentia, tunc in eodem ordine, beneficio, vel dignitate miniſtrare profectò poterit, vrgente periculo manifeſtationis criminis occulti è non miniſtratione: vt bene *Nauarrus num. 259. Corduba citatus, nec non Auila 7. part. diſp. 2. dub. 3. in fine, & Abbas cap. Quæſitum de tempor. ordinandor. num. 6.*

9 Ad tres primos à nobis adductos textus *num. 3.* pro Caſtri ſententia dicendum eſt, ibi non de irregularitate ad Eccleſiaſticos ordines eſſe ſermonem; ſed ad beneficia, pro quibus in tali genere fortaſſe deſideratur publicitas. Cæterum, vt notat *Panormitanus*

tanus

Vbaldi ex *Hoſtienſi in cap. Quoniam. & cap. Conquerente citatum;* non ex eo quòd administratio patris presbyteri notoriè fuerit, idcircò notorium delictum patris, & defectus filij illegitimi notoria cenſenda ſunt, eò vel maximè, quòd natalium defectus vix vel nunquam ſatis probari poteſt *cap. Michael de filijs presb.* Addo in his omnibus textibus rem ad forum contentioſum exponi redactam, iudicis ſententia decernendam, quæ quidem ex allegatis, & probatis, nec aliàs ferenda: quod non officit aſſertæ doctrinæ, qua in foro interno impedimentum, ſeu irregularitatem ex illegitimis natalibus minimè notorijs contendimus inferri; quæ ſolutio textui etiam vltimo adhibenda eſt, cui fauet Abbas *cap. Quæſitum de temp. ordinand. num. 3.*

CAPVT III.

An expoſitus ordinari poſſit in Epiſcopum.

SVMMA

Quæ diſputanda ſit quæſtio, num. 1.
Referetur opinio aſſerens expoſitum eſſe ſpurium num. 2.
Reijcitur, num. 3.
Neque matrimonium, neque concubinatus eſt qualitas quæ à natura ineſt, num. 4.
Secunda ſententia docens eſſe illegitimos aſſertur, num. 5.
Limitatur à nonnullis, ac lenitur, nu. 6.
Vt ſic adſtruitur probabilis, num. 7.
Expoſitus diſpenſari poteſt ab ordinario, numero 8.
Expoſitus bona fide ordinatus poſſet ſine diſpenſatione miniſtrare in ordine ſuſcepto, num. 9.
In dubijs melior eſt conditio poſſidentis, ibidem & num. 12.
Expoſitus bona fide ordinatus, vbi capit dubitare, diligentiam tenetur præmittere antequam celebret, num. 10.
Iudex dubitans de illegitimis natalibus Expoſiti, atque ordinati ei fauere tenetur, nec que adſtringere ad non exercendum in ordine, num. 11.
A fortiori ſi probabili opinioni ſeſe conformauerit Iudex, ibidem.
In dubijs melior eſt poſſidentis conditio in omni materia, num. 12.
Idem eſt iudicium fori interni, & externi, nec hoc falſæ nititur præſumptioni, numero 13.
Filius natus ex coniugata adultera in dubio cenſetur legitimus, num. 14.
Explicatur principium morale in dubio tutior pars eſt eligenda, ibidem, & numero 15.
Probabilius eſt in dubio facti, tutiorem partem in ſenſu Aduerſariorum non eſſe eligendam, quoad omnes irregularitates, vna homicidij excepta, num. 16.
In dubio delicto Reus eſt abſoluendus, numero 17.
Ratio affertur, cur irregularitas incurratur ob homicidium dubium, num. 18.
Declaratur cap. Illud de cler. excomm. miniſt. num. 19. 20. & 21.
Excommunicatio per ſolam famam alicui probabiliter nota obligat ad vitandum excommunicatum, num. 20. & 21.
Vera ſententia aſſerens poſt ſufficientem diligentiam, perſeuerante dubio, Expoſitum, vt legitimum habendum eſſe, num. 23.
Ob ſolam expoſitionem irregularitas non contrahitur, num. 24.
Num præſumptio faueat Expoſitis, num. 25.
In dubio ea vſui ſit coniectura, quæ delicti præſumptionem excludat, num. 26.
Gregorius XIV. Expoſitos decreuit habendos eſſe puri ſanguinis, num. 27.
Lex pœnalis non debet extendi ad ſimiles caſus, num. 28.
In pœnalibus argumentum à ſimili non valet, num. 29.
Lex pœnalis in ſalutem animarum ſancita non eſt odioſa, num. 30.
Expoſitus tutò poteſt opinione duci docente ſuam legitimationem, num. 31.
Iura fauore proſequuntur Expoſiti, numero 32.

1 HActenus de legitimis Epiſcoporum egimus natalibus notorijs, vel occultis, ſupereſt eorundem certitudo, ad quam vniuerſalem afferre regulam perdifficile ſanè videtur, tribus antea non expenſis caſibus, qui in varias opiniones agunt Auctores; & cum multa ſcitu digna inuoluant, ſigillatim expendenda ſunt; præſens igitur caput primum euoluet de expoſitis: vltimum ſubſequentes.

2 Itaque quam capitis inſcriptione quæſtionem expoſuimus, adeo arbitrati ſunt difficilem nonnulli auctores, vt indeciſam potius relinquere, quàm ſoluere maluerint, ſic *Antoninus in cap. Primum de infant. expoſit. Barbatius in cap. Cum deputati de iudic.* Alij vero in tres abiere ſententias, Prima docet vt ſpurios eſſe habendos Expoſitos: *eſt Butri part. 3. deciſ. 435. Barboſa in rubric. ff. ſol ut. matrimonio.* Probatur, ſpurij ſunt, qui certum patrem demonſtrare non poſſunt; *eſt leg. Vulgo quæſiti ff. de his qua ſunt ſui, vel alieni*

alieni iuris; atqui nequeunt Expoſiti demonſtrare patrem, ergo &c. Secundo à contrario, legitimi ex iuſtis nuptijs, ac matrimonio habentur; ſed expoſiti non habentur ex matrimonio, quod cum in facto conſiſtat, præſumi non debet *ex Reg. legis in Bello § factæ ff. de capt. & poſtlim. reuerſ. ergo &c.* Quo argumento quàmplures huic ſubſcripſere ſententiæ, quos citat *Barboſa de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 51. num. 148.*

3 Verùm enim verò ſi ſpurios ſub latiore ſignificatione, quàm *cap. 1. num. 5* adumbrauimus hi Auctores accipiãt pro illegitimis, atque incerto patre natis, nil diſtinctum autumant à ſecunda opinione numero ſequenti mox inſerenda: ſi verò ſpurios ſub ſtrictiori ſignificatione intelligant, vehementer errant, nam primus textus pro eis non eſt: quippe qui de ſpurijs penes latam ſignificationem loquitur, inter quos non eſſe numerandos expoſitos infra demonſtrabimus.

4 Secundum argumentum ſanè nullius eſt roboris; nam ſicut matrimonium in facto cõſiſtit, ita concubinatus, aut alius quiuis adulterinus congreſſus ex quo ſpurius naſcatur; ergo ſicut præſumi matrimonium non poteſt per hos Auctores, ita nec adulterina alia ratio, neque textus allatus aliquam in hoc caſu vim habet, *Alciato Iudice*; *& vt probè Couar. infra citandus c. 8 §. 3. n. 1.* ergo ſicut matrimonium non eſt qualitas, quæ à natura ineſt, quaque ſuppoſita legitimi dicerentur, ita neque concubinatus, vel alius adulterinus congreſſus à quo ſpurius appellandus.

5 Secunda ſententia eſt *Maioli lib. 1. de irregularit. cap. 11. Menochy lib. 6. præſumpt. quæſt. 54. num. 10.* Expoſitos docentes eſſe illegitimos, atque irregulares, neque ordinandos ſine diſpenſatione, & à fortiori in Epiſcopum;

6 Hanc opinionem *Couarr. Clement. ſi furioſus 1. part. à num. 9.* leniorem reddit; quum primò doceat abſque diſpenſatione expoſitos ordinari non poſſe. Secundo poſſe ab Epiſcopis diſpenſari. Tertio poſſe ordinatum iam miniſtrare ſine diſpenſatione, ſubſcribunt *Soar. de cenſur. diſp. 50. ſect. 4. num. 4. Auil. de irregular. diſ. 3. dub. 9. & alij Recentiores.*

7 Hanc quidem ſententiam probabilem iudico, ex probabili, cui nititur fundamento; quia, ſcilicet, eſtò daremus in caſu dubio, non eſſe quempiam cenſendum illegitimum, hic tamen noſter dubius non eſt; cum vehementes habeat coniecturas indicantes, expoſitos eſſe illegitimos; tales enim plerunque ſolent exponi; & quæ communiter accedunt, ſunt credenda *leg. ſiue poſsidetis C. de probat. & Gloſſ. leg. Neque tales eodem titulo*; nam rarò legitimos exponi contingit paupertatis ergo; & in obſcuris, vel inſpici ſolet, quod verò ſimilius eſt; vel quod plerunque fieri ſolet *leg. 115. ff. de reg. iur.* confirmatur ex *Gloſſ. in cap. Conſuluit de ſeru. non ordinand.* aſſerente ſpurium illegitimum eſſe, qui patrem oſtendere non poteſt, vel ſi oſtendit, verecundum oſtendit,

8 Secunda limitatio Couarrubiæ probabiliter etiam arridet, nam licet non poſſit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimis publicis, vt infra dicemus; in hoc tamen caſu ſatis eſſe videtur eius poteſtas diſpenſandi, vel quia probabili huic ſententiæ Prælati auctoritas adiuncta ſecuriorem omninò reddit conſcientiam; vt ſcribit *Soarius laudatus diſp. 50. ſect. 4. num. 4.* vel quia irregularitas hæc dubia minimè poteſtatem excedit Ordinarij; cuius placitum ex hac probabili opinione Doctiſſimorum virorum firmatum, cum ſufficiat, ac facili negocio poſſit haberi, reddit expeditiorem eius executionem.

9 Tertia demum Couarrubiæ determinatio minimè diſplicet, dummodo ex bona fide procedat, & diligentia præmiſſa ſit, ad euacuandum dubium. Ratio primi eſt, quòd in dubijs melior eſt conditio poſſidentis, bona vtique fide habita poſſeſſione, cuius potior eſt conditio in pari cauſa, vt eſt dubia: *Reg. In pari 65. de reg. iur. in 6. & Reg. Pari 170. ff. de reg. iur.* quod ſecus eueniret ſi mala, vel dubia fide id factum fuiſſet; etenim cum *poſſeſſio ſit, rei cum bona fide detentio, vt prob. Hoſtienſis, & alij, quos refert, & ſequitur Syluester verb. poſſeſsio num. vnico, & Molina tom. 1. de iuſt. tract. 2. diſp. 12. & Sanchez lib. 2. de mat. diſp. 41. num. 24.* non poterit, neque ſuffragari, neque eſſe poſſeſſio vera ex mala fide, cum ergo hic ordinatus etiam in Epiſcopum ius habeat ad vſum ordinis, & iuriſdictionis, propter ſolum dubium, quod ab expoſitione ortum habet, prohiberi ab eius vſu nec debet, nec poſſet.

10 Ratio ſecundi eſt, quia non præmiſſa debita diligentia ad dubium tollendum propriè res dubia non eſſet; cum ſupereſſet intellectus ratio inueſtiganda; qua in alterutram partem determinaretur. Quare in praxi illud in hac opinione obſeruandum eſt, vt abſtineat ab vſu ordinis, & iuriſdictionis, antequam ſufficientem ad euacuandum dubium exhibuerit Expoſitus diligentiam, vt probè notat *Auila 7. part. diſp. 2. dub. 5. concl. 2. & hanc autem ex Henrico cap. 3. num. 4. & Polanco in ſuo direct. fol. 86.*

11 Addo, exiſtente pari dubio, nato ex dicta expoſitione infantuli, quo hærens omninò eſſet iudex, & animo pendulus, teneri expoſito poſſidenti, ac ordinato, vel electo fauere,

nec

nec poſſe illum cogere, vt non exerceat in ordine iam ſuſcepto, vel dignitate acceptata, quod elicio è doctrina *Salonis 2.2. quæſt. 11. tract. de dominio ad finem, & è Sanchez laudato num. 12. & 14.* à quibus, quod dicitur in materia iuſtitiæ probè ad rem noſtram adaptari poterit, idque à fortiori verum erit, ſi iudex ſe conformauerit probabiliori opinioni, quam *num. 23.* docebimus;

12 Cum in dubijs meliorem eſſe poſſidentis conditionem, vt paulò ante dicebam, non ſolùm in materia iuſtitiæ, ſed in quacunque, regulam eſſe certam iudicem cum *Soario citato diſp. 40. ſect. 5. à num. 14. & ſect. 6. num. 8. Auila citato dub. 16. Sanchez, apud quem multi, tum lib. 2. de mat. diſp. 41. num. 31. tum lib. 1. oper. mor. cap. 50. num. 10.* & quia ius

13 certum poſſeſſionis meliorem reddit poſſidentem penes cætera pari iure, ac alter pollentem: & quia poſſeſſio titulus eſt vniuerſalis, omnibuſque virtutibus communis, quatenus potentiales ſunt iuſtitiæ partes; & quia in foro externo, exiſtente dubio, pro libertatis poſſeſſione iudicatur, & idem eſt huius, & interni fori iudicium, vbi illud falſæ non nititur præſumptioni, aut in pœnam, per iudicis ſententiam, Agentem damnat, vt probè *Bald. Authent. Ingreſſi num. 49. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Sotus lib. 4. de iuſt. quæſt. 5. art. 3. verſ. 4. argumentatur. Nauarr. cap. ſi quis autem num. 56. de pœnit. diſt. 7. Couar. cap. Cum eſſes num. 7. de teſtam. Suarez 5. tom. in 3. part. diſp. 40. ſect. 5. num. 16. Salas 12. quæſt. 21. tract. 8. diſp. vnica ſect. 18. num. 166. & ſect. 19. num. 171.*

14 Quare nemo dubitabit (vt hunc obiter caſum ad rem noſtram etiam ſoluam) filium ex coniugata natum cum viro habitante, quamtumuis adultera, atque alterius concubina ſit, in dubio cenſeri habitum ex viro, ac proinde legitimum in vtroque foro, viri hæredem, ac minimè irregularem, vel inhabilem ad Epiſcopalem dignitatem; eo quòd ius in eo euentu ita præſumat, vt probè *Sanchez lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 11.* ex multis.

15 Obijcies *cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti il ſecondo, verſ. quod ſe diſcerni, & cap. Penultimo de homic.* vbi decernitur dubitantem dubio facti, vtrum, ſcilicet, homicidium patrauerit habendum eſſe irregularem, & affertur ratio in *cap.* Ad Audientiam modo citato; *Cum in dubijs ſemitam debeamus eligere tutiorem, & in cap. ſignificaſti modo citato, il ſecondo, verſ. Quod ſi diſcerni.* vbi *In hoc dubio* (dicitur) *tanquam homicida debet haberi ſacerdos, & ſi certè homicida non ſit, à ſacerdotali officio abſtinere debet, cum in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Vbi perpendendum eſt, hanc deciſionem deduci ex principio morali *in dubio tutior pars eſt eligenda*, quod apud omnes in confeſſo eſt; igitur ex eodem principio Ordinatus cum dubio defectu natalium non poterit in ordine exercere.

16 Reſpondeo in allegatis textibus ſupponi quidem illud principium, non vt obligans, & ex præcepto ſemper obſeruandum, ſed quando rationi, & prudentiæ regulis conſentaneum iudicabitur, iuxta quas irregularitatis lex, in eo tantùm caſu de homicidio, prudenter videtur ſancita; minimè tamen ad cæteros ſe extendens caſus; vt probè *Soar. tom. 5. in 3. part. diſp. 40. ſect. 6. num. 9. & Sanchez lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 15.* & quamuis probabilis opinio ſit aſſerens, vniuerſalem legem, & regulam pro omnibus irregularitatibus vim habere, vt in dubijs facti tutior ſit pars eligenda; ac proinde ſicut vbi dubium eſt de homicidio, irregularis cenſendus eſt dubius homicida, ſic etiam in cæteris irregularitatibus è dubia cauſa procedentibus, vt ſentiunt *Abbas cap. citato Ad audientiam num. 2. ac multi, quos laudat, & ſequitur Vazquez 1.2. diſp. 65. cap. 3. num. 9. & 13. & diſp. 66. cap. 1. nec non Azor tom. 1.*

17 *lib. 2. cap. 19. quæſt. 10. in fine; Nihilo tamen minus æquè ſaltem* vel probabilius eſt, in alijs caſibus diſtinctis ab homicidio neque in dubio iuris, neque in dubio facti cenſendum eſſe quempiam irregularem, vt quamplures auctores docent apud *Sanchez laudatum nu: 48.* neque eſſe neceſſariò præferendã partem tutiorem, ſed ſtandum pro poſſeſſione, vt in hoc caſu noſtro docere vidimus *Soar. diſp. 50. ſect. 4. num. 4. & diſp. 40. ſect. 6. num. 8. & Salas 12. quæſt. 21. tract. 8. diſp. vnica ſect. 18. num. 168.* & ratio eſt, tum quia omnia iura expreſſis loquuntur verbis, *In dubio delicto Reum eſſe abſoluendum* Reg. *fauorabiliores 168 ff. de reg. iur. &* Reg. *Cum ſunt, eodem titulo in 6.* vbi hæc habentur. *Cum ſunt iura partium obſcura Reo fauendum eſt potius quàm Actori: & ibi Gloſſ. verb. Cum ſunt, ex quo Actor* (ait) *non probat delictum* Reum *eſſe abſoluendum*, idem pene habetur *cap. Vnico verb. Cum enim: Vt Eccleſia Benef. &c.* Sed quoties factum mouet dubium, manet etiam delictum non probatum, quando non eſt ex delictis à Gloſſa exceptis; ergo abſoluendus eſt Reus, quamuis altera pars ſit æquè dubia, Ab hac autem regula iuris, adeo rationi conſentanea recedendum ſanè non eſt, ſine textu expreſſo, qui in ſola irregularitate homicidij, neque in alia extat; & qui extendendus non eſt ad aliam irregularitatem, contra aliam iuris regulam infra perpendendam; deinde quia, vt pro-

bè no-

bè notat *Sanchez citatus*, potius eſt iutis, quàm facti dubium, quod præ manibus habemus; cùm in quæſtionem reuocemus, an in alijs factis, vt puta illegitimorum natalium, præter homicidium, quando illi ſunt
19 dubij, ius irregularitatem ſtatuerit. Adde peculiarem eſſe rationem, quare ſpecialiter fuerit irregularitas decreta in dubium homicidium, & non alia; quòd homicidium eſt maximè exoſum in iure, & longiùs à Clericis amandandum, ob turpitudinem, atque enormitatem, quam inuoluit; ex quo prouenit, vt notat *Auila 7. part. diſp. 2. dub. 5. concl. 2. §. 2.* homicidium voluntarium in omnibus excipi facultatibus ad diſpenſandas irregularitates conceſſis.

20 Obijcies ſecundò magis ad rem noſtram ex *cap. Illud de cler. excom. miniſt. verſ. licet autem*, vbi Pontifex ex illo eodem principio, *In dubijs tutior pars eſt eligenda*, deducit, Epiſcopum de ſua excommunicatione dubium teneri à celebratione abſtinere.

21 Reſpondeo primùm, forſitan excommunicationem ſola fama probari, quapropter in citato caſu, Epiſcopo per famam ſufficienter notam fuiſſe propriam excommunicationem, de qua non dubius, ſed ſecurus erat, deduco id ex *cap. Cum deſideres verſ. ſecunda quæſtioni de ſent. excom. in 6.* vbi deciditur ſolam excommunicationis notitiam ex fama habitam ſatis eſſe ad vitandum quempiam, vt excommunicatum, & docet *Abbas ibi nu. 6.* qui quidem in *cap. Illud modo citatum num. 4.* ſolam famam ait plenè probare.

22 Secundò dico, excommunicationem illam fuiſſe quaſi certam, ac deliquiſſe grauiter Epiſcopum antea celebrantem, quam per debitam diligentiam dubium de excommunicatione diluiſſet ex *Gloſſa penultima in fine cap. Penultimi de cler. excom. miniſt. vbi Antonius, & Abbas in fine*; quocirca tenebatur Epiſcopus illo tunc tutiorem ſequi partem abſtinendi, ſcilicet, ab exercitio ordinis, vt probè *Auila part. 1. diſp. 2. dub. 5. in fine.*

23 Cæterum eſto hanc ſententiam hac ratione confirmatam iudicem probabilem; probabiliùs tamen abſolutè affero poſt ſufficiẽtem diligentiam, permanente dubio, expoſi
24 tum, vt legitimum habendum eſſe. Ad quod declarandum præmitto, vt exploratum, ſi de expoſiti parentibus tandem aliquando conſtiterit ob ſolam expoſitionem, nullam Expoſitum ſubire irregularitatem, cum à nullo iure hæc expreſſa ſit, vt probè *Maiolus* maximus irregularitatũ aſſertor, & *Soarius citatus numer. 10.* quo adnotato, probatur concluſio: primò, quia quilibet eſt dignus, niſi probetur contrarium, *capit. Vnico de ſeru. & cap. Dudum de præſump. Gloſſ. cap. Cum deputati de iudic. & ibi expoſitores.* Secundò probatur ex *cap. Cum Deputati citati* vbi Præceptores quidam apud Religioſos militiæ Templi, tanquam infames ob ignotam generationem à iudicijs reijciebantur; qui tamen auctoritate Apoſtolica ob id minimè infames declarantur; ergo idem cenſendum eſt in caſu noſtro; ſicut enim illi, & ſi ſub dubio natalium, habebantur tamen vt infames; vel quia tales fugere ſolent patrium ſolum *19. quæſt. 2.* vel quia ambigebatur, vtrum eſſent ſerui; ſic etiam de expoſitis dubitatur, an illigetimi ſint ex nonnullis coniecturis, vt infra; ergo ſicut illi præceptores neque infames, neque ſerui dicuntur, ita hi neque illegitimi. Tertio quia, vt in declaratione opinionis ſecundæ vidimus, hoc ſanè dubium non facti, ſed iuris potiùs eſt, quo dubitamus an irregularitatem ius impoſuerit huic defectui dubio; quum igitur in dubio iuris nullus cenſendus ſit irregularis, *cap. Is qui de ſent. excom. in 6.* vt probè poſt multos tenet *Sanchez lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 42.* neque in caſu noſtro. Quo fundamento ruit momentum pro prima opinione allatum ſecundo loco *numero 1.*

Inſtabis, huiuſmodi iura militare, quando res omninò eſt dubia, vel paris rationis, vt ita dicam; at in hoc caſu præterquam quod dubium eſt facti, matrimonij ſcilicet, quod non ſupponitur, vt primam expendentes opinionem *num. 2.* diximus, deinde verſamur in pœna irregularitatis; & præſumptio eſt ex parte illegitimorum natalium; quales plerunque ſolent eſſe horum expoſitorum; quæ enim communiter accidunt, ſunt credenda *leg. ſiue poſſidetis C. de probat. & Gloſſ. leg. Neque natales eodem titulo*, at rarò contingit huiuſmodi infantes ratione paupertatis exponi, cum ex hoc parentibus reſultet infamia.

25 Verùm enim verò circa hoc dubium facti, quod primò obijcitur, & pœnam irregularitatis ſecundò obiectam ſatis ſuperque factum à nobis cenſeo, dum primam obiectionem ſecundæ opinionis ſoluimus *num. 17.* Ad tertiã autem inſtantiã reſpõdeo gratis etiã concedendo cũ *Soario de cenſ. diſp. 5. ſeſſ. 4. num. 2.* plerunque ita euenire, vt ex illegitimo congreſſu expoſiti ſint nati; non tamen ſemper, vt deducere eſt ex *2. Exodi* vbi legitur Moyſes legitimus quidem, expoſitus tamen fuiſſe, idemque ſupponitur in *cap. Vnico de infant. expoſit.* in illis verbis. *Hoc ipſo fuit à poteſtate patria liberatus*; hoc enim propriè filio tantum legitimo competit per *Textum §. Vltimi Inſtit. de nupt. & §. Vltimo, iuncta Gloſſa Inſtit. de patria poteſt.*

quod

quod ſatis eſſe videtur, vt in fauorabilibus hi legitimi habeanrur; atque è re, & magis ratione eſt plures occulta nota laborantes admittere, quam paucos omninò expertes, atque innoxios reijcere; quocirca non immeritò ius & canonicum, & ciuile, ex pietate, fauoribus Expoſitos proſequuntur, vt videre eſt in *Capit. Vnico de infant. expoſit.* vbi Serui expoſiti libertate, & Liberti ingenuitate donantur, vt in *C. eodem dem titulo. & leg. Nemini, de Epiſcop. audien.* Textui verò citato reſponderi poſſet quicquid ſit in alijs caſibus, illud certum eſſe in hoc de irregularitate, in Expoſitum ſancitam non eſſe, quippequi exiſtente dubio cenſendus non eſt irregularis, quòd hæc pœna dubio defectui impoſita non eſt, vt magis ex dicendis patebit.

26 Addo in dubio eam eſſe coniecturam aſſumendam, quæ delicti præſumptionem excludat; at verò contrariæ opinionis Doctores coniecturæ delicti præſumptionem inuoluenti nituntur: quam rationem proſequuntur infra pro hac ſententia Doctores citandi. Demum non video, cur paupertas, vel alius titulus non æquè latè papateat, ac timor illegitimi concubitus alioquin manifeſtandi, vt æquè ſaltem, nè dicam magis, expoſitionem infantium dicatur cauſare, quàm occultatio dicti delicti, eo potiori iure, quòd illegitima copula plerūque intercedere ſolet eas inter perſonas, quibus ſecundùm cętera facilis eſſet mōdus occultè creandi prolem, quàm per ſummam impietatem illam exponant.

27 Quartò, quòd auctore *Henriquez de Sacrament. Ordinis capit. octauo, numero* 10. *in Gloſſ. littera H.* quem citat, & ſequitur *Auila diſputat. 2. dub. 5. concluſ. 2. & diſputat. 3. dub. 9.* fertur Gregorius XIV. decreuiſſe, tanquam legitimos, & puri ſanguinis expoſitos habendos eſſe, vt docent idemmet *Henriquez, & Auila*, ſpeciatim ad omnes præbendas; quia in dubio nemo debet præſumi infecti ſanguinis. Huic etiam ſententiæ ſubſcribunt *Soarius laudatus* probabiliter *numero 4. Ananias, & Felinus adud Couarrubiam citatum pro ſecunda opinione Paleottbus de Nothis, & Spurijs cap. 63. num. 3. & 7. Bermondus de public. concubin. in verbo, Qui etiam filios ex tali concubinatu, numero 90. Menochius de præſumption. libro 6. quaſtione 54. numero vigeſimo, & de arbitrar. caſu 396. numero 15. Geranda de priuiieg. explicat. à numero 1441. Emmanuel Rodriquez quæſtion. regular. tomo primo, quæſtione 13. articulo primo, & quæſtione 14. articulo tertio, Aegidius ConincK diſput. 18. de irregular. dub. 12. num. 105.*

Obijcies, Lex quantamque pœnalis ad ſingulos extendenda eſt caſus, in quibus ratio inuenitur eadem à lege expreſſa, vt ex communi ſententia docent *Abbas cap finali numero decimo, & vndecimo de reſcript. & cap. Nihil numero nono de electon. Lambertinus de iur. patronat. libr. 2. part. prima quæſtione decima. articulo quarto in fine, Molina libro primo de primogenit. capit. quinto numero decimo, Syluester verb. lex, quæſtione 18. & verb. pœna 4. & verb. argumentatio quæſtione prima, Sanchez libro tertio de matrimon. diſputat. 42. numero quarto, apud quos alij*; ergo ſicut in dubio facti quis cenſendus eſt irregularis ex *capit. Ad audientiam, & capit. ſignificaſti, il ſecondo, & capit. Penultimo de homicid.* & ex multis docet *Sanchez libro primo oper. moral. cap. 10. num. 42.* ſic in dubio legitimorum natalium ſentiendum eſt.

28 Reſpondeo præter quàm quòd noſter caſus dubium videatur inuoluere, iuris potiùs, quàm facti, vt ſupra; quia tamen idem de homicidio dubio dici poſſet; aio probabilius eſſe, non deberi ad ſimiles caſus extendi legem, quoad pœnam incurrendam; etenim talis lex non omninò pendet à ratione, ſed ex legislatoris eam pœnam imponentis arbitrio; quod maximam habet vim, dum de irregularitate agitur, quam *capit. Is, qui citatus de ſentent. excommunicat. in 6.* ſanciuit non eſſe inducendam ex rationis ſimilitudine, ſed quando in iure fuerit expreſſa; ſic habent *Antonius capit. finali, numero 58. de conſuetud. Caſtro libro primo de leg. pœnal. capite ſeptimo documento tertio*; additque ſecus eſſe in alijs legibus, quæ adeò pendent ex ratione, vt hæc earum dicatur mens, & anima: ex quo neceſſariò fit, vt, vbicunque eadem militat ratio, eumdem prorſus locum habeat lex; in pœnis autem lex pendet à voluntate imponentis; nam etiamſi rationis lumen dictet crimina punienda eſſe; ad hanc támen, vel illam ſtatuendam pœnam minimè cogit.

29 Quamobrem in pœnis argumentum à ſimili non valere tradit *Gloſſ. Reg. in pœnis 49. verbo in pœnis de regulis iuris in 6.* quam regulam optimè declarat *Molina tomo primo de iuſtit. & iur. tractat. ſecundo diſputat.* 117. §. 4. pœnas docens comprehendere tantùm delicta, ob quæ ſtatutæ ſunt, non autem alia æquè grauia, vel grauiora; quod alijs etiam indicauit poſtea *Soarius 3. parte quæſtion. 67. articul. 8. in commentario, §. maius verò dubium eſt.*

30 Obijcies ſecundò, lex quantacumque pœnalis in animarum fauorem lata, ad peccati periculum vitandum non cēſetur odioſa, & reſtringenda; immò fauorabilis, &

amplianda, vt docent *Hoſtienſis Capit. Penultim. in fine. Qui filij ſint legitimi, ibi Ioann. Andreas numero quinto, Antonius numero 9. Ancboritanus numero 5. Abbas numero quinto, & ſexto, Sanchez libro primo de Sponſalib. diſputat. 39. numer. 5. & alij apud hos.*

31 Reſpondeo primùm, id repugnare in irregularitate; vt in ſolutione ſuperioris argumenti ſtatutum eſt; neque hanc ſententiam ſequenti aliquod animæ periculum imminet; cum ille poſſit in hoc dubio probabiliter ob rationes adductas credere, non eſſe irregularis; quamobrem *Soarius de irregular. diſputat. 50. ſection. 4 numero 4. 5. Vnde dico tertio*, meritò ait, huiuſmodi Expoſitum poſſe, ſi velit, in conſcientia conformari huic opinioni, quæ graues habet coniecturas, & Auctores; & poſſe ſine ſcrupulo, abſque diſpenſatione ordinari, & ad quamcumque dignitatem promoueri: fauet *Sanchez libr. primo oper. moral. capite 10. numero 48. verſic. ad vltimum dic. nec non Nauarr. capit. ſi quis autem numero 41. de pœnitent. diſtinct. 7.* vbi ait, in dubio tutiorem partem eſſe amplectendam in ſolis caſibus à iure expreſſis, & in *capit. Ad audientiam, & capit. ſignificaſti il ſecondo de homicidio.*

32 Hinc ad *textus numero 4.* pro ſecunda opinione allatos dico Expoſitos in ordine ad irregularitatem non habendos eſſe illegitimos; quippe pœna in dubio non eſt impoſita, & Expoſiti à iure potiùs fauore afficiuntur, quàm è contra.

CAPVT IV.

An ignotis natus parentibus, vel de quibus vtrum legitimè generauerint, dubitatur in Epiſcopum promoueri poſſit.

SVMMA.

Cuius ignorantur parentes, illegitimus non eſt habendus num. 1.

Nullus illegitimus habendus, ni moraliter euidenter ſit talis. num. 2.

Siue intercedat dubium negatiuum, ſiue propenſio ad aſſerendam illegitimationem, ſiue opiniones eſſent probabiles in vtranque partem, ſiue contraria ſit probabilior, ni euidens moraliter ſit illegitimatio, talis non habenda. num. 3.

Putans eſſe irregularis, vt talem ſe gerere tenetur, etſi poſſet in contrarium efformare conſcientiam num. 4.

Matri etiam in diſcrimine vitæ filium illegitimum aſſerenti, non tenetur filius credere qui non habendus eſt irregularis. numero 5.

Etiamſi probaretur eo tempore matrem adulterium commiſiſſe, quo filium concepit, ſi tamen cohabitans viro fuerit, eumque pepererit, legitimum habendum eſſe, numero 6.

Etiamſi eum peperiſſet extra domum mariti. num. 7.

Eodẽ pacto filius concubinæ domi retentæ Concubini cenſendus eſt, & naturalis. num. 8.

Legitimus habendus filius, quem poſtquam recognouerunt parentes, negant legitimum eſſe. num. 9.

Coniectura ad illegitimos natales probandos. num. 10.

Quomodo probari poſſit poſſeſſio filiationis. num. 11.

Apud quem iudicem cauſa illegitimorum natalium agitanda ſit. num. 12.

Filius ſuppoſititius ex ſola ſuppoſitione non eſt irregularis. num. 13.

1 EX varia deciſione caſuum, quos agitare ſolent Auctores huius capitis, nodus ſoluendus eſt, & primus affertur de eo cuius ignorantur parentes, tametſi non fuerit expoſitus; quem abſque dubio irregularem non eſſe ſiue ad ordines, ſiue ad Epiſcopalem dignitatem, exploratum habeo. Deducitur ex vltima, quam *ſuperiori capite* amplexi ſumus, opinione; etenim in hunc nulla viget præſumptio expoſitionis, quæ in Expoſitum negotium faceſſebat. Quocirca primis momentis, quibus noſtram ſuperiori capite probauimus ſententiam, hæc etiam confirmatur, quam in terminis habet *Villadiego cap. 10.* quem citat, & ſequitur *Auila 7. part. diſput. 3. dub. 10.*

Secundus caſus eſt de illo, qui quidem cenſebatur antea legitimus, cœpit autem poſtea vel per infamiam, vel aliquo alio nomine illegitimus haberi. Huic caſui, quem multis modis figuratum ſoluemus, generalem præmittere regulam operæ pretium duximus; ex qua ſolutiones omnes deducendæ ſunt.

2 Sit igitur vnica concluſio. Nemo habendus eſt illegitimus, ni euidenter credibile ſit (vt in humanis ſolet) eum eſſe talem. Huic aſſertioni quotquot Auctores infra pro ſingulis ſolutionibus allegandi ſunt, ſubſcribere tenentur; & probatur primò,

quia

quia filiatio cum de difficillimis probatu ſit, probationibus coniecturalibus ſatis eſt, vt conſtet, ſic probè *Antonius apud Abbatem numero decimo, capit. Tranſmiſſa, qui filij ſunt legitim.* Coniecturæ autem, aſſertam euidentiam credibilitatis parere debent. Secundò, quatuor modis caſus hic illegitimorum natalium figurari poteſt. Primò, vt ſufficienti facta diligentia (quam neceſſariam omninò ducimus, Auctorum conſenſu) perſeueret adhuc dubium merè negatiuum, animuſque ſit pendulus, & anceps in neutram partem inclinans: Secundò, vt dubium ſit negatiuum quidem, cum quadam tamen propenſione maiori ad partem affirmantem, vel è contra. Tertiò, vt probabiles ſint opiniones de vtraque parte, tam affirmatiua, quàm negatiua, cum formidine tamen alterutrius. Quartò quando probabilior altera fuerit opinionum, ſiue negatiua, ſiue affirmatiua: ſed quouis ex his modis res ſe habeat, quis cēſendus nō eſt illegitimus, neque irregularis; neque alius ſupereſt, quo cenſeatur talis, niſi per moralem certitudinem ex euidentia credibilitatis reſultans; igitur ex hac ſolùm quis habendus eſt illegitimus. Conſequentia eſt probè deducta, maior verò propoſitio patet tum è ſufficienti enumeratione modorum, quibus poteſt ſuſpicio aliqua oriri illegitimorum natalium: tum ex vltima minoris propoſitionis parte probanda conſtabit; minor igitur propoſitio per varia membra explicanda eſt.

5 Itaque ſi poſt ſufficientem diligentiam dubia res eſſet, negatiuo dubio, an Titius eſſet legitimus nec nè, qui antea legitimus cenſebatur, legitimus habendus eſt. Probatur quòd in dubijs, vbi par eſt ratio, melior eſt conditio poſſidentis: ſed hic, de quo agimus, eſt in poſſeſſione filiationis legitimæ; ſic enim primo putabatur, vt ſupponimus: ergo vt legitimus habendus erit. Maior propoſitio, tum ex ſuperiori capite conſtat, tum ex textu manifeſto in *cap. Lator, qui filij ſint legit. adiuncta Gloſſ. verb. probare legitimè: in cap. Tuam. de ord. cognit. cum ſua Gloſſa, & cap. Accedens de purg. canon.* vbi Expreſſius noſtra docetur aſſertio, nimirum ſi quis publicè ſit infamatus de illegitimis natalibus, & per ipſam infamiam conſtare non poterit, eius admiſſa purgatione, ordinetur; vt enim probè notat ibi *Abbas numero ſexto ex quo ſemel quis habitus, & reputatus fuit pro filio Sempronij, fama ſequens in contrarium non nocet: idem habent Lanfrancus, & Felinus laudati à Zeccharia in additionibus ad Abbatem ex varijs textibus.* Quamobrem licet aliquis rationabili adhibita diligentia dubius remaneret ab intrinſeco, quia rationes in alterutram partem non haberet vrgentes; poterit tamen per extrinſeca principia determinatum efformare iudicium, quo ſibi licere putet alterutram partem, & opinionem ſequi, ac proinde ſe non eſſe illegitimum, exiſtimare; cum hanc ſententiam graues habere patronos ſciat; fauet in ſimili caſu *Sanchez libro primo oper. moral. capit. nono numer. decimoſexto.* Quòd ſi tali adhibita diligentia, eo pacto reperiatur quis affectus, vt ſi aſſenſum eliciturus ſit, aſſertiuus ſit futurus illegitimorum natalium potiùs, quàm legitimorum, idem de hoc ferendum eſt iudicium, ac de habente dubium merè negatium, de quo paulò ante diximus; etenim talis affectio addita ambiguitati, quædam ſuſpicio eſt, de qua, ſiue certum, ac poſitiuum includat iudicium, ſiue non, idem ſentiendum à fortiori, ac de eo, qui minus probabilem amplectitur opinionem, de quo mox dicam. Si quis igitur ſequens opinionem æquè probabilem, nè dicam probabiliorem, docentem ſe non eſſe illegitimum, ex coniecturis probabilibus, inter quas principem obtinet locum poſſeſſio, vt ſuprà diximus, & præſumptio, poterit abſque ſcrupulo ordinari, & in Epiſcopum promoueri; immò ſi minus probabilem iudicaret opinionem docentem, ipſum eſſe legitimum, adhuc poſſet, vt legitimus, ex contraria opinione minus probabili, ſe habere, atque exiſtimare; nam cum arbitretur, quam ſequitur opinionem, eſſe ſanè probabilem, nec temerè, neque imprudenter agit, dum rationis ductu, & ex cauſa practicè iudicat, atque operatur, neque aliquis ad melius, & perfectius obligatur, dummodo ſine peccandi periculo operetur; neque ad omnimodam rei certitudinem, ad quam corporeis impeditis vinculis haud facilè, prò præſenti ſtatu, peruenire poſſumus, qui noſtram ſcit imbecillitatem, Deus nos obligat. His itaque ducti rationibus, quamplures ſentiunt Authores, licitè poſſe quempiam, relicta probabiliori, minus probabilem amplecti ſententiam, & ex ea operari, quin peccati formaliter conſiderati periculo ſe exponat, ſic optimè *Vaſquez 1.2. diſputat. 62. capit. quarto, numer. 14. Suarez 5. tom. in tertia part. diſputat. 40. ſection. 5. numer. ſexto, Valentia 1.2. diſputation. 25. quæſtion. 12. punct. 6. quæſtione prima, & alibi Henriquez libro 14. de irregular. capit. tertio numer. tertio, Azor. tomo primo libr. 7. capit. 16. quæſtione 2. 3. & 4. & alibi, Sanchez libro primo oper. moral. capite nono numero 14. Auila in terminis de hoc*

ipſo caſu diſp.3.dub.10. Nauarr.lib.3. de reſt. cap.1. dub. 13. in noua editione num. 237. & alij apud hos; igitur quouis ex his enumeratis modis ſe res habeat, non habendus eſt, quis irregularis, quamobrem quum alius reliquus non ſit, quam ex euidenti credibilitate illegitimorum natalium ortus modus, vt diximus, hoc deficiente, nullus in ordine ſaltem ad pœnam irregularitatis, cenſendus erit illegitimus: neque maior deſideranda eſt in hoc caſu euidentia, quę vix haberi poterit; vt enim probe, *Panormitanus aduertit cap. Accedens de purg. canon. num.6.* ſi infamatus de illegitimis natalibus, filiationem vellet probare, credibilitatem potius probaturus eſſet, quam ipſam filiationem; ſubſcribit, *Soarius de irreg. diſp. 50. ſect.4 num.6.* Nam neque matris dictum, neque certitudo adulterij ad maiorem ſufficeret euidentiam; quæ tamen in eo, vel ſimili reperiretur caſu, quando de certitudine adulterij conſtaret, & euidens eſſet abſentia mariti tempore conceptionis; verum tunc certior eſt noſtra regula; nam ſi euidentiam credibilitatis ſufficere dicimus, potiori iure, euidentia ſatis erit facti; at cum hic caſus vſu frequens non ſit, addidimus idcirco, ſi ex alijs varijs circumſtantijs illegitimi natales euidenter credibiles fierent, habendum tunc eſſe natum ex illis irregularem, neque ordinandum ſine diſpenſatione. Quænam autem ſint hæ circumſtantiæ longum eſſet perpendere nonnullæ tamen ex caſibus adducendis pateſcent.

4 Ex his deduco primo cum *Soario modo laudato* ſi quis, ſiue ex leuitate, ſiue ex nimia credulitate ſe arbitretur eſſe irregularem, in conſcientia ita ſe gerere debere; quamuis poſſet ſcrupulum deponere, credulitatemque mutare, & efformare conſcientiam ex probabili contraria opinione.

5 Fit ſecundo matri tantum aſſerenti, etiam in extremo diſcrimine vitæ, filium eſſe illegitimum, non teneri hunc fidem adhibere, neque habendum eſſe irregularem; ratio eſt primo, quia dictum ſolius matris credibilitatem moraliter euidentem non habet, cui conquieſcere teneatur filius; ſecundo, quia ex eo, quod quis natus ſit ex vxore alicuius, præſumitur genitus ex legitimo coniuge, ni probaretur tempore conceptionis illum aliquo impedimento, abſentiæ, *ver. grat.* vel ſimili detentum, vel impotentem fuiſſe ad generandum; Tertio quod allegaṅti ſuam turpitudinem non eſt credendum, vt in *Regulis iuris* habetur, cum tanto tertij præiudicio, eo, vel maxime, quod genius muliebris ſit, alios pręter modum amare filios; alios odiſſe. Quarto manifeſto comprobatur è textu in *c. Per tuas oſtendo de probat.* vbi licet ad fundandam præſumptionem contrariam fuiſſet, quòd per ſeptemnium prolem illa mulier non ſuſcepiſſet ex illo homine: licet ab eodem diuertiſſet; licet poſtea intaſſet filium non fuiſſe ſuſceptũ ex illo ipſo homine, in cuius domo enixa erat; nihilo tamẽ minus iuncta hęc primam præſumptionem, tum partus domi illius habiti, tum teſtificationis eiuſdem, tum recognitionis patris non valuerunt infirmare; ergo, & in caſu noſtro; Quinto demum patet ex *Cap. Officij adiuncta Gloſſ. de pœnit. remiſſ. vbi Couarrub. reg. peccatum, prima parte, num.3. & 6. docent præterea Theologi in 4. diſt. 15. quos videre eſt apud Sotum 4. de iuſt. qu.7. art.7. ad 2. Suarez. diſp. 50. ſect.4. numero quinto Leſium lib. 2. de iuſtitia capite decimo dub. ſeptimo num. 51. ConinK. diſputat. 18. de irreg. dub. duodecimo in fine Idem tenent Canoniſtæ in cap. Per tuas de probat. Abbas numero quarto, & cap. Accedens de purgat. canon. numero ſexto, & quamplures apud Zacchariam ibi in additionibus*: conſtat denique ex iure ciuili *leg. filium ff. qui ſunt ſui, vel alieni iuris; & ibi Bartol. & in leg ſi Poſthumus 14. de liberis, & poſthumis Nauarr. capit. vigeſimo ſeptimo numero 201. apud quem Hoſtienſ. capit. Primo de filijs presbyterorum Caſtro lib. 2. de leg. pœn. cap. vlt. concluſ.3. & alij.*

6 Colligo tertio etiamſi probaretur eo tẽpore matrem commiſiſſe adulterium, ſi tamen cohabitabat viro ſuo, huius præſumendum eſſe filium, & non adulteris & ratio eſt, quia cum poſſet vtriuſque eſſe filius, præſumere debemus in fauorem filiationis legitimæ, & à marito, vt rectè, *Abbas cap. Accedens de purg. canon. in fine, & cap. Tranſmiſſæ, qui filij ſint legitimi numer.9.* fauente textu *in leg. Miles 5. Defuncto ff. de adulteris.*

7 Idemque iudicium ferendum de eo qui naſcitur de concubina domi detenta, qui præſumendus eſt filius concubinarij, & naturalis, in ordine ad diſpenſationem habendam, ſic *Gloſſ. in capit. Michael. de filijs presbyterorum allata ab Abbate numero decimo.*

8 Quod ſi mater Filij eum peperiſſet extra Mariti domum, etiam in loco ſuſpecto, ſi tempore conceptionis cum marito agebat, huius filius legitimus cenſendus eſt, etiam matre negante, docet *Abbas capit. Officij de pœnit. & remiſſ. num.3. ex lege Miles 8. Defuncto ff. de adulter.*

9 Colligo quartò, idem iudicium ferẽdum de eo, cuius parentes negarent eſſe ſuum filium, poſt quàm eum aliquando habuerint, & recognouerint, vt talem, ſic expreſ-

ſè *Panormit.in cap. Per tuas de probat. num.* 4. & probatur ex *Gloſſ.cap. Tranſmiſſæ: qui filij ſint legitimi, verb.iudicijs, ibi, & videntur ſufficere huiuſmodi indicia ſi probet (filius ſcilicet) quòd illi tenebant eum pro filio, & ille eos pro parentibus; & maxime ſi fama viciniæ conſentiat, vt docet Decretum, Per tuas, & quia natus eſt de illorum matrimonio, quia is filius eſt, quem nuptiæ demonſtrant ff. de inius vocat.* Quòd ſi abſolutè ponatur caſus, & ante quàm parentes recognouerint, vt filium Titium, dicant non eſſe eorum filium, ni aliæ vrgerent coniecturæ, ac probationes in contrarium, ſtandum eſſet dictis parentum, & de illo nato iudicium ferendum, ac de eo, cuius parentes neſciuntur, vt in primo caſu diximus.

10 Vt autem coniecturas aſſignemus ad legitimos, atque illegitimos natales agnoſcendos; Primò dicimus, ſolam educationem in domo alicuius non ſufficere, vt quis ipſius filius dicatur, vt probè *Abbas in citato Capit. Tranſmiſſa*. Secundò, ſi ex parte filij ſola fama viciniæ ſit: in filium verò, parentum aſſertio illegitimum eum teſtificans, parentibus habenda eſt fides, vt ex eodem textu idem deducit *Auctor numero tertio*. Tertiò, ſi quis eſſet in poſſeſſione filiationis, vt nos *numero nono* diximus, ex ſolo parentum dicto non excludendus eſt ab hæreditate, neque à iure legitimæ filiationis, & per conſequens non habendus irregularis, per *leg.Primam* §.11. C. *de Car.Edic. l. ſi poſthum. § finali, ff.de liber. & poſthum.* & notat idem *Abbas numero quarto; & per Cap. Accedens de purg.canon. numero ſexto*. Niſi maritus probaret ſuam abſentiam, vel impotentiam, qua tunc temporis laborabat, quando hic filius genitus eſt, ex *leg.filium, ff.de his, quæ ſunt ſui, vel alieni iuris, vbi Bartol.ſupra*; idem ſentiendum, ſi mater probaret, ineptam prorſus tunc fuiſſe ad conceptionem.

11 Probare verò poteſt hanc poſſeſſionem filius, ſi probauerit vel natum ſe ex ea, quæ vxor erat Titij Patris, cui neganti fides habenda non eſſet ex *leg. filium modò citata*, & docet *Abbas citatus numero decimo*, quem ſuperiori caſu nos ſequuti ſumus, idque certius eſt, fama viciniæ filiationi fauente, per *leg. ſi viciniis ſcientibus Cod. de nupt.* Deinde ſi probauerit ipſum tamquam filium à parentibus antea habitum, quos vt tales ipſe colebat, vt indicauimus ſupra *numero nono*, docetque *Bartolus in leg. Quidam, ff.de probation.* & indicat *Gloſſ.penultim. capit. Tranſmiſſæ*, quam perpendit *Abbas citatus numero decimo*; talem enim rationem habendi hunc, vt filium in parentibus, & eos habendi, vt parentes in filio antecedentem, meritò præponderare docet Gloſſa negationi ſubſequenti parentum; cui fauet *Cap. Per tuas de probation.* Tertiò, ſi probauerit etiam ſola fama, quam, ſi nihil in contrarium adduceretur ad filiationem oſtendendam, ſolam etſi ſatis eſſe docuerit *Antonius apud Abbatem citatum numero decimo*. At probabilius contrarium mihi ex ipſomet *Abbate* videtur. Quamobrem alijs coniecturarum adminiculis fama, quæ ſola non ſufficit, fouenda eſt, per *Cap. Veniens de teſtibus, vbi idem Panormitan.* Fama igitur cum poſſeſſione filiationis ſatis abundè videtur eſſe, ad oppugnandum vtriuſque parentis dictum; ſecus ſola, vt patet etiam ex *leg.prima C.Carbon.Edict.* & ſicut fama ſola ſubſequens minimè nocet filio præhabito tanquam legitimo, vt multi relati à *Zaccaria in Additionib. ad Abbatem cap Accedens de purg.canon.* ita à pari non poterit euertere ſola dictum parentum.

12 Verum autem quæſtio legitimorum natalium ex inſtituto, & principaliter moueri poſſit Eccleſiaſticum apud Iudicem? noſtra nunc non intereſt; videri tamen poterunt *Angelus in leg. Quoties de iudic. Capicius deciſ.7. Praxis Curiæ Archiepiſcopal. Neapolitan. cap. 78. numer.* 4. Illud autem exploratum habeo, ad finem ordinationis, promotionis ad beneficium, vel ad dignitatem, maximè Epiſcopalem promouenti, ac Summo Pontifici conſtare legitimos debere natales.

13 Colligo quintò filium ſuppoſitum, neque ex ſola ſuppoſitione irregularem eſſe; cum nullibi hæc ſancita ſit irregularitas in ſuppoſitum, vt probè *Soarius diſputat. 50. de irregul. ſect. 4. numer. 9.* neque e nuda matris aſſertione atteſtantis eum ſuppoſuiſſe, habendum talem, per eadem momenta rationum, quibus *Corollarium 2.numero quinto* probauimus, eſt enim idem caſus, ſi benè perpendatur; etenim non modò à filio fides habenda non eſt matri, tantum aſſerenti, ſe fuiſſe adulteram, cum eum concepit; ſed nec etiam, expreſſis verbis aienti ex adultero eum concepiſſe; vt ex communi Doctorum ſententia vidimus; quamuis ex hoc ſequatur mendacem haberi matrem; quod conſenſu Doctorum parum referre videtur; igitur etſi, dum filius non credit matri dicenti, eum eſſe ſuppoſititium, opus ſit, vt eam mendacem iudicet, id ad rem non faciet, neque idcirco tenebitur, in ſui detrimentum id credere. Quare non placet *Soarius* inter hos duos caſus diſcrimen ſtatuens *numero octauo* non

tamen inficior, in primo caſu, quin matrem iudicet filius mendacem, arbitrari poſſe, eam falli, aſſerentem ex adultero concepiſſe ob difficultatem notitiæ certæ conceptionis, potiùs ab adultero, quàm à viro. Itaque ſicut aliundè ex aliis coniecturarum adminiculis manifeſti moraliter eſſe debent natales Illegitimi illius, qui à matre dicitur Spurius, vel Adulterinus; ſic etiam illius, qui dicitur Suppoſititius. Illud autem compertum habeo, non neceſſariò illegitimum eſſe, neque irregularem Suppoſitiuum; cum ex legitimis natus eſſe poſſit parentibus, qui quidem faciliori negotio conſulentes proli atque impiè eam non exponẽtes, alteri poſſunt tradere ſibi ſuppoſititiè arrogandam. Quamobrem maiori præſumptione ſuppoſita proles legitima cenſenda eſt, permanente poſt debitam diligentiam dubio, quã expoſita; & momenta, quibus in dubio ſuperiori capite probauimus Expoſitum cenſendum eſſe legitimum, & non irregularem, à fortiori probant idem de Suppoſitis, quod confirmatur ex *cap. Officij, de pœnit. & remiſ. adiuncta Gloſſ. verb. deneganda, vbi Abbas num. 3.*

DISPVTATIO III.

De vi ſubſequentis Matrimonij ad prolem legitimandam.

Quam illegitimorum natalium notam ſuperior expoſuit Diſputatio, huius delendæ primam rationem; & quidem canonicam, legitimationem ſcilicet per matrimonium ſubſequens;præſens indicabit: Sequẽs excipiet ſecundam, ingreſſum nimirum Religionis; quinta demum diſputatio tertiam diſpenſationis declaratura; vt autem prò viribus claritati conſulamus, legitimationem ipſam per matrimonium ita membratim expendemus, vt hoc tantùm capite, à facilioribus initium ducentes, matrimonij ſuperuenientis vim abſolutè ſumptam efficacem declaremus ad prolem omninò legitimandam, ſubſequentibus verò capitibus hanc ipſam matrimonij vim varijs quaſi rerardatam impedimentis enucleaturi.

CAPVT PRIMVM.

An ſubſequens matrimonium validum prolem omninò legitimet.

SVMMA

Quaſtiones diſputandæ, num. 1.
Diſcrimen inter legitimationem, & diſpenſationem in legitimis natalibus. num. 2.
Prima opinio Naturalem, vt à Notho diſtinctum, tantum per matrimonium legitimari docet, num. 3.
Diſcrimen inter inſtrumenta matrimonialia, & certos parentes. num. 4.
Secunda opinio legitimari quidem docet matrimonio ſubſequenti prolem ad ordines & beneficia, cateraſque dignitates Epiſcopatu minores, non autem ad Epiſcopatum. numero 5.
Quoduis validum etiam infidelium matrimonium prolem legitimat habitam à patribus antea non impeditis ad contrahendum. num. 6. & 7.
Ad legitimandam prolem non indiget matrimonium inſtrumentis dotalibus. num. 8.
Declaratur vis verbi Habeantur, *quando veniat pro* ſit, *& quando verbum ſit fictitium. num. 9.*
Matrimonium habet vim legitimandi, tametſi contractum immediatè non ſit. numero 10.
In fine vitæ contractum etiam excludit ſubſtitutum. num. 11.
Probabilior ſententia docens quemuis natum ex patribus non impeditis per ſubſequens matrimonium legitimari. num. 12.
Etiam ad Epiſcopalem dignitatem. numero 13.
Idque iuris fictione. num. 14.
Expenditur cap. Innotuit de elect. penes variam lectionem. num. 15.
Ad Cardinalatus celſitudinem ſubſequens matrimonium non legitimat. num. 16.

1 DVo in præſentia ſeſe offerunt ad huius dilucidaionem quæſtionis. Primum, an proles à merè ſolutis habita per ſubſequens matrimonium legitima reddatur? Secundum, an non modò ad ordines, verùm ad Epiſcopalem dignitatem etiam legitimetur?

2 Ad quæ præmitto legitimationem quo ad effectum à diſpenſatione in rigore ſumpta,

pta, veluti totum à parte diſtingui, quum illa omnes, ſingulosque effectus illegitimorum natalium, quorum prorſus notam delet, reddat nullos: hæc vero aliquos, vt probè *Panorm. cap. Venerabilem, qui filÿ ſint legitimi Couarr. 2. decretal. part. 4. §. 8. Soar. diſputation. 50. de cenſur. ſection. 5. numero 7. & alÿs.*

3 His prælibatis *Bartol. in leg. Concubina. 1. ff. de concub. & Inſt. de nupt. §. Alioquin, & Inſt. de hæredib. qui ab inteſt. defunc. ac Petrus de Anchorit. apud quem Oldrad.* docent ſuperueniens matrimonium non quamcumque legitimare prolem, ſed naturalem in rigore ſumptam, vt à Notho diſtinctam, cuius conditiones tradidimus *ſuperiori diſputat. cap. 1. num. 1. 2. & 3.* Probatur primo hæc ſententia, quòd iura hanc legitimationem aſſerentia, neceſſariò prolem ex concubina certa, domique retenta natam requirunt. *Inſt. de nupt. §. aliquando. & de hæredit. qua ab inteſt. defunctis, poſt principium* Neque ſacri Canones contradicunt, qui eandem videntur ſupponere conditionem, cum è certis parentibus natos filios per matrimonium legitimandos indicent *cap. Tanta qui filÿ ſint legit. & cap. Innotuit de elect. alÿſq. ſimilib. teſtib.* Secundò probatur ab Abbate. *N*atus non è concubina, ſed è furtino coitu de iure non poteſt oſtendere patrem; eſt enim vulgò quaſi conceptus, neque aliqua viget præſumptio, cur huius dicatur filius, quàm alterius *Arg. leg. Vulgo concepti ff. de ha. hom.* igitur non legitimabitur hic, cum non ſit huius certus filius; quæ videtur ipſiſſima ratio, ob quam ciuile ius certam côcubinam matrem prolis legitimandæ meritò deſiderauerit. Tertiò matrimonium ſubſequens non prolem alterius, ſed huius certi patris, à quo initur, legitimat, vt exploratum eſt, immo indubitatum, atqui hic filius neque ex certa præſumptione eſt huius patris, cum nec vulgati corporis mater aſſerere id certo poſſit; igitur &c. Confirmatur, quia ſicut quando filius, habebatur antea horum parentum, non tenebatur matri, eum aſſerenti ex adultero natum fidem præſtare; quia præſumptio ex parte filiationis erat, vt *ſuperiori diſputat. cap. vltimo num. 5.* docuimus; ita in præſentia, tametſi ipſa mater hanc teſtificaceretur prolem eſſe huius viri, cum præſumptio ſit è parte filiationis vulgatę, vt ita dicam, atque è vulgatò corpore, & vaga penè copula, talis profectò habenda eſt proles, & non magis vnus, quàm alterius patris, neque à matrimonio valens legitimari, cum non certò ſit horum parentum, qui nunc per matrimonium vnica ſunt caro, ſed fortaſſis ex alio patre, & hac muliere, quæ ſuam diuiſit carnem.

4 Quod ſi obijcias ex *Abbate in cap. Innotuit de elect. num. 17.* ad finem, eodem pacto ius ciuile inſtrumenta deſiderare matrimonialia ad legitimationem, quo certam petit concubinam, ex qua proles legitimanda ſuſcepta ſit: atque de illis inſtrumentis canonicum ius non curat; igitur neque de certa concubina. Reſponderi poteſt longè diſparem eſſe rationem; etenim defectus inſtrumenti non eſt ſubſtantialis, cum non cauſet, vel indicet incertitudinem perſonæ legitimandæ; at verò defectus concubinatus, & certæ mulieris domi retentæ loco vxoris ex indubitato congreſſu, filium reddit omnino incertum, cuiuſnam ſit patris; quare non poterit legitimari per huius viri matrimonium. Confirmatur, quia æquè poterat matrimonium inire hoc ſcortum cum alio homine, cum quo acceſſum habuiſſet, etiam quando concepit; & legitimari profectò talem prolem per illud matrimonium omninò abſurdum eſt; etenim vna, & eadem proles per duplex matrimonium eſſet legitimabilis: immo per matrimonium à matre initum non cum patre legitimandi; cum matrimonium igitur inter certos eſſe debeat parentes, & hi demonſtrari, neque in iure præſumi valeant, vim non habebit ad legitimandam prolem, ſed ad certam, aliqua ratione, certorum parentum, quod ſupponere videtur citatum *cap. Tanta*.

5 Secunda ſententia eſt *Raymundi apud Abbatem cap. Ad extirpandas in fine de fil. preſb.* ac Maioli aſſerentium ſubſequens matrimonium legitimare quidem prolem ſuſceptam ad ordines, & beneficia, cæteraſque Epiſcopali minores dignitates, ſecus verò ad Epiſcopalem: deducunt ex *cap. Cum in cunctis de elect.* vbi decernitur, vt Epiſcopus de legitimo matrimonio natus ſit; quòd argumentum indicatur à *Gloſſ. cap. Innotuit de elect. verb. Coniugata*; ergo proles habita ante matrimonium per illud non legitimatur ad Epiſcopalem dignitatem. Confirmatur ex *Trid. decernente ſeſſ. 7. de refor. cap. 1. innixo eidem Conſtitutioni Alexandri Papæ Tertÿ in cap. cum in cũctis citato*, Statuente, nè ad cathedralium Eccleſiarum regimen aliquis, niſi ex legitimo matrimonio natus conſtituatur.

6 Sit prima concluſio. Quoduis validum matrimonium fidelium legitimat prolem habitam à ſolutis antea, & nullo impedimẽto ligatis, quominus contrahere tunc potuiſſent. Eſt communis Doctorum ſententia, eorum præſertim, quos pro vltima laudabimus concluſione; probatur ex *cap. Tanta qui filÿ ſint legimi*, vbi *Gloſſa* aduertit huiuſmodi legitimari prolem, etiam quo ad

ordi-

ordines; cum purget, ac deleat notam illegitimationis matrimonium.

7 Dixi, matrimonium fidelium, quod certum non eſt, an eandem vim matrimonium habeat, contractum à concubinis infidelibus, etſi Sacramentum non eſſet; ita vt proles antea ab ipſis ſuſcepta, baptiſmo poſtea, ſacriſque catholicis initiata irregularis minimè cenſenda ſit: & ex ſe videtur pars affirmatiua vera; tum quia nati ex matrimonio vero infidelium legitimi ſunt ex *Paulo ad Corinth 7. & Innocentio Primo epiſt. 22. &* 24. ergo ius legitimandi prolem matrimonio non vt ſacramento, ſed tanquam humano contractui competit, quod etiam decernitur *cap. Gaudemus, qui filij ſunt legit.* vbi filij nati ex matrimonio contracto cum impedimento conſanguinitatis in 2. 3. & 4. gradu dicuntur legitimi, dum enim Pontifex ibi ait, *Volumus*, nouum ius minimè ſtatuit ſed *pro velle debemus*, eos legitimos explicandus eſt, vt rectè ex *Hoſtienſ. Abbas hic num.* 4. igitur matrimonium validum, vt eſt inter infideles quodcunque, non impeditum ex primo gradu, quamuis ſacramentum non ſit, prolem tamen legitimat: idemque igitur dicendum de ſuperueniente matrimonio ad legitimandam prolem à ſolutis habitam antea: id enim conceditur ob bonum matrimonij, quod eſt fauorabile.

8 Obijcies primò, iura ciuilia *Inſtit. de nupt. §. aliquando, & de hæreditate, quæ ab inteſt. defunct. poſt principium Authent. quomodo nati effic. ſui §. filij*, requirunt matrimonium contractum cum inſtrumentis dotalibus, vt legitimandi vim habeat, ergo non ſufficie purum, ac ſolum matrimonium validum, vt ſentit *Bald. in lib. fœud. in tit. ſi de fœud. fuer. connot. cap. naturalis*. Reſpondeo ex communi Canoniſtarum ſententia, quos citat, & ſequitur *Abbas cap. Tanta qui fil. ſint legit. num. 2. in fine*, quibus iuris ciuilis Periti in praxi ſubſcribunt, negando inſtrumenta dotalia requiri, cuius rationem, quem habemus præ manibus, textus ſubminiſtrat, facultatem matrimonio tantum valido tribuens, ad cuius validitatem dotale non facit inſtrumentum.

9 Obijcies ſecundò. Textus habet, vt huiuſmodi filij naturales poſt contractum inter parentes matrimonium legitimi habeantur; ſed Tò *habeantur* eſt verbum fictitium, ergo reuera non legitimantur. Quo fundamento *Antonius relatus à Panormitano citato num.* 4. docuit, ſi ſtatutum mentionem fecerit de legitimis, non comprehendere legitimatum per ſequens matrimonium; quia ſtatutum non verificatur in caſu ficto ex *leg. 3. §. hæc verba ff. de neg. gerend.* Reſpondeo, quando verbum *Habeantur* ab eo, qui poteſtatem habet, profertur æquiualere verbo abſoluto *ſint*; quare in hoc caſu idem erit *habeantur legitimi*, ac *ſint legitimi*, ſic *Bartol. in l. ſi is, qui pro emptore ff. de vſu capion. & in leg. ſi maritus ff. de adult.* paria eſſe docuit, quando ſtatutum dicit, *habeantur pro ciuibus, ac ſint ciues*, immo Baldus ſe ipſo doctior in *cap. Per venerabilem* tenet oppoſitum, vt notat *Abbas laudatus*, & ſtatutum decernens, exiſtentibus filiis legitimis, & naturalibus, filiam non ſuccedere, habere locum in filio legitimato, ab eodem docetur *Bald. in leg. eam quam C. de fid. comm.* fauet *Alexand. conſ. 87. in 11. vol.* confirmatur ex *Gloſſa cap. Innotuit, vbi Abbas nu. 32.*

10 Colligo ex his, legitimum, & minimè irregularem eſſe Natum è merè ſolutis, rametſi Matrimonium immediatè non contraxiſſent; ſed alter matrimonium inijſſet intermedium cum altera muliere, qua mortua contraheret cum Concubina, ex qua prolem ante quodcumque matrimonium ſuſceperat, quam quidem dicimus per hoc legitimari; ſic *Io: Andreas in Reg. ſine culpa de reg. iur. in 6. quem ſequitur Abbas citatus num. 3. in fine*.

11 Colligo ſecundò, hanc eandem vim matrimonio eſſe etiam in fine vitæ contracto, dummodo, quæ diximus, habeat requiſita; vt probè *Sanchez lib. 7. de mat. diſp. 165. nu. 3.* ex fundamento *cap. Tanta* citati vniuerſalem afferentis regulam. Et etiam tali matrimonio ius excludendi ſubſtitutum, non exiſtente fraudis ſuſpicione, quod cum extra noſtram ſit aleam, apud eundem Auctorem videre eſt *num. 7.*

12 Sit ſecunda aſſertio. Et ſi ſatis ſuperque probabilis ſit *Bartoli, & Anchoritani* ſententia maximè ab intrinſeco cum rationes *nu. 3. & 4.* adnotatas exiſtimem efficaces, ab extrinſeco tamen, & auctoritati Doctorum communi innixa contraria videtur probabilior; nimirum quemuis illegitimum natum è parentibus, qui tunc ſecum contrahere potuiſſent, per ſubſequens matrimonium legitimari; nam vt probè *Angel. conſ.* 39. aduertit determinatio Canoniſtarum, immo & Theologorum procedit in foro eccleſiaſtico, & textus *cap. Tanta qui fil. ſint legitimi* indiſtinctè profectò loquitur, facultati innixus matrimonij, non autem concubinatui, quippe qui canonico iure damnatur *cap. Nemo. 32. quæſt. 4.* & alibi. At ius ciuile cum eo tunc ſaltem concubinatum non damnaret, eſto nunc, auctore Hoſtienſi. Quicunque videatur coitus non vxorius damnatus per *Authent. Vt non luxurientur contra noſtram col. 6. Authent. De lenonibus, & Authent. ſcenicas mulieres col. 3.* Idcirco ex

illa genitos voluit legitimari, vt notat etiam *Abbas cap. Tanta, num. 14. in fine*, è contra verò ius Canonicum cum magis concubinatum, quàm ſimplicem fornicationem damnet, à fortiori debuerat Natos ex fornicatione legitimare, quàm ex concubinatu. Verùm enim verò, quid ſentiendum ſit in iure ciuili, & an huiuſmodi legitimati ſuccedant in feudo? noſtra non intereſt, & ſub iudice lis eſt.

13 Tertia concluſio. Huiuſmodi Illegitimi per ſubſequens matrimonium non modò ad ordines, & beneficia, ſed ad dignitatem etiam Epiſcopalem legitimantur: probatur ex *cap. citato Tanta, vbi Gloſſa, verb. legitimi* expreſsè habet de legitimatione, quo ad honores; quum matrimonium ſequens omnia purget, ac turpitudinis cauſam prorſus abſtergat *C quod metus cauſa leg. 2. ff de cond. obiter, cauſa ſi ob turpem*; eſt enim legitimatio, adæquata quædam diſpenſatio quæ ſicut delet totaliter notam natalium, ita reddit prolem ad omnes etiam honores aptam; & in proprijs terminis De Epiſcopo docet *Gloſſa cap. Innotuit, verbo Coniugata*; ratio eſt, quia legitimatio per ſubſequens matrimonium facta iuris fictione, ad tempus natiuitatis retro trahitur, itant legitimi, non modò habeantur filij, quando matrimonium initur; ſed etiam æquiualenter, ſaltem à tempore natalium tales cenſeantur, vt probè in *cap. Tanta Anchorit. num. 10. Abbas num. 7. & in cap. Innotuit num. 17. & alibi paſſim, Decius cap. Cum in cunctis num. 11. de elect. ex Iuris verò conſultis Bartol. in leg. 2. num. 10. ff. de vulgari apud Tiraquellum de primog. quæſt. 34. num. 34. Couarr. de ſponſ. part. 2. cap. 8. §. 20. numero 26. Conſentiunt communiter Theologi apud Sylueſtrum verb. Illegitimus q. 3. & legitimus num. 4. Soar. diſp. 50. de cenſ. ſect. 5. num. 10. & alios.*

14 Ad rationem in contrarium dicimus, legitimam talem haberi prolem fictione iuris, ac ſi legitimè nata eſſet. Addo in illo c. *Cum in cunctis, vt Gloſ. verb. Matrimonium* notat, conditionem prolis ex legitimo matrimonio natæ, non ad Epiſcopalem modò dignitatem, ſed ad quancumque inferiorem, atque ad quoduis animarum regimen requiri, iuxta *cap. Primum, & Vltimum de fil. presb.* atqui per ſubſequens matrimonium ad alios legitimatur honores, ac dignitates, Epiſcopali minores, & tanquam ex legitimo matrimonio nata cenſetur proles per contrarios etiam Auctores; idem igitur dicendum ad Præſulis dignitatem.

15 Obijcies, textum *cap. Innotuit de elect.* ſæpe citatũ, ex quo iuxta ea, quæ in corpore iuris Canonici habentur, ſine Gloſſis Venetijs, & alibi publicis notis dati ab anno 1587. poſt illa verba, *præripuit quaſi furtim*, leguntur hæc alia, *quo facto eum ipſa infra quadriennium à natiuitate ipſius matrimonium contraxit*, quæ relata ſunt vitioſis tamen, ac mendoſis verbis ab *Antonio Auguſtino collect. 3. ad decretum tit. 6 cap. 5.* ergo, ſi non obſtante matrimonio ſubſecuto diſpenſatio à Papa poſtulatur ad Archidiaconum Eboracenſem in Epiſcopum conſtituendum, ſubſequens matrimonium ad hanc dignitatem ſufficienter non legitimabit. Reſpondeo primo in compilatione Gregorij Noni, relata verba non haberi, ex antiquo autem excerpta codice fidem nõ facere, vt ex proœmio conſtat eiuſdem Gregorij. Secundo aio, illa verba cum legitimo pugnare textu Gregoriano, vbi hæc habentur. *Idem quoque Magiſter adiecit, quod vnquam pater eius habuerat vxorem.* Quamobrem omiſſa potius videntur allegata verba à noſtro compilatore, quaſi è parte Archidiaconum eligente citata. Tertio dico illa, vt ab Antonio Auguſtino referuntur, eſſe mendoſa; quod ſi, vt in Argumento ſunt expoſita, legantur, contra noſtram doctrinam minimè faciunt: etenim cohærere cuncta poſſunt, nimirum, & matrem Archidiaconi eum ſuſcepiſſe ex quodam milite, qui nunquam vxorem habuit, teſtante id Archidiacono ipſo, vt paulò ante retuli: & eandem poſt quadriennium, alium ſuſcepiſſe virum, quo matrimonio, proles ex patre Archidiaconi habita non poterat legitimari, ideoque diſpenſatio ad ipſius legitimationem Archidiaconi deſiderabatur. Quarto incredibile prorſus eſſe videtur, vt cum tot momenta enumeraſſet ſcientiæ, honeſtatis morum, ſpontaneæ confeſſiones ipſius Archidiaconi Innocentius Papa, quibus legitimatio talis perſonæ facilior reddebatur, præcipuum omiſiſſet matrimonij nimirũ initi inter eiuſdem Archidiaconi parentes, quæ ſola ratio ſatis abundè fuiſſet.

16 Obijcies vltimò, ad Cardinalatus Eminentiam filij legitimati per ſubſequens matrimonium aſcendere nequeunt, ergo neque ad Epiſcopatum. Reſpondeo concedendo antecedens ex *conſtitutione 50. Sixti Quinti incipiente Poſtquam, de qua Soarius de cenſur. lib. 6. cap. 10. num. 13. Henriquez lib. 11. cap. 20. num. 2. & alij*; nego ſequelam, & quia tale ius ſancitum non eſt de Epiſcopatu, immo de contrario conſtat, & quia lex pœnalis ſolum ad eos caſus extendenda eſt, in quibus eadem eſt ratio, vt *2. diſp. cap. 3. diximus, num. 27.* hic autem non eſt eadem ratio, quia dignitas Cardinalitia in multis maior eſt Epiſcopali, vt *lib. 1. diſp. 2. cap. 5.* docuimus.

CAPVT

CAPVT II.

An quodcumque matrimonium etiam inualidum, non tamen clandeſtinum prolem legitimet.

SVMMA

Quaſtiones diſputanda. num. 1.

Impedimenta dirimentia, & impedientia matrimonium. num. 2.

Matrimonium vtriuſque cum mala fide contractum vim non habet ad legitimandam prolem. num. 3.

Matrimonium inualidum bona fide vtriuſque, vel alterius coniugis contractum, dummodo clandeſtinum non ſit, prolem ex eo ſuſcipiendam legitimat. num. 4.

Idem aſſerendum, intercedente bona fide alterutrius, quamuis parens mala fidei legitimus non eſſet habendus talis. num. 5.

Legitimus cenſendus eſt talis filius etiam lite mota, licet poſtea ſepararentur coniuges, & licet ante ſententiam ſit concepta numero 6.

Matrimonium inualidum contractum ex bona fide alterius ſaltem coniugis, dummodo clandeſtinum non ſit, legitimat prolem antea ſuſceptam per copulam merè fornicariam. num. 8.

Matrimonium inualidum bona fide contractum legitimat prolem in eo ſuſceptam à parentibus etiam impedimento impediente legatis. num. 7.

Licet probabile ſit, matrimonium ſubſequens putatum verum cum bona fide alterius coniugis legitimare prolem, antea ſuſceptam, probabilius tamen eſt contrarium. numero 9.

Impedimentum dirimens tempore natiuitatis prolis eius non obſtat legitimationi. numero 10.

Probabilius eſt obſtare legitimationi facienda per matrimonium, impedimentum dirimens tempore conceptionis, & ſi tempore natiuitatis ſit diſpenſatione ſublatum. numero 11.

Non modo in foro externo, ſed etiam in interno proles nata ab impedimentum habentibus tempore conceptionis, eſto ſublatum ſit tempore natiuitatis illegitima eſt. numero 12.

1 VIribus matrimonij ex ſe conſideratis ad legitimationem; eiuſdem aliquo pacto vitiati facultatem præſens caput exponet; vitium clandeſtinæ contractionis ſequens excepturum; primo igitur loco in preſentia de matrimonio inualido, contracto ex bona fide alterius, vel vtriuſque coniugis, verum vim habeat legitimandæ prolis ſuſcipiendæ diſputabimus. Secundo, an legitimet prolem ex fornicaria tantùm copula prius ſuſceptam? Demum, an legitimet prolem per copulam cum impedimento dirimente habitam.

2 His autem præmitto matrimonij alia eſſe impedimenta dirimentia eius nimirum eſſentiæ contraria, quam reddunt nullam: alia impedientia illud in irritum minimè reuocantia. Illa ex iure antiquo, & nouo quatuordecim numerantur his comprehenſa carminibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſit affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita ſua
Hac ſocianda vetant connubia, facta retractãt.

Impedimenta verò, vt diſtincta à dirimentibus ſolùm impedientia, quæ ad noſtrum faciunt inſtitutum, duo ſunt, interdictum Eccleſiæ, & tempus feriatum.

3 Secundo, primam difficultatem aggredientes, vt exploratum ſupponimus, matrimonium vtriuſque coniugis mala fide contractum ad legitimationem prolis vim non habere ex *capitulo Cum inhibitio §. ſi quis de cland. deſponſ.* vbi omnes Scribentes; quod verum eſſe etiam, ſi contraxiſſent in facie Eccleſiæ, nemine contradicente, docet ibi *Abbas num. 1. & capitulo Ex tenore qui filij ſint legit.* patebitque clariùs ex infra dicendis.

4 His prænotatis, ſit prima concluſio. Matrimonium inualidum contractum cum bona fide vtriuſque, vel alterius coniugis, dummodo clandeſtinum non ſit, prolem ſuſcipiendam legitimat, patet per Cap. *Ex tenore qui fil. ſint legit. ex quo textu, & Gloſſ. Panorm. num. 8.* etiam legitimari quo ad ordines deducit; & quamuis in ſpiritualibus attendatur veritas, & non opinio, vt ex *Archidiacono in* Cap. *Vnicum de vot. in 6.* notat idemmet, nihilominus tamen in Cap. *cum Apoſtolica de ſponſalib. & matrim.* ſentit contrarium; quod in his attenditur, quod eſt in opinione, & non, quod eſt in veritate, *Leg. ſi qui putat ff. de acquir. hered.* Itaque ignorantia parentum, & putatum matrimonium,

dum

dum auferunt illegitimationem, adæquate illam expungunt, cui hæc à iure poſitiuo, & voluntate Pontificis tribuitur vis, vt ex *Bar-*
5 *tolo* deduco per *Gloſſam in citatam leg. is qui* Probatur ſecundò ex *Cap. cum Inter, qui fil. ſint legit* Et quamuis alter coniux ignoranter contraxerit, nihilo tamen minus hanc eandem vim huiuſmodi matrimonium habebit, quòd ad alterius contractum non cadit in delictum, *Leg* 1. *ff. de adult.* neque eſt ei voluntarium; atque in hiſce atrocioribus dolus requiritur, *leg. 3. ff. ad leg. Cornel. de ſicar. vbi Bart. C. ad leg. Cornel. de falſ. & leg. Quid ſi falſum, vbi Bartol. ff. de falſ.* Et monſtruoſum quidem eſſet vt probè *Gloſſa Cap. finalis de clād. diſponſ* §. *ſi quis*, ſi filij reſpectu vnius parentis, qui vt in bona fide, cenſerentur legitimi, illegitimi vero reſpectu alterius malæ fidei; quod in fauorem filij exiſtimo verum; at reſpectu alterius parentis malæ fidei monſtruoſum non eſt; quo circa filius natus ex matrimonio contracto cum bona fide alterius, legitimus erit omnino, reſpectu etiam patris. ver. grat. ex mala fide contrahentis, qui quidem non habebit iura legitimi patris, cui cum ſuccederet filius, vtpote legitimus; huic tamen non ſuccederet pater, eum non ſit legitimè talis, ſed ſpurius, vt probè *Sanchez lib. 8. de matrim. diſp.* 34 *num.* 46.

6 Hanc autem concluſionem veram eſſe iudicat, *Gloſſa cap. Ex tenore, verb. legitimum,* tametſi naſcantur filij lite mora, licet poſtea ſeparentur coniuges, vel etiam ſi ante ſententiam ſint concepti, *Cap. Cum inter codē*; cum contrarium doceat in eo caſu, quo quis crederetur liber, cum eſſet ſeruus; quippequi ex opinione Eccleſiæ liber haberetur, & legitimus, quo ad ordines, & conſequenter quo ad dignitatem Epiſcopalem ex, *C. ſoluto matrimonio l. 3.*

7 Ex his colligo, matrimonium hoc legitimare prolem ex eo ſuſceptam, etiamſi contractum fuiſſet cum impedimento cognito impediente, vt ſi quis habens votum mere ſimplex caſtitatis ducat fœminam, quam ignorabat ſibi eſſe in ſecundo gradu, vt rectè *Soar. de Cenſ. diſp. 56. ſect. 1. num. 8.*

8 Secunda concluſio. Matrimonium inualidè contractum ex bona ſaltem fide alterius coniugis, dummodo clandeſtinum non ſit, prolem legitimat, antea ſuſceptam ab his contrahentibus, per copulam pure fornicariam; explicatur concluſio in eis, qui nullo intercedente impedimento prolem ex fornicaria copula ſuſcepere, qua nata, ortum eſt inter ipſos impedimentum dirimens, puta quod alter coniux Titius v. g. matrem cognouerit *Corneliæ*, ex qua prolem ſuſceperat, quam Corneliam huius ignaram impedimenti, poſtea duxit vxorem in faciem Eccleſiæ, hoc inquam matrimonium nullum ob impedimentum dirimens, putatum tamen verum, arbitror probabiliter valere ad legitimandam prolem ex fornicaria copula antea ſuſceptam. Ratio, qua moueor, eſt, quia tunc coniuges potentes erant matrimonium inire: ſed matrimonium ſubſequens legitimat prolem à parentibus habitam potentibus illo tunc matrimonium inire, igitur &c. Dices hoc eſſe matrimonium inualidum; ſed contra, quod, etſi in re hoc matrimonium inualidum ſit, eſt tamen verum putatum; quippequod vt habet vim ex iure canonico, ſicut ſupra vidimus, ad prolem ſubſequentē legitimandam, ita ad prolem antea ſuſceptam; antequam inter eos dirimens oriretur impedimentum; nam in fauorem prolis hæc res iudicanda eſt, intercedente alterius coniugis contrahentis ignorantia, quod patebit præterea à contrario ex aſſertione ſequenti. Et quamuis Auctores, quos viderim, hunc caſum expreſſe non agitent, eum tamen ſupponere videntur. *Addo Antonium in Cap. Tanta nu. 9* ſentire, prolem ſuſceptam per copulam inceſtuoſam, non tamen vt talem cognitam, ob ignorantiam gradus conſanguinitatis, reddi legitimam per matrimonium ſubſequens inualidum, validum tamen arbitratum, quod per inde, ac verum operatur, & *Io. Andreas* ex quocunque congreſſu habeatur proles ab eis, qui matrimonium validè contrahere poſſunt, legitimari per ſubſequens matrimoniū ſcribit, & videre eſt apud *Abbat. Cap. Tanta cit. num. 14.* nec refert hoc eſſe inualidum, cum tanquam validè habito, tantundem eidem ſit vitium, ac valido, vt ſæpe diximus.

9 Tertia concluſio. Licet probabile ſit, matrimonium ſubſequens, verum putatum, cum bona ſaltem alterius coniugis fide, legitimare prolem ab illis antea ſuſceptam per copulā, vel ex parte inceſtuoſam, vel omnino materialiter talem ex ignorantia vtriuſque; probabilius tamen eſt contrarium. Primam partem docent nonnulli, inter quos eſt *Anton. in cap. Tanta Qui filij ſint legit. num. 9. & fauet Couar.* mox citandus, & ratio eſt, quia eandem habet vim hoc matrimonium putatum, quàm verum, atqui verum matrimonium è diſpenſatione, verbi gratia, initum in hoc caſu prolem legitimaret ſuſceptam per copulam ex illa ignorantia, vel omnino materialiter, & nullo pacto formaliter inceſtuoſam, vel ſaltem ex parte alterius coniugis, igitur idem dicendum de hoc matrimonio putato. Secunda pars expreſſe docetur *a Io. Andrea, cui ſubſcribit Abbas cap Tanta citato num.* 14. regulam afferens generalem, vt proles ex quocunque coitu na-

ta

ta parentum, inter quos poterat tunc eſſe cuningium, legitimetur per ſequens matrimonium; ſecus ſi nata eſſet ex copula parentum, quos inter haud poterat validum eſſe matrimonium: addit *Vinc. apud eundem, Abbatem* exemplum in filijs ex copula inceſtuoſa parentum, qui poſtea contrahunt matrimonium ex diſpenſatione Eccleſiæ, niſi aliter caueretur in diſpenſatione, tenet etiam *Socin. conſ. 31. fauet Couarr. 2. part. cap. 8. §. 1. numero 17. Soar. diſp. 50. de irregul. ſect. 1. num. 11.* qui probat, quia nec per matrimonium verum talis proles ex copula inceſtuoſa legitimatur, vt deducitur ex ſecundo caſu *cap. Tanta ſæpe laudati* qui quidem eſt expreſſus, quando in altero tantum coniuge fuit bona fides. Nec obſtat, quòd ſermo ſit de vero matrimonio, cum eadem videatur eſſe ratio de exiſtimato etiam; quando autem in vtroque exiſteret bona fides, non probauit *Soarius* prolem illam non validè legitimari, ego verò probo, ſi matrimonium vel exiſtimatum, vel certum, & reale talem, quam diximus, prolem legitimam reddere valerēt, maximè, quia poſſent ad tempus natiuitatis per fictionem iuris retrotrahi, ſed non poſſunt retrotrahi, ergo &c. Maior eſt euidens, & ab omnibus admiſſa: minor probatur, fictio ad propriam exerendam vim opus eſt extremorum ſupponere habilitatem temporis nimirum à quo, & ad quod, vt probè notat *Abbas in cap.* Citato *Tanta num. 14. ex leg. ſi is pro emptore ff. de vſucap.* atqui tempus, ad quod retrotrahitur illud matrimonium, non erat aptum, vt verum putaretur, quum coniuges contrahere illud validè tunc non potuiſſent; ex quorum inhabilitate per impedimentum dirimens illud etiam tempus dicitur ineptum, ergo &c. fauent allata à *Io. Andrea in Reg. ſine culpa, citata.*

10 Ex his colligo primò, ſi tempore natiuitatis prolis, eſſet inter parentes impedimentum dirimens, quod non fuerit tempore conceptionis, quodque nata prole etiam tolleretur, ita vt validè inter eos contraherent, per hoc validum matrimonium prolem legitimari. Sequitur ex corollario præcedentis capitis *num. 10.* & declaratur, Titius ſolutus cognouit fornicaria copula Semproniam ſolutam, quæ ex eo concepit: tempore partus Titius aliam mulierem duxit in vxorem, qua mortua, cum Sempronia contraxit matrimonium, dicimus per hoc matrimonium legitimari prolem antea ſuſceptam cum *Couarr. 2. part. 4. §. 2. num. 15. Soar. diſp. 50. de cenſ. ſect. 1. num. 4.* ratio eſt, quia hoc matrimonium eſt validum, ac tempore conceptionis prolis poterat inter eos contrahi; ac perinde retrotrahi ad perſonas habiles poteſt, quæ ſunt conditiones deſideratæ à *cap. Tanta qui filij ſint legitimi*, quas inter minimè connumeratur carentia impedimenti tempore natiuitatis. Idem aſſeras ſi tempore partus quodlibet aliud impedimentum alter, vel vterque contraheret parens, quo per diſpenſationem ablato validè poſtea contraherent matrimonium.

11 Colligo ſecundo, licet haud improbabile ſit prolem ſuſceptam per copulam ab habentibus tempore illius copulæ impedimentum dirimens, quod tamen ſublatum eſt diſpenſatione, vel alio modo, tempore natiuitatis legitimari per matrimonium ſubſequens validum ex illa diſpenſatione, vel alio modo: probabilius tamen eſt contrarium. Prima pars docetur à *Sanch. libro 6. de matrim. diſp. 8 num. 19. ex Gregor. Lopez, Molina & alijs*, ratio eſt, quod ante matrimonium, dum proles nata eſt, iam poterat inter coniuges matrimonium conſiſtere; ſecunda verò pars eſt contra Sanchez, ac docetur expreſſe à *Bald leg. Paulus in prima lectura num. 2. ff. de ſtat. hominum ex Guglielmo, Cino, & Archidiacono*. quos non rectè interpretatur *Gregor. Lopez libro 2. tit. 15. verb. ſino el hijo* vim inferendo eorum verbis: *docetur etiam à Sarmiento lib. 1. ſelect. interpret. cap. 5. num. 10.* quibus rationibus victus *Couarrubias*, qui contrariam amplexus erat ſententiam *4. Decretal. 2. part. cap. 8. §. 2. num. 2.* pene ſententiam mutauit; videtur hoc idem, nec ſuboſcurè indicatum *in cap. Tanta* ſepè citato hiſce, *ſi autem vir viuente vxore ſua aliam cognouerit, & ex ea prolem ſuſceperit, licèt poſt mortem vxoris eandem duxerit; nihilominus ſpurius erit filius*, vbi tantum impedimentum requiritur tempore copulæ: fiat res exemplo clarior, poſita Contrariorum ſententia ſequeretur in eo caſu, quo Titius vxoratus adulterina copula Ioannam cognouit, quæ prolem concepit, mortua Titij vxore, ſi eandem Ioannam ante partum ipſe Titius vxorem duxiſſet, prolem adulterinè conceptam, natam verò, dum ceſſauerat illud impedimentum, per matrimonium contractum legitimari, quod eſt expreſsè contra citatum textum, & ſicut *ſuperiori capite num. 30 ex Abbate cap. Ad extirpandas de fil. presb.* diximus, filium cōceptum à ſolutis, etiam natum intercedente impedimento matrimonij cōtracto ab altero coniuge, legitimari tamen, ſi mortuo vno ex his coniugibus, alter, cum quo antea copulam habuit fornicariam, ex qua hæc proles ſuſcepta erat, matrimonium contrahat: ita è contra in præſenti caſu, quum impedimentum eſſe, vel non eſſe, tempore natiuitatis per accidens ſanè ſit; quare vt probè *Abbas cap. Cum inter num. 6.* qui

6. qui filij ſint legitimi, reſpectu legitimationis inſpiciendum eſt conceptionis tempus, fauent *Baldus in leg. In teſtamentum quaſt. 9. C. de teſt. milit. vbi Dynus, & in addict. ad ſpecul. in tit. de procur. verb. ſecundum ſtylum. Bart. in leg. 2. de vulg. & pup. & pau. Decius conſ. 237.* Et quamuis lex pœnalis de hac irregularitate reſpiciens filios ſit reſtringenda, vt tamen relata ad parentes, ob rationes afferendas *ſequenti capite in obiectione num. 6.* eſt amplianda. Ratio concluſionis eſt, quia hæc lex non ad natiuitatem, in qua non intercedit culpa, ſed ad conceptionem ex culpa turpi, ac damnabili reſpexit, quam noluit purgari per ſubſequens matrimonium, cuiuſcunque rationis fuerit impedimentum illud dirimens exiſtens tempore conceptionis.

32 Colligo quartò, non modo in externo foro prolem cenſeri illegitimam, quæ concepta eſt ex Habentibus dirimens impedimentum, eſto per diſpenſationem habitam à ſacra Pœnitentiaria in foro interiori fuiſſet ablatum tempore natiuitatis, ante quàm inter eos parentes matrimonium iniretur, quod minimè negat *Sanchez libro 8. de mat. diſp. 34. num. 49.* ſed etiam in foro interno, & conſcientiæ, quod inficiatur *Sanchez ibidem num. 47. & 48.*

CAPVT III.

An matrimonium clandeſtinum alioquin inualidum prolem legitimet.

SVMMA

Quæſtiones ſoluendæ, num. 1.
Quodnam ſit matrimonium clandeſtinum, numero 2.
Variæ ſententiæ. num. 3. & 4.
Ex quouis alio impedimento matrimonium clandeſtinum ſit nullum, prolem non legitimat. num. 5.
Quando lex pœnalis in bonum cenſetur animarum lata, & amplianda. num. 6.
Declaratur cap. Cum inter, & cap. Ex tenore qui filij ſint legitimi. *numero 7.*
Declaratur cap. Si quis, & cap. finale de cland. deſponſ. *num. 8.*
Matrimonium clandeſtinum ex defectu denunciationum legitimare prolem ſentiunt aliqui, numero 9. & quidem magis probabiliter, ſi publicè contractum eſſet, numero 17.
Matrimonium clandeſtinum ex defectu denunciationum certum eſt in vtroque foro non legitimare prolem. num. 10.
A iure veteri, nìſi à nouo expreſſè corrigatur, minimè recedendum eſt. num. 11.
Omittens ea, quæ certo modo tenetur inquirere, non excuſatur ignorantia. nu. 12.
Merito maior ſtatuitur pœna in prolem ex matrimonio clandeſtino aliàs etiam inualido: quàm ex fornicatione ſuſceptam: numero 14.
Filius natus in matrimonio clandeſtino, aliàs nullo, approbato tamen per Eccleſiam, etiam ſi poſtea detegatur impedimentum, eſt legitimus. num. 15.
Probabilius eſt matrimonium clandeſtinum, aliàs nullum, poſt approbationem Eccleſiæ prolem conceptam, & natam legitimare, num. 16.

1 NIhil hic de matrimonio cętera valido, inualido tamen ob clandeſtinam rationem, cuius poſtea tractanda eſt difficultas. Tres igitur ſolum occurrunt quæſtiones diſputandæ. Prima, an matrimonium alioquin inualidum, bona fide initum, & clandeſtinum legitimandi prolem vim habeat? Secunda, an ſi fuerit inualidum ex quouis defectu? Tertia, an quamuis in rigore clandeſtinum non ſit defectu publicarum denunciationum id præſtet.

2 Quibus præmitto, matrimonium clandeſtinum illud in rigore dici, quod ſine parocho, & teſtibus initur iuxta præſcriptum *Trident. ſeſſ. 24. capit. 1. de reform. matrimon. inhærentis Lateranenſi Concilio ſub Innoc. 3. capit. 51.* minus verò rigoroſè illud dici, quod ſine denunciationibus culpabiliter omiſſis, contrahitur, vt videre etiam eſt in *Gloſſ. capit. Finali §. ſi quis de cland. deſponſ. verb. Clandeſtina*. Quamobrem meritò multi Doctores duas, quas tradidimus clandeſtini matrimonij ſpecies, adſtruunt; vel quia clam omnino celebretur, vel quia aliquando ſine ſufficienti ab Eccleſia deſiderata publicitate, ſic *Goffred. ſumma tit. de cland. deſpon. num. 1. Gutierr. 2. practic. quaſt. 4. num. 13. Salſed. pract. cap. 73.* Caiet. *ſumm. verb. matrim. tit. contractus matrimonij §. ſcito peccatum eſſe. Manuel 3. tom. ſummæ 2. editione cap. 217. Sanchez lib. 3. matrim. diſp. 1. num. 3.* & alij apud hos.

3 Quæ *c. Final. §. ſi quis vero de cland. deſpon.* habetur doctrina aſſerens, matrimonium ob aliquod impedimentum ignoratum inualidum non legitimare prolem, ita à nonnullis Doctoribus explicatur, vt ſi ob aliud impedimentum à conſanguinitate, affinitate, vel co-

gni-

gnitione diſtinctum, matrimonium fuerit nullum, bona tamen fide contractum prolem legitimet ex ea ratione, quia cum *cap. Illud finale modo citatum* expreſſis dicat verbis, *ſi quis verò clandeſtina coniugia in gradu prohibito, &c.* agere de hoc tantum impedimento videtur, & non de alijs ad quæ non eſt extendendus textus, cum hæc ſit pœna, quæ reſtringenda potius eſt, quàm amplianda, *Regul. Odia de regul. iur. in 6. ſic Goffred. ſumma Qui filij ſint legit. numero 31. Archid. capit. Cum in captiuitate, paulò poſt principium 24. quæſt. 2. Card. capit. finali, de cland. deſponſ. numero 7. verſic. quæro quid alij.*

Sanchez verò lib. 3. de mat. diſp. 42. num. 5. putat matrimonium clandeſtinum, bona fide contractum, inualidum ex quocunque alio impedimento, quod per publicitatem requiſitam, oppoſitam clandeſtinæ rationi minimè natum eſſet agnoſci, vim habere legitimandi prolem ex eo ſuſceptam: ſic ſi nullum eſſet tale matrimonium defectu conſenſus contrahentium, vel defectu proprij parochi aſſiſtentis, communiter tamen talis reputati; ſecus ſi eſſet nullum ob alia etiam impedimenta diſtincta à gradibus prohibitis.

5 Sit prima concluſio contra primam ſententiam *num. 3.* relatam. Ex quocunque impedimento matrimonium ſit nullum, ſi clandeſtinum fuerit, nullo pacto prolis legitimandæ vim habebit; & quidem de prole antea ſuſcepta ab his, inter quos ob impedimentum dirimens matrimonium conſiſtere non potuiſſet, certo certius eſt, nec ab aliquo Auctorum puto negari; alioquin maiorem haberet vim, quam matrimonium ſiue verum, ſiue putatum initum in facie Eccleſiæ; cui talem facultatem negauimus *præcedenti cap. concluſ. 3. num. 9.* De prole verò in eo matrimonio clandeſtino ſuſcepta, probatur primo, ratione *Io. Andreæ & Abbatis cap. Ex tenore, qui filij ſint legitimi. num. 5.* quia licet *cap. Finale citatum de cland. deſponſ.* videatur pœnale, quia tamen in fauorem editum eſt animarum, non modo reſtringendum non eſt, verùm etiam ampliandum, vt, dum latè patet euitando pericula, homineſque ab illicitis matrimonij contractibus auertendo, animarum ſaluti conſulat efficacius; nam hæc lex non eſt meram delicti punitionem inferens, neque in odium alicuius, ſed in publicum fauorem ſancita, atque ad occurrendum peccatis, & ſcandalis, quæ ex clandeſtinis oriuntur matrimonijs. Quamobrem fauorabilis eſt, & extendenda ex identitate rationis, vti docent *Hoſtienſis capit. citato, Ex tenore ad finem, qui fil. ſint legit. vbi Io. Andreas numero 5. Antonius numero 9. Ancharan. numero 5. Abbas citatus numero. 5. & 6. Bartol. Authent. Sacramenta puberum numero 19. C. ſi aduerſus venditionem. vbi Iaſon numero 72. Francus capit. Sciant cuncti de elect. in 6. numero 6.* Addens hoc verum eſſe tametſi talis lex correctoria eſſet, de qua idem ſenſit *Nauarr. capit. Pœna numero 10. de pœnit. diſtinct. 1 Mincaca de ſucceſſione creat. §. 28. in principio Antonius Gabriel. tom. 2. commun. lib. 17. Gutier. & alij quos citat, & ſequitur Sanchez. lib. 3. de mat. diſput. 42. numero 4.* & conſentaneum eſt doctrinæ *ſuperiori diſputatione capit. 3. numero 23. & 24.* traditę.

6 Obijcies, pœna irregularitatis impoſita homicidio dubio ad alios caſus extendenda non eſt, per identitatem rationis, & præſertim ad illegitima natalia dubia, vt loco citato diximus; ergo neque hæc eadem pœna clandeſtino impoſita matrimonio, alias inualido, ex impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, extendenda eſt ad inualiditatem ob cætera impedimenta, vt enim hic lex dicitur impoſita bono animarum, ita & ibi. Reſpondeo duo diſtinguenda eſſe perſonarum genera in hiſce caſibus: primus eſt earum, quæ morali culpa voluntariè ligantur, ex qua nota, etſi inuoluntaria promanat ad poſteros: ſecundum eſt ipſorum poſterorum. Lex igitur huiuſmodi pœnalis, vt reſpicit noxias, & primi generis perſonas, in bonum lata eſt animarum, ad auertendos homines tum ab homicidio, tum à clandeſtinis matrimonijs inualidè initis, & non eſt reſtringenda, ſed amplianda, ſic docet *Gloſſa notabilis in capit. Sciant cunct. de elect. in 6. & docet Io. Andreas capit. Ex tenore, qui filij ſint legitimi, quem ſequuntur ibidem Panormitanus, & Præpoſitiuus ibidem, idem Panormit. in capit. Quæſiuit de diuort. & alij:* vt autem ſecundum reſpicit perſonarum genus nempe poſterorum, & eſt pœnalis, & reſtringenda; quocirca comperta ſunt iura has eaſdem perſonas, quando certo non ſunt tales, fauore proſequentia, & ſemper in fauorem prolis decernentia. Qua adhibita ſolutione, cum hic, tum *numero 3.* citati excuſantur Auctores ab inconſtantia in dictis, cum hic abſolutè doctrinam, quam amplexi ſumus, doceant, citato autem loco contrariam defendant; ni huic ſolutioni ſubſcribant.

7 Secundo, probatur concluſio abſolutè ex *capit. Cum inter, & capit. Ex tenore. Qui filij ſint legitimi,* à quibus talis tribuitur matrimonio vis prolem legitimandi hæc inquam iura adeo publicato contractui matrimonij adhærent, vt id negare

clam initis clarè demonſtrent; nè cogamur aſſerere, quæ puniunt matrimonia, velle Summos Pontifices priuilegio donare. Et quidem hæc in primo capite leguntur. *Filiis eorum non debent exinde ſubſtinere, iacturam, cum parentes eorum publicè: & ſine contradictione Eccleſiæ contraxiſſe noſcantur.* En ratio clarè demonſtrata legitimationis, publicitas ſcilicet, & contractio in facie Eccleſiæ. Publicè addit Gloſſa, *aliàs diceretur clandeſtinum*; igitur quotieſcumque hoc matrimonium fuerit clandeſtinum ob hanc ſolam rationem, ex quocunque alias ſit impedimento inualidum, vim legitimandæ prolis non habet, vt indicatur etiam *cap. Ex tenore ſupra citato.*

Ex hoc autem fundamento licet probabilis ſententia ſit *Sãchez* probabilior tamen deducitur noſtra, docens matrimonium clandeſtinum, bona fide contractum, ex quocumqot impedimento aliàs inualidum, prolis legitimandæ facultatem non habere, cum hanc quà publicum, & cum ea celebratum publicitate, quæ ab Eccleſia præſcripta eſt, habeat, & non aliter.

8 Obijcies §. *ſi quis cap. finalis de cland. deſponſ. tantum de impedimento gradus prohibiti loqui: Tridentinum etiam ſeſſ. 24. cap. 5. ſi quis (ait) intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit* &c. igitur non extendendi ſunt textus hi ad alia impedimenta. Reſpondeo negando conſequentiam, cum § *ſi quis* ex gratia de illo impedimento mentionem fecerit, & vt à Doctoribus ſæpe citatis ad omne impedimentum extenditur, ita etiam & *Tridentinum*, quemadmodum docet *Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 42. num. 7.* ob eandem rationem, ac fundamentum, à nobis traditum. eo vel maximè, quod Tridentini ratio omni competat impedimento dirimenti; *non enim dignus eſt*, addit, *qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cum ſalubria præcepta temerè contempſerit*, & infra de quocunque impedimento loquitur, *ſi verò impedimentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur*, &c.

Ex his, quas propoſuimus, primæ duæ quæſtiones ſolutæ ſunt.

9 Circa tertiam difficultatem *Petrus à Ledeſma de mat. quæſt. 45. art. 5. fol. 183. col. 1. §. eſt tantum dubium, verſ. 2. dicendum*, *Soar. diſp. 50. de cenſ. ſect. 1. n. 10.* docent, matrimonium, quod minus rigoroſè defectu denunciationum eſt clandeſtinum, etiamſi per culpam cum tali defectu addit *Soarius*, ſi tamen coram Parrocho, ac teſtibus contractum ſit, & bona fide initum, quamuis inualidum, vim tamen habere ad prolem legitimandam: fundamentum eſt, quia hoc matrimonium, verè non eſt clandeſtinum, vt ſentit *Sotus in 4. diſt. 28. quæſtione 1. arg. 2. verſ. de bannis. Palatios in 4. diſt. pariter 28. diſp. 3. verſ. quid quod cum nullum Viualdus Cand. 1. part. de matrim. num. 243. fauet Molina tom. 1. de iuſt. & in tract. 2. diſp. 176. verſ. obſerua hodie.* igitur non comprehenditur à *Cap. Cum inhibitio de cland. deſponſ.* ac proinde remanet ſub generali regula iuris, ſtatuentis prolem eſſe legitimam ſuſceptam ex matrimonio, exiſtimatione valido.

10 Verùm enim verò ſit tertia concluſio. Nullum matrimonium ſine denunciationibus per culpam omiſſis, ex ignorantia, aliàs inualidum, prolem ex eo ſuſceptam legitimat; & quidem in foro externo exploratum id eſſe, neque *Soarius citatus* audet negare, ni alia facta fuiſſet diligentia moralis ad euacuandam ignorantiam impedimenti dirimentis; cæterum, hac etiam facta, noſtra concluſio certa prorſus videtur in quouis foro: & præter quamquod hoc matrimonium eſſe, ac dici clandeſtinum, iudicem probabilius cum *Abbate in textibus ſupra citatis, Nauarr. ſumma latin. capite 22. numero 70. verſic. 3. Anton. Cuco libro 5. inſtit. maior. tit. 11. numero 69. Menoc. conſ. 69. numero 79. volum. primi. Henrich. libro 11. de mat capitulo 6. numero 2. & in comm. littera C. Aegid. ConinK de mat. diſput. 27. dub. 9. numero 82. &. ſed difficultas eſt, & alijs, quos laudat, ac ſequitur Sanchez libro 3. de matrimon. diſp. 1. numero 7.* probo, quia ex *Generali Concilio Lateranenſi, vt habetur Capitulo Cum inhibitio de cland. deſponſ.* hoc erat matrimonium clandeſtinum, quo ad pœnas incurrendas; quo circa §. *ſi quis*, ita habet; *ſi quis verò huiuſmodi matrimonia clandeſtina, ſeu interdicta inire præſumpſerit &c.* vbi optimè *Sanch. Tò huiuſmodi clandeſtina* perpendit, quaſi expenderet textus non de alia clandeſtina ratione, ſed de hac, cuius paulò ante meminerat ex defectu denunciationum, ſermonem habere, vt probè *Gloſſa verb. Clandeſtina il 2.* id eſt non præmiſſa denunciatione interpretatur, & notauit *Abbas numero 5.* idem habetur in *Gloſſa cap. Cum inter citati vbi Abbas numero 5.* matrimonium aſſerens in facie Eccleſiæ publicatum eſſe debere quod apponit

11 Clandeſtino, vt legitimet; Sed à iure veteri minimè recedendum eſt, niſi à nouo expreſsè corrigatur *leg. Præcipimus C. de appellatione, & leg. Sancimus C. de teſtam.* igitur cum non conſtet *Tridentinum* hæc antiqua correxiſſe iura, non eſt ab eis recedendum, Adde ipſum *Trident. ſeſſ. 24. cap. 1.* profiteri Sacris ſe Lateranẽſis Concilij veſtigijs

gijs

gijs inhærere, dum de denunciationibus loquitur, & *cap. 5.* pœnam ſtatuit in contrahentes coram Parocho,& teſtibus, abſque denunciationibus. additque, *Quod ſi ignoranter id fecerint, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eiſdem ſubijciantur pœnis*, vbi *Tò ignoranter*, declarat, vt æquiualens ſit, ac ſine denunciationibus, ſeu ſolemnitatibus requiſitis; & alioquin minime ceſſaret ratio, quæ Eccleſiã mouit ad reputandum hoc matrimonium clandeſtinum, quod occultè dici ſane poteſt, cum tribus tantum notum ſit perſonis, neque aptum ad impedimenta detegenda: quamobrem ſicut *Tridentinum citatum cap. 1.* contrahentes punit ſine paracho, ac teſtibus, ſic etiam punit, *cap. 5.* requiſitas omittentes denunciationes, vt diximus.

Nec rationes in contrarium vrgent, quæ vnico quidem verbo, ex iacto fundamento, ſolui poſſunt; deinde taliter contrahentes affectatores ſunt ignorantiæ, igitur compræhenſi ſunt, *per §. illum ſi quis Cap. finali*; antecedens probatur, quia conſulto, & culpabiliter medium omiſere, quod Eccleſia vt aptum ad impedimenta detegenda iubet præmittere matrimonio contrahendo; Nec facile percipio, qua ratione negari poſſit, efficacius eſſe medium ad impedimenta noſcenda, publicationem matrimonij contrahendi inter miſſarum ſolemnia habitam, quam contrahære coram parocho, ac duobus tantum teſtibus: atqui omittentes hoc ſecundum affectata cenſentur ignorantia laborare; ergo, & omittentes primum. Demum æquiparat, *Tridentinum citatum*, ſcienter contrahere in gradu prohibito cum tali ignorantia contrahere, omiſſis denunciationibus, vt patet ex Textu: ſed matrimonium in gradu prohibito ſcienter contractum prolem non legitimat, igitur neque contractum omiſſis denunciationibus; quarum defectus probabilitatem tollit ab ignorantia alterius ſaltem coniugis, ſine qua nec matrimonium publicè contractum, in ualidum tamen legitimandi vim haberet; etenim probabilis non eſt ignorantia, quando requiſita ab Eccleſia media ad eruendam veritatem, omitentur. Hinc probè, *Bartol. leg. finali ſub initio ff. de ritu nupt. & leg. Poſt contractum num. 7. ff. de donat.* dixit celebrantem actum prohibitum palam poſſe excuſari prætextu ignorantiæ; ſecus, ſi clam: & patet rè celebri, *Gloſſ. Cap. Innotuit verb. Ignorantia de elect. Omittens ea, quæ certo modo inquirere tenebatur, minimè excuſatur ignorantia leg. ſi auiam in finem Cod. de ingen. manum.*

13 Maiorem autem præſeferret veritatem hæc, *Ledeſma*, *ac Soarij* ſententia, ſi hoc matrimonium clandeſtinum publicè celebraretur, ſciente maiori parte viciniæ, vel coram multitudine, vt volunt multi, quos laudat, *Sanch. libro tertio de mat. diſputat. 1. numero nono*, quamuis probabilior præferenda ſit ſemper noſtra aſſerta doctrina.

14 Obijcies, ſequi ex hac doctrina maiori fauore iura proſequi fornicationem, ex qua conceptam prolem per matrimonium ſubſequens putatum, ſupra diximus, legitimari; cum tamen proles ſuſcepta ex matrimonio clandeſtino; putato alioquin valido minimè legitimetur, quod eſt contra *§. Vnum ſiquidem Authent. de reſtitut. & ea quæ parit vndecimo menſe*. Reſpondeo ex *Hoſtienſi ſumma, qui filij ſint legit. §. 2. numero tertio, & Sanchez libro tertio de mat. diſput. 42. numero ſecundo*, meritò id fieri, quia fornicatio non tendit ad Eccleſiæ contemptum quemadmodum matrimonium clandeſtinum; *Fruſtra enim Eccleſiæ auxilium implorat, qui eius contempſit auctoritatem, vt probè capit. finali ſæpe citatum, ac Trident. ſeſſ. 2. capite quinto*, quod ad doctrinam ſequentis capitis nobis ſternit iter; etenim contemptum, dolum, temeritatemque intendunt in illo matrimonio plectere huiuſmodi iura.

15 Ex his colligo primo, filios ex matrimonio clandeſtino, aliàs nullo, ob latens impedimentum ignoratum, approbato tamen poſtea per Eccleſiam, conceptos, & natos poſt eam approbationem eſſe legitimos, etiamſi poſtea detegeretur impedimentum, quia ceſſaret tunc ratio, *Cap. finalis §. ſi quis de cland. diſponſ.* quum tunc legitimam haberent cauſam parentes ignorandi impedimentum, ſic *Ancor. Cap. Quod nobis qui fil. ſint legit. numero ſexto Sanchez libro ſexto de matrim. diſput. 43. numero primo.*

16 Colligo ſecundo licet probabilis ſit opinio aſſerens clandeſtinum matrimonium inualidum ob impedimenti ignorantiam, poſtea vero publicatum, atque ab Eccleſia, quia nullum ſit detectum impedimentum, approbatum, legitimare prolem conceptam ante talem approbationem, quę tamen nata ſit poſt illam, vt docent, *Hoſtie. ſumma titul. Qui filij ſint legit. numero tertio*, quia nimirum conceptus non habetur pro nato, *Leg. Qui in vtero ff. de ſtat. hom. & Inſtit. de ingen. §. primo*, minus tamen probabilem, & ab extrinſeco tantum, auctoritate, *Io. Andreæ Ancoritani Couarr. & paucorum, quos ſequitur Sanch. libro tertio de mat. diſput. 43.* aliquo pacto tutam ſententiam iudico, aſſerentem per huiuſmodi matrimonium clandeſtinum legitimari prolé ante

approbationem Eccleſiæ conceptam, & natam; nam id non probatur ex *cap. Quod nobis, qui filij ſint legit.* etenim, vt probè *Aegid. ConinK. diſp. 27. de mat. in fine n. 79.* nō eſt ratio, cur aſſeratur illud *cap.* loqui de matrimonio alioqnin inualido, ſed de valido, quod ab Eccleſia approbandum eſſet ad legitimandam prolem, vt etiam affirmat *Suar. diſp. 59. de cenſur. ſect. 1. nu. 9.* Deinde miror, quo pacto tantā vim Auctores huius ſententiæ verbis textus inferant, ſic ſe habentibus; *Si qui de matrimonio clandeſtino poſt modum ab Eccleſia comprobato generati fuerint, eos legitimos iudices filios*; quæ quidem vel primam, vel quàm probabiliorem mox aſſeremus ſententiam, manifeſto iudicant; nec facilè video, qua ratione poſſint reddere hunc alium ſenſum, *Si poſt ipſorum generationem approbetur matrimonium ab Eccleſia*, vt vult *Sanchez*; qui ſecundò ſuam probat opinionem argumento *Io. Andreæ*; quia nimirum antequam detegeretur impedimentum, matrimonium habebatur validum, & proles legitima, ergo poſt detectū; quum *quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poſſit ex Reg. Quod ſemel 25. de regulis iuris in 6.* Cæterum allatam regulam explicandam eſſe cenſeo, ſi cætera ſint paria; verùm mutatis circumſtantijs, mutandum eſt iudicium, vt in *cap. Quod nobis de claud. deſponſat.* & ita interpretatur *Abbas capit. Quod nobis qui fil. ſint legit.* vt velit ſi nullum intercederet impedimentum, retrotrahi, ac fingi illud matrimonium ſemper fuiſſe validum, ſecus verò intercedente impedimento, quòd hoc animo, nè detegeretur, præſumendi ſunt coniuges clandeſtinè contraxiſſe, & affectatores fuiſſe ignorantiæ. Quamobrem probabiliorem arbitror ſententiam *Gloſſa cap. Quod nobis citato, verſ. fuerunt, &* Abbatis, qui prudenter mutauit ſententiam, vt ipſe fatetur in fine *num. 5. Angel. verb. filius num. 12. Roſell. verb. Illegitimus num. 3. Aegid. Conin. modo laudati numero 79.* aſſerentium, matrimonium taliter clandeſtinum tantùm legitimare prolem ſuſcipiendam, poſtquam in facie Eccleſiæ eſt approbatum. Ratio eſt, quia *cap. Cum inhibitio de cland. deſponſ.* generaliter tales filios abſolutè, ac ſimpliciter illegitimos dicit; neque figuratum excipit caſum, neque illorum textuum in quibus vult *Sanchez* illum eſſe deſcriptum, mentionem facit: cum tamen poſtea conditum ſit, nec poteſt intelligi, iuxta hoc, *cap. aliud citatum à Sanchez. Quod nobis*, in quo nec de matrimonio inualido eſt ſermo, & quamuis fuiſſet, niſi nisi ei inuratur, non facit contra nos. Adde cum huiuſmodi irregularitatis lex amplianda ſit per eundem *Sanchez* vt comparata ſaltem ad contrahentes, quemadmodum nos *num. 6.* diximus, non vedetur qua ratione cohærenter ab eodem Auctore dicatur reſtringenda.

CAPVT IV.

Quæ ignorantia tale matrimoniū clandeſtinum ab hactenus explicata pęna excuſat?

SVMMA

Proponitur explicandum cap. finale de cland. deſponſ. & ſi quis, nec non cap. 5. ſeſſ. 24. Tridentini. num. 1.

Quotuplex ſit ignorantia. num. 2.

Vincibilis ignorantia, altera eſt ſufficiens ad mortale, altera ad veniale, alia affectata, alia non affectata. num. 3.

Vincibilis ignorantia non affectata duplex eſt, altera craſſa vel ſupina, minimè altera; quāuis ſufficiens ad mortale. num. 4.

Eſt etiam ignorantia craſſa, & craſſiſſima. num. 5.

Ignorantia iuris ſtatuentis pœnam excuſat ab ea incurrenda: num. 6.

Ignorantia qualitatis culpæ verbi gratia, clericidij. quamuis ſciatur eſſe homicidium, excuſat ab excommunicatione lata in clericidium. num. 7.

Etiamſi operam dediſſet ignorans rei illicitæ, non tamen neceſſariò connexæ cum re vetita num. 8. vna excepta irregularitate ſancita in homicidium caſuale. num. 9.

Si quis putans occidere laicum, etſi animum haberet occidendi clericum, etiam caſu, quo Occidendus eſſet clericus, adhuc non incurreret excommunicationem latam in clericidam. num. 10.

Secus ſi dubitans, an eſſet clericus, vel laicus Occidendus, vellet tamen occidere. n. 11.

Falſo ratus, quem percutit eſſe clericum, cum ſit laicus, excommunicationem non incurrit canonis, Si quis perſuadente, &c. numero 12.

Ignorantia inuincibilis excuſans à peccato, excuſat à quauis pœna. num. 13.

Nulla irregularitas, ob delictum impoſita, contrahi poteſt ob ignorantiam venialiter peccaminoſam. num. 14.

Ignorantia vincibilis, & mortaliter culpabilis, dummodo craſſa, vel ſupina non ſit tam facti, quàm iuris, ſtatuentis pœnam irregularitatis, matrimonium clandeſtinum ab illa excuſat poena. num. 15.

Quæ ſit lata culpa. num. 16.

Matrimonium clandeſtinè Contractum in gradu prohibito, vel alio impedimento ex igno-

rantia

rantia craſſa, non tamen temeraria, vel affectata probabiliter prolem legitimat. n. 37

Explicatur textus leg. Quod te mihi 5. ff. de rebus creditis, Idem eſt ſcire, ac debere ſcire. num. 18.

Ex quo delicto ſit irregularitas illegitimorum natalium. num 19.

Craſſa ignorantia, atque ex lata culpa excuſat à cenſura lata in Audentes aliquid committere. num. 20.

Item & à lata in præſumentes. num. 21.

Quinam ſit temerarius tranſgreſſor legis. n. 22

Cap. finale de cland. deſponſ. ac Tridentinum ſcienter vel temerario auſu per formalem, vel virtualem contemptum clandeſtinè contrahentes cum impedimento puniunt. n. 23.

Matrimonium clandeſtinum, aliàs inualidum contractum ex ignorantia craſſiſſima, prolem legitimandi vim non habet. num. 24

Item ex affectata. num. 25.

QVæ me mouet ratio ad præſcriptam quæſtionem diſputandam, eſt quod cum, mox referendi, Canones pœnam hactenus declaratā matrimonio clandeſtino imponentes, videantur p eam illud plectere, non quomodolibet, ſed ſcienter, vel ex magna ignorantia inualidè contractum, operæ pretium (quod non inuenio à reliquis, præſtitum) eſſe duxi, ſi qualis hæc futura ſit ignorantia paulò altiùs declarauerim.

1 Notandum igitur primo in *cap. Finali de cland. deſponſ. §. ſi quis*, hæc haberi; *ſi quis verò huiuſmodi clandeſtina, vel interdicta coniugia inire præſumpſerit in gradu prohibito, etiam ignoranter, ſoboles tali coniunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſeatur*: & infra iidem parentes, *affectatores ignorantiæ*, nuncupentur. *Tridentinum verò ſeſſ. 24. capitulo 5. ſi quis (ait) intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur. &c.* & infra, *quod ſi ignoranter id fecerit &c. non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cuius ſalubria præcepta temerè contempſerit.*

2 Notandum ſecundò, ignorantiam vel poſſe eſſe in re noſtra de ratione clandeſtinè contrahendi, vel de impedimento dirimente; iterum aut iuris ſimpliciter talem rem prohibentis, vel ſub hac, vel illa pœna prohibentis: aut facti, quando aliquod ignoratur verb. gr. hodie eſſe feriam ſextam.

3 Notandum tertiò, ignorantiam pro præſenti etiam inſtituto aliam eſſe antecedentem, aliam ſubſequentem, aliam concomitantem. Antecedens eſt, quæ tollit ſcientiā, vel noticiam, qua poſita, talis non fieret actus, huiuſmodi habens malitiam; atque antecedit omnem actum liberum voluntatis ad ſe ipſam terminatum, cui neque directè, neque indirectè eſt voluntaria, & dicitur inuincibilis, quia vinci vel non poteſt, vel non debet: appellatur etiam iuſta, probabilis, & inculpabilis; quia bona fide, & ſine culpa contracta eſt. Subſequens eſt vincibilis, improbabilis, & iniuſta ob contrarias rationes; cum ſequatur voluntatem, à qua volita eſt, vel directè, quando eſt affectata, vel indirectè, cum potuit, ac tenebatur ignorans eam expungere, nec voluit: hæ autem ignorantiæ licet, vt poſſunt, ad modum tamen remouentis prohibens; quia nimirum remouent notitiam, cauſant rem voluntariam, & peccatum; prima tamen illius eſt cauſa materialiter ſumpti, ſcilicet malitia nudati: hæc vltima illius formaliter accepti, ideſt affecti malitia. Denique ignorantia concomitans illa eſt, quæ licèt concomitetur actum, ſeu actionem, eam tamen non cauſat, quippe quæ poneretur etiam, ea non exiſtente, vt cum quis putat eſſe Petrum, cui dat eleemoſynam, daturus etſi eſſet Franciſcus: vt autem præ oculis, quas indicaui ignorantias, cæteraſque infra ſubijciendas in ſummam vnico exponam exemplo; Venator, cui nec leue dubium ſubrepit, vel aliquam titillantem animum ſuſpicionem per exactam euacuauerit diligentiam, & feram eſſe exiſtimat latentē in ſylua, in quam librans ſagittam emittit, qua hominem ibi latentem vulnerat, laborabit profectò ignorantia inuincibili. Quod ſi eo fuerit animo, vt etiam ſi noſceret, in quem emiſſurus eſt ſagittam, eſſe hominem, adhuc illam iacularetur, ignorantiam habebit concomitantem; de qua ſubijciam alia *lib. 3. diſp. 4. cap. 4. à num. 10.* Iterum, ſi directè eligit neſcire, quid ſit, quod intra ſyluam latitans mouetur; vt ea nimirum ratione hoſtem, quem putat forſitan ibi eſſe, occidat, ex ignorantia affectata operabitur; quod ſi non ita directè ignorare eligat quid ſit illud, in quod ſclopum exploſurus ſit, ſed ſignatè non inueſtigare eligat, neque diligentiam adhibere, nè per eam percipiat, quid illud ſit, quod ſyluis tectum videtur, craſſiſſima laborabit profectò ignorantia, æquali affectatæ: ſi verò exercitè diligentiam moralem omittat per palmarem negligentiam, craſſam habebit ignorantiam; quòd ſi aliquam adhibeat diligentiam, quæ quidem eſſet ſufficiens ad rem non tanti momenti, adhuc tenebitur ignorantia vincibili, & mortali, non autem craſſa, vel ſupina. Demum etſi præmiſerit diligentiam ad certo percipiendum, quodnam eſſet illud in ſylua latens corpus, non tamen prorſus exactam, quamcumque excludentem negligentiam, & quidem operabitur ex ignorantia culpabili venialiter. Quodque de ignorantia diximus conſenſu

Docto-

Doctorum, dictum volumus de naturali inaduertentia, ſi aliquando omnimoda non ſit æquiualens ignorantiæ prorſus inuincibili.

4 Scio nonnullos eſſe Auctores, aſſerentes quamcumque ignorantiam culpabilem craſſam eſſe, vel ſupinam, quos ſequitur, *Suarez de cenſur. diſp. 4. ſeſſ. 10. nu. 10.* At probabilius contrarium eſſe puto, & vt ſupra indicaui, ignorantiam dari ſufficientē ad mortale, quæ non craſſa ſit, neque ſupina cum *Sanchez lib. 1. aper. mor. cap. 16. num. 7.* Im-

5 mo ignorantiam craſſam ſubdiuidendam, vt præſtiti, opus eſſe iudico in craſſiſſimam æquiualentem affectatæ, & in craſſam; etenim vt rectè *Sanchez lib. 9. de mat. diſp. 32. num. 36. 37. & 38.* docet ex ignorantia craſſa, cenſuram latam in facientes aliquid ſciēter, vel temerè, vel ex præſumptione, & auſu temerario, non incurri, quam tamen incurri ex ignorantia craſſiſſima, quatenus diſtincta ab affectata aſſerit *num. 39.* cuius arbitror non meminiſſe, *Sanch. loco citato ſumma*, quòd vt plerunque craſſiſſima, affectata videatur, & virtute tantum ab ea diſtincta, vt ex præcedenti numero conſtat.

Ex his autem deducitur ſeptem quaſi eſſe ſpecies ignorantiæ, atque inaduertentiæ, ſeu obliuionis actualis: primam inuincibilis: ſecundam vincibilis, culpabiliſque venialiter: tertiam vincibilis, & mortaliter peccaminoſæ: quartam craſſę, quæ aliquando ſupina etiam dicitur: quintam affectatæ virtualiter, ſeu craſſiſſima, ſextam affectatæ formaliter, æquiualentem ſcientiæ, ac temerariæ pręſumptioni: vltimam concomitantis.

6 His præmiſſis prima ſit aſſertio. Ad non incurrendam quamuis cenſuram impoſitam ex delicto, excuſari ignorantiam iuris talem imponentis pœnam cenſurę: tametſi ſciret quiſpiam ius illud prohibens delictum. De pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, quam noſtra non intereſt expendere, videri poteſt, *Sanchez lib. 9. de mat. doctè pertractans diſp. 32. à num. 9. ac deinceps.* De irregularitate vero, de qua nobis eſt ſermo, reſultante in prole ex culpa parentum, per nefas contrahentium, probatur; quia hęc irregularitas eſt pœna contemptus vt probè. *Abbas Cap. Paſtoralis §. Verum num. 15. de appellat. Nauarr. Cap. Cum contingat 14. in remedio ſecundo nullitatis nu. 7. Sanch. lib. 9. de mat. diſp. 32. nu. 17.* Igitur deficiente contemptu in parentibus minimè incurretur, vt nos infra dicemus, ac docet Abbas citatus per, *Cap. 2. de conſtitut. in 6. & alij apud eundem Sanchez.* Immo requiritur dolus ex, *Dominico Cap. Is qui §. Is vero numer. 1. & Sanchez ibidem*: atqui hoc pacto ignorans ius irregularitatem imponens, non eſt in dolo, *Leg. ſi ignorans ff. locati*; ergo eam non incurrit. Quare non modo ſcientia facti vetiti, ideſt in caſu noſtro clandeſtinæ diſponſationis, ſeu contractionis, & iuris illam prohibentis, in parentibus requiritur, ſed etiam penæ, ideſt cenſuræ, etiam irregularitatis impoſitæ, vt hęc à prole contrahatur, per culpam ſufficientem parentum, quod colligo, ex *Nauarro, & alijs apud Sanchez citatū num. 70. & Suarez de cenſur. diſp. 4. ſect. 9. nu. 19. & 20.* quia illud delictum debet eſſe volitum, vt cauſa talis pœnæ.

7 Idemque eſt de ignorantia qualitatis culpæ, ob quam imponitur excommunicatio, vel alia cenſura ob delictum ex, *Cap. ſi vero de ſent. excomm.* cum imponatur talis cenſura ob delictum hac affectum circumſtantia; meritò igitur, *Couarr. Cap. Alma mater. 1. part. § 10. num 15. verſ. 1.* reijcit, *Bartolum in l. Diuus num. 3. ff. ad leg. Corneliam de ſicar.* aſſerentem id ſpeciale tantum eſſe in ſpiritualibus, quia cum pæna ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis præſcribatur pro culpa, ignorātia ab hac excuſans conſequenter excuſabit à pœna.

8 Etquamuis excipiant quidam caſum, in quo ignorans operam daret rei illicitæ, quo circa docent volentem percutere Petrum laicum, ſi percutiat Ioannem clericum incurrere excommunicationem per, *Gloſſam*

9 *Cap. ſi vero il a. de ſent. excōm. verb. ignorauit.* Verum immeritò, ſi vnā excipias irregularitatem ex homicidio caſuali; nam clericus, qui dat operam rei illicitæ ſpecialiter ei interdictę, nè ſequeretur homicidium, licet adhibita quacumque diligentia, dum rem illam vetitam obit, ſequuto homicidio, à voluntaria homicidij culpa excuſaretur; quippe quod euitare conatus eſt; non excuſabitur tamen ab irregularitate, ſtatuta illi actioni periculoſæ, quam obibat, vt ex communi ſententia Doctorum probè notat, *Corduba in ſuo quæſtion. lib. 2. qu. 26. §. his præmiſſis, & & §. ſecunda pars.* Hac igitur dempta irregularitate, immeritò talem adſtruunt Auctores, ſupra relati, exceptionem; quam benè reijciunt, *Io. Andereas in dicto Cap. ſi vero: Anton. num. 8. Ancorit. nu. 3: Abbas num. 3. Couarr. Cap. Alma mater citato, verſ. 9. Sanchez lib. 9 de mat. diſp. 33. nu. 24.* ratio eſt, partim quia percutiens clericum, ignarus illius clericatus, licet rei illicitæ vacet in, *Cap. citato, ſi vera*, non dicitur irregularis: partim quia reſpectu clericidij homicida vacat culpa, quam neſcius clericatus committere non poterat, neque percuſſio Petri laici neceſſariam aliquam cum occiſione clerici connexionem habet.

10 Idque verum etiam habet, etſi volenti percutere laicum animus eſſet, clericum interficiendi, ſi eum, quem putat laicum eſſe, nouiſſet

uiſſet eſſe clericum verbi gratia emittens ſclopum, putanſque occidere Petrum laicū, ſi talis eſſet diſpoſitionis, & mentis, vt quamuis clericum illum eundem noſceret eſſe, etiam occideret, quo pacto diceretur operari ex ignorantia concomitanti, vt ſupra *num.* 3. indicauimus, cum hæc ignorantia, & ſi minimè à culpa excuſet operantem circa obiectum hoc, ob coniunctionem cum affectu peccandi clericidialiter, vt ita dicam, quod ſolum voluit *Diuus Thomas* 1.2.*quæſt.* 75 *art.*1.*ad* 3. dicens hanc ignorantiam non omninò excuſare à culpa; nihilo tamen minus vindicat opus externum cum illa factum à tali ſpecie peccati clericidialis; quippe quod non à tali affectu oritur, ſed à voluntate alia illud idem opus intendente, vt cognitum ſub diſtincta conditione, & ſpectans ad diſtinctam malitiæ ſpeciem, homicidij nimirum, atque ignoratum ſub requiſita ad cenſuram incurrendam; quamobrem vt ſolum Laicum intendebat quis interficere, non incurret cenſuram latam in interficientem clericum, interfecto laico, quamuis affectum habuiſſet internum occidendi clericum, quem Eccleſia cenſura minimè punit: declaratur autem hic affectus in praxi hiſce verbis, *Exiſtimo illum, quem video, eſſe Petrum Laicum, & volo occidere, idque præſtarem etiamſi eſſet Ioannes Clericus.*

11 Secus tamen res ſe haberet, vt probè *Lopez 2.part.inſtructorij cap.*13.*de excomm. fol.* 366. ſi dubitans quis illum eſſe Laicū, vel clericum, quem videt tamen, vellet occidere: qui animus hiſce declaratur *quiuis ille ſit, quem aſpicio, volo interficere,* & ratio eſt, quòd opus externum ex voluntate tunc procederet etiā tendente ad clericidium, & cum illa, tum opus externum ea informatum praua, ac prohibita ſub tali cenſura eſſent; cui ſententiæ doctè ſubſcribunt *Vaſquez* 1. 2. *diſp.* 126.*num.*104.*Sanchez citatus nu.*26.

12 Ex quibus principijs etiam ſequitur, falſo exiſtimātem eū, quem occidit, clericum eſſe, cum ſit laicus, non incurrere excommunicationem, quia reuera non clericum, ſed laicum percuſſit; ſicut neque irregularitatem incurreret, ſi feram occideret putans hoſtem eſſe, quia prauus ille affectus opere externo non ſubſecuto, his pœnis non afficitur ex *Gloſſa cap. In audientiam, verb. iniuriarum de ſent.excomm.Abbate cap.Si verò il 2. de ſent.excomm.& alijs quos citat*, ac ſequitur *Sanchez citatus num.*28.

13 Sit ſecunda concluſio. Ignorantia inuincibilis excuſans à quouis peccato, excuſat etiam à quauis cenſura ob delictum impoſita, conſtat Doctorum conſenſu, ac ſatis abundè probata eſt *à numero* 7. ac deinceps.

14 Sit tertia concluſio. Nullam irregularitatem, ob delictum ſtatutam, incurri ex ignorantia venialiter culpabili; quo circa quæcunque ignorantia iuris, vel facti, tantum venialis à quauis excuſabit cenſura, ob delictum impoſita. Et ratio eſt, quod hæc rigoroſa cum ſit Eccleſiæ pœna, contra ipſius pietatem ſanè eſſet, ſi contra leue præſcriberetur peccatum, & quamuis excommunicatio minor, ſecundum quid, videatur maior, nonnullis alijs cenſuris, cum priuet receptione Sacramentorum, contrahique poſſit ob culpam venialem; abſolutè tamen, & ſimpliciter minor eſt hac, de qua loquimur irregularitate, vt rectè *Nauarr. ſum. lat. recenſiori cap.* 27.*num.*253. quia eſt medicinalis, ac facile tollitur; ſecus irregularitas, ac aliæ ſimiles cenſuræ, quæ miniſterio priuant ordinis, & ex ſe pontificia tantum auctoritate tolluntur. Huius ſententiæ ſunt *Sotus lib.*5 *de iuſt.quæſt.* 1.*art.* 9. *verſ. id autem. Petrus Nauar.lib.*2.*de reſt.cap.*1.*in noua editione dub.*6.*num.*61.*Nauarrus citatus. Sanchez lib.*9 *de mat.diſp.*32.*num.*29.*Coninck de irregul.diſp.*18.*dub.*4.*num.*27. quod à fortiore verum erit de excommunicatione maiori, conſenſu Doctorum.

15 Sit quarta concluſio. Ignorantia vincibilis, & peccaminoſa mortaliter, dummodo craſſa non ſit, vel ſupina, tam facti, quam iuris, talem ferentis irregularitatem contra matrimonium clandeſtinè contractum, ab ea excuſat: quo ſenſu ſententiæ *ſuperiori capite num.*6. relatæ è *Ledeſma, & Soario* ſubſcribi poterit; quia quamis parentes peccauiſſent in omittēdis denunciationibus, vel præſentia parrochi, ac teſtium, idque ex ignorantia vincibili, & ſanè mortali, dummodo craſſa, vel ſupina non fuerit, proles cenſenda non eſſet illegitima; quòd ignorantia vincibilis iuris imponentis cenſuram, etiam irregularitatis, & facti aliàs damnati, dummodo craſſa non ſit, vel ſupina, licèt mortaliter culpabilis, excuſat ab illa per quemcumque ſancita, vt patet ex *cap.* 2. *de conſtit.in* 6.*docetque Sanchez diſp.* 33. *laudatus num.*31.*& deducitur ex primo noſtro placito circa hoc punctum num.* 6. *ſubſcribunt etiam Io: Andreas cap. Quarta in fine de ſent. excom.ſermonem habens de pœna canonis, Syluester verb culpa quæſt.*11.§.14.*aſſerens ignorantem craſſè, vel ſupinè non excuſari ab hiſce cenſuris & verb. Excommunicatio* 2. *Notab.*3.§.6. quod omnino verum eſt, etiamſi adeſſet ſcientia legis tale matrimonium prohibentis, dummodo intercedat ignorantia non craſſa talis irregularitatis, vt *in fine citati numeri docet Sanchez* de omnibus cenſuris, neque diſcrepat *Soarius laudatus*, qui in eo tantum diſſentit, quòd omnem vinci-

bilem

bilem ignorantiam craſſam, vel ſupinam eſſe arbitratur, contra doctrinam à nobis aſſertam *num.* 2. ac deinceps. Ignorantia itaque quæcunque etiam mortalis, ni nata ſit ex lata culpa, per omiſſionem debitæ diligentiæ, excuſat; ex qua quidem culpa lata ignorantiam craſſam, vel ſupinam ortum habere colligitur ex *cap. Quæſitum de pœnit. & remiſſ.* vbi rogatus Pontifex de græcis Sacerdotibus, qui filios in lecto opprimebant, an eſſent irregulares; reſpondit, *ſi illis procurantibus, aut ſtudioſè negligentibus filij reperiuntur oppreſſi, ab officio altaris debent perpetuò abſtinere*; quibus verbis æquiparantur procurantes, & ſtudioſè negligentes, vtique per latam culpam; alioquin non eſſet bona æquiparatio; vt probè *Sanchez nu.* 34. ex lata igitur culpa craſſam, ſupinamque ignorantiam promanare docent *Hoſtienſis in textu adducto verſic. ſtudioſè negligentibus Io: And. num.* 1. *in fine Anton: numero* 8. *Cardinal. numero* 2. *Abbas numero* 2. *& alij*.

16 Culpa verò lata ea dicitur, quæ in defectu diligentiæ etiam mediocris conſiſtit; quamobrem ignorans craſſa, vel ſupina ignorantia is erit, qui admodum leuem adhibet ad comparandam rei, vel iuris; ad quam tenetur, notitiam, vt indicat *Caſtrus lib.* 2. *de leg. pœn. cap.* 14. *col.* 4. & probat, quia non omnis negligentia, ſed ſumma ignorantiam cauſat craſſam per *leg. Regula verſ. ſed facti ff. de iur. & fact. ignorant.*

17 Sit quinta aſſertio. Matrimonium clandeſtinè contractum, in gradu prohibito, vel alio impedimento dirimenti, ex ignorantia craſſa, non tamen cenſitaria, vel affectata probabiliter prolem legitimat. Huic noſtræ concluſioni videtur ſubſcribere quotquot Auctores aſſerunt ignorantiam craſſam, vel ſupinam ex lata culpa excuſare à pœna ſancita in ſcienter facientes, ſic *Bart. leg. ſi adulterium in principio num.* 11. *ff. ad legem Iuliam Ancorit. Clem. Vnica de conſang. col.* 3. *Couarr.* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num.* 1. *& cap. Alma mater* 1. *part.* §. 10. *num.* 17. *Henric. lib.* 13. *de excomm. cap.* 25. *Sanch. laudatus num.* 36. Ratio, qua moueor eſt, quia vt ſupra *nu.* 13 dixi *cap. Finali de clandeſt. deſponſ.* matrimonium non quomodolibet clandeſtinè contractum, hac plectit pœna, ſed ex præſumptione tantum, vel per talem ignorantiam, quæ præſumptioni æquiualeat, ideo enim affectatores ignorantiæ coniuges ita contrahentes appellat, & *Tridentinum* eoſdem præceptorum Eccleſiæ temerarios contemptores nominat, vt *num.* 4. retulimus; immo æquiparat ſcienter contrahentibus, quos pari pœna punit; atqui lex, vel canon pœnam imponens contra ſcienter aliquid facientes, vel contra temerè audentes; aut præſumentes eam non inducit contra peccantes ex ignorantia craſſa, ergo &c. Maior propoſitio ex terminis manifeſta eſt, atque è textu clarè ſe explicante; minor vero de canone contra ſcienter facientes edito probatur, quando Canon expreſſum, vel tacitum requirit dolum, non ſatis eſt lata culpa in adhibenda diligentia noſcendi, quod teneris, vt eo comprehendaris, vel ad tuum factum, ille ſe extendat, ex qua culpa, vt ſæpe dixi, craſſa oritur ignorantia: atqui dum canon aliquid ſcienter facere petit, dolum ſanè requirit, ergo non ſufficit ignorantia craſſa ex lata culpa. Maior propoſitio huius vltimi Syllogiſmi patet ex *leg. Sed etſi lege* § *ſcire ff. de petitio. hæred. ibi, Non puto eſſe prædonem qui dolo caret, quamuis in iure errauit: nam te ſic Bartol leg. Quod nerua num.* 7 *ff de poſit.* ignorantia iuris è lata præſumitur culpa, vt probè etiam *Imola cap.* 2. *num.* 14. *de conſtit. & leg. ſi quis id, quod ad finem verſ. doli mali ff. de iuriſd. omn. iud. ibi, Doli mali ideo in verbis edicti fit mentio; quia ſi per imperitiam, vel ruſticitatem, vel caſu aliquis fecerit, non tenetur. Adde Gloſſam leg. In actionibus ff. de in lit. iurand. verb. non etiam, & leg. Plagij* §. 2. *verb. Iuſta. C. ad leg. flauiam de plagear. ibi Bald. in princ. Angel. dicta leg. ſi quis id quod* §. *doli ſub initio Bart. leg. Quod nerua num.* 20. *ff. De poſitit. Abbas cap.* 2. *de conſtit. num.* 6. *Anton num.* 9. *Felinus cap. Si verò il* 2. *de ſent. excomm. Conarr.* 4. *decretal.* 2. *part. cap* 6. §. 8. *num.* 21. quicquid in contrarium doceat *Decius cap.* 2. *de conſtit. in prima lectura à num.* 26. *ac deinceps.* Ratio autem affertur à *Baldo citato*, quia, qualibet ignorantia interueniente; deficit animus delinquendi, quod ſic ipſe interpretor, vt animus deficiat delinquendi non abſolute, ſed tali ratione nimirum ex dolo, & quaſi ex induſtria; ſed à Canone non plectitur hac pœna quodcumque delictum, ſed commiſſum è tali animo ſufficienter declarato; igitur hoc deficiente per intercedentem ignorantiam craſſam, vel ſupinam, hæc pœna non cenſebitur impoſita etiam latæ culpæ: ex hoc autem rationem præterea condo à priori, quia Eccleſia tali pœna, non quodlibet delictum, ſed expreſſe, ac formaliter volitum, intendit punire, quando illam imponit per Canonem vtentem particulam ſcienter, vel temere, vel ex præſumptione, vel alia ſimili. Adſtipulantur *Abbas Imola, Alexander de Neuo apud Sanch. lib.* 9. *de mat. diſp.* 32. *num.* 36. quando conſtitutio tacitè petit dolum. Minor propoſitio vltima probatur, quia Canon petens opus ſcienter factum, dolum requirit, id enim italicè dicitur *fatto à bello ſtudio*, ac docet *Domini-*

minicus cap.Is vero nu.1.de ſent.excom.num. 6. & probatur præterea, quia minor ignorantia ſufficit ad contrahendam pœnam, quando Canon non requirit aliquid facti ſcienter, quàm quando id poſtulet; ſed cùm non riquirit ſcienter, vt indicauimus præcedenti aſſertione, ignorantia craſſa ad minimum intercedere debet, nè peccans excuſetur, & contrahat cenſuram, ergo quando Canon petit ſcienter fieri aliquid, nè fruſtra id addatur, maior ignorantia requiretur, quàm craſſa, nè peccans ex illa excuſetur, contrahatque cenſuram ſic impoſitam.

18 Obijcies. Idem eſt ſcire, ac debere ſcire *leg. Quod te mihi ff. de reb. cred. in fine*; ergo idem erit factum ignoranter cum obligatione ſciendi, ac factum cum ſcientia. Reſpondeo diſtinguendo antecedens; Idem eſt ſcire, ac debere ſcire, quoad culpam, tranſeat antecedens: ſecus autem eſt quo ad pœnam, nam quando canon huiuſmodi graues ſancit pœnas, non contra quodlibet opus impônit, ſed contra ſcienter factum, id eſt ex inſtituto, ex animo, italicè *à bello ſtudio*, hiſpanicè *Adredes*; vel ſi ignoranter id fiat, ex tali ignorantia peractum eſſe debet, vt æquiualeat huic ſcientiæ: hæc autem ignorantia in pœnis granibus craſſa non eſt, vel ſupina; ſed craſſiſſima vel affectata, vt tale delictum ex ea commiſſum tanta dignum cenſeatur pœna, Conſulto dixi, tranſeat antecedens de culpa, de qua illud abſolutè verum non eſt, ſed præterea requiritur aliqua plena, & actualis ad mortale ſufficiens aduertentia, expreſſiua malitiæ obiecti, vel periculi, ſeu dubium, aut ſcrupulus laltem, vt probè declarat *Sanchez in oper. mor. lib. 1. cap. 16. num. 21. 23. & 24.*

19 Obijcies ſecundò, illegitimorum natalium irregularitas non eſt ex delicto; ergo. Reſpondeo hanc irregularitatem ex delicto non eſſe filiorum, neque eſſe merè factum ſubſequens, ſed ex delicto promanans parentum, vt patet ex canone ſupra citato *cap. Finalis de cland. deſponſ. ac Trident.* de qua irregularitate hæc omnia militare iura rectè docet citatus *Sanch. num.* 15. ex multis, quos refert, Auctoribus.

20 Seſta concluſio. Doctrina, quam tradidimus *num.* 17. eſt pariter vera, quando Canon vtitur clauſula *ſi quis auſus fuerit*, ratio eſt, quod audacia temeritatem importat ex *Gloſſa leg. ſiquis in tantum, verb. audaciam C. vnde vi*, & italicè atque hyſpanicè audax dici ſolet *temerario*, meritoque audax cum præſumente coniungitur *leg. habita C. ne filius pro patre*, vt notat *Petrus de Ledeſma ſum. ſacram. capit. 3. de excomm. dub. vltim. dicto 3.*

21 Septima concluſio. Idem ſentiendum eſt de pœna per canonem impoſitam Præſumenti, vt per hunc noſtrum tum *cap. Finalis ſæpius citati*, tum *Tridentin.* etenim non verè præſumtuos dicetur qui ex craſſa aliquid patrauerit ignorantia; quum præſumptio dolum arguat, ac temeritatem, vt bene *Cardinal. Clement. 1. de priuil. quæſt. 39. Nauarr. ſum. lat. cap. 27. num. 125. & cap. Accepta de reſtit. ſpoliat. oppoſit. 8. illat. 9. num. 32. Emanuel Sà ſum. verb. pœna præſumenti, Sanch. laudatus num.* 38. ergo non ſufficit lata culpa, & ignorantia craſſa, quando Canon requirit præſumptionem, vt dicimus 4. & 5. aſſertione, docentque *Nauar. ſum. hyſpana cap. 37. num. 74. Henriquez lib. 13. de excom. cap. 23. num. 3. & alij, quos citat*, ac ſequitur *Sanch. num.* 38. quicquid in contrarium dicat *Innocent. cap. Cum medicinalis in fine de ſent. excom.* Confirmatur, quod à ſuſpenſione per *Tridentinum ſeſſ. 2. cap. 1.* ſancita per ea verba, *quòd ſi quis parrochus &c. benedicere auſus fuerit*, in alienum parochum, vel ſacerdotem, non de licentia proprij parochi aſſiſtentem, quælibet excuſat ignorantia, etiam craſſa, dummodo craſſiſſima non ſit, & ſupina ingentem redolens temeritatem, quia Tridentinum ea vtitur loquendi ratione *auſus fuerit*, vt rectè *Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 48. num.* 7. ergo idem erit in caſu noſtro, etiamſi citatus Auctor, præter morem, haud ſibi conſtans contrarium indicat ſentire *diſp. 42. num. 1.*

22 Obijcies è *Soario tom. 3. in 3. part. diſp. 4. ſect. 10. num. 3. & 4.* temerarius violator legis eſt, qui eius habens ſuſpicionem, aliquam non adhibet diligentiam; ſe temere periculo eam tranſgrediendi alioquin exponens; ſed qui aliquam diligentiam ad talem ſciendam legem omittit, non peccat per latam culpã, craſſamque ignorantiam, ſed per minorem; ergo hæc ſufficit ad temeritatem; igitur qui ex hac ignorantia minori, quàm craſſa, nè quidem ex ipſa craſſa peccabit ſi pœnam incurret, latam à canone contra temerè aliquid facientes. Reſpondeo quo ad culpam contrahendam ratione periculi, cui taliter delinquens exponitur, veram eſſe *Soarij* ratiocinationem, ni excuſaretur ille per naturalem eiuſdem periculi obliuionem, vel inaduertentiam, iuxta doctrinam *Nauarri lib. 2. de reſtit. cap. 1. dub. 6. in noua editione num. 36. & Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 16. nu.* 29. ſecus verò quo ad pœnam, adeo præſertim grauem, impoſitam temerario violatori; alioquin omnis culpabilis ignorantia eius ad contrahendam talem ſufficeret pœnam, quod eſt abſurdum, Doctorum omnium conſenſu.

23 Obijcies ſecundò, & canonem citatum

cap.

cap. Finalis & Tridentinum punire contendunt, tum ſcienter contrahentes, tum ignoranter; ſed noſtra ſententia tantum ſcienter contrahentes plectuntur: cum peccantes ex ignorantia pluſquam craſſa æquiualeant ſcienter delinquentibus, ergo &c. Reſpondeo illa iura punire quotquot delinquere præſumpſerint, vel temerariè auſi fuerint, ſiue ex certa ſcientia, dolo, atq; formali, expreſſo contemptu, ſiue ex virtuali, atque æquiualenti in affectata ignorantia, vel craſſiſſima imbibito; de qua ſequenti aſſertione.

24 Octaua aſſertio. Matrimonium clandeſtinè, & aliàs inualidè contractum ex ignorãtia craſſiſſima, temeraria, ac ſupina prolem legitimandi vim non habet; ratio eſt, quòd hæc ignorantia temeritatem, ac dolum inuoluit; qua quis laborans in dolo ſanè diceretur eſſe, vt probè *Antonius num 2. cap. 2. de conſtit.* vbi ait craſſiſſimam ignorantiam dolo comparari, *Nauarr. ſum. cap. 27. num. 24.* vbi canonem excommunicantem Præſumentem, ait, non comprehendere laborantem ignorantia non nimis craſſa, adſtipulatur *Sanchez lib. de mat. diſp. 32. num. 39.* quare cum, vel vix ab affectata hæc differat ignorantia, vel ad eam maximè accedat, eodem certè fundamento, ac de illa probanda etiam eſt, quod ſequens præſtabit aſſertio; illud ſolum ſilentio non prætereibo *Sancium* quam hic agnouit, ſpeciem ignorantiæ omiſiſſe *in ſumma*, ea fortaſſe ductus ratione, quam nec ipſe inficior, vt *num.* 5. indicaui, quod vix inueniri ab affectata diſiuncta hæc poſſit; quamuis ab ea diſtinguatur, vt nos *num. 4. &* 5. diximus.

25 Vltima concluſio. Matrimonium inualidum clandeſtinè contractum ex ignorantia affectata parentum prolem minimè legitimat; ratio autem eſt, quia pœna huius irregularitatis impoſita contra ſcienter, vel ex ignorantia affectata aliquod facientes directè in hoc matrimonium facie, quòd hoc pacto initum maximè voluntarium eſt ex *Diuo Thoma 1. 2. quæſt. 6. art. 4. in corpore*, aſſerente huiuſmodi ignorantiam voluntarium augere; & canones huiuſmodi pœnas, his formulis ſtatuentes, directè contra delicta temerè, & ex induſtria penè patrata, vel ſcienter, vel per ignorantiam directè volitam, hac ratione explicandos eſſe, docent *Gloſſa Clem. 1. verb. ſcienter de cõſang. Franc. cap. 2. num. 4. de conſt. in 6. Diuus Antoninus 3. part. tit. 24. cap. 24. num. 2. Suarez 5. tom. in 3. part. diſp. 4. ſect. 10. num. 1. & alij apud Sanchez modo citatum num. 40.*

CAPVT V.

An matrimonium clandeſtinum, cætera validum, prolem legitimet antea ſuſceptam à parentibus habilibus ad contrahendum tempore conceptionis, aut natiuitatis.

S V M M A.

Prima ſententia docens legitimari prolem, antea ſuſceptam, per matrimonium clandeſtinum cætera validum. num. 1.

Et prolem etiam in eo ſuſceptam. numero 2.

Relata opinio, poſt Tridentinum, non eſt probabilis. num. 3.

Abſolutè probabilius, eſt matrimonium clandeſtinum alioquin validum non legitimare prolem vllam. num. 4.

Lex poſterior, quæ generaliter, & indiſtinctè loquitur, limitanda eſt per ſpecialem antiquiorem. num. 5.

Explicantur cap. Tanta, & cap. Quod nobis de cland. deſp. num. 6.

Iura imponentia pœnam clandeſtino matrimonio in fauorem ſunt animarum, & ampliãda. num 7.

CVm cladeſtini matrimonij alioquin etiam inualidi, vim explanauerim ad validum accedo; neque extra chorum ſaltaſſe videor, quando has omnes, ad matrimonium ſpectantes, tractatui quæſtiones, etenim ad præſtiti, partim, quia de legitimatione ad Epiſcopatum, peculiaris, vt ſupra indicaui, controuerſia erat, partim, quia peculiare de clandeſtino matrimonio contracto ob ignorantiam, aliquid habebam dicere, nec non de valido, quod mox ſubijciam.

1 In antiquam, & receptiſſimam ſententiã negantem clandeſtino matrimonio valido vim legitimandi prolem, antea ſuſceptam à parentibus valentibus contrahere, acriter inuehitur *Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 44.* contrariamque nititur firmare ſententiam, quam licet paucorum auctoritate doctorum roboratam fateatur, ab intrinſeco tamen certam habet, immò & communiorem, ſibique manifeſtam. Duo igitur docet *Sanchez*, primum, matrimonium clandeſtinum, cætera validum, legitimam reddere prolem antea ſuſceptam, in iiſdem omnino caſibus,

in

in quibus idem efficeret, ſi in facie Eccleſiæ initum eſſet; ſecundum docet, Matrimonium validum clandeſtinum quomodolibet contractum natos ex eo *legitimos* facere. Primum probat primò, quia correctio iuris omnino vitanda eſt *leg. præcipimus C. de appellat.* ergo cum *Cap. Tanta qui fil. ſint legit.* vniuerſaliter decernat filios naturales legitimari per ſubſequens matrimonium, nè per alia corrigatur iura, in ſuo robore habenda eſt. Secundò, pœna cum ſit odioſa, imponenda non eſt ſine iure expreſſo *cap. Is qui de ſent. excom. in 6.* ſed non inuenitur textus contrarium decidens, ac priuans matrimonium validum clandeſtinum, vi legitimandi; ergo &c. minor probatur, quia *cap. Finale § ſi quis de cland. deſponſ.* à contrarijs auctoribus alligari ſolitum, de matrimonio inualido loquitur, inter quod & validum, magnum profectò verſatur diſcrimen; quia inualido tale non eſt robur, niſi ex bona parentum fide, ſecus valido, ex ſe, vel iuris priuilegio illud ſibi vindicante; Tertiò, poſt §. *ſi quis* in ſequenti paragrafo hæc habentur, *ſed ijs, qui taliter præſumpſerint in gradu conceſſo copulari, condigna pœnitentia iniungatur* ac ſi diceret, pœna matrimonij clandeſtini inualidi eſt, ne valeat legitimare prolem, validi verò alia erit aſſignanda. Quarto, quòd iura ciuilia à contrarijs allata in hac re non militant, ſed canonica ex communi doctrina.

2 Secundum placitum *Sanchez* probat ex *Gloſſ. cap. Quod nobis, ſupra citati in fine, vbi Anton. num. 5. Abbas num. 4. Sotus, & alij, quos idem ſequitur Auctor lib. 3. de mat. diſp. 42. num. 8.* ob idem fundamentum, quia nullibi hæc pœna impoſita eſt.

3 Cæterùm, licèt hanc opinionem tanti viri auctoritate roboratam, ac tertio præſertim firmatam argumento, vt à me expoſito, non auſim quo ad primam concluſionem improbabilem aſſerere, in eo præſertim ſenſu, quo à Sanchez arbitror typis mandatam, verùm & maiori declaratione indigere, & abſolutè contrariæ poſtponere non ambigo, ad quam ſit prima concluſio. Duæ relatæ concluſiones poſt Tridentinũ omnino probabilitate carent, neque eas exiſtimo *Sanchez* in hoc ſenſu dixiſſe, ſed vel rem expendendo, penes ius antiquum, vel vbi Tridentinum publicatum non eſſet, quod vnico indicauit verbo *Soar. diſp. 56. docens ſect. 1. nu. 9. in fine.* Etenim *Tridentino ſeſſ. 24. de reform. mat. cap. 1.* quodcunque irritante matrimonium clandeſtinum, ex ipſa ratione contrahendi, matrimonium quodlibet clandeſtinum irritum ſanè eſt, & inualidum; atqui quæuis proles ſuſcepta nullo intercedente valido matrimonio eſt illegitima, ergo, & proles, de qua loquimur. Secundo ex vi matrimonij clãdeſtini, cæteroqui validi, non tenentur Coniuges ad perſeuerantiam in tali coniugio *cap. Quod nobis de cland. deſponſ.* quo vſque poſt illorum confeſſionem, illud Eccleſia probauerit; igitur ex conſequenti proles legitima cenſenda non eſt in Eccleſia quo vſque per eiuſdem ratihabitionem illud retrotrahitur, ac ſi à principio validè contractum eſſe putaretur, vt proles legitimaretur; quod à fortiori verum eſt poſt Tridentinũ, poſt quod, vt probè *Soarius citatus,* filij ex illo geniti matrimonio, ſint illegitimi, & quo ad legitimationem per ſubſequens matrimonium, de illis iudicandum eſt, ac de quocunque genito per fornicationem, vel concubinatum: quum reuera non minus illegitimi ſint, ſuſcepti à parentibus clandeſtinè coniugatis, quàm à non coniugatis.

4 Sit ſecunda aſſertio. Abſolutè etiam aſſerens ſententia per hoc matrimonium, alioquin validum, clandeſtinè tamen contractum non legitimari prolem, neque antea ſuſceptam, neque ex eo ſuſcipiendam, eſt probabilior. Et quo ad primam partem, vt Sancio vitrò concedam ab Auctoribus, quos ipſe doctè expendit, eam non defendi, negari tamen nõ poteſt illam tueri *Guidũ Papam deciſ. 482. num. 3. Beroum in ſuis quæſtion. quæſt. 107. num. 1. Duen. reg. 550. lim. 12. Capbul. conſ. 276. vol. 3. Anton. Cuccum lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 69. & 74. Menoch. de præſump. lib. 3. præſump. 1. num. 100 Soarium ſupra citatum.* Secunda verò pars defenditur à *Corona confeſſor. 2. part. de ſac. ord.* indicaturque à

5 *Soario citato.* Vtraque probatur primò. Lex poſterior generaliter, & indiſtinctè loquens limitanda eſt per ſpecialem antiquiorem, ſi expreſſis verbis ei non contradicat *L. ſed & poſteriores ff de leg. Gloſſ. leg. ſciendum verb. non compelli ff qui ſatis dare cogent. & ibi Bartol. in principio num. 1. Iaſon. num. 4. idem Bartol. in leg Omnes populi quæſt. 3. ff. de iuſt. & iur. Bald. Authent. Offeratur num. 12. ſub initio C. de litis conteſtat. Abbas. conſ. 24. num. 1. Nauarr. cap. Placuit de pœnitent. diſt. 6. num. 148. & ſum. lat. cap. 27. num. 206.* nec non *Sanchez lib. 2. oper. mor. num. 27.* ne iuris correctio detur; atqui *cap. Tanta qui filij ſint legit.* vniuerſaliter ſermonem habent, ac ſubſequenti conferens matrimonio vim legitimandi prolem, antea habitam, eſt ſanè conditum poſt *cap. Quod nobis de cland. deſponſ.* quod quidem ſpecialiter loquitur de clandeſtino matrimonio, igitur ab hoc illud debet limitari; quod autem hoc habet textus illius capitis ex eiuſdem conſtat verbis; *Verùm ſi perſonæ contrahentium hoc voluerint publicare, niſi rationabilis cauſa præ-*

pediat, ab Eccleſia recipienda ſunt, & comprobanda, tanquam à principio in Eccleſiæ conſpectu contracta; igitur ante approbationem Eccleſiæ nec erat ſtabile matrimonium, ita vt coniuges eſſent compellendi, neque proles erat exiſtimanda legitima: ergo illud matrimoniũ alioquin validum ex ſe permanens clandeſtinũ, prolem non legitimabat.

6 Dices, in hoc capite ſermonem eſſe de matrimonio cladeſtino aliàs inualido, non autem de valido, quod in præſenti pertractamus. Sed contra, quia ibi expreſsè dicitur illud matrimonium ab Eccleſia recipiẽdum, atque approbandum eſſe, niſi aliqua rationabilis cauſa, impedimentum ſcilicet, conſanguinitatis, vt ibi probè *Gloſſa* vel aliud, præpediret: deinde, vt proſequitur eadem *Gloſſa verb. à principio*, hoc matrimonium, quod affirmat textus valuiſſe quo ad Deum, licèt non quo ad Eccleſiam, *nunc primò declarari validum*. &c. qua declaratione retrotrahitur, ac ſi eſſet contractum à principio, ac legitimatur etiam proles, quæ ante hanc probationem omnino illegitima iudicanda erat, vt perpendit *Soarius citatus*, quicquid *Abbas* ibi *num.* 4. in contrarium indicet: declaratur hoc idem ex *cap. Quod nobis, qui filij ſint legit.* vbi clandeſtinè contrahẽtibus dicitur; *Si qui de matrimonio clandeſtino poſtmodum ab Eccleſia comprobato generati fuerint, eos legitimos iudices filios, & hæredes*, igitur antequam ab Eccleſia comprobatum fuiſſet, tale matrimonium legitimandi facultatem non habeat, vt docet expreſsè *Soarius laudatus diſp.* 50. *de cenſ. ſect.* 1. *num.* 9. & quamuis ab *Alexandro Tertio tum textus cap. Quod nobis de cland. deſponſ. tum cap. Tanta qui filij ſint legit. conditi ſint*, ea tamen ratione, qua in ordinem à Gregorio redacti ſunt, & habentur in decreto, fortaſſe manarunt; Addo abſolutè legem generalem per aliam peculiarem explicandam eſſe, vt iuris correctio vitetur; quod etiam in ſuo fundamento, ac ſępe alias *Sanchez* aſſumit, ac docet. Secundo probatur aſſertio. Huiuſmodi pœnæ impoſitæ ſunt clandeſtino matrimonio per leges, haud purè pœnales, ſed in fauorem animarum editas; quippequæ ampliandæ ſunt, vt diximus *cap.* 3. *num.* 4. ex multis, inter quos idemmet *Sanch. lib.* 3. *de mat. tum diſp.* 1. *num.* 8. *tum diſp.* 42. *nu.* 4. Igitur vel ſibi non conſtabit *Sanchez* perſiſtens in ſecundo argumento allato pro ſua opinione, vel manum nobis daturus eſt, cum quæ nobis opponit iura, ipſemet ſoluat, atque in huiuſmodi legibus minimè locum habere doceat. Tertio habemus textus à nobis ſuper allatos quibus huic matrimonio ius tollitur legitimandi, idque rationi profectò conſentaneum erat ad cohibendos homines ab huiuſcemodi contractibus; igitur aſſerendum abſolutè id eſt; quamobrem non modo facultatem ſubſtulit Eccleſia legitimãdi matrimonio inualido clandeſtino, putato vero; ſed etiam vero, quum motiuum ipſius aliud non fuerit, quàm rigida hac pœna matrimonium quodcunque clandeſtinum afficere, quo vſque in facie Eccleſiæ probatum, & approbatum fuiſſet; quodque confirmauit *Tridentinum* ſupra citatum illud reddens nullum, etſi cætera validum; vt nec vmbrã dubij hoc pacto poſteris relinqueret. Quare probe Becous citatus vnico dixit verbo in odium clandeſtini matrimonij hanc ſancitam fuiſſe legem.

7 Ad primum argumentum *Sanchez*, ex ipſiuſmet doctrina dicimus noſtram firmatam eſſe ſententiam. Adde ſibimet pugnare *Sanchez*, ni nobiſcum ſentiat, nec deeſſe, quos attulimus, textus, hanc pœnam ſtatuentes: demum textus imponentes pœnas clandeſtino matrimonio non in aliquorum odium, ſed in fauorem animarum editi, eſſe dicimus, atque ad accurrendum peccatis, & ſcandalis, quæ ex matrimonijs ſequuntur clandeſtinis; huiuſmodi autem leges, & extendendæ ſunt per identitatem rationis, vt idem docet *Sanchez*, in quem agimus *lib.* 1. *de mat. diſp.* 39 num. 4. igitur nil mirum ſi, de qua diſputamus, lex latè pateat ad matrimonium, alioquin validum clandeſtinum, quum formalis, & propria ratio, qua mouetur Eccleſia, non fuerit alia, quàm clandeſtinum exterminare, ac punire contractum; cui quomodolibet inito, meritò pœnam iuſſit. Tertium argumentum, etſi habere vim dixerim, verùm capitis illius ſenſus eſt, præter pœnam impoſitam clandeſtino matrimonio abſolutè contracto, alteram inferre contrahere præſumentibus perſonis, quæ non tollit primam, clandeſtinè cuicunque contrahendi modo impoſitam, vt probauimus ex alijs etiam textibus. Quartum rationis momentum contra nos non facit, canonico qui ſolum innitimur iuri. A pœna, quam hactenus aſſeruimus, excuſabit ignorantia, iuxtà præcedentis capitis doctrinam.

DISPVTATIO IV.

Religioſa profeſſio deleat ne illegitimorum natalium notam?

Cum neque peculiaris obuerſetur quæſtio in irregularitate quòad Ordines, reliquaſque ab Epiſcopali diſtinctàs dignitates, neque aliquid mihi noui ſit de illa ſcribere; vt per religionis profeſſionem tollatur: breuī, reliqua ſupponens, quod huius loci vt vnico tantùm capite decerno expendere; an ſcilicet religioſa profeſſio illegitimorum maculam natalium abſoluendi facultatem ſic habeat, vt ad Epiſcopalem dignitatem illegitimi religioſi gradum, ſine alia diſpenſatione, queant facere?

CAPVT VNICVM.

An Religioſis profeſſis illegitimorum natalium nota ad dignitatem Epiſcopatus impedimento ſit?

SVMMA.

Sixti V. diploma illegitimos arcens ab ingreſſu religionis reuocatum eſt per Gregoriū XIV. num. 1.

Si legitimandi haberet facultatem Religio ad Epiſcopatum non per nouitiatum, ſed per profeſſionem vim habitura eſſet, numero 2.

Eodem pollerent robore vota emiſſa poſt biennium Tyrociniſ in Societate Ieſu. numero 3.

*Opinio docens ſola profeſsione religioſa legitimari ad Epiſcopalem dignitatem refertur. num.*4.

*Contraria ſententia certiſsima, & omnino tenenda. num.*5.

Declaratur Gloſſa cap. Cum deputati de iudic. *num.*6.

Perpenditur Authent. de monch. coll.1. *numero* 7.

Profeſsio probabiliter matrimonium ratum antea contractum non ſoluit, quod ſi ſoluat, ex Chriſti *priuilegio habet. num.*8.

*Ius ciuile vim legitimandi religioſæ profeſsioni dare nequit. num.*9.

1 SVpponendum eſt primo, quod tametſi ex diplomate Sixti V. *diſp.* 2. *cap.* 1 *num.* 2. *à nobis allato*, quo fiebant inhabiles illegitimi ad religioſum ſtatum, nullius emolumenti propoſita quæſtio eſſe videtur, quia tamen illud derògatum, atque ad ius commune rem eſſe redactam conſtat per *motum proprium Gregorij XIV. datum anno* 1591 *vt aſſerunt Manuel citandus artic.* 7. *Soarius* 5. *tom. in* 3. *part. diſp.* 54. *ſect.* 5. *num.* 12. *Sanchez lib.* 5. *oper. mor. cap.* 5. *num.* 9. è re profectò erit eam expendere.

2 Suppono ſecundo, ſi legitimandi facultatem ad Epiſcopatum ſibi vendicaret Religio, habitura ſanè per profeſſionem eſſet in ea emiſſam, non autem per ingreſſum, vel nouitiatum; quum hanc eandem vim legitimandi ad ordines ſola profeſſio habeat, communi Doctorum ſententia, vt videre eſt apud *Soarium citatum num.* 12. & *Sanchez num. pariter* 12. *conſtàtque ex cap.* 3. *de filijs presbyter.* & maximè conſentaneúm eſt rationi, vt legitimatio ſiue ad ordines, ſiue ad Epiſcopatum, cum ad rem ſit perpetuam, perpetuò, parique etiam medio tollatur.

3 Supponendum tertio, hoc idem poſt Ti-

rocinij biennium emiſſis vocis in Societate Ieſu fore vt competeret, vera ſi eſſet prima mox inſerenda ſententia, vt eiuſdem legitimatio ad ſacros competit ordines, quod vnico verbo indicauit *Soarius laudatus*, *explicat verò*, *ac probat Sanch. numero 13. & 14.*

4 His prænotatis *Manuel tom. 1 quæſtion. regular. quæſt. 15. art. 5. in principio* profeſſionem docet iure diuino inducere perfectam, ac totalem legitimationem ad quamu is etiã Epiſcopatus dignitatem, probat primo ex *Gloſſ. cap. Cum deputati in fin. de iud.* aſſerẽte, omnem irregularitatem profeſſione deleri. Secundo ex *Authent. de monarb coll.* 1. vbi dicitur per profeſſionem omnem tolli maculam. Tertio, difficilius eſt matrimonium ratum diſſolui, cujus vinculum iuris eſt naturalis, quàm hoc irregularitatis ligamen, quod iuris eſt poſitiui humani; atqui omnium calculis iure diuino profeſſio ratum diſoluit matrimonium, ergo & huius irregularitatis vinculum. Quarto probatur auctoritate iuris ciuilis Peritorum communiter id docentium.

5 Certiſſima tamen eſt contraria ſententia, à qua nec citatus *Manuel art. 5* audet diſcedere, docens ſola religionis profeſſione minimè legitimari Nothos ad prælaturas, dignitateſque, præſertim Epiſcopalis, vt manifeſtò conſtat ex *cap. 1. de fil. presb.* quod cum ad ordines illegitimos habiles profeſſione reddat, ſubiungit, *prælationes nullatenus habeant*, vbi *Antonius in fine*, *Abbas numero 2. Card. quæſt. 7. Sair. tom. 1. theſ. caſu lib. 2. cap. 1. num. 3. Soar. citatus num. 15. Sanchez laudatus num. 16.* hoc idem probat *Gloſſa verb. prælationes ex cap. finali de fil. presb.* vbi abſque diſpenſatione Pontificis omnes illegitimi arcentur à dignitate. Ratio autem huius irregularitatis deſumenda ex his eſt, quæ *diſp. 2. cap. 1. huius libri* copioſè diximus.

6 Ad primum *cap. Cum deputati*, quod errore manuenſis, vel Typographi malè citatur ab Emanuele, reſpondeo ibi *Gloſſam* diuini iuris nullam feciſſe mentionem, ex quo profeſſio talem vim habeat, ſed ſolum omnem irregularitatem debere inquit; at non probè: tum quia innititur iuri tantum ciuili, *Authentica de monarbis*, quod in pœna Eccleſiaſticæ irregularitatis non militat: tum quia argumentum deſumptum ex *cap. Liceat 19. quæſt. 3.* nullius eſt momenti, cum ſola ibi nota ingratitudinis dicatur per profeſſionem aboleri, neque de alia mentio fit irregularitate.

7 Secundo argumento fecimus ſatis, primo reſpondentes. Adde Imperatorem, in illa authentica vitam monacalem decernentem detergere omnem fœditatem, de turpitudine peccati ſaltem quo ad reatum pœnæ ſermonem habere, vt colligo ex *Gloſſa ibi verb. macula*, *& ex leg. Deo nobis §. hoc etiam verb. quaſi.*

8 Ad tertium reſpondeo, probabilem etiam eſſe ſententiam, negantem profeſſioni facultatem diſſoluendi præcedens matrimonium ratum, vt videre eſt apud *Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 19. num. 2.* & contraria ſententia eam profeſsioni concedens è Chriſti priuilegio id habere profeſsionem docet, vt ex multis *citatur Auctor num* 3. quod quidem priuilegium, quum profeſsioni non legatur conceſſum ad legitimandam prolem in ordine ad dignitates, ſine fundamento aſſeritur. Adde profeſsonem aliqualem habere cum ſtatu matrimonij oppoſitionem; ſecus verò cum illegitimatione; quæ quidem ratio probat, quòd quamuis ex rei natura robur haberet irritandi matrimonium ratum profeſsio, nequaquam eandem habere dicenda eſſet ad tollendam illegitimorum natalium maculam.

9 Demum licet quartum argumentum admitteremus, nihil ſanè concluderet; cum illi Doctores, immò & ius ipſum ciuile, contra diſertos canonici iuris textus, tantum profeſſioni virium dare minimè poſſunt. Quid quod? nec omnes Iuriſconſulti in eam abeunt ſententiam; ſed ſolum docent per oblationem Spurij Curiæ Ceſareæ, in illius oblationis præmium cenſeri à Ceſare illum legitimari; quæ tamen ratio non militat in profeſſione, cui talem facultatem negant *Faber*, *quem citat*, *ac ſequitur Couarr. 4. decretalium 2. part. capit. 8. §. 7. numero 4.*

DISPVTATIO V.

De illegitimorum natalium Diſpenſatione.

Vt in reliquis diſputatis quæſtionibus, ſic in præſenti cura non tangit animum, omnia, quæ de poteſtate huius irregularitatis à Doctoribus diſputatur, hic expendendi, quæ quidem ad materiam potiùs ſpectant de Matrimonio, ac de Sacramento Ordinis; eorum ad noſtrum inſtitutum propriùs accedentium, peculiaremque præſeferentium difficultatem. Itaque de Summi Pontificis, excluſa ſecularis cuiuſque Principis, facultate, hoc aget caput ſequens Epiſcopi poteſtatem excepturus, deinceps de ratione diſputandi extenſiua, vt ita dicam, an, data ad vnam dignitatem, extendatur ad alteram diſpenſatio? demum de ratione diſpenſandi implicita per promotionem agemus.

CAPVT PRIMVM.

De Pontificia diſpenſandi facultate in illegitimis natalibus ad Epiſcopalem dignitatem.

SVMMA

Secularis Princeps neque directè, neque indirectè tollere illegitimorum natalium irregularitatem in ordine ad ſpiritualia poteſt. numero 1.

Non poteſt Pontifex directè legitimare quo ad bona temporalia, & ciuiliter in toto orbe. num. 2.

Quæſtiones diſputandæ indicantur. numero 3.

Proprium eſt ſummi Pontificis in illegitimis diſpenſare natalibus ad ſpiritualia. numero 4.

Poteſt Papa diſpenſare etiam in huiuſmodi, non vocatis his, ad quos ſpectant. numero 5.

Religioſus profeſſus illegitimus diſpenſatione indiget pontificia ad dignitates. numero 6.

Pontificia data diſpenſatio ſine cauſa ad hanc tollendam irregularitatem valida eſt num. 7. & 8. at illicita num. 20.

Qui peccat in ius diuinum neceſſariò in eo non diſpenſat. num. 9.

Dictio diſiunctiua vel ponitur inter diuerſa. num. 11.

Non excuſaretur Pontifex ſine cauſa diſpenſans in illegitimis natalibus. num. 12.

Eo difficilior eſt legitimationis diſpenſatio, quò ex turpiori illa eſt congreſſio. numero 13.

Præter neceſſitatem Eccleſiæ, & vtilitatem, prærogatiua meritorum ſatis eſt ad hanc diſpenſationem. num. 14.

Commendatur Ioannes à Ribera Archiepiſcopus Valentinus, & Patriarcha Antiochenus. num. 15. nec non Franciſcus Scriba vitæ illius ſcriptor. ibidem.

Debita eſt hæc diſpenſatio congruis vrgentibus cauſis. num. 16.

Ita vt denegans peccaret aliquando. numero 17.

Delictum irregularitatem illegitimationis inducens aperiendum eſt indicato modo opportuno

tuno ad diſpenſationem percipiendam. numero 18.

1 VT exploratum primum ſuppono haud poſſe ſecularem Principem, nec directè, neque indirectè illegitimorum irregularitatem tollere, vt capax illegitimus ſit ordinum Eccleſiaſticorum beneficiorum, vel dignitatum, ac cæterorum huiuſmodi ſpiritualium: non quidem directè defectu iuriſdictionis ſpiritualis, cuius proprius eſt actus huiuſmodi diſpenſatio neque indirectè, quia cum hodie ſola Eccleſia ſtatuere poſſit impedimenta dirimentia contractum matrimonij, naturæ, & conſequenter ſecularis poteſtatis limites, vt eleuatum fundamentum ad Sacramentum illum penè excedentem, & ſibi meritò reſeruauit Pontifex, vt è multis diximus *diſp. 1. huius libri cap. 3. num. 16.* Et ſecularis Princeps in eis non poterit diſpenſare, neque irriti radicem matrimonij tollere, à qua illegitimi pullulant filij: neque legitimationem ad ſpiritualia ſaltem inducere; vt docent *Io: Andreas cap. Per venerabilem qui filij ſint legitimi num. 30. vbi Anton. num. 19. Roſell. verb. illegitimus num. 15. Sanchez lib. 8. de mat. diſp. 7. num. 12. apud quos alij.*

2 Supponendum ſecundo, non poſſe Pontificem directè quo ad bona temporalia, atque officia ſecularia legitimare quempiam, extra locum eius, temporali iuriſdictioni ſubiectum, ob eandem rationem, defectu ſcilicet iuriſdictionis temporalis, quod, cum extra noſtrum ſit inſtitutum, videri poterit apud *Sanch. lib. 8 de mat. diſp. 7. num. 5.* vbi quomodo indirectè poſſit id Pontifex, diſpenſando in radice matrimonij *à numero 5.*

3 Supponendum tertio, non futurum hic ſermonem de legitimatione per matrimonium; quippequæ mediata ſit, & ſupra diſputata; atque in quo impedimento diſpenſare Pontifex poteſt, poterit vtique per matrimonium diſpenſatum eam inducere. De validitate igitur, & licita diſpenſandi ratione à Summo Pontifice ex cauſa, vel ſine illa agendum eſt.

4 Prima concluſio. Diſpenſatio in irregularitate illegitimorum natalium per ſe propriè eſt ſummi Pontificis, ad ordines ſacros, beneficium curatum, dignitatem, & alia, ſi quæ ſunt huiuſmodi: conſtat ex *cap. 1. de fil. presb.* per ea, *Prælationes nullatenus habeant &c.* de quibus præcipua nobis eſt quæſtio; illa verò dictio *Nullatenus*, ſeu *nullo modo*, reddit actum contra geſtum ſanè nullum, vt docent *Gloſſ. Authent. ſi qua mulier verb. Nullatenus C. Ad Senatumconſultum Velleianum, nec non Clem. Vnica verb. nullatenus de ſequeſtrat. vbi Imola num. 20. Bart. tract. Minoricarum verb. nullatenus, Felinus cap. Rodulphus de reſcript. ante num. 27. verſ. nullatenus, Tiraquell. alios referens leg. ſi vnquam verb. reuertatur num 95. C. de Reuoc. donat. Syluester excommunicatio vltima in fine Henriq. lib. 3. de excom. cap. 17. num. 2. & in terminis de hac diſpenſatione habet Sanch. lib. 5. ſumm. cap. 5. num. 27.* vtque communis ſententia, quæ etiam colligitur ex *cap. Finali de fil. presb. & ex illius expoſitoribus*, clariuſque conſtabit per infra dicenda de Epiſcopis.

5 Colligo primò, poſſe Papam diſpenſare, etiam his, ad quos ſpectat electio Prælati, nõ vocatis; quia vt probè *Abbas Cap. Niſi cum pridem de renunc. num. 1. ex Innocentio, atque Hoſtienſ.* per diſpenſatione omnia reformãtur; neque de quo conquerantur habent hi, quorum intereſt; cum reſilire à ſemel iam præſtito conſenſu minimè poſſint. *Cap. inter canonicos de elect.* poſtulandus tamen ab eis eſſet Promouendus, vt nos diximus *cap. 1. num. 20.* nam electio in rigore nulla eſſet, vt loco citato *Abbas num. 16.* & nos *num.* indicato ſcripſimus.

6 Colligo ſecundo, attento iure communi, & ſecluſis Religionum priuilegijs, vt profeſſus, ex illegitimis natalibus alioquin irregularis, fiat Prælatus in ſua Religione, vel extra, puta Epiſcopus, diſpenſationem per ſe deſiderari pontificiam per *Gloſſ. Clem. 2. verb. nullo modo de ætate & qual. ordinand.* ex qua colligitur etiam denegari facultatem diſpenſandi Epiſcopo, de quo infra; docent etiam *Imola, ibi num. 9. Card. ibidem §. Illi verò num. 3. not. 8. Boniſ. ibi, eodem §. num. 23. Decius Cap. At ſi clerici §. de adulterijs num. 55. in noua editione de iudic. Sanch. lib 5. ſum. cap. 5. num. 17.* Quare ſolum Pontificem poſſe diſpenſare in hoc caſu, tenent *Nauarr. ſum. cap. 27. num. 202. & cap. Finali de fil. presb. Syluest. verb. Illegitimus in fine, Tabien. verb. ordo quarto. num vnico, & alij quos ſequitur Manuel quæſt. regular. tom. 1. quæſt. 13. ab art. 6. vſque ad 24. & in ſecundo tomo ſummæ cap. 29. num. 12. Sanch. lib. 5. citato cap. 5. num. 17.*

7 Secunda concluſio. Sine vlla cauſa diſpenſatio pontificia valida erit, ad hanc irregularitatem tollendam. Ratio eſt, quia diſpenſatio ſupremi Principis, vt eſt Papæ, in propria lege abſque legitima cauſa valet; ergo cum hæc irregularitas ſit ex iure Eccleſiaſtico, vtique diſpenſatio pontificia, ſine iuſta cauſa valida erit: maior propoſitio probatur, nam tunc Legislator in priuata re diſpẽſat, & in propria voluntate, eam nimirum mutans, à qua ſola vim habebat lex, igitur ea diſpenſatio, tanquam in bonis proprijs fa-

ēta,

cta, valebit etiam abſque cauſa, & ſicut Dominus prodigens bona, eorum transfert dominium, licèt peccet, ſic Papa, vt infra: quare hanc ſententiam docent *Innoc. cap. Dudum leg. 2. num. 16. verſ. item & ſi Papa de elect. Anton. cap. Per venerabilem num. 6. qui filij ſint legis. Abbas cap. non eſt num. 8 de vot. Felin. cap. Poſtulaſti numer. 33. in 4. caſu de reſcript. Caiet. 1. 2. quæſt. 96. ar. 5. ad finem. & 2. 2 quæſt. 104. art. 5. ad finem Cathar. lib. 6. in Cum. i. ad quæſtionē, An Papa poſſit in voto ſolemni diſpenſare? ad finem, Corduba in quæſt. onuria lib. 4. quæſt. 8. ad finem, Soarius tom. 4. in 3. part. diſp. 36. ſect. 2. num. 11. Azor lib. 7. cap. 29. quæſt. 6. Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 17. nu. 24. & nos vberius lib. 5. diſp 7. cap. 6, dicturi ſumus de potentia abſoluta facturum id Pontificem.*

8 Obijcies, hæc diſpenſatio miniſterialis eſt actus poteſtatis clauium, datæ in ædificationem, & non in deſtructionem; ergo Pontifici conceſſa non eſt, vt eius vſus ſit ad merum ipſius libitum, ſed certa ſub regula, extra quam validus non erit. Reſpondeo, quæ à clauium poteſtate manãt, quædam eſſe diſſoluentia voluntatem ſuperioris, vt cum Papa in lege diuina aliquo pacto diſpenſat; & horum quidem valida non eſt diſpenſatio ſine cauſa, vt nos *diſp. 1. huius libri cap. 5. num. 8. 24.* ac deinceps diximus; alia ſunt diſſoluentia actus propriæ voluntatis, quorum abuſus illicitus quidem eſt, vt quando ſine cauſa diſpenſatur, factum tamen tenet, & huius ſanè generis eſt diſpenſatio in propria lege.

9 Obijces ſecundò, iure diuino prohibetur Princeps, nè humano diſpenſet in iure abſque cauſa, igitur Princeps in iure humano diſpenſans abſque cauſa, diſpenſat etiam in iure diuino. Reſpondeo, ſequelam eſſe peſſimam; neque aliud ex antecedente ſequi profectò poteſt, quàm Principem ſine cauſa diſpenſantem in iure humano, peccare contra ius diuinum. ſicut ergo non omne peccatum in ius diuinum, eſt diſpenſatio ipſiuſmet iuris diuini; ita neque in caſu noſtro, in quo non tollitur ius legi diuinæ prohibenti hanc diſpenſationem ſine cauſa, eamque illicitam reddenti, ſed ſolum in eam peccatur: ſic qui votum non adimpleret, peccaret quidem in ius diuinum, non tamen à quoquam, ni à deſipiente dici poteſt, in eo diſpenſare. Vide dicenda *capit. 6. numero 12.*

10 Tertia concluſio. Diſpenſatio in illegitimis natalibus perſonæ promouendæ ad Epiſcopatum ſine ſufficienti cauſa, eſſet peccaminoſa, ita *Hoſtienſ. & alij apud Abbat. capit. Final. de fil. presb. num. 2. in fine* probatur, quod quamuis non improbabilem contrariam iudicem auctorum ſententiam aſſerentium, Principem ſupremum abſque cauſa in propria lege diſpenſantem non peccare; nam ſicut ſola eius voluntas talem induxit legem, ita & eadem illam abrogare valet; condentis enim legem vt eam deſtruere per *Cap. Cum noſtris de conc. præbend. verſ. nos vero, ibi. Mandamus quatenus, niſi prædictus Epiſcopus ſufficienter oſtenderit, quod ex indulgentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, vel ex alia iuſta cauſa præpoſituram ſibi conceſſa fuerit, ipſum ad reſignationem ipſius compellatis.*

11 Vbi indulgentia Pontificis perpendenda eſt, quod æquiparetur iuſtæ cauſæ; dictio enim diſiunctiua vel, ponitur inter diuerſa, vt notant Doctores in *l. ſi qui in principio de reb. dub. & hanc ſententiam defendit. Gloſſ. l. Relegati in fine ff. de pœn. vbi Bartolus nu: 4. Imola Cap. Cum ad Monaſterium num. 3. Io: And. num. vltimo. Card. ibi §. vltimo num. 5. Abbas Cap. Diuerſis num. 1. & alij, quos citat, & ſequitur Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 5. caſ. 421. num. 19* Verùm probabiliorem exiſtimo contrariam ſententiam, aſſerentem Principem ſupremum in eo caſu peccare; quoniam ius naturæ violat; quod quidem cum dictet, partem ſuo toti confirmandam eſſe, & legem ad omnes parere debere, profecto abrogatur diſpenſatione vni facta ſine ſufficienti cauſa. Tollitur etiam æqualitas vtique in omnibus neceſſario ſeruanda, ſecundum regulas iuſtitiæ *cap. Iuſtum diſt. 9.* & cum temerè, atque imprudenter in vſum redigatur hæc poteſtas clauium in deſtructionem potius, quam in edificationem conceſſa videretur, contra *2. ad Corint. 10.* & abſolute vbi legitima non ſubeſt cauſa non dicitur propriè diſpenſatio, ſed diſſipatio, vt probè *Abbas Cap. Cum in cunctis de elect. num. 1. in fine*, & colligit ex definitione diſpenſationis per *Gloſſam* ab ea notabiliter allegatam; & quamuis Princeps, quas condidit, non videatur alligari legibus; naturali tamen tenetur vinculo rationis, qua dictante illæ leges ſancitæ ſunt; itaut Principis arbitrium, quod proprijs non obſtringitur vinculis, ligatur ſanè naturalibus, quibus per ſummam perfectionem, analogia quadam, Deus ipſe Principũ Princeps tenetur; quippe qui dum aliquid facit ſupra naturales ipſius naturæ, quam condidit, vires, abſoluta vtitur potentia. Et hanc ſententiam defendunt *Diuus Thomas 1. 2. q. 91 5: art. 4.* Caiet. *ſum. verb. diſpēſatio in initio Valent. 2. 2. diſp. 7. q. 1. punc. 9. ad finem Manuel. 1. tom. ſum. in ſecunda editione cap. 24. concl. 2. num. 4. Sanchez lib. 8. de mat. diſp. 18. num 3.* Confirmatur ex his quæ *tom. 2. lib. 5. diſp. 3. cap. 6. num. 27. 28.* ſcribemus, peccatum, videlicet, diſpēſantis abſque cauſa, vel ſecum, vel cum alijs

pro

pro ſpecifica, grauiq; ratione materiam eſſe huius, vel illius ſpeciei, & grauitatis, cum autem hæc ad religionem, ſanctitatem, dignitatemq; clericalem, atque Epiſcopalem ſpectet, grauis profectò erit, ſufficiens ad peccatum mortale diſpenſantis abſque cauſa. Nec deeſt huic ſententiæ auctoritas Canoniſtarum, quam docent *Nauarr. ſum. lat. cap.* 12. *num.* 57. *& cap* 25. *nu.* 5. *Couarr. Cap. Alma mater* 1. *par.* §. 1. *num.* 7. *apud quos alij. Addo textum Cap. Innotuit de elect.* vbi Pontifex cum decreuerit, quod etſi per Canonē Lateranenſis Concilij relati in *Cap. Cum in cunctis eodem*, electio illegitimorum nulla reddatur ad Epiſcopatum, non tolli tamen idcirco à Pontifice facultatem diſpenſandi, ſtatim addit *multa enim hoc caſu diſpenſationem inducere videbantur* à nobis inferius referenda, quibus ſane verbis indicat cauſam ad pontificiam etiam diſpenſationem licitam deſiderari.

12 Quarta concluſio. Non excuſatetur à letali Pōtifex diſpēſans ſine legitima cauſa in hac irregularitate, promouendo illegitimum ad Epiſcopatum. Probatur primo, quia quicquid ſit de ea quæſtione, an res maximi momenti ſit æqualitatem violare, ſeruandam inter ſubditos per hanc diſpenſationem, ac facere contra iuſtitiam ſaltem legalem, & contra bonum commune, quod quidem rationis momentum benè perpendit *Soar. de leg. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 10. hoc mihi exploratum eſt per omnes quidem auctores, non ſolum abſolutè docentes, peccare Principem in propria lege graui ſine cauſa diſpenſantem ad finem huius aſſertionis citandos, ſed per eos etiam, qui à peccato mortali Principem in propria lege diſpenſantem ſaltem non excuſant, quando ſcandalum, aliudque damnum intercedit, vt ſunt multi, quos citat, ac ſequitur *Sanchez lib.* 8. *de mat. diſ.* 18. *num.* 7. Quod autem ſcandalum maius, quodue pernicioſius damnum, quàm Epiſcopum videre, cuius tantam expendimus dignitatem, è fornicario, aut adulterino, aut inceſtuoſo natum congreſſu? & abſque cauſa ad tale regimen promotum? Secundo ſic arguo, aliqua lex humana ſic poteſt ad commune bonum facere, vt ratio ipſa poſtulet, difficilius in ea diſpenſandum eſſe, quam in particulari aliquo voto, obligante iure diuino naturali, vt probe docent *Sotus lib.* 7. *de iuſt. q.* 4. *art.* 3. *col.* 8. *ver. hic autem, Sanch.* modo laudatus *num.* 4. ergo ſaltem æquale peccatum erit, nē dicam maius, diſpenſare ſine cauſa in illa lege humana, quam in voto dicto: atqui diſpenſare ſine cauſa in lege diuina, ſeu cuiuſcunque ſuperioris poteſtatis, eſt mortale, conſenſu doctorum; & quidem in voto præter quam quod eſt irrita, & nulla diſpenſatio abſque cauſa, eſt etiam illicita, quando ſine notitia fit iuſtę cauſæ tunc exiſtentis, vt probe habet *ſupplementum Gabrielis in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 5. *vbi de diſpenſat. in vot. necnon Sanch. lib.* 4. *ſum. diſp.* 45. *num.* 6. igitur diſpenſare in ea lege humana, abſque cauſa, peccatum etiam erit mortale: hanc autem ſtatuentem illegitimos natales impedimento eſſe ad dignitatem Epiſcopalem talis rationis eſſe legem, negabit profectò, qui quantæ ſit dignitatis, ac perfectionis culmen eccleſiaſticæ poteſtatis, minimè perpenderit, & qui turpitudinem moralemque defectum cum tanto periculo paternæ incontinentiæ, morumque peſſimorum, quibus ſcatere ſolent illegitimi primò capite huius noſtri libri comprehenſis non nouerit.

Dices hoc argumentum etiam probare irritam futuram huius diſpenſationem irregularitatis, abſque cauſa; ſicut eſt etiam irrita, quàm paulò ante expendimus, diſpenſatio in iure diuino. Verum nego ſequi id quod deducitur; ſicut enim è difficiliori ratione diſpenſandi in aliqua humana lege, quam in diuina, ratio minime deducitur irritandi diſpenſationem in lege humana, ita à peccato æquali, vel maiori in diſpēſatione ſine cauſa facta in lege humana, deducenda ſanè non eſt eiuſdem irritatio; cuius ratio eſt, quòd in vtroque caſu cętera minimè ſunt paria; etenim in diſpēſatione iuris diuini ſine cauſa deeſt poteſtas, cuius defectu actus diſpenſandi nullus eſt: ſecus in diſpenſatione legis humanæ ſe res habet quæ tantum eſt illicita, nec deſtituta ſufficienti poteſtate. Tertiò probatur concluſio ex *Cap. Cum in cunctis de elect.* vbi per argumentum à fortiori præcipitur, ne Epiſcopus illegitimus fit, igitur ſi diſpenſatio ad ſacros ordines abſq; cauſa eſt venialis ſaltem culpa per nonnullos (de qua non diſputo; nec facile aſſentior) diſpenſatio ad Epiſcopatum erit ſanè grauior culpa, & quidem mortalis prò grauitate materiæ, de qua agitur; nam ſi id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt, & id, de quo magis 38. *diſt. ſi in laicis, &* 3. *q.* 3. *De iudic &* 59. *diſt. ſi officio, &* 34. *q.* 2. *Cum per bellicum, &* 13. *q.* 2. *Non æſtimemus.* Hinc quarto probatur, ſi enim iura ciuilia, & canonica infames huiuſmodi illegitimos habent, atque inhabiles ad hæreditatem, ſecularesque dignitates, & honores, vt nos *cap.* 1. *huius libri* proſequuti ſumus, à fortiori tales ad eccleſiaſticas habendi ſunt dignitates; & ſicut non ſine graui peccato diſpenſaretur cum illis, abſque cauſa, in primo caſu ſaltem, vbi ſcandalum, & aliorum damnum intercederet, vt ex omnibus deducitur auctoribus, per ſe loquendo aſſerentibus, Principem diſpenſantem in propria lege peccare mortaliter

ter, & ex alijs hoc idem docentibus, vrgente ſcandalo, ita à fortiori in caſu noſtro; primos auctores mox citabimus: ſecundi ſunt *Nauarr. ſum. lat. prælud. 9. num. 14. & cap. 25. num. 5. Ludouic. Lopez 1. part. inſtit. cap. 4. & col. 2. verſ. 6. Filiuſc. de offic. ſacerd. tom. 1 part 2. lib. 3. cap. 4. verſ. altera difficultas Valent. 1. 2. diſp. 7. q. 5 punc. 9 ad finem Sanch. lib. 8. de mat. diſp. 18. num. 7.* Demum probatur à ſtylo Eccleſiæ Romanæ relato à *Barboſa 2. part. alleg. 1. num. 32.* aſſerẽte, vix à Summo Pōtifice huiuſmodi ad Epiſcopatum concedi diſpenſationem. Pro hac ſententia citari poterũt etiam quotquot auctores docent (vt ſupra indicabam) peccare per ſe mortaliter Principem in propria lege graui ſine cauſa diſpenſantem, vt *Caiet. in ſum. verb. diſpenſatio, ſub initio, ibi Armill. nu. 13.* vbi dicunt in materia parua, hanc eſſe culpam venialem; quare ſentiunt ex ſuo genere eſſe mortalem: *Petrus de Ledeſma ſum ſacram. vbi de mat. cap. 27. poſt 4. concluſionem. Manuel. 1. tom. ſum. in 2. editione cap. 196. in fine Vega 2. tom. ſum. cap. 23. caſ. 14.* ac probabilem defendit *Sanch. citatus num. 6. in fine.*

13 Quinta concluſio, eo difficilior hæc erit diſpenſatio; quò turpior fuerit copula parentum ſic *Henriq. lib. 11. de mat. cap. 8. num. 10. & lib. 14. cap. 8. num. 10. de omni irregularitate ſermonem habens. Suar. de cenſ. diſp. 50. ſect. 5. num. 1. Auila de irreg. diſp. 3. dub. 6. concluſ. 2. verſ. circa quam de diſpenſat. & diſp. 10. dub. 1.* Specificans ad omnes etiam ordines ſacros, ac de omni diſpenſatione irregularitatis: & quidem ſequitur è dictis. Quamobrem *cap. 1. diſp. 1.* varias horum illegitimorum ſpecies adduxi. Et meritò notat *Bald. in l. eam quam C. de fid. cont. & l. ſi illuſtris, ac alibi.* requiri expreſſionem qualitatis ſpurietatis, ſaltem tacita in diſpenſatione.

14 Sexta concluſio, præter Eccleſiæ neceſſitatem, aut euidentem vtilitatem, ſola meritorum prerogatiua ſufficiens eſt ad hanc diſpenſationem, ſic *Abbas Cap. Innotuit citato num. 5. & 8.* probaturque ex eodem textu. *Quod ſi Vigoriente Capitulum eundem magiſtrum propter prærogatiuam meritorum ipſius duxerit poſtulandum &c.* quæ merita Archidiaconi Eboracenſis ſuper idem textus his explicuerat. *Multa enim hoc caſu diſpenſationem inducere videbantur literarum ſcientia: morum honeſtas: vitæ virtus: & fama perſonæ,* quibus addit alia adminicula, quæ non parum conducunt ad diſpenſationem. *Faciebant etiam ad id non modicum concors Capitoli Vigonienſis electio, petitio populi, ſenſus Principis, votum ſuum, ſuffraganeorum ſuffragia, & humilis deuotio confitentis, qui ſponte, ac humiliter ſuum maluit confiteri reatum, quam læſa conſcientia thalamum conſcendere paſtoralem* Quæ cùm præ oculis cauſas legitimæ, ac licitæ diſpenſationis exponant, hic ad verbum referre operæ prætium duxi.

15 Itaque vbi tot, ac tantis ornatus donis daretur illegitimus, omnium votis, dignus erit diſpenſatione, vt noſtra tempeſtate Ioannes fuit à Riuera Archiepiſcopus Valentinus, & Patriarcha Anthiochenus, vir omnem omnium habens complexionem virtutum, quique omnem Hiſpaniam impleuit nominis, ac ſanctitatis ſuæ, vt videre eſt in eius vita publicis notis data à Franciſco ſcribà Societatis Ieſu Viro nobilitate, doctrina, vitæ integritate perilluſtri, cuius religioſiſſima, & iucundiſſima conſuetudine per aliquod annos, dum theologicis ſtudijs operam ipſe Valentiæ darem, ſumma cum animi voluptate ſum vſus.

16 Ex his deduco primo, debitam eſſe hanc diſpenſationem illegitimo, cui prædictæ fauent cauſæ, præſertim neceſſitatis, vel vtilitatis Eccleſiæ, vt probè *Hoſtienſis apud Abbatem. Cap Niſi cum pridem de renunc. n. 16. Si enim debita vbi ſubeſt vtilitas, fortius erit debita, vbi vrget neceſſitas. 1. q. 7. Cap. Niſi rigor. & Cap. Exigunt, & Cap. Tali ibidem ab Abbate citatis.* Spectanda igitur erit perſona, res, cauſa, vel locus *29. diſt. Cap. 1. & 50. diſt. Domino ſancto;* 17. Adeout peccaret habens poteſtatem diſpenſandi, his vrgentibus cauſis, diſpenſationem denegans, vt ibidem videre eſt.

18 Colligo ſecundo cum Abbate modo laudato, quicquid ſit in alijs delictis, vel defectibus, certe hoc illegitimationis irregularitatem inducentes aperiendos eſſe modo ad diſpenſationem ſupra declarato habendam peroportuno.

CAPVT II.

An Epiſcopo diſpenſandi ſit poteſtas in illegitimorum irregularitate natalium ad Epiſcopatum?

SVMMA

Quæſitio diſputanda num. 1.
Communis opinio negat Epiſcopo facultatem diſpenſandi in hac irregularitate num. 2.
Secunda opinio concedens, inſufficienter ab Auila probatur primo num. 3.
Impugnatur Auila ratio num. 4.
Secundo probatur inſufficientius concluſio ab Auila

Auila n.5.

Prima ſententia negans hanc facultatem Epiſcopo eſt probabilior ab extrinſeco, & ſecurior num. 6.

Secunda opinio concedens, & ſatis ſuperque probabilis ab intrinſeco num. 7.

Quoties in canone poſſe diſpenſari dicitur, quin exprimatur à quo, non excluditur Epiſcopus num. 8.

Licet diſpenſatio certi caſus ſtrictè, poteſtas tamen diſpenſandi latè eſt interpretanda num. 9.

Per Tridentinum Epiſcopis concedens facultatem diſpenſandi in irregularitatibus &c. fit reductio ad ius antiquum num. 10.

Quicquid in vniuerſa Eccleſia poteſt Pontifex, per ſe loquendo, poteſt etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi, exceptis ad vniuerſalem Eccleſiam ſpectantibus num. 11.

Facultas conceſſa à Tridentino Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus occultis, iure ordinario competit num. 12.

Vbicunque committitur diſpenſatio, & Papæ ſpecificè non reſeruatur, eius commiſſa cenſetur poteſtas Epiſcopo num. 13.

Multas poteſt Epiſcopus irregularitates diſpenſare ex iure antiquo num. 14. & 15.

Aſſignatur ratio, cur Tridentinum facultatem Epiſcopis fecerit circa occulta num. 16.

In dubio an diſpenſatio extendenda ſit, non eſt extendenda, ſecus autem in dubio an facultas diſpenſandi ad aliquem caſum latè pateat num. 17.

1 CVM tomo ſecundo poteſtatem actiuam tractaturi ſimus, Deo dante, ad varias irregularitates diſpenſandas, in præſentia de paſſiuo, vt ita dicam, defectu natalium, à quo ſcilicet poſſit auferri agentes, omiſſis, quæ de primis agitari ſolent apud Doctores, quæſtionibus, vna nobis diſputanda eſt. An irregularitas illegitimorum natalium ad Epiſcopatum, ab Epiſcopo tolli poſſit?

2 Communis Auctorum ſententia eſt negans Epiſcopo hanc facultatem; & quidem ſi de hac irregularitate non occulta ſermo ſit, ad vnum auctores aſſerunt ſolius Pontificis eſſe in ea ad ſacros ordines, quorum maximus eſt Epiſcopatus, diſpenſare: ad minores verò ordines, atque ad beneficium ſimplex Epiſcopum tantum poſſe ex *Cap. 1. de fil. præsbiter*, & quamuis canonicè illegitimos diſpenſari poſſe ab Epiſcopo ad ordines ſacros doceat *Io: Andreas in Cap. litteras de fil. præsb.* nihilo tamen minus tum *ab alijs hic doctoribus, tum à Soar. diſp. 50. de irreg. ſect. 3. num. 3.* probè reijcitur. Quæſtio itaque verſatur præcipuè, quando hæc irregularitas occulta eſt, idest ex delicto occulto, de qua idem penè ferunt iudicium, tum *Thologi* apud *Soarium laudatum ſect. 5. num. 5. & Sãchez lib. 5. oper. moral. cap. 5. num. 17. tum Canoniſtæ in Cap. finali de fil præsb. adiuncta Gloſſa, & Cap. 1. de fil. præsb. in 6. vbi Gloſſa ad illa Sedis Apoſtolicæ.* nec ſufficere notat diſpenſationẽ legati, & patet ex his, quæ diximus *ſuperiori capite concluſione prima.*

3 Verum *Stephanus Auila de cenſ. 7. part. diſp. 3. dub. 7.* pro ſe citans *quoſdam apud Henriquez*; quos etiam tacito nomine, refert *Soarius laudatus*, opinatur ex vi *Tridentini ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* hanc irregularitatem ortam ex occulto parentum delicto concedi Epiſcopis diſpenſandam: probatque primo ex *Cap. Niſi cum pridem de renunciat §. Perſonæ, ibi ſi tamen culpa latet.*

4 At me quidem iudice minimè ſufficienter; nam præter quam quod ibi ſermo eſt de culpa ipſiuſmet diſpenſati, qui ſe minimè manifeſtauit, non autem de culpa, vel delicto parentum occulto, vt ibi *Gloſſa*, etiam ſi de hoc daremus Auilæ textum loqui, nihil ſane conduceret ad probationem huius opinionis; cum ea intercedente culpa, ſolum aſſeri videatur, poſſe diſpenſari quidem cum tali illegitimo, nec ab Epiſcopo; ſed à Summo Pontifice per ea, *Quia licet irregularitatem huiuſmodi non potuerit ſubticere; ſi tamen, & culpa latet, & cauſa cum eo, qui laudabiliter ſuum impleuit officium (iuncta ſibi pænitentia competenti) poteſt non minus vtiliter, quàm miſericorditer diſpenſari*: aliquid igitur addendum eſſet maioris roboris, rationi Auilæ quod nos *num. 8.* præſtabimus.

5 Probat ſecundo *Auila*: defectus iniuſtus proli à delicto pendet parentum; hoc ergo, quando erit occultum, decreto Tridentini, Epiſcopo facultatem concedente ad diſpenſandam irregularitatem ex delicto occulto, comprehendetur.

Verum nihilo ſufficientius: quia ſi concepiſſent in amentia parentes prolem, quamuis non peccaſſent, adhuc eſſet illegitima; ergo ex illo congreſſu materialiter etiam peccaminoſo defectus hic contrahitur. Confirmatur quia ſi omnino inculpabiliter, atque inuoluntariè quis occideret hominem amens, vel furioſus, non ligaretur irregularitate ſancita in homicidam, ſaltem voluntarium; vt communiter Doctores apud eũdem *Auilam diſp. 5. ſect. 1. & diſp. 6. ſect. 1. dub. 12. ex Clem ſi furioſus de homicid.* igitur cum hæc irregularitas à prole contrahatur, nullo etiam intercedente parentum amentium delicto, ſignum eſt nõ eſſe latam, vt pendentem à formali parentum culpa. Vt autem meam exponam ſententiam.

6 Sit prima concluſio. Prima ſententia *num. ſecundo* relata, & eſt probabilior ab extrinſeco, & in praxi ſecurior patet ex textibus;

&

& auctoribus ibi citatis.& ex his quæ modo *num.4.& 5.*in Auilam ſcripſimus. Adde ex *Gloſſ cap.1.de fil.presb in 6.* ad illa verba *Sedis Apoſtolicæ*.non ex eo, quod Epiſcopus in criminalibus diſpenſat, deduci pôteſtatem diſpẽſandi natales illegitimos; *nam facilius* (ait Gloſſa) *deletur irregularitas proueniens ex crimine; purgatur enim per pœnitentiam; non ſic ex defectu 26.d.Deinde.Vel maior eſt irregularitas proueniens ex origine, quam ex crimine, quia prima ex natura, ſecunda ex accidenti, ſed naturalia immutari non poſſunt 6. diſt. §. vlt. Hac Gloſſa*; licèt ergo reliquæ concedantur Epiſcopis irregularitates ex occulto delicto, vna excepta proueniente ex voluntario homicidio per Tridentinum, eſt tamen ratio, & congruentia cur non cenſeatur data facultas ad irregularitatẽ illegitimationis expungendam, quam ex *Gloſſa* adduximus.

7 Sit ſecunda concluſio. Satis ſuperque probabilis eſt ſecunda ſententia, præſertim ab intrinſeco cui probabiliter etiam ſubſcribit *Aegid. ConinK de ſacram. diſp. 18. dub. 14. num. 111.* dicens per Tridentinum citatum concedi facultatem Epiſcopis diſpenſandæ irregularitatis prouenientis ex illegitimis natalibus etiam ad ordines ſacros, dummodo illa occulta ſit, vel ex delicto occulto; probatur itaque primo momento primæ rationis Auilæ cui aliquid promiſimus addere; itaque *in citato ab Auila textu num. 3.* cuius verba retulimus *num.4.* ſolum ſcribitur poſſe in illegitimis natalibus diſpenſari, neque exprimitur, à quo id valeat fieri; atqui quoties textus aliquis neque expreſſe indulget, neque expreſſe negat Epiſcopo facultatem diſpenſandi, tunc id præſtare poteſt Epiſcopus, argumento Cap. *Nuper de ſent. excomm. vt probè docet Abbas in citato Cap. Niſi cum pridem §. de adult. num. 5.* ex varijs Doctoribus ſecundum doctrinam etiam *Innocentij in Cap. Dilectus de temp. ordinand. & Cap. Poſtulaſtis de cler. excom. miniſtr. in Gloſſ. 3. ergo &c. ſubſcribit Syluester diſpenſatio. quæſt. 9. num. 14. & 15. in fine, ac fusè Sanchez lib. 8. diſput. 5. num. 1.* Quamobrem declaraſſe dicendus eſt Pontifex in illo textu irregularitatem hanc poſſe ab Epiſcopo diſpenſari.

8 Deinde probatur, quod omnes textus pro contraria opinione allegati poſſunt facili negocio de illegitimis natalibus ex delicto publico explicari, vel eſto concedantur loqui de quacunque illegitimationis irregularitate, per nouum tamen Tridentini ius hanc fie-
9 ri facultatem Epiſcopis nil obſtat. Probatur tertio, licet diſpenſatio poſt quam in particulari caſu conceſſa eſt, odioſe, & ſtrictè habenda ſit; at verò poteſtas diſpenſandi fauorabilis quidem eſt, & latiſſimè interpretanda, ex *Cap. finali de Simon. vbi Abbas, & Felin. num. 7.* docent præterea *Syluester verb. diſpẽſatio q. 5. Nauarr. comm. 4. de regul. nu. 15. in fine, Couarr. in 4. part. 2. cap. 6. §. 8. & alij quos citat, & ſequitur Sãch. lib. 8. de mat. diſp. 2. à num. 1.* & ratio eſt, quod conceſſione poteſtatis diſpenſandi, nullum ſane præiudiciũ alteri, quam concedenti propriam facultatem ſit, eamque, vel adæquatè, vel inadæquatè communicanti; neque cui conceditur, damnum aliquod, vel odium indicatur, vt Principis beneficium: igitur latè accipiendum eſt, quod in terminis de facultate legitimandi docet ex *Antonio, & alij laudatus Sanchez num. 3. & 28.*

10 Confirmatur. Per deciſionem Tridentini reductio fit ad ius cõmune primæuum, quo attento, poterant Epiſcopi in omnibus diſpenſare ergo &c. quod rationis momentum ab *Henrico lib. 10 de ſacram. ord. cap. 20. nu. 2* petitum licet immerito reijciant *Soarius de cenſur. diſp. 41. ſect. 2. n. 3. & Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 2. num. 12.* habeo tamen vt certum; quod vt demonſtrem, ſuppono cum eodem *Soario citato num. 1.* poteſtatem diſpenſandæ irregularitatis, actum eſſe iuriſdictionis, atq; alicui conuenire ex immediata Chriſti conceſſione, vt Summo ſaltem Pontifici: & non nullis alijs per alterius hominis communicationem: in aliquo præterea ordinariam eſſe, in aliis vero ex delegatione: nec dubium in ſummo Pontifice ordinariam eſſe, tum imponendi cenſuras, tum reſeruandi, & diſpen-
11 ſandi, ſeu abſoluendi. Hinc ſic argumentor quicquid poteſt Pontifex in vniuerſo orbe, eis exceptis, quæ ad vniuerſæ Eccleſiæ ſtatũ attinent, vt res fidei definire, poteſt etiam Epiſcopus in ſua Diœceſi, ni à Pontifice aliquid ſpecialiter reſeruetur; quia eſt paſtor ordinarius in ſua Diœceſi Epiſcopus ſicut Pontifex in toto orbe, quamuis ab eo dependenter, vt probe docent *Abulenſis cap. 10. in Matth. q. 88. lit. E. Victor. relectione de matrim. part. 1. num. 7. Sotus in 4. diſt 27. q. 1. art. 4. & lib. 10. de iuſt. q. 1. art. 3. ad 2 Gambara de offic. legat. lib. 10. num. 466. & 476. & alij, quos citant, ac ſequuntur Henrichez lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7. in comment. litt. K. & lib. 10. de ſacram. ord. cap. 35 nu. 2. & lib. 12. de matrim. cap. 3 num. 2. in comment. litt. N. Sanchez lib. 1. de mat. diſp. 41. num. 3.* ergo in quibus non limitatur à Pontifice, iuriſdictionem habet ordinariam Epiſcopus, & poteſtatem diſpẽſandi; ergo in omnibus cenſuris Eccleſiaſticis, quas ſibi Pontifex nõ reſeruauit; vt probe *Gloſſ. Notabilis cap. Requiſitus 1. q. 7. §. niſi rigor.* Quare ſicut Epiſcopi de facto omnes poſſunt excommunicationes à Papa latas, nec ſibi reſeruatas, abſoluere, vt communis fert Doctorum ſententia *Nauarri in ſumma cap. 27. num. 39. Syluester verb. abſolutio. 1. n.*

4. Aui-

4. *Auila de cenſuris 2.part.cap.3. dub.4. apud quos a*...;ſic etiam poterunt in omnibus irre-
gularitatibus diſpenſare à Summo Pontifice
non reſeruatis per poteſtatem vtique ordina-
riam, hactenus aſſertam, qua in ſua Diœceſi
potiuntur. Quamobrem licet *Soario laudato
cum lib.1.cum.3.& Sanchez lib.8.de matrim.
diſp. 2. num* 12. vltro concedam poteſtatem
ferendi leges ac diſpenſandi, eiuſdem ſane
ordinis eſſe; verùm ex hoc illud ſolum ſequi
videtur. Epiſcopos in propria Diœceſi non
poſſe ſic leges abrogare Pontificis inducen-
tes irregularitatem, vt ad eas obligare fide-
les non valerent, vel inductas cum reſeruatio-
ne prorſus tollere; cæterum ni reſeruentur
in eis non poſſe diſpenſare præſules, ſpectata
ipſorum ordinaria iuriſdictione, ex illo prin-
cipio non ſequitur. & re vera falſum eſt; vt
patet in abſolutione excommunicationis
pontificiæ non reſeruatæ, ſicut paulò ante
12 dicebam. Quocirca meritò docet *Sanchez
laudatus num.*10 hanc facultatem Epiſcopis
datam a Tridentino, eis ordinario iure com-
petere; neque perſonæ, ſed dignitati, vel offi-
cio perpetuò connexam, neque Epiſcopis,
vt delegatis Apoſtolicæ Sedis conceſſam.
Quod autem *Soarius num.3.docet*, non poſſe
ſcilicet Epiſcopum diſpenſare in multis irre-
gularitatibus & ſuſpenſionibus, non proue-
nire ex reſeruatione pontificia; ſed ex impo-
tentia, qua ex vi ſui muneris non poteſt, ad-
mittere nullo pacto poſſum; quum ex *Cap.
At ſi clerici de iudic. adiuncta Gloſſ. verb. de
adult. & in addictionibus* manifeſtò contra-
rium conſtet, poſſe nimirum Antiſtitem di-
ſpenſare in canone irregularitatem inducen-
te. Addo ex communiori opinione in omni-
bus Epiſcopum diſpenſare poſſe, in quibus
13 non inuenitur ei prohibitum. Quare meri-
to *Gloſſ. finalis Cap. in quibuſdam de pœnis*
docet per regulam generalem, quod vbi-
cunque in iure permittitur diſpenſatio, &
non reſeruatur ſpecificè Summo Pontifici,
conceſſa cenſeatur facultas Epiſcopo: idem-
que notat *Gloſſ. Cap. Poſtulaſti in verſ. diſpen-
ſatum de cler. excom. minut. ac ſequitur Inno-
centius in* Cap. *Dilectus de temp. ordinand.* vi-
deturque communis ſententia, cui ſubſcri-
bunt quamplures apud *Abbatem Cap. In
quibuſdam modo citato num. 5.* Et quamuis
me non fugiant auctores alij in contrarium
abeuntes relati ab *Abbate Cap. At ſi clerici
de iudic. §. de adult à num.4.* certiorem tamen
opinor, quam amplexus ſum, ſententiam,
cum eodem auctore & *Io. Andrea*; penes quã
ſtãdo ... præciſa reſeruatione poteſt Epi-
ſcopus ordinaria facultate non modo abſol-
uere ab excommunicatione per *Cap. Nu-
per de ſent. excomm.* cuius abſolutio videtur
14 facilior diſpenſatione, vt probè citatus *Pa-
normitanus num.* 4. ſed etiam diſpenſare in
canone pœnitentiali, ſiue propria, ſiue im-
propria hæc dicatur diſpenſatio, de quo hic
non diſputo; quia pœnitentiæ ſunt arbitra-
riæ ex Cap. *Deus qui de pœnit. & remiſſ.* & ex
alijs textibus relatis à *Panormitano in Cap. 2.
de pœnit. & remiſſ.* poteſt etiam impoſitam
pœnam mitigare per *Gloſſ. in Cap. Menſu-
ram de pœnit. diſt. 1. & Cap. De his 50. diſt. &
in Cap. Quem pœnit. & diſt. 1. de pœnit.* nec
non antiquo iuri ſtando commiſſa eſt Epi-
ſcopo diſpenſatio in irregularitate per hæ-
reſim contracta 50. *diſt. Presbiter, & Cap.
Vt commiſſi de hæreſibus in 6.* & ex ſacrilegio
contracta 50. *diſt. De his vero* atque in ſex-
centis ibi relatis à *Gloſſ.* neque enim per
hanc diſpenſationem, vt ſupra indicabam,
Epiſcopus contra canonem, vel concilium
facit, immo illud exequitur. Quid quod,
dum rem prohibet ſub Eccleſiaſtica cenſura,
minimè negat diſpenſandi facultatem, in ea
iam contracta; ſed ordinariæ relinquit iuriſ-
dictioni, quæ non ſe extendit ad impedien-
dam vim canonis, vel concilij obligatiuam:
in quo ſenſu contra nos minimè loquitur
*Gloſſa Cap. Dilectus il 1. de præbend. & Clem.
1. de elect. & Cap. Cum dilecti eodem, & Cap.
Poſt translationem de renunciat. facit Baldus
in l. Omnes populi ff. de iuſt. & iur. per textum
in l. ſi hominem ff. mand.* qui dicit ex cauſa
Epiſcopum poſſe ſtatuere contra iura. Qua-
mobrem non ſolum Epiſcopis ego faculta-
tem nego diſpenſandi in legibus pontificijs,
quando ipernit noua, vel antiqua, vel ſi in li-
cet non cognita per Papam, vt vult *Abbas
laudatus num* 9 verùm etiam abſolute; cum
inferior in lege Superioris diſpenſare ne-
queat *Cap. Inferior diſt. 21.* quod non obſtat,
quo minus diſpenſare in pœnis, vel cenſu-
ris iam contractis à tranſgreſſoribus legum
papalium valeat Epiſcopus, quod tantum
contendimus, & ſatis ſuperque demonſtra-
uimus. Et quamuis in delictis adulterio ma-
ioribus ex *Cap. Etſi Clerici de iud.* non di-
ſpenſet Antiſtes, non officit cum ex reſerua-
tione Papæ id proueniat; qua non vrgente,
poſſet vtique, vt præſtat cum inceſtuoſo *Cap.
Si quis ſacro virginem, & cap. ſi qua virgo 27.*
15 *q. 1.* qui textus vt de excommunicatione, ſic
etiam de irregularitate loquuntur, quam
facti infamia inducit, iuxta *Angelum verb.
Infamia num. 3. Tabien. num. 12. Vigliadieg.
cap. 1. num. 31. Nauarr. in ſum. cap. 27. num.
205. fauetque Cap. Omnipotens Deus de accuſ.
& Cap. Non debet de teſtib. ſubſcribitque Aui-
la de cenſ. 3. part. diſp. dub. & concl. 4. ſic etiam
in irregularitate Neophitorum ex Cap. 1. &
2. 48. diſt. et ex Cap. Conſtituit 17. q. 4.* in qua
non deſideratur diſpenſatio Papæ, ſed ſatis
eſt iudicium Epiſcopi, vt probe *Couarr.*

Clem.

Couarrũ.Clément.ſi furioſus part. 1. §. 2. *concluſ.* 3. & in irregularitate proueniente ex abſciſſione membri occulti, facta per propriam culpam, vt bene *Syluester corpore vitiatus quæſt.*10.*Angel.num.*1. *Henriquez capit.*8.*numero.*4.*in Gloſ.litt.A. & poſt Tridentinum: de Eunuco etiam tenet Auila diſput.* 3. *ſect.* 5. *dub.* 4. *nec non Soarius de cenſur. diſputatione* 44.*ſect.*4.*numero* 35. *ſic etiam in alijs relatis à Gloſſa capit. Requiſitis* 7. q. 7. §. *ſi rigor.*

16 Quarto probatur ex ratione, qua motum
Concilium hanc fecit facultatem Epiſcopis
in caſibus occultis diſpenſandis, quæ cenſe-
tur fuiſſe, vt multa euitarentur animarum
pericula, & ſcandala, quæ facili negotio ſe-
querentur ex occultorum detectione crimi-
num; quæ quidem alioquin obuia paſſim
eſſent, ni pari ratione conſultum eſſet oc-
culto legitimorum natalium defectui, per
facultatem in eo diſpenſando conceſſam
17 Epiſcopis. Demum ſicut in dubio, an di-
ſpenſatio latè pateat ad aliquem caſum,
non extendi cenſenda eſt, ita in dubio, an
poteſtas diſpenſandi aliquem comprehendat
caſum? comprehendi ſane dicenda eſt; quum
illa ſtrictam malignamque hæc verò am-
plam, laxioremque nanciſcatur interpreta-
tionem; vt probe *Decius capit. Vt ſi clerici*
*de adult. in noua editione limit.*2.*numero* 96.
de iudic. & ibi Hypolit. numero 91. *Stunica*
*de voto quæſt.*6.*numero* 57. *Sanchez lib.* 8. *de*
*mat.diſp.*2. *numero* 9. igitur cum nullus eat
nobis inficias hunc eſſe caſum dubium;
Num ſcilicet poteſtas Epiſcopi ad diſpen-
ſandam occultam illegitimorum natalium
notam late pateat, in eius fauorem lis diri-
menda eſt.

CAPVT III.

Proluſio ad explicandam facultatem abſoluendi, ac diſpenſandi Epiſcoporum.

SVMMA.

Canon Tridentini declarandus affertur. numero 1.

Quæſtiones diſputandæ. num. 2.

Occultum non ſumitur hic pro interno, ſed pro eo, quod non eſt publicum, vel notorium. numero 3.

*Publicum eſt nomen generale, ac idem quod notorium. num.*4.

Notorium alterum iuris eſt, alterum facti. numero 5.

*Notorium notorietate iuris eſt, quod ſententia, vel confeſſione, vel conuictione, vel demum præſumptione tale eſt. num.*6.

*Notorium facti eſt clara, & famoſa locutio ex euidentia rei reſultans, quæ nulla tergiuerſatione celari poteſt. num.*7.

*Duæ regulæ ad notorietatem facti dignoſcendam. num.*8.

*Famoſum eſt diuerſum à notorio, oppoſito occulto. num.*9.

In Cænobio mediocri publicus percuſſor clerici habendus eſt, qui id præſtat coram ſex numero 10.

*Paritas, quæ ſeruatur inter perſonas in ordine ad populum, per ſe loquendo, ſeruanda eſt inter domũs, familiaſque in ordine ad ciuitatem. num.*11.

*Satis eſt ad notorietatem in ciuitate, quod tale ſit in eius vicinia. num.*12.

*Eſt etiam illud notorium, quod ita fit palam, vt facili negotio cognoſci poſſit in loco, & vicinia ad notitiam totius vrbis apta, & notabili. num.*13.

*Ad notorietatem delicti publicitas facti phyſici ſatis non eſt, ſed tale debet eſſe delictum in ratione morali. num.*14.

*Epiſcopi eſt diſpenſare in irregularitate contracta à clerico excommunicato occulto publice miniſtrante. num.*15.

Et in irregularitate contracta à publico excommunicato, ſecreto celebrante. numero 16.

Idem eſt de excommunicato publico in vna ciuitate, & occulto in alia, in qua publicè facit ſacrum. num. 17.

Diaconus ſolemniter baptizans coram multis ignorantibus hoc ei eſſe iure prohibitum, irregularitatem contrahens, poterit probabiliter diſpenſari ab Epiſcopo. numero 18.

Natus ex parentibus occultum habentibus impedimentum dirimens etiam mala fide exiſtentibus poterit ab Epiſcopo diſpenſari. numero 19.

*Idem dicendum ſi impedimentum dirimens ſit publicum, ſi tamen filius occultè ſit exceptus. num.*20.

*Eunuchus ex propria culpa occulta factus potuit ab Epiſcopo diſpenſari. num.*21.

*Quatuor modis deductum quid poteſt eſſe ad forum externum. num.*22.

Nonnulli ſiue iure, ſiue iniuria deductum ad forum contentioſum delictum, volunt adhuc eſſe occultum. num. 23.

*Crimen alterius complicis in iudicium delatum, penes citatam ſententiam erit, notorium; ſecus autem alterius condelictum. num.*24.

Idem eſſet de irregularitate illegitimorum natalium ad forum deductum contentioſum. num. 25.

Altera ſententia non ſolum deductionem, ſed probationem in foro contentioſo deſiderans. num. 26.

Ex hac ſequitur quamcumque culpam (vna homicidij voluntarij excepta) & cenſuram in foro externo non probatam, etſi deductam cenſeri occultam, & abſolui, vel diſpenſari ab Epiſcopo poſſe. num. 27.

Sequitur etiam vnius complicis delictum probatum in foro externo fore publicum, neque occultum; ſecus alterius deductum, & non probatum. num. 28.

Delictum ritè probatum in foro externo eſt omninò publicum. num. 29.

Si reus iuſtè per allegata, & probata abſoluatur, illud delictum cenſendum non eſt publicum. num. 30.

Etiamſi iniquis artibus innocens declaratus fuerit. num. 31.

Delictum iuxta hanc ſententiam ſemiplene etiam probatum, manet occultum. numero 32.

Differentia definitiuam inter ſententiam, & interlocutoriam. num. 33.

Irregularitas illegitimorum natalium, vel quoduis aliud delictum ad forum contentioſum relatum, & declaratum nullum, per quamcumque ſententiam, penes hanc opinionem eſt occultum, & abſolui, vel tolli poteſt ab Epiſcopo. num. 34.

Vt poterit confeſſarius pro impedimento totaliter occulto matrimonij, ſacra pænitentiaria litteras expedire. num. 35.

Probabiliter ſentiunt alij delictum deductum, & punitum non remanere publicum, quominus ab Epiſcopo abſolui poſſit. numero 36.

Probabilius tamen eſt contrarium. num. 37.

E Tridentino cap. 6. *ſeſſione* 24. pendet huius queſtionis ſolutio, quod qui-
1 dem Caput ſic habet. *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum cõtentioſum diſpenſare.*

2 Huius decreti doctrina, quam vſui nobis maximopere futura ſit, ex cuius dilucidatione multarum profectò quæſtionum ad hos libros ſpectantium pendet ſolutio, piè reuerenter, nec obiter tractanda eſt, ad quam primo quid ſit occultum, deinde, quid notorium, hoc præmittemus capite: ſequenti deinde germanum Concilij ſenſum exponemus. Et quidem notorij notionem omnibus fuiſſe perdifficilem, indicant *Ioannes Delig. & Anton. quos laudat Syluester notor. 1.* vt innoteſcant nobis humanæ mentis tenebræ in notoria re cecutientes.

3 Notandum primo, vt omittam improprium occulti notionem, pro interno oppoſitam, quod, ſcilicet, probari minimè poteſt in *Dei*, cuius iudicio relinquitur, tantum notitiam cadit, de quo *diſtinct. 32. Erubeſcant & 6. quæſt. 1. ſi omnia leg. Duo ſunt Titij ff. de ten. tut.* nec non declarationem penè occulti, de qua *Doctores capit. Veſtra de cohab. cleric.* illud in confeſſo videtur omnibus eſſe in *citato Tridentini decreto* per Tò *delictum occultum* illud venire, quod non eſt publicum, vel notorium, vt probè inter cæteros *Nauarr. ſum. lat. cap. 27. numero* 255. cui ſubſcribunt communiter Doctores *Henriq. lib. 14. de irregul. cap. 20. numero 4. Manuel in bulla Cruciata §. 9. numero 129. in fine, & 1. tom. ſum. in 2. edit. capit. 266. numero 3. Ludou. Lopez 2. part. inſtruct. de clauib. capit. 8. Sanch. lib. 2. de mat. diſp. 37. numero 11. lib. 8. de mat. diſp. 34. numero 55. & 1. tom. ſum. lib. 2. capit. 11. num. 19.* vt enim, me quidem iudice, notius nobis eſt aliquid, per eius carentiam, alterius ignoti, vel non adeo noti naturam explicare ſolemus: ſic ſpirituale dicimus eſſe incorporeum, vel immateriale. Cum igitur quid publicum ſit, clarè nobis innoteſcat, per huius carentiam, occultum quod nobis ſeſe occulit, declaramus. Ratio autem, quare alijs denegatis nonnullæ irregularitates, ac ſuſpenſiones Epiſcopis abſoluendæ concedantur, eſt, quòd, vt ſupra ſecundam probans concluſionem indicaui, *præcedenti cap. num. 16.* ſcandalis hoc pacto vectis, melius, & quieti, & Eccleſiaſticæ conſulitur diſciplinæ; dum quædam diſpenſatu facilia, quædam difficilia ſtatuuntur ex *capit. Nihil de præſcriptionibus.*

4 Notandum ſecundo ex Abbate per *capit. Veſtra de cohabit. clericor. numero 11. Publicum* nomen eſſe generale, idemque ac notorium.

5 Notandum tertio. Notorium penes communem Doctorum diuiſionem alterum eſſe iuris alterum facti.

6 Notandum quarto. Notorium notorietate iuris eſſe, quod vel ſententia, vel confeſſione Rei in iudicio facta conſtat, vel de quo Reus eſt conuictus, vt videre eſt apud *Panormitanum laudatum numero 3. & 5.* ſubſcribunt paſſim Auctores, ad quod reduci facilè poterit illud ex actibus reſultans extra iudicialibus; quando nimirum ius aliquid vehementer præſumit, quippe quod præſumptione notorium dicitur, idest ex iuris euidentia vehementer præſumpta de quo *Gloſſa in citatum cap. Veſtra.*

7 Notandum quinto, notorium facti eſſe clarum, & famoſam locutionem ex euidentia rei reſul-

reſultantem quæ nulla tergiuerſatione cælari poteſt ex *cap. Tua nos de cobab. cleric*, *& cap. Euidentia de accuſat.* vbi Scribentes.

8 Notandum ſexto, omiſſa diuiſione notorij, notorietate facti allata *ab Abbate numero* 15. in facti permanentis, tranſeuntis, & interpolati notitiam, quæ quidem ad noſtrum inſtitutum minimè facit, duæ ſolent afferri regulæ ad notorium, notorietate facti, dignoſcendum. Prima eſt, vt euidenter ſciatur à tota Ciuitate, vel Populo vel à maiore eius parte; & quia decem perſonæ faciunt populum per *Gloſſam cap. Vnio* 10. *quæſt.* 3. illud erit notorium, quod fit coram decem, vt habet *Gloſſ. cap. Manifeſta* 2. *quæſt.* 1. *Adrian. in* 4. *in materia Eucbariſtia aute vltimum dubium* 5. *oritur.* At verò *Sylueſter verb.* notorium, ſufficere docet fieri tale factum coram ſex, vt ſit maior eorum pars, qui ad faciendum requiruntur populum, licèt de facto non ſint illi ſex maior pars illius populi, vel communitatis. Verùm enim verò hæc regula non videtur adeò infallibilis, vt dubia paſſim occurrentia ſoluat.

Secunda regula certior eſt, qua notorium dicitur, quod arbitrio prudentis viri, ſingulis perſpectis circumſtantijs, tale habebitur, vt probè *Abbas laudatus numero* 16. Quænam autem hæ ſint circumſtantiæ, è quibus notorij pendet cognitio, ad triplex caput reduci poſſunt: ad hominum nimirum ſcientiam, ad quam factum illud peruenit: ad loci, ac temporis qualitatem, vt indicat laudatus Panormitanus: fauent huic regulæ *Antonius*, *Io: Andreas eodem capit. colum.* 4. Card. colum. 8. *Hoſtieu. capit. Tua nos eodem titulo colum.* 4. *Anton.* Gomez *tom.* 3. *variar. capit.* 1. *numero* 42. *Soar.* 3. *tom. in* 3. *part. diſput.* 67. *ſect.* 5. *&* 5. *tom. diſput.* 9. *ſect.* 2. *numero* 11. tametſi contrarium ſubindicet 4. *tom. in* 3. *part. diſput.* 30. *ſect.* 2. *numero* 2. *Auila* 2. *part. capit.* 6. *dub.* 4. quo circa delictum à decem, vel duodecim cognitum in magna ciuitate notorium non erit, ſecus in oppido, vel in vicinia illius vrbis per ſe loquendo.

9 Notandum quinto, quamuis quod eſt manifeſtum, de quo vrget fama in maiori parte Ciuitatis viciniæ, collegij, vel conuentus, & famoſum dicitur à fama in maiori parte prædictarum communitatum orta, non ex ſcientia, ſed ex inditijs, & præſumptionibus, videatur diſtinctum ab occulto, vt vult *Nauarr. numero illo* 255. *citatus*, *& Auila*; verùm, quia in *capit. Tua nos de cobab. cleric.* apertis diſtinguitur verbis notorium notorietate facti, in ſe quaſi habita, à famoſo, & cognito in alio, atque ex alio, idcirco ſatis probabile iudico, quod aſſerit, *Soarius de cenſ. diſput.* 9. *ſect.* 2. *numero* 15. non ſatis ad notorietatem eſſe oppoſitam occulto publicam famam, ni facti euidentia intercedat iuxta ſecundam regulam, ſupra traditam; etſi parùm ſibi coherens *idemmet Auctor* hoc neget *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 30. *ſect.* 2. *numero* 2. *docent verò Fagund expreſſe* 2. *præcep. Eccleſiaſt. lib.* 8. *capit.* 8. *numero* 29. *Graſis lib.* 1. *deciſ. capit.* 13. *numero* 43. *& Sot. de teg. ſecreto memb.* 2. *nec non Nauarr. capit.* 25. *numero* 72. de obſtricto notorio ſcelere, qui ſacris initiatur ordinibus.

10 Ex qua regula habendus eſſet religioſus percutiens alterum religioſum, coram ſex, vel ſeptem in cænobio, vt publicus percuſſor reſpectu illius cænobij, ni adeò amplum eſſet, vt ducentos habere t Regulares; at vero laicus in ciuitate clericum percutiens coram ſex, vel ſeptem, talis cenſendus non eſt, vt probè *idem Auila*; quemadmodum; neque exiſtimandus eſſet reſpectu eiuſdem ciuitatis, qui domi aliquem coram ſex, vel ſeptem percuſſerit; ſic qui priuata in domo naſceretur ex illegitimo congreſſu domeſticis noto, in ciuitate publicus non eſſet habendus illegitimus. Addo, eam ſeruandam per ſe eſſe paritatem inter domos, ſeu familias ad omnes domos, familiaſque componentes vrbem, quæ inter perſonas ad populum, qui ex decem ad minimum conſtare dicitur ex *Gloſſa vt ſupra quæſtion.* 3. *verb. vnio, vt ſupra iudicauimus etiam ex Sylueſt. notor.* 4. *in medio*.

12 Dixi, per ſe loquendo, nam magna in Ciuitate rationi non videtur conſentaneum ad publicitatem expectare notitiam maioris illius partis. Quis enim publicum clerici percuſſorem eum Neapoli non habebit, qui in ſolemni pompa, vel in vna ex eius nobilium plateis, vel ante Regiam vbi frequẽs eſt Principum virorum concurſus, clericum percuſſerit? Eſto certo certius ſit neque vnam è decem Vrbis partibus delictum illud ſcire; in hoc igitur ſenſu ſubſcribo N*auarro cap.* 25. *nu.* 73. dicenti, ſatis eſſe ad notorietatem magnæ vrbis, vt in vna vicinia ſit delictum notoriũ, alioquin, quod benè notauit *Syluester in finem n.* 4. *citati*, diuidendus profecto, & computandus eſſet populus ad certo tenendum, an maior pars delictum ſciat? quod ſanè ridiculum eſſet.

13 Hinc declaratoria ſuperioris, altera deducitur regula, ea nimirum notoria, & publica eſſe, quæ cum illis geſta ſunt circumſtantijs, ac propalata, vt cuiuis innoteſcere potuerit, verbi gratia, in foro, vel publica platea; quòd non curauerit Auctor à multis videretur necnè; quamuis nec ſolus locus publicus, neque multitudo ſpectantium ſufficere ſanè videatur, ni eorum numerus reſpectu magnæ, ciuitatis notabilis, vt ſupra, cenſeatur.

14 Sexto notandum ſedulo eſt, vt delictum dicatur publicum, vel notorium ſatis non eſſe, ſi phyſicè, ſeu in ratione actus tale dicatur, verùm in ratione morali, ac delicti, vt tale cognoſcatur, nororiumque ſit, opus eſſe, ſic probè *Nauarr. in ſum. lat. cap. 27. num 225 Sanch. locis ſupra citatis, tum in ſum. tum de matrimonio Fagund. 2. praecep.* Eccleſ. *libr. 8. capit. 8. numero* 25. & ratio eſt, quia qualiras adiuncta verbo, iuxta verbi qualitatem intelligenda eſt, *leg. In delictis* §. 1. *ff. noxalib.* neque propriè aliàs publicum diceretur delictum, ni formaliter, vt tale nororium, publicumque eſſet: atque ſic definitum eſſe à ſacra Pœnitentiaria rrfert *Nauarr. citatus numero* 241. *verſ. circa hac dico primo, ſubſcribunt Henriquez libro* 14. *de irregularit. capit.* 24. *numer. quarto*, Emanuel *Sà ſumm. verb. Epiſcopus numero trigeſimoquinto, Sayro in theſaur. caſuum capit.* 13. *numero* 13. *& alij apud hor.*

15 Ex quo ſequitur, quamuis ſacrum publicè coram populo factum ab excommunicato occulto, actus phyſicè ſit notorius, minimè tamen peccatum, ſeu crimen eſſe publicum, vel notorium, defectu notitiæ publicitatis ipſius excommunicationis, quæ erat occulta. Quapropter Epiſcopi erit in irregularitate, ob eam celebrationem contracta, diſpenſare: vt in contrario etiam caſu quan-
16 do clericus publicè, ac notoriè excommunicatus, non toleratus eſt, & tamen occultè celebraret; maneret enim adhuc irregularitatis delictum occultum ad Epiſcopum ſpectans, vt probè *Vuald. in cand. aureo, vbi de excommunicat. numero* 41. *& Fagundez* 2. *precept. Eccleſiaſt. lib. octauo capit.* 8. *num.* 15.

17 Idemque ſentiendum eſſe de excommunicato publico in vna ciuitate, & celebrante in alia, vbi neſcitur eius excommunicatio, vt probè *Auila* 7. *part. diſput.* 10. *dub.* 6. §. *ex dictis ſequitur.*

18 Idemque auctore *Nauarro lib.* 5. *conſilior. conſ.* 2. *de clerico non ordinato miniſtrante*, atque in ſimili alio de quo conſulti *Doctores Salmaticenſes apud Auilam laudatum* idem ſenſerunr, ex eodem fundamento, de Diacono ſolemniter baptizante, coram multis ignorantibus, hoc eſſe in iure prohibitum, vel ſcientibus prohibitionem, neſcientibus tamen irregularitatem, ſub qua erat lata illa prohibitio, iuxta *Nauarrum laudatum conſ.* 2. etſi de eo mea decidere in præſentia non interſit.

19 Et in re noſtra, eſto, quis naſceretur ex patribus occulrum habentibus impedimentum dirimens, atque in mala fide exiſtentibus, adhuc exiſtimandus non eſſet taliter irregularis, vt non poſſet ab Epiſcopo diſpenſari.

20 Vel è contra, ſi impedimentum dirimens publicum eſſet inter parenres, at ſilius occultè ab eis exciperetur, quaſi ſuppoſititiè, vel ſub alio colore, vt aliorum filius apud ipſos educatus; ab Epiſcopo etiam poſſe diſpenſari.

21 Hinc caſum ſolui, de quo conſultus, dum hæc conderem, de Eunuco, qui ſpontè caſtrare ſe fecit, an ita irregularis eſſet, vt ab Ordinario non poſſet ad ſacros ordines diſpenſari? reſpondi quicquid nonnulli in contrarium ſenſerint, etiam poſſe; & ratio eſt, quia quamuis notorium eſſet eum euiratum, id tamen per delictum factum fuiſſe occultum erat; cum igitur hæc irregularitas ex delicto ſit, & non ob vitium corporis, vt communiter ſentiunt apud *Auilam* 7. *part. diſp.* 3. *dub.* 1. *verſ. contraria ſententia deducta à Canone.* 22. *Apoſt.* hinc ſit ex vi Tridentine, cuius expendimus decretum, poſſe ab Epiſcopo diſpenſari.

Dices hanc irregularitatem reduci ad homicidium voluntarium, cuius irregularitas, quamuis occulta ſit, Papæ per *Tridentinum* eſt reſeruata. Reſpondeo, licèt ſciuerim nonnullos Doctores extendere reſeruationem irregularitatis ex homicidio voluntario occulto cõtractæ ad mutilationem voluntariã occultam: at probabilius eſſe contrarium, tum innixus rationi, tum *decreto Congregationis Cardinalium Tridentini relato à Soario de cenſ. diſp* 44. *ſect.* 4. *num* 32. cui ſubſcribunt idemmet *Soarius, Emanuel cap.* 187. *concl.* 1. qui expreſſius noſtræ fauet concluſioni: *Accedit Auila de irreg. diſp.* 3. *dub.* 3. *conc.* 2. dicens, eſto publicè conſtet de euiratione, dummodo delictum ſit occultum, poſſe diſpenſari ab Epiſcopo, cum eadem ſit ratio de hoc, ac de excommunicato occulto publicè celebrante, cuius meminimus ſupra *num.* 15. Miror autem *Syluestrum* contrarium ſentientem *corpore vitiatus* 9. *&* 10. *ad finem* pro ſe citare 1. *c. de corp. vitiat.* quod quidem non modo de clerico publicè monomachiam obeunte loquitur, cuius delictum erat manifeſtũ, ſed in illo eodem caſu *Gloſſam*, ſi legiſſet *Syluester*, eam docere comperiſſet, poſſe Epiſcopum diſpenſare, quicquid etiam in contrarium indicauerit *Tabienna*.

22 Notandum ſeptimo delictũ deductum ad forum contentioſum quadrupliciter poſſe eſſe deductum: Primo, vt iure, aut iniuria, etiã per vnicum teſtem deductum ſit: Secundo, vt ſit probatum: Tertio ita non ſir probatum, vt reus iuſtè liberetur, vel iniuſtè, verbi gratia ſi malis artibus aliquo pacto iniuſtè ſe defenderit: Quarto, ſi condemnetur.

23 Et quidem ſiue iure, ſiue iniuria, etiamſi

ex ſe

ex ſe alias non eſſet probabile delictum, deducatur tamen ad forum contentioſum, ſentiunt nonnulli iam non eſſe occultum per ſolam deductionem, dummodo ſit intimata pars, qui primus eſt iudicij actus, ſine quo nō diceretur cauſa ad forū fori deducta, vt inter cæteros aduertunt *Sayrus in theſauro caſu. tom. 1. lib. 4. cap. 17. & Sanch. mox citandus.* Huic opinioni ſubſcribunt *Soarius de cenſ. diſp. 41. ſect. 2. num. 6. Henriq. lib. 14. de irreg. cap. 7. num. 5. Auil. de cenſ. 2. part. capit. 7. diſp. 1. dub. 11. concl. 3. & part. 7 diſp. 10. dub. 6. ad finem Sanch. lib. 2. oper. mor. cap. 11. num. 21. & lib. 8. de mat. diſp. 54. num. 57. & 58. apud quos Antiquiores.*

24 Ex hac autem ſententia ſequitur, ſi duo eiuſdem criminis conſortes ſint, alterque ſolus ad iudicium contentioſi fori deferatur, huius delictum eſſe notorium, ſecus delictum alterius non delati, quod quidem ſubditur Epiſcopi poteſtati, *quia res inter alios acta alijs præiudicare nequit quibus res præiudicata non nocet leg 1. C. res inter alios acta: ſic etiam Nauarr. lib. 2. conſilior. in 2. edit. tit. de ſent. & re iudic. conſ. 2. Sanch. in ſum. lib. 2. cap. 11. numero 21. Fagund. infra citandus* minimè tamen ſibi cohærens, quod a fortiori in ſententijs infra referendis verum erit.

25 Sequitur etiam ſecundo ex hac ſententia, ex illegitimis natalibus irregularitatem tantum deductam quomodolibet ad forum externum non eſſe occultam, & a ſolo Papa diſpenſari poſſe.

26 Secunda verò ſententia de hac, quam tractamus, difficultate aliorum eſt, aſſerentium delictum quomodolibet deductum ad forum externum adhuc occultum remanere, donec probetur; ſic *Iacobus Graſſis lib. 1. deciſ. aurear. cap. 13. num. 44. Vgald. in candelab. aureo vbi de excomm. num. 42.* Ex varijs Doctoribus Salmaticenſibus: & quod mirum eſt *Sanchez* ſui diſſimilis huic ſubſcribit ſententiæ *lib. 2. de mat. diſp. 37 num. 12.* eo fundamento, quia verba cum effectu accipienda ſunt *cap. Relatum de cler. non reſid.* ergo quando incipitur crimen deductum ad forum contentioſum, cum effectu intelligendum eſſet, alioquin etſi poſtea abſolueretur, adhuc illud delictum non remaneret occultum, vt pote deductum iam; quod falſum eſſe patet, & conſtabit magis ex infra dicendis. Dat manum *Fagund.* huic ſententiæ *2. precept. Eccleſ. lib. 8 cap. 8. & 26.* malè citans pro hac ſententia *Auilam, & Sanchez,* quos ab altera eſſe diximus locis à nobis laudatis *num.* 22. de qua quid ſentiendum ſit, ſequens docebit caput *num. præſertim* 20.

27 Ex hac autem doctrina ſequitur, quodcunque delictum (vno homicidij voluntarij excepto) deductum ad externum forum, non tamen probatum, & occultum manere & poſſe abſolui, necnon irregularitatem ex eo contractam ab Epiſcopo diſpenſari; vt *Doctores Salmaticēſes, cum quibus ſentit Fagundez citatus,* docuiſſe feruntur; idemque dicendum de hac illegitimorum natalium irregularitate, quam probabilius cenſemus ex delicto, neque comprehenſam homicidij voluntarij exceptione.

28 Sequitur ſecundò, etiamſi duo eiuſdem criminis complices ſint, quorum delictum in iudicium deferatur, & contra vnum quidem probetur, ſecus contra alterum, illi fore deductum ad forum contentioſum, & minimè occultum; ſecus alteri, cui non probatum fuit, ex fundamento ſuper allato; quod non probè deducit *Fagund. num. 27.* allegans *Sanchez*: qui in *Summa loco citato* ſibi cohærens ſolum ſuperiori modo *num.* 24. deductum hunc caſum definit, nequaquam hoc altero, quem iuxta hanc ſententiam declaramus.

29 Si autem delatum ad contētioſum forum crimen, & ritè probatum ſit, in comperto eſt, vt ſic propriè, & cum effectu deductum, & extra poteſtatem eſſe Epiſcopalem: ſolus igitur difficultatis cardo vertitur circa tertium, & quartum modo *numero* 22. adumbratum.

30 De delicto igitur tertio modo ad contentioſum forum relato, à quo reus iuſtè, vel iniuſtè declaratus eſt innocens, dicendum, ſi reus iuſtè per allegata, & probata innocens declaratus fuerit, delictum etiam re vera ab eo commiſſum non eſſe amplius habendum, vt deductum ad contentioſum forum: per ſe patet, ac docetur expreſſè à *Soar. de cenſ diſp. 41. ſect. 2. num. 6. in fine Sayro in theſau. caſu. tom. 1. lib. 4. capit. 17. numero. 23. apud. quos ab alijs.*

31 Immo idem eſſe verum, licèt iniquè falſis adductis teſtibus ſe tuatus reus, aut probationis defectu fuerit abſolutus à delicto, ſic *Henriq. lib. 14. de irreg capit. 24. num. 4. Manuel. 1. tom. ſum. edict. 2. capit. 161. num. 4. Vgald. cand. aur. 2. part. de excomm. numero 42. apud quem Salmaticenſes Doctores Sairus vbi ſupra tom. 1. lib. 7. cap. 7. nu. 12. Eman. Sà ſum. verb. Epiſcopus num. 34. Sanch. lib. 2. de mat. diſp. 37. num. 12. & lib. 8. diſp. 34. num. 37. ac alij.* Ratio autem eſt, quòd verba cum effectu ſunt accipienda *Cap. Relatum de cler. non reſid.* ſuper à nobis allato *num* 21. ergo cum excipitur maximè per Tridentinum, de quo hi loquuntur auctores, crimen deductum ad forum contentioſum, intelligendum id eſt, deductione cum effectu ſaltem primario, ordine executionis, vt ſequenti capite *numero* 21. dicam; ſiquidem

dem in hoc caſu delatio abſoluto delicto habetur, vt non delatio, immo vt calumnia magis fauens non modo occultę rationi, ſed etiam nullitati criminis oppoſiti. Deinde quia ratione preſertim ſcandali, & publicitatis denegatur Epiſcopo facultas abſoluendi, & diſpenſandi, quando delictum ad forum fori peruenit; quæ ac ſimiles rationes hoc in euentu, in quo delictum manet occultius, ceſſant. Demum abſurdum minimè cenſendum eſt è teſtimonio falſorum teſtium per accidens emolumenti aliquid reo reſultare, cætera illicitè operari, co quod adhuc delictum illud occultum remaneat.

32 Nec modo vera hæc ſententia videtur eſſe, quando reus à delicto abſolutus eſt, eo quod nullo pacto probatum ſit, verùm etiam quando ſemiplenè probatum eſſet, nam vt probè *Sanchez lib. 8. de mat. diſp. 14. num. 27.* vel reus abſoluitur definitiuè, ac tunc res dubio vacat: vel abſoluitur ab inſtantia, ſeu iudicij obſeruatione, ac tunc, vt prius res manet occulta; nam per ſententiam interlocutoriam iudicium illud terminatum, ſublataque eſt infamia orta ex deductione,

33 atque agitatione in illo foro. Neque aliud inter definitiuam, atq; interlocutoriam ſententiam diſcrimen eſt, vt probè *Couarr. lib. 1 variar. cap. 1. num. 8.* quod poſt interlocutoriam poteſt quidem, verum ex nouis indicijs, nouiſque probationibus, in iudicium reuocari cauſa: ſecus poſt definitiuam: cæterùm in vtraque iudicium eiſdem ſtantibus, terminatum, ac res ad priſtinum reducta eſt ſtatum: quo momento rationis fundamentum contrarium *Soarij* citati limitatis hanc doctrinam ad caſum ſolum nullo pacto probati delicti prorſus euertitur. De Reo è carcere emiſſo definitiuè non abſoluto lege *Marchinum tom. 1. p. 9. diff. 4.*

34 Ex hac doctrina deducitur illegitimorum natalium irregularitatem ad forum contentioſum relatam, ac declaratam quomodolibet nullam; poſſe ab Epiſcopo tolli. Idemque eſſe de omnibus delictis in decreto

35 Tridentini conceſſis, vt citati auctores aiunt. Idem pariter de impedimento matrimonij occulto, in quo ſicut per litteras ſacræ pœnitentiariæ diſpenſari non poterit, dum ad forum externum reuocatum eſt, in quo pendeat; qua ratione per citatos auctores occultum dici non poterit; ſic in eodem foro externo abſolutum hoc delictum, vel impedimentum matrimonij declaratum nullum, vtrumque remanebit occultum, atque ad priſtinum ſtatum redactum, & impedimentum per litteras pœnitentiariæ diſpenſari poterit, & ab Epiſcopo delictum abſolui, & irregularitas expungi, etiamſi illegitimis medijs vicißet Reus cauſam, dùmodo à iudice ſit abſolutus, vt ſupra dicebam; ac notauit etiam *Henriq. lib. 4. de irreg. cap. 20. num. 4.*

36 Demum, ſi Reus ſit condemnatus, & punitus in foro externo (qui quartus erat deductionis modus à nobis *num. 12.* propoſitus) ſentiunt aliqui ita habendum eſſe delictum, vt facultate per Tridentinum conceſſa extra poteſtatem non ſit Epiſcopi, à quo poſſit abſolui. Ratio eſt, quod intentum Concilij duplex videtur fuiſſe, & conſulere auctoritati iudicis, cauſam agitantis contra quam ſanè fieret per facultatem abſoluendi ab huiuſmodi caſibus, & obuiam ſcandalis ire. Vbi verò punitum eſt delictum, prima ſanè ratio ceſſat; cum auctoritati iudicis, quippequi iam ſuo functus eſt officio, minimè detrahatur per abſolutionē, vel Epiſcopi diſpenſationem: neque vrget ſecunda, quãdo publicum ceſſat ſcandalum ob pœnam iniunctam Reo; ita ſentiunt *nonnulli Theologi ſuppreſſo nomine ab Auila laudati*, quibus ille ſubſcribit *par. 7. diſp. 20. dub. 7.* idemque eſſe aliquando vſitatum fatetur, vt per Bullam Cruciatę in Hiſpanijs ab excommunicatione deducta ad forũ contentioſũ, quis finito iudicio poſt ſententiam abſolutus ſit.

37 E contra verò, vt infra probabilius exiſtimabimus, alij dicunt illud delictum iam non eſſe occultum, vtpote deductum ad forum contentioſum cum effectu condemnationis, & extra facultatem eſſe Epiſcopi, ſic *Guttier. lib. 1. quæſt. canonicar. cap. 3. ad finem Manuel. 1. tom. in 2. edict. cap. 168. in fine, ac alij*. Probatur primò, quia delictum illud apprimè deductum eſt ad forum contentioſum cum effectu etiam poſtremo, ac ſæpe ſępius intento probationis, videlicet, ac ſententiæ, ergo ſi Concilium tollit delicta, & cenſuras per ea contractas Epiſcopis, nulla eſt ratio, cur aſſeratur contrarium. Secundò, delictum occultum ſub poteſtate cadit Epiſcopi: atqui hoc eſt publicum, & notorium notorietate iuris per perfectam prolationem, & ſententiam, vt *num. 12.* notauimus, ergo &c. Neque vrget rationis momentum opinionis contrariæ; nam nego ſatis conſultum eſſe ſcandalis, data facultate adeò ampla Prçſulibus; cum ea maximè vitetur difficultates diſpoſitionis, & abſolutionis Papæ reſeruatæ. Adde non tantũ motum fuiſſe Concilium Tridentinum duplici ex illa ratione, ſed ex alia reſeruationis horum ſcilicet enormium delictorum ſummo Pontifici reſeruatorum. Demum quia ferè nulla irregularitas, ſeu ſuſpenſio, ſeu caſus deductus ad forum contentioſum eſſet alioquin occultus, ac Papæ reſeruatus; etenim quicunque vel probaretur, vel non; ſi non probaretur iam maneret occultus, & non

& non reſeruatus, vt ſupra *numero 30. & 31.* diximus: ſi autem probaretur, iudicio finito,per ſententiam, iuxta hos Auctores etſi non remaneret occultus, adhuc non eſſet reſeruatus. Idem ſi reus fuerit innocens quomodolibet declaratus *vt num. 32.& 31.* docuimus; idemque ſecundum multos etiã ſi tantum fuerit deductus, vt *num. 20.* diximus; vix igitur aſſignabitur caſus, ad quem facultas non ſe extendat Epiſcopi; quando fortaſſe caſus erit ſolum deductus lite pendente; quod abſurdum eſſe, non eſt qui non videat. Ego autem mirari ſatis non poſſum *Sanchez*, qui cum doceat, vt *nu.* 19. vidimus, ſatis eſſe, vt deducatur ad forum contentioſum delictum iure, vel iniuria, vt notorium fit, atque extra poteſtatem Epiſcopi, in hanc tamen poſtea ſententiam iuerit *lib. 2. ſum. cap. 11. num. 21.* nam delictum ad forum contentioſum tantum delatum non occultum, ſed publicum iam aſſerere; illud autem quod, & deductum, & probatum, & ſententia punitum, eſſe, atque haberi occultum, quàm rationi conſentaneum ſit, non video.

CAPVT IV.

Vera ſententia de Poteſtate abſoluendi, ac diſpenſandi Epiſcoporum ab occultis.

SVMMA

Senſus quaſtionis num. 1.

Vnum, & idem verbum ad diuerſa referri poteſt iuxta eorum qualitatem propriè, & impropriè, prò viribus tamen id vitandum vt in textu doctrinali. num. 2.

Senſus apparens Tridentini. num. 3.

In membra diuiditur Tridentini decretum. num. 4.

Occultum in Tridentino ſumendum eſt prout diſtinctũ à notorio, ſiue diuerſum à famoſo, ſiue non. num. 5.

Notorius clerici percuſſor, notorietate tantum facti, vt excommunicatus vitandus. numero 6.

Per communem conceſſionem factam à Tridentino *poſſunt Epiſcopi diſpenſare in omni ſuſpenſione, atque irregularitate, proueniente ex delicto deducto etiam ad forum contentioſum ſine effectu. num. 7.*

Abſolutè tamen non poſſunt aliquid circa delictum contentioſum, etiam ſine effectu. num. 7.8.& 11.

Dummodo Reus innocens aliquo pacto non ſit declaratus. num. 9.

Eodem pacto Occultum *vſurpatur in toto Tridentini decreto. num. 10.*

Clauſula in quauis diſpoſitionis parte appoſita, eadem militante ratione ad anteriora, & poſteriora referenda eſt. num. 11.

Dummodo varias non habeant illa membra determinationes, aut manifeſtum aliquod ſequatur abſurdum. num. 12.

Epiſcopus, cui poſt conſecrationem propria innotuit illegitimatio, poterit ſecum medio ſuo confeſſario diſpenſare. num. 13.

Immo immediatè ſecum ipſe diſpenſare poterit num. 14.

Id etiam facere valet ante conſecrationem. num. 15.

Num poſſit diſpenſari, vel abſolui aliquis ab irregularitate, cenſura, aliiſque caſibus prudenti iudicio ſtandum eſt. num. 16.

Probabilius eſt poſſe circa caſum famoſum, pro vt à Notorio diſtinctum, Epiſcopum ſua vti authoritate. num. 17.

Circa illegitimos natales quomodolibet ad forum contentioſum reuocatos, nihil poteſt Epiſcopus. num. 18.& 22. remiſſiuè.

Quiuis caſus, vel diſpenſatio Papæ reſeruata, ſi tantum ſit probabilis, poterit abſolui, vel tolli ab Epiſcopo. num. 19.

Quando verba ſtatuti cum effectu accipienda ſunt. num. 20. & 21.

Illegitimi natales, vt quicunque alius defectus, vel culpa in foro externo punita, maximè notoria cenſanda eſt. num. 23.

Quiuis defectus, vel delictum etiam publicum per deductionem ad forum contentioſum in vno loco, ſi occultum ſit in alio poterit ab Epiſcopo abſolui, vel auferri. numero 24.

Vbi Tridentinum receptum non eſt, hac, quam expendimus facultate abſoluendi, ac diſpenſandi in occultis Epiſcopus vti non poteſt. num. 21.

1 HVius quæſtionis explicatio è ſententia Tridentini loco citato deducenda eſt, quam obiter exponemus ea, qua licere reuerentia, notant *Henriq. lib. 7. capit. 29. num. 4. Soarius in 3. part. tom. 5. diſp. 23. ſect. 7. num. 12. & alibi. Salas de leg. diſp. 21. ſect. 11. verſ. ad ſecundum, Bonac. tract. de cenſ. in particulari diſp. 2. quaſt. 2. punct. 17. & de leg. diſp. 1. quaſt. 1. punct. 8. num. 3.* quibus addam *Antiquiores tom. 2. lib. 7. diſp. 1. cap. 5. num. 9. & 26.* vbi rem vlterius proſequar, Addo *Reginaldum in Praxi for. pœnit.* vbi ait in *Bulla edita à Pio IV.* non eſſe ſermonem de interpretationibus; quæ in ſcholis fiunt, *lib. 20. nu. 23. Sayrus in Theſaur. lib. 3. de cenſuris cap. 35. num. 12. Rodriq. tom. 1. regul. q. 11. artic. 3.*

Difficul-

Difficultas autem eo vertitur, vt veram occulti rationem à Concilio vſurpatam explicemus; nam vel Tò *occultum* ſumitur à Concilio in toto ſuo rigore, vel vt in alijs ſacris canonibus vlui Doctoribus ſacris eſſe ſolet: ſi primum, præterquam quod impropriè, & contra vſum illud vſurparet, ſequeretur illud ſolum delictum eſſe occultum, quod vel internum eſſet, & per ſe occultum, vel externum, atque à ſolo Reo, aut ab vno, vel altero cognitum, & ad ſummum probabile; quæ omnia contra communem Doctorum, & Canonum ſenſum eſſe, ex ſuperiori Capite facilè conſtat; ſi ſecundo modo ea delicta dicuntur occulta, quæ publica non ſunt, vt ſupra *num.* 2. publicum autem delictum, ex notorietate facti ſaltem erit, quod nulla poterit tergiuerſatione celari, vt *num.* 7. præcedentis capitis dictum eſt; nec ſatis eſſe, vt manifeſtum, vel famoſum ſit, ſicut ibidem *num.* 9. habet, hoc autem notorio vel comprehenditur delictum ad forum contentioſum deductum & ſuperflua ſanè videtur ſecunda exceptio Concilij per ea *et exceptis alijs deductis ad forum contentioſum*: vel non comprehendit, & ex hoc ſequitur; deductum crimen ad forum contentioſum iuxta acceptionem *num.* 23. *et* 26. præcedentis capitis declaratam, eſſe quidem occultum, & conſequenter ex vi primæ exceptionis Concilij poſſe ſuſpenſiones & irregularitates ex delicto deducto ad forum contentioſum cum effectu promanentes diſpenſari; immo, & caſus omnes, etiam hæreſis in foro conſcientiæ abſolui; cum in materia doctrinali, atque in vno eodemque decreto Tò *occultum* æquiuocè Concilium vſurpaſſe rationi conſonum mi-
2 nimè videatur. Et quamuis me non fugiat, aliquando vnum, & idem verbum ad diuerſa relatum diuerſa determinare poſſe propriè, atque impropriè per *Cap. Olim ex litteris, et Cap. Ab excommunicato de reſcrip.* notentque *Card. eodem Cap. Ab excommunicato num. 4. not. 5. et Cap Olim not. 10. num. 5. et alij paſſim,* verum pro viribus id amandandum eſſe à textu doctrinali, qui alia poteſt explicari ratione, per ſe patet.

3 Et quidem ni Doctorum in contrarium eſſet conſenſus, ni ſtylus, & vſus vrgerent, in promptu fuiſſet aſſerere, quod primo quidem intuitu *Tridentinum* indicare videtur, concedi nimirum Epiſcopis facultatem non diſpenſandi modo in irregularitatibus, ex delicto prouenientibus occulto, vna dempta homicidij voluntarij ſed etiam ad omnes alios ad forum contentioſum non deductos; penes quem ſenſum reliqua explicatu non difficilia erant, ac fauorabili interpretatione maximè conſona, qua gaudere hoc decretum diximus *cap. 2. à num. 9.* verùm enim verò cum, & ſtylus & Doctorum communis ſententia, maioris quam hæc, ſint ponderis, accedente rationis momento, demonſtrante non ſatis explicari poſſe, cur deductionem ad forum contentioſum in cenſuris non ex delicto prouenientibus deſiderauerit Concilium, ſecus vero in his, quæ ex delicto manant, & quid in multis irregularitatibus ſentiendum ſit ex corporis, & animæ defectu deducto ad forum contentioſum, idcirco.

4 Primum aſſero, in Tridentini decreto *præcedenti capite num.* 1. à nobis relato haberi tria. Primum, diſpenſandi facultatem Epiſcopis factam in omni irregularitate, & ſuſpenſione ex delicto occulto proueniente. Secundum, exceptionem vnius caſus prouenientis ex delicto occulto, homicidij ſcilicet voluntarij, quam exceptionem ſemper volumus appoſitam, nè ſæpius eam ad faſtidium iterare cogamur. Tertium, omnes excipi alias cenſuras ex delicto tantum prouenientes, deducto quidem ad forum contentioſum, quæ exceptio non eſt declaratoria tantùm primæ, vt ex infra dicendis patebit, & ex eo, quòd deducto ad forum contentioſum propria eſt delictorum.

5 Secundum aſſero Tò *occultum* in prima exceptione poſitum in eo ſenſu à Concilio vſurpari, vt opponitur publico, ſeu notorio; ſiuè notorietate facti, ſiue iuris. De oppoſitione enim notorio notorietate facti, probatum eſt *ſuperiori cap. num.* 1. *et* 8. de oppoſitione autem cũ notorietate iuris, patet etiã citato *cap. num.* 6. *et* 37. Notorium ex euidentia facti, vel deſumendum eſt, vt diſtinctum à famoſo, *ibidem num.* 9. notato, vel vt ad illud etiam ſe extendens, ſicut ibidem ex nõnullis retulimus; cum vtramque probabilem habeam interpretationem. Hæc autem occulti explicatio, ni ex alijs vitietur adiunctis, aut in alium torqueatur ſenſum, vt plurimum germana, & viui eſt in reliquis canonibus; quemadmodum ex communi ſententia, occaſione notorij peccati, quo quis deuinctus, ordinibus illicitè initiatur ſacris, docet inter cæteros *Nauarr. ſum. lat. cap. 25. numerus 37.*

6 Hoc dixerim, quod in *Extra. Ad euitanda ſcandala in Concilio Baſilienſi, & Conſtantienſi,* vbi ſermo eſt de notorio clerici percuſſore, Tò *notorium* non deſignat notorietatem iuris, qua qui eſſet notoriè excommunicatus, compræhenſus erat priore eiuſdem Extrauagantis parte, quæ de omni excommunicato vitando loquitur; ſed ſolam notorietatem facti demonſtrat, ex qua ſola, qui notorius eſt clerici percuſſor, vitandus eſt, nulla iuris alia expectata notorietate; quod aperte è contextu, & verbis extrauagantis declarat *Soarius de cenſ. diſp. 9. ſect. 2. num. 11.*

7. Ter-

7 Tertium aſſero, per vninerſalem Concilij conceſſionem diſpenſandi in omni ſuſpenſione,& irregularitate ex delicto prouenien-te occulto, per ea, *liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus,& ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus;&c.* etiam fieri poteſtatem Epiſcopis in illis diſpenſandi, quæ ortum ducunt ex delicto deducto ad forum contentioſum, ſumpta deductione ſine effectu,vt *ſuperiori cap.num.*22. declaratum eſt; quia tale delictum non deſineret eſſe occultum,ex vi ſolius deductionis,abſque effectu, quin probaretur ſaltem, vt ibidem *num.* 26. vidimus. Quamobrem, ni ſecundam exceptionem addidiſſet Concilium per ea, *exceptis alijs deductis ad forum contentioſum* potuiſſent profectò ex vi primæ conceſſionis, prima non obſtante exceptione, Epiſcopi diſpenſare in irregularitatibus,& ſuſpenſionibus ex delictis deductis ad forum contentioſum ſine effectu. Ratio autem eſt,quia delictum,taliter deductum,non eſt notorium, neque notorietate facti,vt conſtat ex *num.*6. 7.& 8 præcedentis capitis, neque notorietate iuris, vt ibidem patet *ex num.* 6. Ergo erit occultum.

8 Idcirco aſſero quarto, delictum relatum ad forum contentioſum, vſurpatum à Concilio in ſecunda exceptione modo relata, non eſſe delictum deductum cum effectu probationis,vel ſententiæ: ita ſentio cum Auctoribus laudatis ſuperiori capite *n.*22.tum ex ibi dictis; tum quia Concilium non requirit,vt ſit probatum, aut declaratum per ſententiam,ſed ſolùm,vt deductum ſit ad forum fori; tum quia exceptio hæc eſt indefinita reſeruans caſus deductos ad forum externum: indefinita verò propoſitio in materia doctrinali æquiualet vniuerſali ex *Gloſſa cap. Vt circa in principio, verbo aliorum de election. in* 6. communiter recepta. Et vt omnes caſus ex delicto occulto concedit Tridentinum Epiſcopis, ita omnes delatos excipit: tum quia delictum notorium notorietate iuris,iam erat excluſum,per primam limitationem facultatis conceſſæ Epiſcopis, ea voce *occultis*, qualia non ſunt delicta ad contentioſum forum reuocata, probata, ac ſententia punita, vt diximus *num.* 37. Quamobrem ea iterum excipere ſuperuacaneum prorſus,& abs re ſanè fuiſſet. Quod ſi defectu
9 probationis, vel aliàs iure,vel iniuria,abſolutus eſſet reus à delicto, tunc non cenſeri tale delictum ad forum contentioſum relatum, & conſequenter ſubijci Epiſcopali poteſtati opinor probabilius cum auctoribus relatis loco citato *num.*30. 31. 32. quum in priſtinum ſtatum redactum,atque occultius tunc, quàm ante deductionem eſſet.

10 Denique aſſero eadem ratione *Tò occultum* vſurpari *à Tridentino* in eodem decreto,ſiue de diſpenſatione irregularitatum, ac ſuſpenſionum ſermonem habeat, ſiue infra de abſolutione caſuum reſeruatorum, & cenſurarum agat,vt communis fert omnium, quos laudauimus, Auctorum ſententia, qui quidem indiſtinctè loquuntur, expendentes *occulti* à Tridentino vſurpatam vocem,quam modò in diſpenſatione, modò in abſolutione eodem prorſus pacto declarant, & ſanè id probat ratio dubitandi *num.*10.relata.

Verùm enim verò cum ex noſtra, quæ eſt communis, interpretatione ſequatur, caſus omnes etiam deductos ad forum contentioſum abſolui ab Epiſcopis poſſe, facultate ei facta,per ea Tridentini verba, *In quibuſcumque caſibus occultis &c.in foro conſcientiæ abſoluere*,quod præſertim in hæreſi,cuius ex alio capite maior eſt difficultas, ſuo loco pertractanda, videtur abſurdum, atque ab vſu,ac ſtylo alienum,eo vel maximè, quòd aliquis cum Auctoribus laudatis *præcedenti capite num.*36. ſentiens,perſuadere ſibi facile poſſet, facultatem Epiſcopi ad delicta, etiam cum effectu deducta,ad forum contentioſum, & publicè prolata, finito iudicio ſe extendere.

Quod autem hoc ſequatur conſtat, quia *num.*4. diximus,occultum ita deſumi, vt non excludat delictum delatum ad forum contentioſum ſine effectu: adeo vt,ni ſecundam exceptionem addidiſſet Concilium, potuiſſent Epiſcopi ſuſpenſiones,& irregularitates ex delicto,etiam relato ad forum fori, non tamen probato diſpenſare, igitur cum abſque æquiuocatione,vt par erat, Concilium vſum ſit voce *occultum*,ſequitur in modo relata facultate, facta etiam Epiſcopis, abſoluendi ab occultis delatis, illam eandem vocem, eadem ratione vſurpaſſe; igitur quiuis caſus etiam ad forum fori reuocatus, dummodo probatus non ſit ab Epiſcopo, poterit abſolui, quod meritò reijciendum eſt.

11 Idcirco aio, clauſulam exceptiuam per ea verba expreſſa *exceptis alijs deductis ad forum contentioſum*,referendam eſſe,tum ad diſpenſationem in anteriore parte decreti expreſſam, tum ad abſolutionem caſuum in foro conſcientiæ, in poſteriore eiuſdem declaratam,quem notatum volo, vt proprium ſenſum ad germanam Tridentini intelligentiam, maximè accomodatum. Ratio, qua moueor eſt, quòd vbi eadem militat ratio, clauſula in quauis diſpoſitionis parte poſita, non ad anteriora modo, ſed ad poſteriora etiam referenda ſit, vt probè tradit *Menoch. de præſumpt. lib.*4. *præſump.* 181. *num.* 2. *ex multis ibidem relatis Doctoribus per cap. Secundo requiſitis de appellat.* qua etiam regu-

la ſi-

la ſimile *Tridentini decretum de renunc. nouit. &c. ſeſſ. 25. cap. 26. interpretatur Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 5. num. 11. & perpenderat lib 6. de mat. diſp. 22. num. 19. & lib. 10. diſp. 177. num. 11.* Hic autem eadem eſt ratio; declinatio nempe ſcandali, atque Eccleſiaſtica diſciplina, per reſeruationem tum diſpenſationis, tum abſolutionis cenſurarum prouenientium ex grauioribus delictis, ipſorumque delictorum maxime commendata.

12 *Obijcies ex* Gloſſa *cap. Vnico verb. ſic ſcilicet de poſtul.* Pralat. *in 6. quam magnifacit Alexander De Neuo capit. Laudabilem de frigidis* clauſula in principio poſita, priorem limitans caſum, extendenda non eſt ad poſteriorem; vbi enim fit diuiſio per §. vel verſiculum, clauſula poſita in vno §. vel verſiculo non refertur ad alterum §, vel verſiculum, Reſpondeo ex *Abbate cap. Secundo requiris de appell. numero* 11. verum eſſe antecedens, quando articuli, §§. vel verſiculi ſuas habent clauſulas ac determinationes, vt patet in caſu *cap. Cum dilecti de don. & opt. & leg. ſi quis legata ff. de cond. & de num.* nec non quando ſalua recta ratione, & ſine abſurdo illa clauſula ad omnes articulos, §§; vel verſiculos diſpoſitionis referri non poſſet; vt in caſu Clem. *Ne in agro §. certum iuncta Gloſſa de ſtatu reg.* at verò in præſenti caſu neque reſeruatio diſpenſationis, aut abſolutionis varias habeat determinationes: neque relatio clauſulæ deducti delicti ad forum contentioſum ad vtramque decreti partem, quod nimirum ſit Papæ reſeruatum, abſurdum infert.

Ex his, licet non operæ ſit, perſequi variarum materiarum qui ſunt, caſus, proprios tamen huius loci nonnullos adſcribam, ad quorum inſtar, alios deducere quis poterit.

13 Colligo itaque primo, Epiſcopum iam conſecratum, cui poſt conſecrationem illegitimi proprij natales innotuerunt, occulti tamen, vt ſupra declaratum eſt, ſecum poſſe diſpenſare, medio ſuo confeſſario, nam vt *Tomo tertio*, Deo dante, dicemus ex multis præſertim *Sanch. lib. 8. de matrimonio diſp. 3. & lib. 4. oper. mor. cap. 37. num. 42.* poteſt Epiſcopus ſuo committere confeſſario, vt in ijs ſecum diſpenſet, in quibus ille cum ſuis ſubditis poteſt; idque ex cauſa fortiore, iuxta doctrinam quam tradidimus *cap. 2.*

14 Colligo ſecundo, poſſe ſecum etiam immediatè prædictum Epiſcopum diſpenſare in hac irregularitate, ex occulto prouenientе delicto. Ratio eſt, quia, vt loco citato dicemus, Prælati ſeculares, regulareſque ordinariam habentes iuriſdictionem in ſuſpenſionibus, irregularitatibus, votis &c. poſſunt etiam ſecum immediatè diſpenſare, ni Regulares proprijs conſtitutionibus prohibeantur,

15 Colligo tertio, cum diſpenſatio actus ſit iuriſdictionis, vt *cap. 2. num. 9. et* 10. indicauimus, & infra munia declarantes Epiſcopalia docebimus: & quum Epiſcopus electus, & confirmatus, vel pontificia authoritate ritè deſignatus, ac promotus, poteſtatem habeat iuriſdictionis, cuius actus exercere poteſt, diſpenſare ſecum etiam conſequenter poterit in hac irregularitate; quod intelligo non vocatis etiam his, ad quos ſpectaret electio, vt *cap. 1. num. 5. ex Abbate* notaui; neque obſtat (vt idem et Auctor indicat de illegitimo occulto) talem Antiſtitem canonicum non habuiſſe ingreſſum, defectu diſpenſationis initio non comparatę, quum per diſpenſationem ſubſequentem omnia reformentur. Hæc autem doctrina mihi certa eſt, vbi ex ignorantia talis electio Pa[illegible]ulis habita eſſet, ob ea, quę *diſp. 2. cap. 1. num* 20. *et* 21. docuimus, quando talis electio valida quidem eſſet; dubia vero; quando non ex ignorantia, ſed ſcienter facta fuiſſet electio, quamuis contrarium indicet *Abbas laudatus*; quatenus aliquid habere virium talem docet electionem.

16 Colligo quarto an illegitimorum irregularitas natalium publica, vel occulta ſit, & an poſſit necnè abſolui ab Epiſcopo? prudentis iudicio ſtandum eſſe, ex probabiliore, quam *ſuperiore capite num.* 8. aſſignauimus, regula.

17 Colligo quinto, etſi probabile ſit, irregularitatem, & quemcumque alium caſum, qui manifeſtus, vel famoſus ſit, non poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, vel abſolui ex vi præſentis Tridentini, quod declaramus, decreti; probabilius tamen eſſe poſſe quidem, ni ex euidentia facti aliis notorium eſſet, vt *ſuperiori capite num. 9.* diximus; & ne ſæpius repeterè idem cogar, vnam ſemper exceptam volo hęreſim, de qua ſuo loco, quid ſentiendum ſit, tertio Tomo dicemus, nec non irregularitatem ex homicidio voluntario ſicut *num. 4.* adſcripſi.

18 Colligo ſexto, irregularitatem ex illegitimis natalibus deductam ad forum contentioſum, ſiuè iuſtè, ſiuè iniuſtè, ſiuè cum probationis effectu, ſiuè ſine illo, ex vi Tridentini non poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, vt nec reliquos caſus, quod probauimus *num. 8. 9. & 10.*

19 Colligo ſeptimo à fortiori, quemcumque caſum, vel diſpenſationem Papæ reſeruatam, quæ tantum probabilis ſit, nec ad forum contentioſum deductam, nec notoriam poſſe ab Epiſcopo abſolui, vel diſpenſari iuxta *Gloſſ Cap. Manifeſtè q. 11. cui ſubſcribunt communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Soar. tom. 5. in 3. partem diſp. 9. num. 11. ſermonem habens de publicò clerici percuſſore, & diſp. 41. ſect. 2. num. 6. Nauarr. cap. 29. n. 255. Sanchez lib. 2. oper. mor. cap. 11. num. 19. & de*

hæreſi

benéfl expreſſe habet *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 9. *fagund. de omnib.* 2. *pracep. ecclef. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 24. *cui fauet Cap. Veſtra de cohab. cleric.* §. *cæterum* quatenus occultum,& pene occultum dicit eſſe,quod toleratur, etiam ſi ab aliquibus ſciatur, additque *Gloſſa* illud pene occultum dici, quod probari poteſt. Quamobrem non bene *Emanuel Rodriquez in additione ad cruciatam* §. 9. *num.* 69. *in fine*, *& Guttier. lib.* 1. *quæſt. canon. cap.* 13. *num.* 27. aſſerentes occultum crimen eſſe illud, quod in iudicio probari minimè poteſt, etenim ſicut docuimus, etſi probari poſſit aliquid, non tamen idcirco ex hac potentiali probatione occultum non erit.

20 Colligo octauo, iuxta noſtram opinionem corollaria deducta *ſuperiore capite num.* 24. *&* 25. eſſe maximè vera,atque omnino ſecura;corollaria verò *num.* 27. *&* 28. tametſi probabilia, noſtræ tamen doctrinæ,quam eis præfecimus,minimè conſentanea.

21 Ad textum verò illum ſecundæ ſententiæ *ſuperiore capite num.* 26. relatæ,quatenus doctrinæ, quam *num.* 8. complexi ſumus, contradicit, aio, verba vtique cum effectu accipienda eſſe, quatenus in aliquem actum externum id,de quo agitur,prodire debet, neque ſolam ſufficere voluntatem id præſtandi, ſic in *Cap. Illo Relatum*, nequit præſentati expeditio pro beneficio expetente reſidentiam cum effectu prodeſſe cum ſolo propoſito reſidendi. Quod manifeſtè colligere mihi videor *ex Capit. Hæc autem verba de pœnitent. diſtinct.* 1. *laudato*, *Gloſſ. in Cap. Relatum modò citatum verb. cum effectu*, vbi voluntas ſtatuendi ad ſtatutum condendum minimè docetur ſufficere:neque voluntatem iniuriam inurendi abſque iniuriarum illatione puniri *Cap. Si quis mandante* 17. *q.* 4. *& ponderat Gloſſa Cap. modo citati*, *Hæc autem*. Quamobrem vt non ſufficit ad tallendam occulti rationem voluntas deducendi delictum ad forum contentioſum, ita deductio ipſa realis ad notorietatem à Tridentino requiſitam ſatis erit: & quamuis non videatur alicui obeſſe malum, niſi ad finem perductum *Arg. Voluntatem ſiue conatum non puniri ſinè effectu* Cap. *Cogitatio* 33. *de pœnit. q.* 1. *diſp.* 1. verùm omnia hæc, vt & alia iura,quę in Gloſſis afferuntur,atque ab Auctoribus explicantur,vt ad oculum patent,non de poſtremo fine, qui intenditur,ordine intentionis prior,vt cum Philoſophis,ac Thologis loquar,ſed de fine primario, ordine executionis, per quem voluntas iam primo mandatur externæ executioni, qui reſpectu finis vltimati,nempe probationis,& ſententiæ ſe habet vt medium,nimirum deductio, & relatio ad forum,in quo probandum, & puniendum eſt delictum. Quamobrem, vt hoc non ſit occultum,non requiritur, vt deducatur probetur,& ſententia puniatur, qui erat finis vltimus ad forum contentioſum deducentis, ſed ſatis eſt,vt non ſolum illud velit quis deducere,ſed cum effectu veræ deductionis per partis etiam intimationem,vt *num.* 23. diximus deducatur. Quod ſi non probetur,& abſoluatur, non modo remanebit,vt antea,occultum;ſed occultius: quemadmodum docuimus *num.* 33. *&* 31. *ſuperioris capitis*,ac deductio erit,velut ſi non fuiſſet, immo conducens ad occultiorem eius rationem: quo ſoluitur illud momentum ab auctoribus indicatum ſecundæ ſententiæ *num.* 26. *ſuperioris capitis* relatæ.

22 Colligo nono, probabiliora, & vſui ſatis accomoda eſſe corollaria deducta *ſuperiori capite num.* 34.

23 Colligo decimo, illegitimos natales, vt quoſcunque alios caſus ad forum fori deductos,nec non punitos,maxime publicos eſſe, iuxta noſtram ſententiam, *cap. præcedenti num.* 37. quamuis contrarium non iudicem improbabile, ex doctrina ibi *num.* 36. indicata.

24 Colligo vndecimo,ſi illegitimi natales in loco diſtanti publici fuerint,hic autem, vbi diſpenſatio petitur,vel deſideratur, ita ſint occulti,vt nullum periculum ſit publicationis,& occultos hic habendos eſſe,& non extra facultatem Epiſcopalem eos diſpenſandi, quemadmodum,& cæteros caſus, de quibus ſupra *nu.* 38. Ratio autem eſt, quia delictum, ſeu defectus ex delicto alicubi publicus, neceſſario,talis hic cenſendus non eſt, vbi aliqua tergiuerſatione cælari poteſt ſic probe *Auila part.* 2. *cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. *è ſalmaticenſibus Doctoribus,quos pariter ſequitur Sanchez lib.* 2. *ſummę cap.* 11. *num.* 20. *Confirmatur ex Durando in* 4. *diſt.* 18. *q.* 5. *in fine. Paludano ibidem q.* 6. *art.* 1. *num.* 3. quia non ex eo,quod quis publicè ſit excommunicatus in vno loco, talis cenſendus, eſt in alio, quicquid in contrarium indicet *Soar.* 4. *tom. in* 3. *part. de pœnit. diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 20. & quamuis idem non ſentiat *Sanch.* de delicto ad forum fori deducto in vno loco, quod in diſtanti ab Epiſcopo abſolui non poſſe docet *num.* 20. idque probabile ſit. Verum probabilius iudico poſſe, nam ſicut requiritur, vt delictum ſit occultum ita quod non ſit deductum:ſed notorium delictum in vno loco non cenſebitur notorium in alio,vbi non eſt periculum manifeſtationis,ergo delictum deductum ad forum contentioſum in vno loco cenſendum non erit tale in alio,vbi non eſt timor,vt deferatur.

Huius etiam loci eſt corollarium deductum *ſuperiori capite num.* 15. quod hic approbamus.

25 Col-

25 Colligo vltimo ex Romana Congregatione Concilij Tridentini apud *Soarium diſp. 41. ſect. 2. num. 6.* earum ſolum Diœceſum Præſules, quam diximus, facultate vti poſſe, in quibus Concilium Tridentinum receptum eſt, quia par eſſe debet conditio fauorum, & onerum: vbi ergo Concilij non admittuntur oneroſa, neque gratioſa, & fauorabilia cenſenda ſunt conceſſa.

CAPVT V.

An illegitimus ad vnam Eccleſiam diſpenſatus, habilis habendus ſit ad plures.

SVMMA.

Quæſtionis ſtatus num. 1.
Diſpenſatus ad vnum Epiſcopatum, non cenſetur diſpenſatus ad alterum num. 2.
Habilis factus ad omne beneficium, non cenſetur factus ad Epiſcopatum num. 3.
Diſpenſatus ad Epiſcopatum non habendus eſt diſpenſatus ad Archiepiſcopatum num. 4.
Ad cardinalitiam diſpenſatus dignitatem ad Epiſcopalem etiam cenſebitur num. 5.
Secus ad Epiſcopalem Cardinalitiam num. 6.
Diſpenſatio non ita ſe habet, ac pænitentia, neque vt legitimatio num. 7.
Legitimatus eſt habilis ad omnem dignitatem num. 8.
Legitimatus à Papa omnibus poterit ordinibus initiari num. 9.

1 CAſum habet inſcriptio manifeſtum in eo, qui in illegitimis natalibus diſpenſatus primo ad Cardinalatum, & Epiſcopatum vnũ, ex Ordinarijs, poſtea temporis decurſu primum retinens Epiſcopatum, alterum ex ſex Papæ ſuffraganeis cæteris ſenior optat, & clarius, vbi multarum Eccleſiarum cura vni Præſuli demandari per abuſum ſolet, non admiſſimo Tridentini Concilio. Ad hãc igitur, quam ab Auctoribus haud exagitatam inuenio, quæſtionem, noto vel Papam cum illegitimo diſpenſare, vel eum abſolute legitimare poſſe; quo conſtituto.

2 Primo in eam abire me non pænitet ſententiam vt credam ſi Papa tantum cum Epiſcopo diſpenſauerit, illum diſpenſatum ad vnam Eccleſiam, noua indigere diſpenſatione ad alteram: moueor ex *Cap. Si is qui: de fil. presbyt.* vbi expreſſè definitur, quod ei, cum quo in defectu natalium ad vnum beneficium tantum diſpenſatum erat, non ſuffragatur diſpenſatio ad alterum beneficium curatum, ex eo quod non manifeſtauit verum, defectũ natalium, ad quem noua indigebat diſpenſatione: probatur hoc è ratione in eodem textu adumbrata, quia veriſimile non eſt, pontificiam ſedem illegitimorum natalium affectum nota, quem aliàs, vt *initio huius libri* vidimus, abhorret, iteratis proſequi gratijs; id enim rationi conſentaneum non eſſe, quatuor de cauſis docet *Gloſſa verb. Defectum,* quas proſequuti ſumus loco citato. Prima ob ordinis prærogatiuam *26. diſt. cap. penult. & vltimo de exceſſib. prælat. in antiq. inter dilectos C. de dignit. neque famoſis lib. 12.* Secunda ob deteſtationem paterni criminis, quod punitur in filio, vt per id puniatur, vt patet *24. q. 3. Cum ergo §. vltimo.* Tertia propter incontinentiam paternam, quæ timetur in filio, iuxta illud ſæpe ſolet, ſimilis filius &c. *6. q. 1. Cap. Sunt plurimi §. verum.* Quarta propter illorum ſcandalum, apud quos promouetur; quæ omnes rationes neceſſitatem inducunt à fortiori nouæ diſpenſationis ad nouum beneficium, & Eccleſiam quod *ſequenti capite num. 17.* iterum confirmabimus Expreſſè hoc idem habet *Gloſſ. Reg. 15. Odia in 6. in expoſitione caſus.*

3 Illud equidem exploratum habeo, habilem redditum ad omne beneficium, non cenſendum eſſe ad Epiſcopatum vt docet *Cardin. poſt Pan Deluaz. in Clem. Ne in agro §. ſi quis in 4. q. de ſtat. monach.* nec diſcrepat *Felin.*
4 *conſ. 4. num. 2.* Vt nec etiam diſpenſatus ad Epiſcopatum cenſetur diſpenſatus ad Archiepiſcopatum, ſic ex Innocentio, & alijs idem *Felinus ibidem.*

Neque hic diſputo, num quando Pontifex cum aliquo ad Cardinalatum diſpenſauerit in illegitimis natalibus, cenſeatur ad quemlibet alium honorem, dignitatemque minorem diſpenſaſſe, eo vel maximè, quod neque per matrimonium ſubſequens ad Cardinalatum legitimantur illegitimi vt *diſp. 3. cap. 1. num. 16.* dictum eſt, quia exempli gratia, huius quæſtionis inſcriptionem, explicaui in caſu Cardinalis vnam habentis Eccleſiam in titulum, & alteram commendatam; quum difficultas independenter à Cardinalatu ſoluta ſit, in euentu duarum Eccleſiarum, quas vnus obtineret Antiſtes.

5 Caeterum vt neque hanc difficultatem prorſus ieiuni reijciamus, quamuis iudicemus verum, diſpenſatum ad maiorẽ dignitatem, nempe Cardinalitiam, per ſe loquendo cenſeri ad minorem, nimirum Epiſcopalem, iuxta dicta *lib. 1. diſp. 1. cap. 1. n. 13.* quia cui conceditur, quod magis, conceditur, quod minus eſt, vt ex *Cap. Ex parte de decim. notat Abbas num. 2.* & quod vni conceditur, vt poſſit promoueri ad dignitatem maiorem, videtur conceſſum, vt promoueri valeat ad minorem,

norem, vt *idem ibidem & Oldrad. conſ. 225.* &
cum contrariorum eadem ſit diſciplina, ne-
que ad minorem dignitatem diſpenſatus,
cenſetur ad maiorem habilis per *Abbatem
Cap. Vintonienſis, de elect. num. 8.* & diſpenſa-
tus ad dignitatem abſolutè dictam, talis non
videtur ad Epiſcopalem, vt probè idemmet
Auctor ibidem, atque in *Cap. Dilectus filius
num. 1. de conceſſ. præbend. & nos indicauimus*
6 *lib. 1. diſp. 1. cap. 1. num. 12.* Cum diſpenſatio
ſit ſtricti iuris, ſic è contra ad maiorem, cen-
ſebitur ad minorem etiam diſpenſatus; ve-
rùm cum non ſit quæſtio, quando ad vnum
quis aſſumitur beneficium, vel Eccleſiam, ſed
ad duas extenſiuè, idcirco igitur cum ſex illi
Cardinales, principes Epiſcopi ſint, mihi
probabilius videtur, quod ſi ad ſimplicem
Cardinalatum quis diſpenſatus eſſet, non vi-
deretur ad Epiſcopatum vnum è ſex iam
dictis, per ſe ſatis redditus habilis, ſed noua
indigeret diſpenſatione. Quod ſi ad Epiſco-
patum è ſex Cardinalitijs primo diſpenſa-
tus eſſet, certè cenſeretur ad alium reddi-
tus aptus ob rationes factas, quæ directè in
hoc caſu militant.

7 Obijcies contra præcipuum noſtræ con-
cluſionis intentum. Prima diſpenſatione, vel
natalium defectus expunctus eſt, vel non? ſi
hoc ſecundum; ergo nullum habuit diſpenſa-
tio effectum: ſi primum, non eſt, cur aliam aſ-
feramus neceſſariam diſpenſationem *l. Quod
ita ff. de aedilit. edict. diſt. 50. Cap. ferrum, &
Cap. Eam te de reſcript. in fine l. Queris ff. de
nat. reſt.* Reſpondeo *Gloſſ. Cap. Si qui de fil.
presb. l. citatum. Quod ita* cum loquatur de
morbo accidentali, qui facilius tollitur,
quam naturalis defectus, quia ille naturalis
eſt: *naturalia autem immutari non poſſunt 6.
diſt. §. vltimo & Gloſſ. Cap. Is quis de fil. presb.
in 6. verb. Sedis Apoſtolica Cap. ferrum* de
peccatis loqui, quæ vnica legitima pœniten-
tia delentur, & pœnitens ita nunc habetur,
ac antea non fuit; id eſt vt benè ibi *Gloſſa
Qualis non fuit*, & vt nouus homo: ſic & *Cap.
Eam te de reſcript. & l. Quaris* de plena lo-
quuntur reſtitutione, & legitimatione nata-
lium, de qua ſequenti aſſertione, quam hi
textus confirmant; & quum hæc habilitatio,
& diſpenſatio in particulari caſu ſit odioſa,
& ſtricti iuris, vt notaui *cap. 20. num. 2.* con-
ſtatque ex *Cap. Dudum il 2. de elect. vbi num.
15. Abbas*, non eſt cur adæquatæ legitimatio-
ni comparetur, ſed ita vnum concedit vt ad
cæteros fauores non ſe extendat; igitur pri-
ma diſpenſatio habuit effectum, habilitatem
ſcilicet ad vnam Eccleſiam, non autem adæ-
quatam legitimationem.

8 Aſſero ſecundo. Legitimatum vnam tan-
tum habentem Eccleſiam, non indigere di-
ſpenſatione ad alteram; nam legitimatio hæc
per reſcriptum, non ſecus ſe habet, ac per ma-
trimonium; neque dici poteſt ciuilis, ſed na-
turalis, qua quis ad primæuum reſtituitur
ius, penes quod omnes legitimi naſcebantur
ex *Auth. quo. mo. na. effi. ſuc. prope finem* neque
Abbate ſubſcribo in *Cap. Cum Vintonienſis
de elect. num. 8.* diſcrimen ponenti inter legi-
timationem abſolutam, & ad certas dignita-
tes; quam ſanè differentiam neque agnouit
Antonius ibidem; etenim vt nos *diſp. 3. cap. 1.
num. 2.* diximus, legitimatio eſt adæquata
quædam diſpenſatio, quæ ſicut penitus ille-
gitimorum delet natalium notam, ita reddit
illegitimum ad omnes honores aptum: ſicut
igitur legitimatus per ſubſequens matrimo-
nium, vt ibi docuimus, ad omnes aptus eſt
Epiſcopales dignitates, ita legitimatus per
reſcriptum, etenim, vt probè *citatus Antonius
per Abbatem num. 6.* notauit; lex viua non erit
9 minus potens, quam mortua. Confirmatur
quia legitimatus abſolutè à Papa non mino-
ribus modò, verùm etiam ſacris ordinibus
initiari poteſt, & parrochiale beneficium ob-
tinere quia, vt probè *Couarrubias in 4. Decre-
tal. par. 2. cap. 8. §. 8. & num. 5.* multum legiti-
matio à diſpenſatione differt, quoniam adæ-
quatam inducit habilitatem; ſubſcribũt *Gloſ-
ſa Cap. Ex litteris de fil. presb. Syluest. verb.
Clericus 1. q. 4. Auila de cenſ. 7. part. diſp. 3.
dub. 6. concl. 2. §. Maiolus; qui quidem lib. 1.
cap. 8.* immeritò in contrariam contra com-
munem abijt ſententiam.

CAPVT VI.

An illegitimus à Papa promotus ad Epiſcopatum cenſeatur legitimatus, vel diſpenſatus.

SVMMA.

Quæſtio diſputanda num. 1.

*Prima opinio aſſerens ſola promotione Princi-
pem ſupremum, in defectu etiam incognito,
cenſeri diſpenſare num. 2.*

*Subſcribunt nonnulli, quandò veriſimile eſſet
diſpenſaturum etiam Principem fuiſſe, ſi
defectum agnouiſſet num. 3.*

*Secunda ſententia oppoſita notitiam defectus
deſiderat in Principe, & eius expreſſionem
in litteris. num. 4.*

*Tertia ſententia docet, inhabilitatem iure hu-
mano inductam illius, qui ſcienter promo-*

netur, cenſeri Principem diſpenſare, tametſi nullam præmiſerit cauſæ cognitionem. num.5.

Cui incumbat probare ſcientiam Principis. ibidem.

Quomodo Principis ſcientia probanda ſit numero 6.

Non requiri clauſulam in litteris Principum ex certa ſcientia *ſentiunt nonnulli. num.7.*

Quod de Papa dicitur, hoc de alio ſupremo Principe, ex ſimili defectu, dicendum eſſe. ibidem.

Papa quem neſcit illegitimum non cenſetur diſpenſare. num.8.

Ni aliud ex litterarum tenore conſtaret. numero 9.

Error Papæ ſiue falſo putantis Titium legitimum, ſiue iam legitimatum, aut diſpenſatum tacitè obſtat diſpenſationi. numer. 10.

Idem eſſet, ſi oblitus, vel non aduertens eſſet inhabilitatis. num.11.

Papa ſciens, quem promouet in Epiſcopum illegitimum eſſe, etſi nulla præmiſſa cauſæ cognitione, cum eo tamen diſpenſare cenſetur. num.12.

Quando inhabilitas expreſſa eſt in litteris conceſſionis, præſumitur Princeps diſpenſaſſe. num.13.

Expenditur definitio diſpenſationis ibidem.

Impedimenti notitia præſumenda non eſt in Principe. num.14.

Impediti probare intereſt, notitiam proprij impedimenti fuiſſe in Principe. num.15.

In foro interno quomodolibet ſcientia Principi Impeditum promouentis innoteſcat, ſufficit. num.16.

In foro externo, vt ſcienter per promotionem cenſeatur facta diſpenſatio, defectus expreſſio neceſſaria non eſt. num.17

Pro eo tantum actu cenſetur diſpenſatus quis, ad quem Princeps admittit, non autem ad cæteros. num.18.

Si neceſſitate vrgente functionem alicui prohibitam iniungeret Princeps, cum eo non cenſeretur perpetuò diſpenſaſſe, numer. 19.

Opus non eſt, notitiam defectus probare per ea verba ex certa ſcientia. *num.20.*

In foro etiam externo, probabilius eſt, ſatis quidem eſſe quomodolibet ſcientia Principis innoteſcat. num.21.

Diſcrimen affertur inter clauſulam motu proprio, *&* ex certa ſcientia. *num. 33.*

Soluuntur rationes contrariæ num 23.

Explicatur textus Legis Barbarius, *num. 24.*

Expenditur doctrina aſſerens Diſpoſitum habebis, quod interrogatus teſtator, vel aduertens diſpoſuiſſet *num. 25.*

1 CVM nulla ſit verborum formula ad diſpenſandum tradita, quæcumque ſufficiés erit qua aperiatur animus diſpenſantis vt videre eſt apud *Rebuff. in pract. par. 2. tit. de diſpenſat. nu. 19 & Soar. de leg. lib. 6. cap. 13. num. 1.* ac alij paſſim: quæ cum ita ſint duplex agitanda, in præſẽti, quæſtio eſt. Prima, quando poſitiuè Papa admitteret, vel ad Epiſcopatum aliquem promoueret illegitimum, an hæc promotio ſignum eſſet aptum ad aperiendum animum, diſpenſare volentem? Poſterior, an ſola patientia, ac taciturnitas Pontificis videntis ac tolerantis in aliquo caſu ſufficeret? Primam hoc explicabit caput: ſecundam ſequens excipiet.

2 Prima opinio eſt aſſerentium, Summum Principem, vt ſunt Summus Pontifex, Rex, Reſpublica &c. Impedimenti etiam ignarum, aliquem impedimentum promouentem cum eo diſpenſare: ſic videtur indicare *Abbas cap. fraternitati de ſchiſmat. dum num 4.* Principem docet, haud adſtringi ad cauſæ cognitionem, ad quam tenetur quiuis Principe inferior; pro ſe citat *Innocentium cap. cum ad monaſterium de ſtat. Monachor* atque in hoc ſenſu loqui *legem Barbarius* ſentit.

3 Alij vero huic opinioni non abſolutè ſubſcribunt; ſed adhibita limitatione; tunc nimirum Princeps promouens ad aliquam dignitatem inhabilem, cum eo diſpenſare cenſendus, quando veriſimile eſt, fore, vt impedimenti conſcius cum eo diſpenſaſſet. Probatur primo ex *l. Quidam conſulebat ff. de re iudic.* indiſtinctè loquente. Secundo, quia cum ratio promouendi aliquem, virtus credenda ſit eiuſdem Promoti *l. Vnica verſ. credidit ff. de off. præf. præt.* rationi ſatis ſuperque conſentaneum eſt, fore vt Princeps etiam ſciens illud impedimentum diſpenſaret. Tertio textus *l. Barbarius ff. de off. præt.* rationem afferens, cur geſta à Barbario ſeruo, ignoranter creato Prætore, cuius incapax erat dignitatis valida fuerint, ait, *ſed etſi ſciuiſſet ſeruum eſſe liberum effeciſſet.* Quarto conceſſum cenſetur, quod vero ſimiliter de eo rogatus Princeps conceſſiſſet per Gloſſam citatæ *l. Barbarius verb. effeciſſet. Bart. l. 2. num. 2. C. ſi ſeruus aut libertus lib. 10. Imol. l. Qui conſulebat num. 6. Anancam Cap. 2. num. 6. de ſchiſmat.* quam ſententiam *Romanus* aſſerit eſſe communem *conſ. 216. nu. 7.* & in proprijs terminis de caſu noſtro, quando certo conſtat Principem conſcium diſpenſaturum, ſecus quando eſſet dubium *num. 8. Menoch. de præſumpt. lib. 2. præſump. 20. num. 23. & 26. Anton. Gabriel tom. 3. commun. lib. 1. tit. de præſump. concluſ. 8. num. 15.* ſicque diſpoſitum habetur, quod interrogatus

gatus teſtator, vel id aduertens diſpoſuiſſet ex *Gloſſa finali l. Tale pactum ff. de pactis, & multis laudatis Auctoribus docet Menoch. de præſump.lib.4.præſump.26.num.18.& 21. præſump.39 num.75.& præſump.75. num.5. necnon 67. num. 8. Mantica de coniect. vlt. vol.*

4 Aliorum ſecunda in ordine ſententia eſt relatæ penitus oppoſita, docentium modò notitiam defectus in Principe illum diſpenſante requiri, ſed in litteris expreſſam vitij mentionem deſiderari per his ſimilia; *Volumus tali illegitimo prouideri*, ſic *Felinus cap. Nonnulli num.12.verſ. ad idem optimè facit in fine de reſcriptis,& Cap. ſi quando num. 6. verſ. conſideratione tertia eodem titulo, & alij quos refert Ant. Gabriel 3.tom. comm. lib. 1.titulo de præſump. concl. 8. num. 2.*

5 Tertia ſententia communior habet, Summum Principem ſcienter promouentem Inhabilem ex impedimento à iure humano inducto, vt eſt defectus illegitimorum natalium, præſumi animum habere conferendi diſpenſationem, quam de facto tradere cenſetur, etſi nullam præmiſerit cauſæ cognitionem. Addunt tamen Principis ſcientiam de hoc defectu minimè præſumi, vt pote quid facti. Quare onus eam probandi impedito incumbet, ita præter Auctores infra citandos *Felin. Cap. Præterea num. 9. de teſt. cogend. Gramatic. conſil. ciuilib. conſ. 48. ad finem* Sanch.*lib.8.de mat.diſp.4.num.3. & alij quos idem citat num. 5.*

6 Horum nonnulli hanc Principis ſcientiam ſentiunt non alio modo probari poſſe, quam ex clauſula in litteris inſerta promotionis *ex certa ſcientia*, itaut neque teſtium probatio aliquid ad negotium ſine illa conferat. Ratio eſt, quòd aliquid proprio Principis motu præſtitum eſſe teſtibus minimè probari poteſt, ſed è ſola clauſula *motu proprio* in litteris addita, vt expreſſis deciditur verbis *Cap. Si motu proprio de præbend. in 6. fauet Gloſſ. Clem. 2.in fine de reſcript. & Cap. ſtatutum in principio verb. litterarum in fine de reſcript. in 6. ac tradunt Bartol. l. finali num.4. verſ. ſed contra hoc in fine C. ſententiam reſciudi non poſſe Imola l. finali. col. 4. num. 1.in fine ff. à quibus appell. non licet, & alij apud Anton. Gabriel tom. 3. commun. libr. primo tit. de præſcript. concluſ. 8. num. quinto.*

7 Alijs placet non eſſe opus clauſulam addere *ex certa ſcientia*, ſed hoc ſolum ſatis eſſe. ac neceſſario requiri, quod ex litterarum tenore, atque ex facti narratione conſtet, talem promotionem in caſu noſtro è vera Pontificis ſcientia factam eſſe, ſic *Abbas cap. Cum in cunctis* §. *Inferiora num.8.de elect.* contrarium ſentiens in Epiſcopis, & cęteris Summo Principe minoribus promouentibus, & *cap. Ad hæc num.7. de reſcript. cap. Nonnulli eodem, & Clem. 2.in fine de reſcrip. Decius cap. Ad hæc de reſcript. citato num. 5.*

Vt meam proferam de hoc impedimento ſententiam, quod de illo ſermonem habiturus, vt à Summo Pontifice diſpenſando, dictum etiam volo de quocunque ſimili impedimento iuris humani, ac de ſimili Summo Principe, nè hoc idem ſæpe iterare ad faſtidium opus ſit, quid vero ſentiendum de alijs Inferioribus, cum ſummam habeat cum hac quæſtione affinitatem, & ad facultatem Epiſcopalem maximè faciat, in ſecundum ac tertium tomum reijcitur, vbi quæremus An Epiſcopus ad ordines promouens aliquem irregularitate ligatum, in qua poteſt diſpenſare, cenſeatur cum eo diſpenſaſſe? & alibi.

8 Sit prima aſſertio. Papa illegitimum, quem neſcit talem eſſe, ad Epiſcopatum promouens non cenſetur diſpenſaſſe, ni conſtaret è promotionis verbis talis fuiſſe animi, vt Promotum quouis prorſus impedimento liberum reddere vellet, ac legitimare. Prima pars eſt communior, paucis illis, quos *num.* 2. retulimus, Auctoribus exceptis: habeturque in *Gloſſ. Cap. 2. Diſpenſatum de ſchiſm. vbi Io. Andr. num.4. Anconit. num. 3. Abbas num.4. & locis infra citandis pro alijs concluſionibus Card. num. 1. q. 1. Bartol. l. Barbarius num. 12. ff. de off. præt. ibi Iaſon num. 14. & alii quos laudat, ac ſequitur* Menoch. *de præſcrip. lib.2. præſump. 20. num.24. & 25. Cacet. 2.2. q.104. art.5 ad finem Henriq de excomm. cap. 13. num.3. Azor lib.5. inſtit. moral. cap. 15. q. vlt. qui probè notat etiam in foro conſcientiæ, & ex eo Sanch. lib.8. de mat. diſp.4. num.11. Soar. de leg. lib.6. cap.3. num.24. hanc ſententiam veram eſſe atque è Summiſtis Roſella verb. diſpenſatio num.6. vbi* Ang.*num.12.* Sylueſt.*q. vltima.* Ratio autem, eſt quia diſpenſatio vim habet è ſolo voluntario Principis conſenſu; ſed hic in eo ignorantia illius impedimenti laborante eſſe non poteſt; ergo &c. Huius argumenti maior propoſitio euidens eſt: minor probatur, quòd illa ignorantia impepimenti, quam eſſe ſupponimus in Diſpenſante, antecedens eſt, ac proinde reddens actum promotionis non ſimpliciter, ſed quatenus includentem diſpenſationem defectus, qui ignoratur, inuoluntarium: qua enim ratione ſine notitia defectus, qui eſt id, circa quod verſatur, declaratum per circumſtantiam *quid* ſubſtantialiter acceptam, vt ab Ariſtotele traditam, poterit ipſa diſpenſatio voluntaria eſſe? Cum voluntarium ex eodem *Philoſopho 3. & hic cap. 1.* Gregor. *Nyſſeno vel Nemeſio lib. 5. de Philoſophia cap.3. Damaſceno lib.3. fidei ortod. cap. 24. Diuo Thoma*

1.2. *q.*1. *art.*1. ſit à principio intrinſeco cum cognitione ſingulorum, ideſt circunſtantiarum, in quibus actio conſiſtit; igitur deficiente notitia defectus diſpenſandi, actus diſpenſationis voluntarius eſſe non poteſt. Confirmatur, quia nõ poſſumus ſaltẽ humano modo aliquid velle, quod nobis incognitum ſit, nec quæ à noſtra pendent libertate, poſſunt fieri, quin ea velimus. Nec ſufficit fore vt vellet diſpenſare Princeps, ſi ſciret; quia vt ſic hæc ignorantia cõcomitans eſt, quæ tametſi actum contrariè inuoluntarium non faciat, quia licèt adfuiſſet cognitio talis impedimenti, adhuc in illo diſpenſaret Princeps, neque ei diſpliceret; facit tamen negatiuum inuoluntarium, ideſt non voluntarium, quapropter actus ille diſpenſandi voluntarius non erit. Hanc autem doctrinam ſuppono certam tum ex Philoſopho laudato ita ibi ſcribente *Qui cum ex ignoratione quippiam egerit, factum minimè egrè fert, is ſane neque ſpontè egit id, quod ignorauit: neque inuitus cum non doleat*: atque ex *Diuo Thoma* 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. & alijs. Confirmatur, quia conditionalis nihil ponit in eſſe: quare licet eſſet diſpenſaturus Princeps, ſi ſciuiſſet illud impedimentum, cum talem non habeat ſcientiam, nec dicetur facere diſpenſationem, quæ ex ea pendebat, quod conſenſu Theologorum exploratum eſt.

9 Si autem ex promotionis ipſius verbis animus innoteſceret Principis abſolutè contendentis, ita cum Promoto agere, vt eum à quolibet impedimẽto liberum voluerit reddere; tunc, vt probant allata argumenta *num.* 3. & à fortiori volunt Auctores illius ſententiæ, cenſendus eſſet Princeps ea promotione, vt apertis expreſſa verbis, cum Promoto diſpenſaſſe; in quo ſenſu non ab extrinſeco ſolùm, ob Doctorum auctoritatem, pro ea ſententia laudatorum; ſed etiam ab intrinſeco illam eamdem cenſeo probabilem, quam vt ſic limitatam amplector.

10 Ex his colligo, non modo errorem Papæ, qui quempiam promonens exiſtimauit habilem ad Epiſcopatum, huic tacitæ obeſſe diſpenſationi præſumendæ, ſed errorem etiam, quo conſcius impedimenti, cum illo falſo putabat iam eſſe diſpenſatum, verbi gratia in noſtro caſu, ab anteceſſore Pontifice, ob eandem rationem, quòd perinde hoc eſſet, ac ſi illum habilem exiſtimaſſet: deducere id mihi videor ex *Bellamera Cap. Veniens num.* 8. *de fil. presb. & alijs apud Menochium lib.* 2. *de præſump. præſump.* 20. *num.* 35.

11 Colligo ſecundo ex *Maiolo lib.* 5. *de irreg. cap.* 51. *num.* 8. *Sanch. lib.* 8. *de mat. diſp.* 4. *numer.* 12. idem eſſe dicendum, quando Princeps inhabilitatis oblitus, vel non aduertens inhabilem promouiſſet, ob idem, quod ſupra tradidi, fundamentum.

12 Secunda concluſio. Pontifex ſciens quempiam eſſe illegitimum, promouenſque ad Epiſcopatum eum eo cenſetur diſpenſare, quamuis cognitionem cauſæ non præmiſerit. Eſt communis Doctorum ſententia, vt diximus *num.* 5. quam ſequitur *Abbas in, terminis Cap. Innotuit de elect. num.* 7. *& Cap. Fraternitati de ſchiſmate nu.* 4. *Bart. in Repet. legis Barbarius ff de offic. præt. Olderas conſ.* 325. 326. 327. *&* 328. *& quotquot Auctores idem docent de Superioribus Principe inferioribus, quos citat, ac ſequitur Sanch. lib.* 8. *de matrim. diſp.* 5. *num.* 17. *quibus ſubſcribit Soar. de leg. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 23. quorum rationes ſequenti tomo à nobis afferendæ, ad minimum hoc de ſupremo Principe probant. Confirmatur præterea ex his, quæ *cap.* 1. *diximus num.* 7. nam ſi ad valorem diſpenſationis Papæ in aliqua irregularitate, nulla requiritur cauſa, neque cauſæ ipſius cognitio ſanè deſiderabitur ſed ſatis abundè erit, ſuppoſita notitia impedimenti diſpenſandi deſiderata ad voluntarium conſenſum diſpenſationis; quem habere merito præſumitur Princeps, impeditum ſcienter promouens, vt apertè dicitur in *l. Barbarius citata*, cuius poſterior caſus eſt, quando Populus Romanus ſeruitute detecta Electi in Prætorem, conſentit eum prætura fungi, tunc enim decidit textus geſta illius Prætoris valere, quod videatur, ex vi illius conſenſus, Populus Romanus Prætori ſeruo libertatem donaſſe, *vt probè Aymon conſ* 98. *lib.* 5. *explicat*: probatur præterea ex *l. Quidam conſulebat in fine ff. de re iudic.* vbi dicetur Principem Minori Magiſtratum conferentem in minoritate cenſeri diſpenſaſſe.

13 Hinc quando inhabilitas expreſſa fuit in litteris promotionis præſumitur Princeps diſpenſaſſe, & habilem Oratorem reddidiſſe, ita *Oldradus conſ.* 328. *num.* 3. *&* 329. *num.* 2. *alijq; quos ſequitur Menoch. lib.* 2. *præſump.* 20. *nu.* 10. *in Calderinum contrarium ſentientem.* Ratio autem, qua videtur lex inniti, eſt, quia Princeps, nec pugnantia præcipit, neque iniqua iniungere præſumitur, vel actum facere inualidum; ergo cenſendus eſt ſcienter præcipiendo, promouendo vel concedendo, tollere impedimentum. Confirmatur, quia qui formam inducit, cenſetur præmittere diſpoſitiones, & qui dat poteſtatem trahit ad illam etiam neceſſaria: in illo igitur actu poſitiuo promotionis, conceſſionis, vel iuſſionis, virtualiter includitur diſpenſatio, vt probè indicat *Soarius citatus.*

Obijcies, diſpenſatio, ex *Gloſſa Cap. Requiſitis* 1. *q.* 7. §. *Niſi rigor, eſt iuris communis relaxatio, facta cum cauſa cognitione ab eo qui poteſtatem habet diſpenſandi*; ergo,

ni

ſi præcedat cauſæ cognitio, non pateat dari diſpenſatio. Reſpondeo ex *Abbate Cap. Fraternitati de ſchiſm. num. 5.* definitionem allatam, diſpenſationis eſſe ſpectantis potius ad Principes inferiores; verùm quia in allato textu expreſſa ſit mentio diſpenſationis *Gelaſii Papæ*, aio, nomine cognitionis ibi intelligere *Gloſſam* cauſæ, ideſt impedimenti notitiam: deſumo id ex *Angelo verb. diſpenſatio num. 12. Sylueſt. verb. diſpenſatio q. vltima Suarez lib. 6. cap. 13. n. 16. nec diſcrepat Bald. l. Barbarius citata num. 8.* Deinde dico cum *Sanch. lib. 8. de mat. diſp. 1. num. 2.* definitionem modo relatam eſſe diſpenſationis non ſolum validæ, ſed licitæ, quare diſpenſationis eſſentia, potius hac explicanda eſt definitione. *Iuris relaxatio ab habente poteſtatem facta*, quam ex multis affert. *Soar. de leg. lib. 6. cap. 10. num. 7.* ac merito illam expunxerunt particulam *cum cauſæ cognitione Bart. conſ. 18. volum. 2. Decius Cap. At ſi clerici de adult. Oldrad. conſ. 327 Quamobrem citatus Soarius* neque in conſcientia, neque in foro externo iuridicam cauſæ cognitionem requiri probè docet *Poſſet huc adduci Clem. vltima de ſent. excomm. ſed in ſequenti capite num. 8. expendetur*.

14 Tertia concluſio Impedimenti notitia haud præſumenda eſt in Principe *ſic Abbas Cap. In cunctis §. Inferiora num. 8 de reſcript. Imola Clem. 2. in fine eodem, & Auctores laudati num. 5.* Ratio eſt, quia notitia hæc eſt quid facti, & perconſequens, vt ſæpe diximus, non præſumitur.

15 Colligo ex hac aſſertione impedito, ſeu inhabili onus probandi incumbere, ſui notitiam impedimenti fuiſſe in Principe promouente; cum fundamentum ſit ſuæ intentionis allegantis, ſecum per promotionem diſpenſatum fuiſſe, ita *Sanch. citatus num. 3. & alij laudati num. 5.*

16 Quarta cõcluſio. In foro interno ſatis eſſe quomodolibet innoteſcat Principẽ promouentẽ impedimenti cõſciũ eſſe, vt ex ea promotione eius deducatur animus diſpẽſandi, *ſic Sylueſt. verb. diſpenſatio in fine, & Sanchez citatus num. 7. fauentque auctores à nobis laudati num. 3.* Itaque ſecurus erit in conſcientia illegitimus promotus, ſi probabiliter nouerit quomodolibet Papam illegitimos ſuos natales ſciuiſſe. Ratio eſt, quia hic forus, qui ſolum reſpicit veritatem, nullam, ea conſtante, poſtulat probationem.

17 Sexta cõcluſio, Vt hæc promotio ſciẽter facta cẽſeatur in foro externo, nõ poſtulat neceſſario vitij expreſſionẽ, habitã in litteris, quod eſt contra Auctores *num. 4.* relatos; nam mea quidem ſententia, hoc eſſet extra chorum ſaltare; etenim hic inquirimus, an ſola promotione inhabilis perſonæ ad aliquam dignitatem, cenſeatur cum ea diſpenſatum? vbi vero expreſſa vitij, & diſpenſationis mentio haberetur, in re propoſita non verſaremur. Eſt autem hæc concluſio *Bartoli in l. Barbarius num. 12. ff. de officio præt. & in l. 2. num. 2. C. ſi ſeruus, aut liber ad decur. aſpor. Bald. in l. imperialis §. ſimilis C. de nupt. ſubſcribunt Ant. Gabriel. 3. tom. comm. lib. 1. tit. de præſump. concl. 8. num. 3.* etiam in Principibus inferioribus diſpenſantibus, *Menoch. de præſump. præſump. 20. num. 7. Sanchez laudatus num. 8. alijſque apud citatum Menochium*.

18 Ex his colligo vt promotio tacita cenſeatur diſpenſatio, ad eum ſolum actum illam referendam eſſe, ad quem Princeps ſcienter impeditum admittit: ſic illegitimus diſpenſatus ad ordines, ad alia non cenſebitur diſpenſatus; quod conſentaneum eſt doctrinæ præcedenti capite traditæ, aſſertione prima, & confirmatur, quia diſpenſatio expreſſa, vltra actum non extenditur expreſſum *Cap. 1. de fil. presb. in 6.* ergo à fortiori neque tacita.

Quemcumque igitur operetur effectum Reſcriptum ad alium extendendum non eſt, ex *Rebuffo in praxi beneficiorum tit. de diſpẽſat. num. 8. Oldrad. conſ. 332. num. 8. Prob. additione ad Monachum cap. vnico num. 5. de ætate, & qualit. Ant. Gabriel 3. tom. comm. lib. 1. tit. de præſump. concl. 8. in fine Menoch. præſumpt. 27. num. 37. Sanch. lib. 8. de mat. diſp. 4. num. 10. ex Cap. Non poteſt de preb. in 6. adiuncta Gloſſa finali* deducente ex eo ſufficere, vt clauſula ſuum ſortiatur effectum, neque alium eam inducere poſſe; atque ita caſus *Clementinæ Vltimæ de ſent. excomm.* exponendus eſt, vt licitè Pontifex voluerit illa fieri, quin, vel excommunicatum abſolueret, vel dignitatem ei appellatione conferret. Secus autem eſſet, ſi legitimaretur illegitimus, vt præcedenti capite *num. 7.* docuimus.

19 Colligo ſecundo, ſi neceſſitate vrgente, Princeps inhabilem ad vſum ordinum, ob ſuſpenſionem verbi gratia, præciperet, vt ordinem exerceret, non cenſeri cum eo perpetuò diſpenſaſſe; ſed ad tempus illius neceſſitatis, ſic ex *Bartolo, & Ruino docent Ant. Gabriel laudatus num. 20. Menoch. citatus num. 36. & conſ. 178. num. 56. alias tertio, Sanch. laudatus num. 9.*

20 Septima concluſio. Opus non eſt, vt notitia defectus in Principe promouente probetur per ea verba litterarum, *ex certa ſcientia*. Eſt contra Auctores *num. 6.* relatos. Ratio eſt, quia dicta clauſula, vel vt comparata ad extrinſeca ignorata nihil operatur; ſed tantum quo ad ea, quæ expreſſa ſunt in litteris, quis enim dicat, ex eo quod ex certa ſcientia dicatur Titius promotus, ob id præſumi Principem promouentem, omnia Titij vitia noſ-

ſe?Sic Felix.Cap.Cum inter num.5.verſ. intellige bene de exceptione: Menoebius de præſump.lib.2.præſump.20.n.3.Sanch. lib.8. de mat.diſput.4.n.6.vel quia licet prędicta clauſula procedat in his,in quibus Princeps præſumitur habere notitiam, ſicut ea, quæ ſunt iuris;ſecus tamen eſt in his,quæ præſumitur ignorare,vt ſunt ſtatuta locorum, conſuetudines,& facta;qualis eſt caſus noſter; quia in tali caſu nihil operatur,vt docet Bald.in l.finali colnmn:2.verſ.dicat etiam C.ſententia reſcindi non poſſe, & ſequitur Alexander conſ.125. verſ. viſo titulo quæſtionis in fine lib.11. Paulus de Caſt.conſ.159.Abbas in cap. Poſtulaſtis §.Preterea num.5.de off.delegat.Andreas ſicul.conſ.13. col.7. lib.3. Decius Cap. Ad hæc ſnmus num.5.de Reſcriptis.

21 Octaua concluſio.In foro etiā externo ſatis eſt vndecūq; ſcientiā Principis innoteſcere de impedimento, in quo per promotionē ille cēſetur diſpenſare, ſentio ex parte cum Auctoribus relatis nu. 7. & cum multis citatis à Menoch. de præſump. lib. 2. præſumpt. 20. num.7.cum eodem Menochio Staphileo de litt. grat. tit. de effectu clauſula §. Quinto motus proprius in fine Maſcard. de probat. concluſ. 845.nu.23.Suar.de leg.lib.6. cap.16.num.25. Ratio eſt,quod nullus ſit textus ſpecialem præſcribens probationis modum huius ſententiæ Principis;quamobrem qualiſcumque opportunus ſufficiens erit, quo cetera ſpecialem probandi rationem, iure non poſtulante, probari poſſunt. Neque obſtat Cap. Si motu proprio à Contrarijs num.6.allatum; etenim negamus paritatem inter clauſulam motu proprio, & clauſulam ex certa ſcientia; eſt enim illa probatu difficilior;nam vt probè ex AEgidio notat Staphileus de litt. grat. tit.de effectu clauſula §. ſubſequenter ſtatim in principio num.14.clauſula motu proprio vnam inuoluit non coarctatam negatiuam,nullum ſcilicet,nunquam ſuper hoc Pontifici ſupplicaſſe, quæ probatu impoſſibilis eſt l. Auctor C. de probat. Cap. Quoniam contra eodem tit. & nequit aliter probari, quam per litteras ipſius Principis aſſerentis, ſe proprio motu ductum id præſtitiſse. Vnde ad rē Gloſſ.cap. ſi motu verb.expreſſe,quaſi afferens rationem textus, Quid enim,ait, ſcimus,forte Papa ante annum rogatus fuerat pro illa? Clauſula vero ex certa ſcientia nullam negatiuam, ſed mere affirmatiuam claudit, ſic ex multis Menoch.de præſ.lib.2.præſ.20.num.7.Maſcard. de probat.conc.845.n.23.Staphil.laudatus eodem tit.§.5.motus proprius,in fin.Addo Principem ad aliquid motu proprio,& non alienis precibus,vel impulſu impendi, arcanum eſſe cordis,quod alias,ipſo non teſtante,ſciri non poteſt; è certa vero ſcientia aliquid facere cum non obſtet,an à ſe, an ab alio hanc notitiam habuerit Princeps,varijs modis innoteſcere poteſt.

23 Ad primum,& ſecundum argumentum pro prima ſententia num.2.allatum.Reſpondeo quæcunque fuerit ratio Principem mouens ad promouendum aliquem, voluntariè cum eo diſpenſaſſe non cenſebitur, niſi impedimentum agnouerit, quod diſpenſatione obliterandum erit.

24 Ad tertium reſpondeo ex Gloſſ. ibi verb. effeciſſet ſenſus enim illorum verborum eſt. ſi populus Romanus ſciret eum eſſe ſeruum, permittens eum fungi officio Prętoris, eum liberum effeciſſet, ne geſta irrita fieret, vnde quamdiu ignorat, voluit geſta valere propter communem vtilitatem. Itaque ſolus Principis error exiſtimantis eum eſſe habilem, niſi communis intercedat error populi, minimè ſatis erit ad actuum validitatem; optimè ergo Anton cap.Veniens num.7. de fil. preb. & ibi Abbat num. 7. docent Principem ignoranter promouentem inhabiles minimè cum eis diſpenſauiſſe cenſeri, niſi communis eſſet error,quo intercidēte,talis promotio pro diſpenſatione haberetur,quo ad geſtorum valorem,quem ſenſum citata l. Barbarius dant hi auctores,& proſequemur 3.tom,agentes de poteſtate impedita Præſulis.

25 Ad quartum negamus doctrinam illam vniuerſaliter traditam veram eſſe; cum voluntas corde retenta,nihil operetur, niſi in diſpoſitionem tranſeat;in eo igitur caſu eam admittimus,quando è teſtatoris, aut diſponentis verbis,ita conſtat,vt dici poſſit,non omnino illud,de quo agitur, prætermiſſum, ſed tranſiſſe in diſpoſitionem, vt cum Baldo l.vnica num.10.in fine C. de his qui ante apertas tabulas,& Ruino conſ.74.num.11. lib.1. ac eruditè docet ex multis alijs Mantic.de coniect. vlt.volunt.lib.3.tit.16.n.5.& 6. Menoch. de præſump.lib.4.præſump.35.num.20. Quamobrem directè pro noſtro caſu dico cum Sanch.lib.8.de mat.diſp.4.num.11.non cenſeri cōceſſum, quod veriſimiliter Princeps rei conſcius conceſſiſſet,niſi quando ex conceſſionis verbis, eam eſſe concedentis mentem conſtaret, quod nobis placuit num. 8. in fine.

CA

CAPVT VII.

An ſola conniuentia Superioris, ſubditum videntis impeditum iure, quod poteſt diſpenſare, exercere ſibi interdicta, cenſeatur diſpenſatio.

SVMMA.

Quæſtionis ſtatus. num.1.

Prima Theologorum ſententia docet, Summum Principem videntem, & conniuentem cenſendum eſſe diſpenſare. num.2.

Secunda Iuriſtarum negans. num.3.

Difficultatis nodus exponitur. numero 4. & 5.

Solus ſuperioris conſenſus videntis fieri contra ius non eſt ſufficiens ſignum diſpenſationis. num.6.

Nominatio excommunicati, & cum eodem communicatio Pontificis non cenſetur eiuſdem abſolutio. ibidem.

Silentium conniuentis ſuperioris poteſt aliquãdo eſſe licitus, aliquando illicitus. numero 6. & 7.

Parochus, qui alioquin probiberet, videns aſſiſtentem clericum matrimonio perſonarum ſua parœcia, ac tacens, conſentire videtur. num.8.

Regula vniuerſalior ad ignoſcendum, quando tacens conſentire videatur. num.9.

Silentium Principis ex imminenti periculo, vel damno cauſatus arguit diſſenſum. numero. 10.

Eius intereſt, qui laborat defectu, probare ratihabitionem Principis. num. 11.

Ratihabitio de præſenti ad eum ſolum ſufficit actum, ad quem habetur. num.12.

Neque in foro conſcientiæ ſola taciturnitas diſpenſationem arguit. num.13.

Ratihabitio de futuro non ſufficit ad propriam diſpenſationem, neque ad licitè contra legem operandum. num.14.

Ratihabitio de futuro ad iuriſdictionem conferendam ſatis non eſt. num.15.

Validè nullus abſoluit ſub ratihabitione conſenſus ſuperioris de futuro. num.16.

Idem eſt de ſacerdote alicui matrimonio aſſiſtenti, ibidem

Explicatur regula Ratihabitionem retrotrahi, & mandato æquiparari. *num.17.*

Difficultas excuſandi Religioſum ſub ſola ratihabitione de futuro aliquid accipientem, vel alienantem. num.18.

Aſſertur ſolutio Sanchez ſupra relata, numero 19.

Reijcitur. num.20.

Aſſeretur Soarij ſolutio, & in eam obijcitur. num.21.

Vera ſolutio. num.22.

Ratihabitio de præſenti, alijs ſignis, quàm ſola taciturnitate expreſſa ſufficit ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad licentiam faciendam Religioſo, ne peccet contra paupertatem. num.23.

Quæ ſint ratihabitiones de præſenti requiſitæ. num.24.

Si poſt dimidium confeſſionis, quam cum alieno ſacerdote quis facit, adueniens Parrochus eam approbet, tenetur adhuc pœnitens eam confeſſionis partem iterare. nu. 25.

Quomodo peccet Sacerdos ſine facultate excipiens confeſſionem, & quomodo pœnitens ſciens, & volens illi confiteri remiſſiuè. num.26.

Ratihabitio de præſenti non ſola taciturnitate ſignificata ſatis eſt, vt alienus Sacerdos matrimonio interſit. num. 27.

Valida eſt collatio beneficij à Vicario facta, cui ſpecialis erat reuocata licentia conferendi, ſi Epiſcopus collationem ſciens conniueat. num.28.

Quando procuratoris reuocati acta valeant. num.29.

Sola ſuperioris taciturnitas potentis, & nolentis contradicere non eſt ratihabitio de præſenti. num.30.

Solum ſilentium neque arguit delictum Prælati, neque approbatum ſubditi factum. numero 31.

Hæretici, ac hæreticorum filij excluduntur ab Epiſcopatu. num.32

1 IN cęteris materijs euidentes inſcriptio habet caſus, vt ſi Pontifex, vel Epiſcopus Irregularẽ videat celebrare, vel impedimentum habentes contrahere matrimonium, & ſic in cæteris, in quibus, & tacet, & patitur ea fieri, ad quæ inhabilis eſt ſubditus; at verò in noſtra, cum Epiſcopi vel eligantur, promoueanturque, vel approbentur, & confirmentur à Summo tantum Pontifice, in eo ſolum videtur euentu, locum habere, quando Papa Cardinalem illegitimum, cum quo ad Cardinalatum iam diſpenſatum eſſet, optantem videret Epiſcopatum vnum è ſex cardinalitis, quem noua indigere diſpenſatione probabilius dictum eſt *cap. 5. num. 6.* & tamen patienter tacendo conniueret, an tunc cenſeretur hoc ſilentio, & conniuentia cum eo dipenſare? Ex hac autem principibus quæſtionibus accomodata doctrina, quid de alijs ſentiendum ſit ſecundo Tomo diuina ope vberius dicemus, cuius funda-

mentum

mentum *numero 5.* infra, vt præſenti neceſſarium inſtituto ponemus.

His in hunc modum conſtitutis in duas Auctores abiere ſentẽtias, quaſi regulas ſecuti duas penè oppoſitas, quas infra perpendemus, canonici iuris, alteram 43. *in 6. Qui tacet, conſentire videtur*, alteram 44. *eodem Is, qui tacet, non fatetur, ſed nec vtique negare videtur*.

2 Prima igitur eſt communis Theologorum opinio affirmans ſummum Principem videntem, & conniuentem, diſpenſare, ſic *Paludan. in 7. diſt. 38. quæſt. 4. art. 4. concl. 2. num. 39. vbi ſupplementum Gabrielis quæſt. 1. art. 5. dub. penult. verſ. de modo, & forma Diuus Antoninus 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. notab. 2. & alij quos laudat, ac ſequitur* Sanch. *lib. 8. de mat. diſp. 4. num.* 26.

3 Secunda opinio eſt Iuris Conſultorum id negans *Gloſſ. Clement. finali, verb. approbare de ſententia excommunicationis, & ibi Cardinal. in fine. Anchar infra Imola num. 9. Boniſac. num. 51. Innocent. cap. Veniens num. 3. de fil. presbyt. & alij quos laudant, & ſequũtur Gabriel tom. 3. commun. libr. 1. tit. de præſump. concl. 8. num. 18. Menoch. de præſump. lib. 2. præſ. 20. numero 32. quibus ſubſcribunt è* Theologis *Sayrus theſau caſ. tom. 1. lib. 7. cap. 14. num. 16. nec non Manuel lib. 5. de irregul. cap. 51. num. 8. Suarez de leg. lib. 6. cap. 13. numero 21. quo ad forum externum*. Hanc autem opinionem in eo ſenſu amplectitur *Abbas cap. Veniens de fil. presb. num. 7. 8. & 9.* vt quædam doceat indigere diſpenſatione; quædam abſolutione, ad quæ omnia actus hic merè paſſiuus, vel negatiuus taciturnitatis ſuperioris videntis, & conniuentis non ſufficiat; quædam demum tantum approbationem deſiderare, quam in ſuperiore ſufficiẽter cenſendam eſſe putat, cum de ipſius animo quouis modo etiam per ſilentium, & conniuentiam conſtet, etſi abſolutè huic videatur ſubſcribere ſententiæ *cap. Nonne bene de præſump.*

4 Ego verò in eo hanc difficultatem eſſe iudico, vt explicem, an conniuentia hæc aliquando ſatis ſit ad animum, & conſenſum ſuperioris diſpenſantis declarandum, nec ne? etenim cum diſpenſatio, vt *ſuperiori capite num. 21.* indicauimus, iuris ſit relaxatio ab habente poteſtatem facta; includatque tum internum diſpenſandi actum ſpiritualem, tum externam ſignificationem, quæ dicitur forma diſpenſationis, vt infra vberius dicemus, & ſicut ſupra vidimus poſitiuam promotionem alicuius impediti ex notitia talis impedimenti factam à Principe, eſſe formam manifeſtatiuam conſenſus, & animi Principis volentis diſpenſare, ita in præſentia inquirendum, an conniuentia iam explicata hanc rationem ſigni, & formæ diſpenſationis habeat ſufficientem?

5 Præterea tametſi in noſtro caſu Papa diſpenſans per conniuentiam in impedimento illegitimorum natalium, & Eccleſiaſtico quidem iure inducto, vt Summus Princeps in iure ſuo diſpenſaret; ad vberiorem tamen doctrinam, quæ nobis toto hoc tractatu ſæpius vſui erit, adnotaſſe operæ pretium eſt, eandem militare rationem hac in re de diſpenſatione tacita Principis in iure ſuo, ac inferioris in iure ſuperioris ex *Palud. in 3. diſt. 38. quæſt. 4. art. 4. conc. 2. Anton. 2. præcept. tit. 11. cap. 2. §. 9. Angel. verb. diſpenſatio nu. 12. & alij quos citant, ac ſequuntur Sanchez lib. 8. de mat. diſp. 4. num. 15. Suarez de leg. lib. 6. cap. 13. num.* 13. nam eſto concedamus ad validam diſpenſationem iuris ab eo ſanciti, qui diſpenſante ſuperior eſt, iuſtam deſiderari cauſam, quæ ad validitatem diſpenſationis in iure a ſe, vel ab inferiore lato non requiritur, hoc tamen impertinens eſt ad hanc tacitam, quæ præ manibus nobis eſt, diſpenſationem, etenim & expreſſa, & tacita diſpenſatio poterunt ex iuſta cauſa, ac legitima iuriſdictione eſſe validæ, & ex harum defectu eſſe inualidæ, dum verſantur circa ius ſuperioris, & ex cauſa eſſe licitæ, & ex eius defectu illicitæ, ac ſemper validæ, quando verſantur circa ius proprium, vel inferioris; vt ergo in ſupremo Principe tacita admittitur diſpenſatio licitè habita ex iuſta cauſa, ita & ab inferiori, vt validè, & licitè cenſenda erit data per eadem omnino ſigna, quæ à iure ſtatuta minimè ſunt, dummodo ſatis expreſſiua animi diſpenſantis ſint: quare, qui poterit expreſſe diſpenſare, poterit & tacitè, & eadem cauſæ cognitio ad vtramque requiritur cum proportione diſpenſationem eo modo quo *ſuperiori capit. num.* 12. diximus.

6 Prima concluſio, ſola taciturnitas, ſeu conniuentia ſuperioris videntis fieri contra ius, non eſt ſufficiens ſignum, in foro externo conſenſus diſpenſandi in illo iure. Sic ſentio cum prima Iuriſtarum ſententia ſecũdi ordinis. Probatur primo ex *Text. capit. Cum iam dudum de præb. ibi Cum multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia, non deberent tolerari*, vbi Gloſſ. *verbo. Per patientiam non fit diſpenſatio: Argum. de cognat. ſpirit. ſuper* eo ibi *Id in Eccleſia tua diſſimulare poteris ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præſtare aſſenſum*. Ex quibus conniuentiam hanc permiſſionem tantum illius negotij peragendi, non autem diſpenſationem in iure, illud idem prohibente, indicat Textus; in quo probè notat Gloſſ. *verb. nec contradicere*, quòd, qui tacet, neque conſentit, neque

que negat *ff de reg. iur. Qui tacet, &c. & Reg. 44. in 6. ſupra citata*. Addo Textum expreſſum *Clem. vltima de ſent. excomm.* ex quo improbabilior contraria redditur opinio; ibi enim non modo aſſeritur per taciturnitatem Papam non approbare, nihilque noui iuris conferre; ſed nec etiam, ſi ex certa ſciētia, verbo, conſtitutione, vel litteris eum nominaret, honoraret, ſeu quouis alio modo tractaret; ſi pariter ſic cum excommunicato participaret Papa, literis, verbo, oſculo, eum nequaquam cenſendus eſſet abſoluere, quod conſonat ſententiæ *Abbatis numero 3.* relatæ. Neque hæc Clementina noſtræ *ſuperioris capitis num. 12. & 14.* doctrinæ obſtat, quia aliud eſt, Papam aliquem dignitatis nomine honorare, aliud eum ad illam euehere, & hoc ſecundum ſufficit ad diſpēſationem, vt ibi diximus, quod hic deficit, cum ſatis non explicetur ſolo ſilentio ſuperioris, per ſe non expreſſiuo animi diſpenſantis, vt neque explicans ſigna in illo textu adnotata. Et quamuis non me fugiat, nonnunquam taciturnitatem pro conſenſu expreſſo accipi, vt *leg. 2. §. voluntate C. ſolut. matrim. & leg. 1 §. pœna ff. de lib ag.* & vbicunque tacitum pactum à lege inducitur, vt *de pact. leg. Qui in futurum, & in Iure canonico diſt. 54. cap. ſi ſeruus. & cap Nonne de praeſ. nec non Reg. 43. in 6. Qui tacet conſentire videtur, aliiſque textibus, quos fuſe tradunt Doctores præſertim Abbas citandus*.

7 Verùm enim verò cum etiam quandoque contradictionem, carentiamque exprimant conſenſus, vt *in Procuratore leg filius §. inuitus ff. de procur. & in Seruis ff. de ſeruit. vrb. præd. leg. Inuitum in furto ff. de furtis leg. Qui vas §. qui ex voluntate, in Patrono ff. de ritu nupt. leg. In eo iure in Inſtitutione hæredum quòd expreſsè debeat teſtator hæredis exprimere nomen C. de teſt. leg. Iubemus, & leg. Vltima C. de his qui à non domino manum in interrogationibus in iure, ac in iure canonico de conſecratione diſt. 4. Cum pro paruulis*; & communiter vbi agitur de obligatione perſonali, vel de onere ſubeundo, vt probè *Gloſſa in Thor. ſeu Reg. 3 ad cap. Nonne bene de præſump & Abbas ibidem ad finem num. 5.* ſatis erit aſſerere cum eadem *Gloſſa in modo citatam Regulam ſexti Qui tacet. &c.* ſilentium eſſe quidem medium inter expreſſam voluntatem, conſenſumque, & contradictionem expreſſam iuxta *Reg. 44. in 6. qui tacet. non fatetur neque negare videtur, vbi Gloſſ. verb. Is qui tacet.* medium quid tacere ait eſſe inter conſenſum, & diſſenſum. Quamobrem *Panorm. in citato cap. Nonne bene de præſump. num. 1. à medio*, etſi fateatur omnes caſus, ad quos taciturnitas ſe extendit, haud facile vnica poſſe regula comprehendi; nihilo tamen ſecius approbans quam *ex Reg. Is qui tacet citata, & ex Gloſſa* doctrinam attulimus, probè addit, quandocunque per hoc medium inter conſenſum, & aſſenſum, quod ſibi taciturnitas vendicat, poteſt hæc conſequi aliquem effectum ab extremis ſeparatum, illud profectò conſequi debet, neque ad aliquod extremorum accedere, vt videre eſt in *leg. 1. §. ſcientiam ff. de tribun.* vbi aliud diſponitur, cum expreſſe conſentiat Dominus contractibus ſerui ſui, aliud cum contradicit, aliud verò cum tacet, quod etiam notat *Gloſſa* in modo relatam *Reg. Is quis tacet*; Ex his autem iuribus hoc primum condo rationis momentum, caſui noſtro, ſingulis, vt infra, ſeruatis ſeruandis circumſtantiis, aptandum. Diſpenſatio eſt actus interni conſenſus, ſufficienti ſigno indicatiuo externò, demonſtratus; atqui taciturnitas neque eſt expreſſiua conſenſus, neque diſſenſus, ergo non eſt diſpenſatio. Maior huius argumenti patet, quod alias neque voluntas Principis poſſet humano modo innoteſcere, neque ad alium quempiam dirigi, qui neque illa vti poſſet, & ita prorſus ſe haberet, ac ſi talis voluntas efficax non eſſet, eo prorſus modo, quo *Doctores* explicare ſolent hoc idem de promiſſione, & donatione. Minor verò ex eo patet, quia ſolum ſilentium poteſt permiſſionem indicare, quod eſt medium inter conſenſum, & diſſenſum, ab Abbate aſſignatum, quodque Canoniſtæ ſignificant, illo loquendi modo, ea nimirum, quæ tantum in patiendo conſiſtunt, ſufficientia ſigna non eſſe diſpenſationis poſitiuum poſtulantis actum, ſed potius permiſſionis ad peius euitandum. Hinc taciturnitatem ſufficiens non eſſe ſignum conſenſus docent *Gloſſ. leg. filius familias verb. non probatur ff. de proc. Dynus Reg. Is qui tacet 44. de reg. iur. in. 6. num. 3. Bald. leg. ſi ſine num. 4. C. de ſenat. conſult. Velleian. Fuluius Pacianus mox citandus num. 33.* permiſſionis igitur ſignum erit taciturnitas, ad prius malum fortaſſis imminens, ſuperiore contradicente, auertendum: ex qua cauſa ſilentium Principis peccaminoſum non eſſet; cum ita ſe gereret, vel propter imminens ſcandalum, vel ad vitandum aliquod periculum proprium, vel ob imbecillitatem ſubditi, quem hic, & nunc diſpoſitum non videt. Poſſet etiam ſilentium eſſe illicitum Principi, aut ſuperiori, vel ex puſillanimitate, vel alio ſimili affectu; ex quo tamen non probè deduceretur animus diſpenſandi eiuſdem; cum vel ſit ad diſpenſationem impertinens, vel potius in eam militet, quòd eam culpam taciturnitatis, ſi quę eſt, vtpote minorem, libentius ſubire velit Superior, quàm temerariè cum tali perſona diſpenſare,

Sic

Sic Prælatus videns Irregularem celebrare, vel ob primas, quas ſupra indicauimus, rationes tacens, licitè cenſebitur ſilere: vel ob ſecundas, & minorem culpam exiſtimabit hic, & nunc incurrere per ſilentium, quā cum tali indigno diſpenſare, vt probè *Soar. lib.6 citato capit.* 13.*num.*21. Ex varijs igitur coniecturis, vt benè *Abbas laudatus*, deducendum eſt, an ſilentium illud, medium tenens inter conſenſum, & diſſenſum, neutrumque ex ſe indicans, ad alterutrum accedat: ergo ſola taciturnitas ſufficiens non eſt ad arguendam diſpenſationem iuris,

8 Quamobrem rectè *Aegid. ConinK. de Sacram.diſp.*27.*dub.*3. *num.*71. de licentia conceſſa alteri ſacerdoti aſſiſtendi matrimonio à proprio Parocho, ait, ſufficere ipsū Parochum ſcientem, me non habere facultatem aſſiſtendi, & videntem me iam incipere aſſiſtere, nec contradicere, cum facilè poſſet, modo ſciam eſſe talem, qui contradiceret, ni animum haberet conſentiendi, ſub his enim circumſtantijs taciturnitas ſufficiens erit ſignum conſenſus, & non alias; cum alijs non adiuuaretur adminiculis.

9 Secunda concluſio. Regula vniuerſalior, eſto ſuas patiatur exceptiones, multò tamen, quàm aliæ minores, paucioreſque, eſt apud *Abbatem laudatum tradita ab Innocentio cap. In Geneſim de elect. confirmaturque à Gloſſ. in* Reg. *Is qui tacet in* 6. *Si res, de qua agitur, meritoria ſit, & optabilis, tacens habetur pro conſentiente; pro negante verò ſi agatur de re oneroſa, vel damnum alioquin inferente*: ſic tacens cēſendus eſt conſentire, quando agitur de re fauorabili; ſecus quando in ſuum præiudicium; vt docent præter ſupra citatos *Felinus cap. Nonne de præſump. num.*15. *Couarrub. quæſt. practic. cap.*15. *num.* 5. *&* 3. *variarum cap.*15. *Menoch. de præſ. lib.* 3. *præſ.*42. *num.*4. *Fuluius Pacianus lib.*1. *de probat. cap.*29. *& Sanchez lib.* 5. *de mat. diſp.* 5. *num.*5. Ratio eſt, quia ſicut cum de re fauorabili, & quæ Superiori, tacenti, placet agamus, nulla datur anſa, cur præſumamus eum negare conſenſum, per taciturnitatem, ita cum agatur de re oneroſa præſertim contra officium, vel munus, quod gerit Superior præſumendus eſt ex vna, vel altera, vel omnibus, ſuperiori concluſione, indicatis rationibus moueri ad conniuendum, atque actum illius ſubditi contra ius tolerandum, quin cum eo in iure, contra quod ille facit, diſpenſet, vel conſenſum, atque approbationem manifeſtam prodat. Et ſane ſecundum primam partem huius noſtræ cōcluſionis 43. *Reg. Qui tacet, conſentire videtur in* 6. interpretamur. Neque ſecunda pars eſt contra 44. *Is qui tacet, non fatetur, ſed nec vtiquè negare videtur*, quia de quo loquimur non eſt merum ſilentium, ſed alijs circumſtantijs affectum, ex quibus in coniecturam venimus negationis conſenſus, iuxta dicta præcedentis aſſertionis; ſic vt vno pro omnibus, quæ afferuntur ab auctoribus citatis, exemplo primam partem regulæ comprobem, allato ab *Innocent. capit.* 1. *in ſua Gloſſa, quæ eſt ſuper verbum, obiectum, circa medium, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli*, illius qui eligeretur in dignitatem Eccleſiaſticam, ac taceret, hic quidem præſumeretur conſentire: pro ſecunda verò parte ſunt ex his multa, quæ *num.*6. adduximus:

Ex his colligo in re noſtra, vix in praxim reduci poſſe tale ſilentium Papæ, cuius erit approbare Epiſcopum, &c.

10 Colligo ſecundò, ſi fortè fortuna eueniſſet, vt Papæ nolenti diſpenſare cum illegitimo ad Epiſcopatum, aliquod immineret damnum notabile, vel periculum: quamuis taceret, non vtique cenſeretur cum eo diſpēſaſſe, immo habendus eſſet, vt diſſentiens: quod ſeruatis ſeruandis in cæteris de taciturnitate caſibus applicari poteſt, etiam ſi is, qui tacet, verbis vteretur generalibus quibus videretur conſentire, quod deduco ex *cap. Cum veniſſent de inſtit. habetq. Abbas cap. Nonne bene de præſ. num.*1. *in fine*. Ratio eſt, quia maius momentum habemus hic, & nunc ad in differentiam determinandam illius ſilentij, vt ſignificet potius diſſenſum, quàm conſenſum, & verba illa generalia abſque dubio extorta, & prudenter ad damnū auertendum dicta, illum eundem potius diſſenſum videntur ſub his circumſtantijs arguere, idem dic in caſibus primæ concluſionis *num.*6. *præcedentis capitis numero* 10. *&* 11.

11 Colligo tertiò, Impedito incumbere probationem huius ratihabitionis ad diſpenſationem ſufficientis, penes concluſionem primam, & ſecundam ex fundamento *ſuperiori capite tacto num.*15.

12 Colligo quartò, hanc ratihabitionem de præſenti ad eum ſolum ſufficere actum, ad quem hic, & nunc habere cenſetur ſuperior, ob eandem rationem, qua quid ſimile docuimus *ſuperiori cap. num.*18.

13 Vltima concluſio. Nec in foro coſcientiæ ſola Superioris taciturnitas ſufficit ad arguendam diſpenſationem, ſed ex alijs deducenda eſſet circumſtantijs: ſic rectè *Soar. de leg. lib.*6. *c.*14. *n.*22. Et quidem in vno ſenſu ex ipſiſmet terminis patet, nam vt licitè, atq; honeſtè operetur, qui aliquid agit contra ius, opus eſt, vt ante factum præſumat, ſibique perſuadeat ſecum eſſe diſpenſatum, nam nulli mortalium contra legem vigentem, ſpe futuræ diſpenſationis, in præſentia licet ho-

honeſtè operari, quin notitiam habeat diſpenſationis, vim legis reſpectu ipſius abrogantis; ergo adinaton prorſus eſt hanc tacitam diſpenſationem in ſcientia tantùm fundari, & patientia, quam habet Superior operis, ſeu functionis à ſubdito factæ, qui contra legem abſolutè operatur; cum opus ipſum, ſi benè inſpiciatur, quod à taciturnitate, & patientia Superioris ſupponitur tanquam materia, & obiectum, circa quod verſatur, contra ipſam legem ſine diſpenſatione profectò ante ſilentium ſuperioris factum eſſet: oportebat igitur, vt antequã ſubditus opus aggrediatur, coniecturas, rationeſque alias habeat præſumendi Prçlatum in illud conſentire, & ſecum diſpenſare. Quòd ſi non de taciturnitate opus conſequente, de qua hactenus loquuti ſumus, & intentum probauimus; verum agatur de ea, quæ opus inchoandum, cuius notitia Prælatum non fugit, aliquo modo præcedit: tunc eodem præſens quęſtio confirmanda eſt fundamento, quo prima concluſio probata eſt, indifferentia nimirum huius ſigni, taciturnitatis ſcilicet, quæ inepta eſt, ſi ſola conſideretur, ad conſenſum, vel diſſenſum declarandum.

14 Ex hac aſſertione colligo primò, ratihabitionem de futuro non ſufficere ad propriam diſpenſationem, neque ad licitè contra legem operandum, niſi quando talis eſt caſus prohibitus à lege poſitiua humana, vt neceſſitas cogat, cenſeaturque locum hic, & nunc habere Ep KIa, quæ ex caſibus ſequentibus pro præſenti inſtituto deduci facilè poterit. Ratio autem primæ partis huius corollarij eſt; quia quandiu legis obligatio per ſe non ceſſat ex occurrente occaſione, vel neceſſitate perſeuerare cenſetur, donec efficaci ſuperioris voluntate facultatem habentis retractetur: voluntas autem ſuperioris futura præſumpta obligationi nõ derogat legis præſentis; ergo non ſatis eſt ad derogandam legem, ſicut etiam è contrario, præceptum præſumptum in futurum, vel ſub conditione, quod ſi ſuperior adeſſet, minimè ſufficiens eſt, ad obligationem in rigore inducendam. Ratio autem ſecundæ partis deſumenda eſt ex dictis *diſp.* 1. *capit.* 1. *num.* 13. & 15. & *cap.* 3. *num.* 12.

15 Colligo ſecundo, prædictam ratihabitionem de futuro haud ſatis eſſe ad iuriſdictionem conferendam, vt probè inter cæteros docet *Soarius* 3. *tom. de relig. lib.* 9. *capit.* 11. *num.* 8. & Auctores infra citandi; etenim vel hæ circumſtantiæ, & coniecturæ voluntatem indicant futuram, quæ ratihabitio ſolet dici de futuro, & hanc certò certius eſt non ſufficere ad conferendam iuriſdictionem; nam effectus præſens ipſius iuriſdictionis manare non poteſt à cauſa adhuc in rerum natura non poſita: vel illæ coniecturæ voluntatem ſignificant ſuperiores ſub conditione tunc exiſtentem, qui nimirum ſi has hic, & nunc ſciret circumſtantias, abſque dubio iuriſditionem daret, aut diſpenſationem, & hoc nihilo ſufficientius eſt: quum conditio in eſſe non poſita, nihil ponat in eſſe.

16 Colligo tertio, vt qui iuriſdictione carẽs, aliquem validè abſoluat, nullo modo ſufficere, vt ſuperior ipſius actum poſtea ratum ſit habiturus. Probatur quia ſub ratihabitione de futuro fieret, & ſi verbotenus, tunc diceretur fieri, reuera tamen vt pendens eſſet, ac pendulus à voluntate futura remanere, indifferenſque ad ratificationem, vel irritationem; atqui valor Sacramenti non poteſt in pendenti eſſe à conditione, præſertim de futuro; ergo ſtatim vel validus, vel irritus eſſe debet: non validus vt ſuperiori probatum eſt corollario; ergo irritus. & huius opinionis ſunt *Henriq. de* Gandauo *quodl.* 1. *quæſt.* 30. *Palud. in* 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. *in fine*. *Capreol. ibidem diſt.* 19. *quæſt. vnica art.* 3. *ad* 5. *contra* 3. *concluſionem, & alij, quos laudat, ac ſequitur* ConinK. *de Sacram. diſp.* 8. *dub.* 5. *numero* 34. idemque docent de ſacerdote alieno, qui matrimonio intereſt. Quomodo autem debeat licentia Parochi ad id præcedere docet *Sanch. de mat. lib.* 3. *diſput.* 35. *num.* 18. & 19 Quòd ſi nonnulli ſint Canoniſtæ, vt *Hoſtienſ. ſumma tit. de pænit. & remiſſ.* §. *Cui confitendum numero* 14. *verſ.* 8. ſentiant ratihabitionem ad iuriſdictionem neceſſariam in audiendis confeſſionibus ſatis eſſe, intelligendi ſunt de ratihabitione de præſenti.

17 Obiices *Regulam decimam iuris in* 9. vbi dicitur, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*. Reſpondeo hanc regulam locum habere ſolum illis in actibus, quorum valor immediatè pendet ex voluntate, atque alterius ratihabitione, quemadmodum in contractibus, & ſimilibus caſibus à *Gloſſa* ibi figuratis, vt vberius proſequemur *tom.* 2. *lib.* 5. diſputantes de pœnis Epiſcopi conſentiẽtis in electionem indigni *diſp.* 35. *cap.* 2. *num.* 24. & 30. Adde cum abſolutio peccatorum dari non poſſit nomine alicuius puri hominis ſed nomine, atque authoritate Dei; vt probè poſt antiquiores notat ConinK. *diſp.* 8. *laudatus num.* 35. nullum eam poſſe ratam habere ex *Regula* 9. *in* 6. *Ratum habere quis non poſſet, quod nomine ipſius non eſt geſtum*.

18 Colligo quarto, quum adeo communis ſit Doctorum ſententia de ratihabitione de futuro ſermonem habentium, *Diui Thomæ in* 4. *diſt.* 15. *quæſtione* 2. *art.* 5. *quæſt.* 4. *in corp.*

torp. Roſella ſumma verb. Eleemoſina num. 1. Nauarra infra citandus, Nauarrus comment. 2. num. 20. de regul. Toletus ſumma in fine, vbi de peccato mortali cap. 28. & de eleemoſina, Mendoza in ſuis quodlibetis q. 8. poſt concluſionem 7. & concluſ. 8. Manuels infra citandi art. 10. concluſ. 7. & art. 11. in fine Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 41. dub. 9. num. 80. Rebellus tract. de iuſt. part. 1. lib. 3. q. 15. ſect. 3. num. 22. apud quos alij docentes eodem fundamento de eo, qui à Domino inuito, quo ad modum, non autem, vel irrationabiliter inuito, quo ad ſubſtantiam, quos laudat, & ſequitur *Sanchez lib. 7. operis moralis cap. 19. num. 13.* ac de Religioſo, quem multi excuſant à mortali tranſgreſſione voti paupertatis, quando aliquid accipit, aut alienat, inconſulto ſuperiore, ſibi perſuadens, eum illi facturum licentiam hic, & nunc, accipiendi, vel alienandi, licet inuitum exiſtimet quo ad modum ei diſplicentem; operæ pretium erit diſcrimen aſſignare inter diſpenſationem, & licentiam, ſeu ſimplicem facultatem; nam etſi demus fundamentum horum Auctorum ſufficiens ſane eſſe, ad hanc opinionem etiam ab intrinſeco firmandam; quia nimirum Superior haud eſt inuitus de ſubſtantia rei, ſed tantum de modo, qui ad leuem merito ſpectare materiam, & ad mortale minimè ſufficiens exiſtimandus eſt; quamobrem ille cenſebitur Religioſus de voluntate ſaltem virtuali Superioris in proprio eiuſdem affectu latitante, vt infra *num. 24.* declarabimus, rem illam vel accepiſſe, vel dediſſe. Et cõfirmatur ex *l. Inter omnes, §. Recte ff. de furtis*; neque iuxta mentem horum Doctorum certitudo deſideratur conſenſus Superioris, quum vt bene docuerunt *Ledeſma 2. tom. ſum. tract. 8. cap. 21. diffic. 7. Molina tom. 2. de iuſt. diſp. 270. ad finem. Manuel 99. Reg. tom. 3. q. 29. art. 10. concluſ. 3.* vt ſufficiens, ita neceſſaria eſt ſola probabilis notitia ex iuſta credendi cauſa procedens, quippequæ ad operandum in reliquis rebus moralibus opportuna, apta, ſufficiensque profecto erit, & meritò moralis certitudo dicitur: vt ſcribunt *Gerſon 2. part. in reſponſis ad quæſtiones ſibi propoſitas q. penult. alſ. b. 34. litt. S. Petrus Nauar. lib. 3. de reſt. cap. 1. part. 3. in noua editione dub. 1. num. 160. Nauarrus comment. 2. num. 20. de regular. & ſum. cap. 17. n. 15. Leſius de iuſt. cap. 41. dub. 9. num. 80. & cap. 12. dub. 8. num. 49. Sanch. in opere morali lib. 7. cap. 19. n. 13. in fine* merito aduertens probabilem hanc, quam explicauimus ſubditi notitiam, debere dubium excludere, cum quo licitum non eſt operari; cum in dubio præſumuntur Superior, ac Dominus, quaſi inuiti *l. Qui vaſ. 49. in principio ff. de furtis.*

Verum enim vero hæc licet omnia demus, minimè tamen ſoluere videntur argumentum, quod efficaciter in nos condi hoc modo poſſet: Ratihabitio de futuro neque ad diſpenſationem, neque ad iuriſdictionem conferendam ex noſtra ſententia ſatis eſt, ergo neque ad facultatem, ſeu licentiam ſuperioris habendam contra commune Doctorum placitum.

19 Reſpondet *Sanchez laudatus numero 15.* hũc rigorem, qui deſideratur in iuriſdictione ad ſacramenta, & in diſpenſatione ad legem, hic ſeruandum non eſſe, quum ad illa verè voluntas actualis expreſſa, aut tacita requiratur, vt infra dicendum, quæ quidem ratihabitio de præſenti, vel de præterito nuncupatur, nec ſufficiat quaſi actualis voluntas deducta ex habituali, quæ ad licentiam ſufficit. Hanc autem actualem voluntatem ex habituali deriuatam ita ipſe declarat, vt de præſenti in voluntate ſaltem virtuali, aut habituali ſuperioris, aut Domini rei, quo velit id à ſubdito fieri, nec inuitus quo ad ſubſtantiam, ſed aliquantulum, nec omnino quoad modum, qua ratione, ſententiæ ſuperius explicatæ ſubſcribit *Sanchez*.

20 Cæterum hæc à *Sanchez* allata explicatio proprio quidem Marte, aliorum Doctorum auctoritate minimè firmata cum ſit, eò minus probabilis eſt, quò conſenſu Theologorum conſtat euidentius non peccare mortaliter, neque ad reſtitutionem eum ſub mortali teneri, qui ſibi aliquid vindicaret à Domino in modo tantum inuicto, & non in ſubſtantia, vno, vel altero dempto Doctore, cuius alter fortaſſis eſt ſenſus, in materia de voto religioſæ paupertatis: neque pro eo eſt *Suarez quem citat in 3. partem tom. 3. diſp. 32. ſect. 2. colum. 2. verſ. Hinc ſequitur*, immo potius contra eum arbitror eſſe; nam non ait, quando valor actus pendet à licentia, oportere hanc præcedere, nec ſufficere ratihabitionem de futuro, nec præſumptionem conſenſus poſtea præſtandi, ſecus quando deſideraretur tantum ad debitum ordinem, & modum, tunc enim ſufficere probabilem ſpem, & conſenſum; etenim ibi *Suarius* nihil de licentia, ſed ſolum ponit diſcrimen inter adminiſtrationem Sacramenti pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, aitque ad illam non ſatis eſſe ratihabitionem de futuro, quia requiritur collatio iuriſdictionis antecedens, ex qua ſubſtantia pendet adminiſtrationis ſacramenti pœnitentiæ, quod ſubſtantialiter conferri non poteſt abſque abſolutione iuridica, neque hæc ſine iuriſdictione; at verò cum adminiſtratio Euchariſtiæ, non quo ad ſubſtantiam pendeat à iuriſdictione, ſed quo ad modum, & ordinem; hinc eſt vt non debeat eius ſubſtantialis adminiſtratio, quæ potius eſt applicatio illius ſacramenti non

con-

conſiſtentis in vſu, ſupponere neceſſariò iuriſdictionem, à qua in ſubſtãtia pendeat, ſed eam, à qua in modo, & ordine pendens eſt. Immo hinc in *Sanchez* cudo argumentum. Dependentia adminiſtrationis Sacramenti Euchariſtiæ non eſt abſolutè ſubſtantialiter, ſed quoad modum, & idcirco ſatis erit ad eam licitè obeundam ratihabitio voluntatis de futuro proprij Parochi; ergo cum acceptio, vel alienatio habita à Religioſo non abſolutè interdicta ſit, ſub tali modo, ſine facultate ſcilicet, ſuperioris, à qua, vt ſic pendet, poterit eſſe licita ſub ratihabitione de futuro: cui ratiocinationi uidetur conſentire *Suarez de legibus mox citandus*. Præterea non ſatis percipio rationem illam explicandi actum in voluntate virtuali, vel habituali ſuperioris exiſtentem; nam vel ſubditus ſupponit in ſuperiore abſente actum formalem, atque expreſſum licentiæ, & ſumus extra caſum, cum hic actus expreſſa ſit ſuperioris facultas, de qua nec ſubdito abſenti fortaſſe conſtare poterit: vel virtualis; ac quæro, in quo contineatur hic virtualis actus; vt enim alibi docui, virtualis hic actus in aliquo formali, virtute inuoluendus eſt: vel ſubditus habitualem ſupponeret in ſuperiore conſenſum, & hunc non eſſe ſufficiẽtem iudico etiam cum eodem *Sanchez* paſſim id docente; ſicut enim non ſatis eſt ad licite operandum contra legem, verbi gratia ducendi in vxorem aliquam in ſecundo gradu coniunctam, exiſtimare Pontificem ſolitum eſſe diſpenſare in eo gradu, ita nec erit ſatis Religioſo aliquid ſine facultate accipere, vel dare, putans ſuperiorem ſolitum eſſe, & in habituali voluntate talem concedendi facultatem: quare non video quomodo ratihabitionem de futura voluntate ſuperioris ſufficere negabit *Sanchez* in hoc caſu; & tametſi eam cognitionem dixerim cum eodem requiri in ſubdito, vt experientia teneat, ſolitum eſſe ſuperiorem facultatem hanc concedere, ex qua notitia probabilem ille deducat credulitatem, & opinionem, et dictantem, fore ut eodem modo, & ſecum in hoc caſu hic, & nunc diſpenſet ſuperior, atque in hoc factum conſentiat: verum hoc non tollit, quin futurus ſuperioris conſenſus ſit, in cuius vi licitè agatur, accipiatur, vel alienetur ab inferiori ſubdito, de quo eadem recurrit quæſtio, cur ſatis ſit ad opus hoc minimè mortaliter malum & ratihabitio de futuro eiuſdem ſuperioris ſufficiens non ſit ad diſpenſationem legis, vel collationem iuriſdictionis: neque difficultatem euacuabit *Sanchez* aſſerendo eundem in hac legis diſpenſatione ſeruatum rigorem, non eſſe in alijs ſeruandum, cum huius etiam ratio deſideretur.

21 *Soarius autem de leg. cap. 15 lib. 6. num. 20* referens, quam iudicauimus *num. 18.* nec reijciens ſententiam, excuſantem à mortali Religioſum ex ratihabitione de futuro aliquid ſibi arrogantem, reſpondet, diſcrimen eſſe inter diſpenſationem propriam, & ſimplicem ſuperioris facultatem, ſeù licentiam; quia in primo caſu actio eſt abſolutè prohibita, & mala, ideoque de præſenti neceſſaria eſt aliqua voluntas, quæ prohibitionem, & conſequenter malitiam auferat; at in hoc ſecundo caſu actio non eſt ſimpliciter prohibita, ſed ſecundum quid, nè ſcilicet fiat ſine ſuperioris voluntate; quæ conditio extenditur ad voluntatem præſumptam ex communi vſu, & prudenti ratione. Verum enim vero licet peracutum ſit Soarij diſcrimen; nihilò tamen ſecius obijci in illud poſſet hoc modo: actio contra legem non abſolute eſt contra illam, ſed contra eam non diſpenſatam, vt actio Religioſi aliquid acceptantis, vel diſpenſantis, non eſt contra priuatam legem voti, niſi vt facta ſine facultate ſuperioris; ergo pari ratione ſe habent. Deinde cur voluntas conſentiens Superioris ea, qua pendet honeſtas huius acceptionis, vel alienationis, ex vſu, & conſuetudine extendi dicenda eſt ad futuram, & interpretatiuam ſuperioris voluntatem, & eiuſdem ſuperioris voluntas diſpenſans, ex eadem conſuetudine, non dicetur extendi ad futuram? eo vel maxime, quòd licitè alienum Parochum Euchariſtiam miniſtrare, ex ratihabitione de futuro, docent poſſe *Palud. Diuus Antonin. Caiet. Syluest. Tabien. Armill. Sotus. Henriq. & alij quos citat Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 35. num. 15.*

22 Cæterum Soarij doctrinæ inſiſtens, ad primum, quod obijcitur momentum dico, diſtincta quidem, ac toto cęlo diuerſa comparari ratione, legem cum diſpenſatione, & votum paupertatis cum licentia Superioris; nam lex abſolutè obligat, & diſperatè cum diſpenſatione comparatur, tanquam cum aliquo, à quo deſtruitur; lex enim diſpenſata reſpectu actionis, vel perſonæ, in quam cadit diſpenſatio, in rigore lex non eſt: at verò paupertatis votum cum licentia comparatur Superioris, tanquam cum circumſtantia, & conditione, quæ materia eſt voti; cum voueat Religioſus nil alienare, vel ſibi comparare ſine Superioris licentia; quamobrem acceptationis, vel alienationis licentia, materia quidem eſt voti partialis, & conſequenter eius non eſt deſtructiua; nec Voti materia abſoluta eſt, ſed conditionalis non acceptandi, vel alienandi, ni Superior facultatem faciat. Hinc ad ſecundam inſtantiæ partem aio, nil mirum, ſi hæc voluntas diſpenſatiua Superioris ex conſuetudine, at-

que vſu ad præſumptam extendatur, quia non vt deſtruens votum, obligationemque, immo, vt pars materiæ, ſeu conditio deſideratur: at verò, cum diſpenſatio ſit deſtructiua legis vigentis, tanquam futura non poterit tantum virium ſibi vendicare, vt hic, & nunc deſtruat, vel abroget vim legis in præſentia obligantis; ex quo fieret, quòd antequam ipſa diſpenſatio eſſet, effectum haberet, quod eſt adinaton.

23 Colligo quinto, ratihabitionem de præſenti debito, ac ſufficienti modo declaratam, non autem per ſolam ſuperioris taciturnitatem expreſſam, ſatis eſſe ad licitam Sacramentorum adminiſtrationem, & a fortiori ad licentiam faciendam ſubdito, vt ſupra declaratum eſt; deduco ex *Cap. omnis vtriuſque ſexus de poenit. & remiſſ.* vbi deſideratur proprij licentia Sacerdotis; vt alienus valeat audire confeſſiones, & tamen ſufficit tacita ex ratihabitione de præſenti, vt probè *Roſell. confeſſ. Sacrament. 3. num. 31. Angel. confeſſ. 3. Silueſt. confeſſ. 1. quæſt. 6. in fine. Nauarr. ſumm. lat. numer. 6. Hiſpana numer. 5. & Cap. Placuit numer. 105. de poenit. dub. 6. Solus in 4. diſtin. 18. quæſt. 4 artic. 3. verbo. circa confeſſionis. Victor. ſum. de confeſſ. numer. 153. & alij, quos citant, ac ſequuntur Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 35. numer 20. & AEgid. ConinK de Sacram. poenit. diſp. 8. dub. 5 num. 35.*

24 Colligo ſexto ad hanc ratihabitionem de præſenti, duo, mea quidem ſententia, requiri, neque alterutrum per ſe ſufficere; vnum eſt, animi conſenſus internus: alterum eſt ſignum aptum, atque idoneum animi diſpenſantis, vel licentiam dantis demonſtratiuum; quare, vt quis validè abſoluat, non ſatis erit omnino præſumere, Parocho gratum eſſe, vt eius ſubditi confeſſionem audiat, nec quod Parochus id videns animo comprobet, ſed deſideratur præterea ſignum illius conſenſus expreſſiuum, quod quidem, nequaquam eſſe ſolam taciturnitatem diximus, neque in præſenti caſu ſufficeret, Parochum non contradicere, vt probè *ConinK num. 35.* nam quum illa non contradictio, vel taciturnitas ex varijs poterit à Parocho rationibus haberi; vel quia arbitratur, mihi ex priuilegio, vel alia ratione iuriſdictionem eſſe; vel quia putat tantum venialia poenitentem fateri, & ab alieno ſacerdote abſolui; vel quia puſillanimitate, ac metu, vel ad iurgia, & ſcandala vitanda non audet hiſcere; hinc eſt ad rationem veræ conceſſionis, diſpenſationis, vel facultatis, vt *num. 6.* dictum eſt, aliàs neceſſario requiri coniecturas, præter taciturnitatem, vt ſi in re præſenti mihi conſtaret, Parochum ſcire, aut ſaltem credere, me alia iuriſdictione carere, eumque talis eſſe ingenij, qui liberrimè profectò contradiceret, ni factum illud approbaret: aut qui me ita amet, vt gaudeat ſimili occaſione, certamque præbeat anſam, eius præſertim præſumendi conſenſum, vt in ſimilibus ſolet rebus. Itaque ſi Sacerdoti alie-
25 ni ſubditi confeſſionem excipiendi ſuperueniat Parochus, eiuſque factum approbet, inualidum quidem erit quicquid ante illam approbationem actum fuerit, vtpote abſque iuriſdictione geſtum; ex quo ſequitur neceſſario in hoc caſu pœnitenti iterum aperienda eſſe eadem peccata, quę prius ante Parochi approbationem confeſſus erat illegitimo iudici; quod vnico præſtare poterit verbo, dicendo, ſe omnia peccata iterum exponere, quæ ſacramentaliter eidem confeſſori ante illegitimo aperuerat, vt probe laudatus *Coninch num. 36.*

26 Quomodo autem peccet tunc Sacerdos, qui talem audire confeſſionem ſine licentia Parochi cœpit: quomodo autem pœnitens, ſi ſciens eum non habere facultatem confeſſus ſit, videndum eſt apud *ConinK citatum.* Quomodo vero valida, vel inualida ſit confeſſio facta titulum habenti coloratum, & communi errore populi intercedente, cum ad noſtrum non ſpectet inſtitutum, legendus eſt, *Nauarr. in manuali latino cap. 9. num. 8. Sanch lib. 3. de mat diſp. 22. & alios quos laudat Fagundez. 2. præcept. Eccleſiaſt. lib. 7. c. 11. n. 73.* quod nos ad finē to. 2. ac to. 3. agēte de poteſtate impedita tractabimus.

27 Colligo ſeptimo, Parochi ratihabitionem de præſenti non ſola taciturnitate, ſed alijs indicatam circumſtantijs ſufficere, vt alienus Sacerdos intereſſe matrimonio poſſit: in quo ſenſu ſubſcribo, *Io. Lupo rub. de donat. § 68. num. 27. & Sanch. lib. 3. de mat. diſp. 35. num. 20.*

28 Colligo octauo, pari ratione, communi ſubſcribo ſententiæ, validam aſſerenti collationem eſſe beneficij factam à Vicario, cui reuocata eſſet ſpecialis licentia, ad hoc ei neceſſaria *per Cap. finale de offic. Vicar. in 6.* ſi facta tamen fuerit conniuente, ac tacente Epiſcopo, aliſque ſignis indicante, ratum habere, iuxta communem, quam tenet *Boerius* opinionem, *deciſ. 347. num. 13. & Anaſtaſ. Germonius* de *indult. §. Tibi quoad vixeris num 65.*

29 Colligo nono, procuratorem reuocatum, negotia tamen adhuc gerentem, ſciente, ac patiente Domino, ac aliquo ſigno approbante, varijs circumſtantijs confirmante, alias contradicturo, validè pertractare ex *Gloſſ. l. Qui mutuā verb. Inſtaurauerit ff. mādati.* Procuratori autē fines excedēti mādati, ſciēte, ac ratū habēte Domino, per ratihabitionē ſufficiēter indicatā prudētis iudicio, quādo lędat

docet ,

docet *Felinus cap.1.nu.24.& 25. vt litè non conteſtata Iaſon leg. ſi procurator num.* 17. *limit.6.ff.de condic. indebit.*

30 Obijcies ex *Sanchez lib.8. de mat. diſp.4. num.26.* Taciturnitas in ſuperiore potente, & nolente contradicere, vt ratihabitio de præſenti: ſed hæc ſufficit ad iuriſdictionem, licentiam, diſpenſationem &c. ergo. Reſpondeo vel *Sanchez* loqui de ſola taciturnitate, ac patientia ſuperioris; & nego propriam eſſe ratihabitionem defectu ſufficientis expreſſionis animi ſuperioris, abſque dubio requiſiti ad validam ratihabitionem: in quo ſenſu hanc eſſe ſufficientem diſpenſationem, vel collationem iuriſdictionis, nego: vel de taciturnitate alijs adminiculis corroborata, & concedo, iuxta noſtram doctrinam à *num.*6. declaratam.

31 Obijcies ſecundo, Ad Prælatum incumbit ſubditorum obuiare delictis; ergo quando videt ſubditum rei ex ſe illicitæ operam dantem, facilèque contradicere poteſt, dat cauſam, vt grauiſſimum de illo non contradicente præſumatur delictum, ni illum tacentem cenſendum eſſe dicamus diſpenſare. Reſpondeo ſolam taciturnitatem neque ſufficientem eſſe coniecturam ad iudicandum peccatum Prælati videntis ſubditum vetita obire, neque ad exiſtimandum in rigore, abſque peccato, eo pacto conniuere, ſed ad ſuſpendendum potiùs iudicium, quod autem facili negotio contradicere poſſit Prælatus, quodque aliud motiuum non habeat tacendi, vel poſſit abſque ſcandalo, iurgio vel alio periculo opus ſubdito prohibitum impedire, atque ideo peccet, vel ob contraria momenta non peccet, aut diſpenſando conſentiat; taciturnitatem abſque alio adminiculo ſignum ſufficienter expreſſiuum eſſe negamus, neque ſatis eſſe ad ratihabitionem de præſenti dicimus. Sicut igitur ſilentium, ſiue conniuentia Pontificis relata *cap. Quo circa de conſang.* diſpenſationem non arguit in matrimonio putatiuo; ſed ob graue, quod alias fore vt ſequeretur ſcandalum, ex impedimenti detectione voluit Pontifex, vt permitterentur illi coniuges ſimul viuere, quemadmodum tradit ex multis ipſemet *Sanch* in quem agimus *lib. 2. de matr. diſp.38.num.12.verſ. legitimus*, ità nos abſolutè de ſola taciturnitate ſentimus cęteris in caſibus.

32 Agendum ſupererat de hæreticis, eorum receptoribus, defenſoribus, ac fautoribus, ipſorumque filijs, & per lineam maſculinam nepotibus, quos eſſe ad omne beneficium eccleſiaſticum, publicumque officium inhabiles, vt etiam qui ad preces talium ſcienter benefitium, vel officium obtinuerit, conſtat ex *Cap. Quicunque § hæreſim, & cap. ſtatutum de hæretic. in* 6. atque ſpeciatim extat *Gregorij XIV. Bulla 6.* de forma promouendi ad regimen Eccleſiarum, incipit, *Onus Apoſtolicæ ſeruitutis*, quæ ex catholicis parentibus natum infula donandum præſcribit; verum quia ſumma Dei miſericordia, neque pro noſtra Italia, neque pro Hiſpaniarum, cęteriſque catholicis Regnis de hac re ſcribere opus eſt; & quia de cęteris benefitijs Eccleſiaſticis diſputantes Doctores ſatis abundè, præ quibus vnus breui, & clarè rem acu tetigit *Leonardus Leſius lib.2.cap.34.dub. 22.à num. 21.* & quia nihil de ſolis Præſulibus peculiare ſancitum eſt, neque habeo dicere; neue ab alijs actum agam, ad vlteriora, & quidem vtiliora, Præſulatui magis propria currentem calamum his minus neceſſarijs non ſubſiſtam.

DISPVTATIO VI.

De Nobilitate Sacri Præſulis.

Natalium, quos legitimos, illegitimoſque quinque hactenus expendimus Diſputationibus, claritatem præſens meritò excipit, in qua non ab re, immo pretium operæ me facturum exiſtimo, ſi nonnulla de nobilitate præluſero, ea quibus quiſnam claris ne ortus natalibus, an obſcuris in Epiſcopum promouendus ſit, conſtabit.

CAPVT PRIMVM.

Proluſio Diſputationis.

SVMMA.

Nobilitatis etymologia num. 1.
Diuiſio nobilitatis num. 2.
Eiuſdem deſcriptio num. 3.
Vera eiuſdem definitio num. 27.
Quid importet dignitas imbibita in deſcriptione nobilitatis, & quam relationem hæc dicat num. 4.
Per cauſas, per proprietates, alioſq; modos ab alijs nobilitas explicatur num. 5.
Actiones, ac paſſiones, quas propriè reſpicit nobilitas ibidem.
Rerum ſcientia licet ad nobilitatem non parum conducat, de illius tamen eſſentia non eſt numer. 6.
Noſci non ſpectat ad eſſentiam nobilitatis numer. 7.
Qua ratione nobilis dicatur, quaſi notus. ibidem.
Nobilitas maiorum virtutem, ac ſplendorem paſcit, etſi in eo ſita non ſit num. 8.
Quis ingenuus, quis gentilis ſit num. 9.
Quomodo antiquitas ad nobilitatem faciat num. 10.
Quibus concedebatur anulus. ibidem.
Sine antiquitate nobilitatis poteſt quis aliquo pacto eſſe nobilis num. 11.
Potiori tamen ratione generoſus dicendus eſſet o 13
Perſona æqualis meriti, antiquioris tamen nobilitatis, præferenda eſt homini cætera nouo numer. 11.
Rationes, cur ad nobilitatem antiquitas conferat. ibidem.
Eſto nonnunquam maiores à poſteris nobilitentur, propriè tamen ab auis, atauis, maioribuſque nobilitas ad poſſeſſores promanat numer. 12.
Filij adoptiui parentum nobilitate non potiuntur num. 13.
Filij, legitimi habiti ante nobilitatem patris, eam aliquo pacto participant num. 14.
Illegitimi à nobilitate amouendi ſunt numer. 15.
Arcentur à ſucceſſione feudorum ibidem.
Comprehenduntur ſtatutis pœnarum, à quibus exempti ſunt nobiles ibidem.
Non poſſunt illegitimi gentilitio ſtemmate patris uti, vel eandem vſurpare denominationem familiæ ibidem.
Immo ſunt infames ibidem.
Ob vnum teſtem ſpurium non defertur iuramentum in ſupplementum probationis. ibidem.
Doctoratus inſignibus illegitimus donari non poteſt. ibidem.
Vnde ignobilitas illegitimorum promanat num. 16. 18. & 19.
Quid ſentiendum ſit de legitimatis num. 17.
Quid de ſuſcepto ex muliere ignobili. ibidem.

Tranſ

Tranſuerſales hæredes nobilitate non gaudent num.20.

Obſcura Poſterorum geſta maiorum nobilitatem fœdant num.21.

Chriſtianæ virtutes maximè nobilitatem exornant num.22.

Religionis ingreſſus non obſcurat nobilitatem numer.23.

Paruulum diuitiæ locum in nobilitate habent nu. 24.

Sunt tamen remotè cauſa, effectus, atque ornamenta nobilitatis num.25.

Diuites fortunati potius dicendi ſunt, quam nobiles ibidem.

Patriæ ſplendor nobilitati non nihil confert. numer.26.

Momenta, ex quibus nobilitas deriuanda eſt numer.27.

Hoſtienſis contra nobilitatem agens reprehenditur. num.28.

1 VT nobilitatis ſignificationem in malum ſenſum omittam, quæ vſui Maioribus noſtris olim erat, quippe quæ minimè ad noſtrum inſtitutum ſpectans; ea quatenus æſtimatione, honore, ac laude digna, vt deinceps auctore Philoſopho, *Polit. 4. cap.3. & 4. & 1. Rhetor. cap. 5. ad Theodec.* vſurpata eſt, & hac noſtra tempeſtate accipitur perpendenda eſt; cuius etymologia fuſius, quàm quod huc referam ab *Andrea Tiraquel. cap.2. de nobilit. ex Feſto, Pompeio, Nonaio*, alijſque expenſa minimè diſplicet, vt nobilitas, quaſi noſcibilitas dicatur, quippe quæ præ cæteris nota, clara, illuſtris, conſpicua illis donatur ſæpiſſimè nominibus, quibus magis innoteſcat. Hinc cum illuſtriora faciliùs, atque efficaciùs oculos ad ſe rapiant; & cum ſublimi edito, atque eminentiori loco expoſita, conſpicua ſint magis, nobiles idcirco perilluſtres, eminentes, ac ſimilibus alijs decorantur notis: ignobiles verò è contra infimis, humilibus, ac prorſus notantur obſcuris.

2 Cæterùm cùm nobilitatis vox non ad homines modò, verùm ad alia pleraque, etiam inanimata latè pateat, quæ eruditè in album relata apud laudatum leguntur *Tiraquell. cap. 2. à num.28.* ad eam, qua nobiles tantùm dicuntur homines ratione participes) me confero, nè longiùs, quàm par eſt, noſtra vagetur diſputatio, & vt claritati de nobilitate acturus pro viribus conſulam, Philoſophi præcepto inſiſtens, quo æquiuocatione laborantia, primò diuidenda, quàm definienda eſſe admoneor, antequàm nobilitatis declarem eſſentiam, eius diuiſionem affero, ſiue à *Bartolo* traditam *l.1.C.de dignit.lib.12. in eam quæ generis eſt: quæ virtutis, & quæ vtriuſque.* Siue à *Piccolomineo in tractatu de moribus gradu 8.cap. 16. in diuinam, moralem, naturalem, & fortunæ:* ex quibus eam aggredimur exponendam, quæ omnium conſenſu talis habetur, tùm tertiò membro diuiſionis Bartoli; tùm ſecundò, ac tertiò Piccolominei comprehenſa; ex qua vt diuina aliquo pacto innoteſcet, ita fortunæ nobilitas, vtpote à vera deficiens reijcietur.

3 Vitioſis igitur præteritis definitionibus, quas nobilitati tribuerunt Auctores relati à *art. 1.* animus eſt, eam laxioribus legibus priùs deſcribere, quàm (vt poſtea præſtabimus) religiosè cum dialecticis definire.

Itaque *nobilitas eſt noſcibilis dignitas ex maiorum ingenuorum antiquitus virtuosè geſtis orta, legitimaque generatione alicui præſtita, cuius proprijs factis obſcurata non ſit. Dignitas*; nam eſto non omnis dignitas nobilitas ſit, cùm latiùs pateat, & vicem generis gerat: ex communi tamen ſententia nobilitas dignitas eſt; ita *Bartolus, & Ioannes Plat. in l.1.C.de dignit.lib.12. Tiraq. de nobil. cap. 8.num.4. & cap.20.num. 191. & apud hos reliqui.*

4 Dignitas vero hæc, mea quidē ſententia, & phyſicè quaſi radicaliter explicari poterit, & formaliſſimè. Radicaliter phyſicè talem perſonam dixerim eſſe, quæ compacta ſit ex corpore conſtanti quadam humorum, primarumque qualitatum proportione, ac diſpoſitionibus ab Auctore naturæ ſecundum hunc rerum ordinem electum, ita datis, vt perfectionem ſæpe ſæpius indiuidualiter vnionem, immo, & animam, iuxta hanc, quam dixi à diuina ſapientia rerum electam ſeriem, ex requiſitione corporalium organorum exigat, penes ea, quæ in noſtra *Coſmopæia quæſt.54.* docuimus; quæ quidem perſona plerunque genium habeat facilē ad bonos mores effictum, docilem, atque vrbanum, ſitque à Maioribus deriuatum, moralibus vitæ ornamentis, ac virtute præditum, quæ quidem dignitas, vt ſit præſtabilis inprimis eſt intra naturæ fines, & proba educatione exculta. Formaliter verò dignitas præter hāc relationem filiationis, vel proceſſionis, atque ab auis, atauis, alijſque Maioribus dependentiam, alteram inuoluit ſimilitudinis, non ſolum in natura ſpecifica, qua quis conſtituitur filius, nepos, pronepos &c. immediatè, vel mediatè, verùm peculiaris, etiam ſimilitudinis magis contractæ, qua in varijs accidentibus ac phyſica ratione compoſitionis organorum, ac diſpoſitionum, nec non perfectionis plerunque animæ indiuidualiter conſideratæ iuxta meam citatam doctrinā *in Coſmopæia* hic Nobilis ſuis maioribus ſit ſimilis. Nec dixerim neceſſariò

hanc ſecundam ſimilitudinem ſemper poſteros nanciſci neque nobiliorem ſemper animam ſimillimam parentibus, aut ſimile temperamentum habituros; ſed ſæpe. Quòd ſi aliquando aliter ex varia combinatione cauſarum, atque organorum eueniat, tunc quidem filius, verbi gratia, filiationem, at in ea diſſimilitudinem habebit accidentalem, vel non facientem ad ſpecificam rationem: carebitque conſequenter tum ſimilitudine accidentali, vel indiuidualiter ſubſtantiali, vt ita dicam, tum fundamento denominationis proximo, quam etiam inuolui dicemus ab hac dignitate. ita vt quò deſtitutus ſit magis illis, quas nobilitatis notiones phyſicas aſſignauimus, eo ab ea diſtet. Importat etiam nobilitas formaliſſimè accepta denominationem extrinſecam à virtute Maiorum deſumpta, qua poſteri dicuntur digni honore, reuerentia, laude, & gloria: huius autem denominationis ſubiectum remotum erit perſona ab his maioribus deriuata: proximum verò perſona ipſa conditionibus modò declaratis ornata: terminus verò ſeu forma, vnde ſumitur, maiorum ſunt ornamenta, & decora virtutis.

5 Hinc eſt nonnunquam, nobilitatem à quibuſdam per cauſam explicari, ſic ab *Ariſtotele 2. Rhet. Maiorum dicitur claritas*: Tria, me iudice, tenebrarum genera excludens. Primum turpiſſimorum actionum, quas etiam ſeruos pudet obiiſſe, vt ſunt, crimina leſæ maieſtatis diuinæ, vel humanæ, furta, proditiones, ac cætera huiuſmodi: Aliud homuncionum, & vulgi proprium, vt eſt omnium ferè mechanicarum artium, atque vilium officiorum, vt cauponis, piſtoris, pharmacopolæ, ac his ſimilium: Demum aliud non actionum, ac functionum, ſed iniuriarũ, quibus quis vel per propriam vilitatem, atq; ignauiam immediatè afficitur, vel ratione propinquorum, vel affinium præſertim fœminarum. Aliquando nobilitatẽ per eius proprietatẽ exponi, vt ab eodẽ ibidem *progenitorum honorabilitas* appellatur, quæ nõ vt in progenitoribus, ſed vt in poſteris extrinſecè exiſtens modo à nobis declarato explicanda eſt: aptius vero à *Boetio noſtram expoſitionẽ ſummopere approbante lib. 3. praſ. 6. de conſolat. philoſop.* dicitur *laus veniens de meritis parentum*. Laus inquam non formaliter, ſed radicaliter; ideſt dignitas, cui laus debetur ex meritis parentum. Ex Iuris autem peritis vnus præ omnibus ſit Bartol. *l. 1. num. 44. C. de dignit. lib. 12. quem plures ſequuntur*, docentes nobilitatem, dignitatem eſſe. Hinc illa quatuor dignitatis genera, quæ in iure poſtremorum ætate Imperatorum, habentur expreſſa; Perfectiſſimorum ſcilicet, Clariſſimorum, Superiorum ſpectabiliũ, Supremorum illuſtrium: quibus nulli ſordida conditione nato patebat aditus. Quæ omnia à contrario in ruſticis moribus, & vita incultis, confirmari facilè poſſunt; cui enim indignitas ruſticorum nota non eſt? qui ferè ſemper agreſtes ſunt moribus, vita, ſermone, inculti, rudes, inepti, ſtolidi, duri, inhumani, truces, ſæui, feri, penè barbari.

6 *Noſcibilis*, in deſcriptione addita vox nobilitatem demonſtrat, non in actuali notitia vitali, & quaſi actiua conſiſtere, quod multi voluere, nam eſto exploratum ſit Maiorum ſcientiam conducere ad Poſterorum nobilitatem, vt docuit *Ariſtot. lib. 4. polit. cap. item 4. Caſſiodar. lib. epiſt. 9. epiſt. 7.* & paſſim *Iuriſperiti*, poſteros ornare docent, quibus etiam nobilitatem, dignitatemque parit, ſic Seneca Neronem alloquens ait apud Tacitum *lib. 14.* ad finem. *Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quam ſtudia (vt ſic dixerim) in vmbra educata, è quibus claritudo venit*; & quamuis nobilitati multum afferre momenti ſcientiam, eruditionemque, non eſt, qui neget; è contra vero ignorationem diſciplinarum dedecere admodum, ac dehoneſtare viros nobiles, Q. Marij teſtimonio apud *Pomponium in l. 2. ff. de orig. iur.* comprobatum ſit, cui concinit *Ammianus Marcellinus de Orphito apud Tiraq. de nobil. cap. 6. num. 10.* qui hanc nobilium Gallorum ignorantiam deplorat, & vtinam longius per omnes omnium fere gentium nationes non ſerpſiſſet, ac ſerperet adhuc peſtis hæc ignorantiæ; in rerum tamen ſcientia minimè nobilitatem ſitam eſſe omnium ferè melioris notæ Auctorum conſenſu compertum habeo, quæ quidem alia abſque dubio ornamenta tum declarata, tum declaranda ſibi vendicat.

7 Neque nobilitatem, eſſe actualem terminationem notitiæ, qua quia noſcitur nam eſto nobilis dicatur, quaſi notus; id tamen radicaliter, ac potentia, non actu intelligendum eſt. Hinc meritò *Tullius in Verrem*. *Qui non tam me (ait) impediunt, quòd nobiles ſunt, quam adiuuant, quòd noti ſunt*, & pro Marc. Cœl. *Res eſt omnis in hac cauſa nobis, Iudices, cum Clodia muliere, nõ ſolum nobili, ſed etiã nota*; quia nonnulli nobiles ſunt, qui aduerſãtia fortunæ tenebris offuſi deliteſcunt, alij autem actualiter noti; auita tamen nobilitate deſtituti, alij vero radicaliter tantum noti; cum tamen non ex propria virtute, qui Maiorum nobilitatem obſcurarunt, deſcripti à *Seneca lib. 3. de benefic. Qui imagines in atria exponunt, & nomina familiæ ſuæ largo ordine, & multis alligata flexuris in parte prima aedium collocant, noti magis, quam nobiles ſunt.*

Nobilitatem igitur dignitatem eſſe noſcibilem, ideſt petentem agnoſci atque honorari meritò diximus, quæ ita cæteris præſtant

ſtant nobiles,vt quaſi extra humanam,communemq;mortaliũ conditionem, diuinitate pene donati ab antiqua gẽtilitate habiti ſint; hinc imagines, ſtatuæque in foribus templorum,ædiumque publicarum expoſitæ eorum, quorum per ſummam iactantiam è cœlo,ac Dijs duxiſſe falsò dicebantur originem: ſic *Arbilles apud Homerum lib. 21. Iliados,& Aeneas apud Virgilių 6. Aeneidos*; alijque paſſim.

8 *Maiorum ingenuorum virtuosè geſtis orta*, nam nobilitas, & ſi propriam iure ſuo ſibi vendicet Poſterorum virtutem, atque egregiè geſta, vt infra; in eis tamen eſſentialiter minimè ſitam eſſe,ſed è Maiorum virtute, ac fortiter geſtis ad Poſteros promanare cenſeo contra nonnullos apud *Barsol. loco ſæpe laudato,& Lucam Pennam in leg. Mulieres eodem titulo,& libro*. Probatur præterea per expreſſum textum *leg. 1. C. de condit. impuber. hor. lib. 10. & in leg. Vidua, in illis verbis. Pares genere, & moribus, iuncta Baldi interpretatione C. de nupt. & leg. Nobiliores C. de commerc. & mercat.* diſcriminantis nobilitatem à virtute; ſubſcribunt *Iacob. Butrius,& Bartol. in leg. 1. in fine. C. de condit. in pub. hor. lib. 10. ac alij quos inter eſt teſtimonium Marci Fabij apud Liuium 1. decada lib. 8. Hac virtus, nobilitaſque magiſtri equitum à te ipſo nominati valet?* Cæterum excuſari facilè poſſunt contrarij Auctores, quòd ciuilem,& politicam nobilitatem cum ea, quæ apud Deum talis eſt, confuderint, de qua 1. *Reg. 2. Quicunque honorificabit me, ego honorificabo eum, & quitunque contempſerint me, erunt ignobiles.* cuius nobilitatis infra nonnulla ſufficiemus,& ad politicæ nobilitatis, quam expendimus, rationem aliquo pacto ſpectare docebimus. Ortum itaque habet nobilitas ex virtute parentum; nam virtus vt infra,non modo perſonam, cuius eſt,illuſtrat, atque honore, proprio eius præmio dignum reddit, auctore *Ariſtotele lib. 4. Eth. cap. 8. & lib. 8 cap. 14.* verùm Poſteros etiam ornat,dignoſque facit; meritò igitur *Oſorius lib. 2. de nob. ciu. Omnis generis ſplendor*, ait, *& familiæ claritas à fonte virtutis ortum habet*, & ibidem *Virtutem nobilitatis effectricem ſapienter appellat*.

Horum autem egregiè geſtorum, ac virtutis genera nonnulla Philoſophus enumerat *polit. 4. cap. 3. & 4. & 1. Rhet. ad Theod.* ducta ex virtutibus, diuitijs, ſcientia, induſtria,eloquẽtia, re militari,Reipublicæ regimine. Addiderim, ex omnibus moralibus prudentia,iuſtitia,fortitudine, temperantia alijſque heroicis præſertim virtutibus. Quo tamen pacto ad nobilitatem pertineant diuitiæ *numero* 24. diſemus.

9 *Ingenuorum* dixeram, nam tales fuiſſe Maiores nobilis viri, opus eſt, vt cenſeatur nobilis homo, qua ratione in præſentia nobilitate donati nuncupantur; etenim Gentiles, *auctore Tullio in Topic. ad Trebat. è Scæuola Pontifice, Qui inter ſe eodem nomine ab ingenuis oriundi ſunt, quorum Maiorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, qui capite non ſunt diminuti.* Quam ſententiam referens *Boetius. Gentiles inquit ſunt,qui eodem nomine inter ſe ſunt coniuncti,vt Scipiones, Bruti, &c. Quid ſi ſerui ſunt? num vlla gentilitas eſſe poteſt? minimè: Quid ſi libertinorum ciuium Romanorum eodem nomine nuncupentur? nè id quidem, nam gentilitas ab antiquitate Ingenuorum dicitur.* Et quamuis in meridiana luce viderer cæcutire,ſi nobiles, illuſtreſque fore nonnullos negauerim,qui è plebeis orti ſunt patribus; verùm ab ipſis per heroica facta nobilitatem cæpiſſe pronuncio, cuius ſemina ad Poſteros mandarunt; & potius generoſi dicendi auctore *Theopompo apud Antonium Monachum lib. Meliſe 2. & Ariſt. lib. 2. Rhetor. ad Theodect. cap. 23.* quàm nobiles. Sic Tarquinius Priſcus Romanorum Rex è patre mercatore,atque exule, vt ſcribit *Dionyſius Alicarnaſſaus lib. 3. Seruius Tullus verna patre,matre ancilla, auctore Valerio Maximo lib. 3. cap. 4.* & ſexcenti alij apud *Tiraq. cap. 4. num. 3.* quos inter vnum laude dignum ſilentio non prætermittam *Sfortiam Attendulum* è viliſſimo Oppido Cotognolæ,atque obſcuriſſimis natum parentibus, qui anno circiter 1400. propria virtute viam ſibi ad ſummos honores ſtrauit, Ducatus etiam Mediolanenſis.

10 Dixi, *antiquitus*, etenim quò nobilitas antiquior,eò maior,ac præclarior eſt,& quò longius à ſua radice procedit, eò, vt arbor cœlo propinquior ab humili loco diſtat, magis eminentior,atque ſublimior; ſic *Philoſ. Rhet. 1. cap. 5.* nobilitatem deſcribens ait. *Nobilitas gentis,vt ciuitatis eſt, indigenas,aut vetuſtiſſimos eſſe, & primos Duces illuſtres multos quoque,ea ex gente in rebus, quæ expetuntur præclaros extitiſſe: priuata vero nobilitas,aut à viris,aut à mulieribus eſt, legitimaque ab eis procreatio*: ac paulo poſt: *Multos quoque famoſos ex ea gente viros, & mulieres iuniores, ac ſeniores fuiſſe.* nec quid certius eſt apud auctores hac ad nobilitatem requiſita antiquitate, qua deſtitutus homo dicitur nouus, & ignobilis. Vnico *Tariti* teſtimonio rem illuſtriorem reddo in *Vitellio cap. 2. Vitelliorum,* inquit, *originem alij, aliam & quidem diuerſiſſimam tradunt: partim veterem,& nobilem: partim nouam,et obſcuram.* Hinc ſtatutum fuit Romanorum apud *Plinium libr. 33. cap. 2.* nè cui ius anulorum eſſet, niſi cuius ingenuo patri, auoque pa-

terno

terno ſextertia CCCC fuiſſent: & eſt textus *leg.1.C.de iure annlorum*, vbi dicitur, natales antiquos, & ius ingenuitatis non præſtare ordinem Decurionum &c. Ex his præterea vetus illa contentio Scitharū, & AEgyptiorum de vtriuſque gentis vetuſtate apud *Iuſtinum lib.2. à principio*, ex quibus primas AEgyptijs dedit *Ariſtoteles lib.7.Polit. c.10.* maximam aſſerens AEgyptiorum antiquitatem. Neque erit, qui huic veritati eat infícias, vnam ſi demas barbaram gentem è ſordida fæce compactam Turcarum; qui quidem vt *Petrus Bellonus Cenomanenſis* refert *lib. 2. obſeruationum cap. 95.* eos exiſtimant omnium nobiliſſimos, qui prorſus parentes ignorant. Teſtantur etiam hanc noſtram aſſertionem ciuiles leges, *l. 2. §. Quæ omnia, verſ. ſed, & Anatolium in illis verbis, cum ab antiqua ſtirpe C.de veter.iur.enucleat. vbi Alber. & l.1.ff.de cenſib. per ea nobilis regionibus ſerie ſæculorum antiquiſsima*; ita enim legendum eſt ex *Tiraq. de nobilit. cap. 19. num. 4.* ſunt etiam textus feudorum in *§. ſi ruſticus vel ſimiles aduerſa., titulo de pace tenen.* quòd non datur facultas pugnandi contra militem, ni is probauerit, quod antiquitus ipſe cum parentibus ſuis natione legitimus miles exiſtat; vbi notat *Baldus*, quòd quemadmodum vna hirundo non facit ver; ita non ſit de nobili genere, niſi qui probauerit antiquitùs maiores eius fuiſſe nobiles, per *Gloſſ. in l. ſemmata ff. de grad.* Huius etiā loci eſt *Textus C. primi §. cæteri vero, vbi ab Antiquis tēporibus: Tit. Quis dicatur Dux*, Comes, *Marchio, vbi notat* Bald. *quem ſequitur Aluar, ac alij nobilitatem attribui antiquitati*, ita vt omne feudum antiquum poſſet dici nobile; & meritò aſſerat *Ioan. Raimund. in Rubric. de prohib. feud.* feudum receptum de minoribus vaſſallis ignobile dici, ſiue plebeium, niſi ab antiquis temporibus teneatur; cuius rei rationem ad ſequentis numeri calcem adſcribam.

11 Nec me antiquitatis amor adeò tenet, vt hominem nouum virtutibus, atque heroicis inſignitum geſtis viro alioquin auita nobilitate prædito, at ignauo, minimè præferam, cum *Tullio in oratione pro Lucio Murena.* (dicente) *Nec mihi vnquam minus in Q. Pompeio nouo homine, & fortiſsimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo M. AEmilio, Ac de Manlio viro forti, & verè Romano Dionyſius Alicarnaſſeus lib. 4. ait. Quis mentis non expers Manlium generoſum, & clariſsimum Latinorum extruderet, hunc que generum dignaretur accipere, qui nec Triantum quidem haberet.* & apud Saluſtium an team legimus Ciceronis ſententiam. *Quod ex aliena virtute ſibi arrogant, id ex mea non concedunt, ſcilicet, quod imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas eſt. Rurſumque ad hæc alys, ſi deliquere, vetus nobilitas, Maiorum fortia facta, Cognatorū, & Affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præſidio adſunt. Mihi ſpes omnes in memet ſitę, quas neceſſe eſt virtute, & innocentia tutari, nam alia infirma ſunt.* Ratiò autem huius veritatis eſt, quia nobilius prorſus eſt, alijs dare, quàm ex alijs nobilitatem penè mutuò accipere; & cauſa ſuo præſtantior eſt effectu, quem in ſe virtute continet; ac virtus illuſtrat, exornatque magis ſubiectum cui inhæret, quàm quod extrinſecè tantum denominat, ea nimirum, quam ſupra *num.4.* expoſuimus, ratione. Merito itaque Tullius in eadem oratione, qua Saluſtio reſpondiſſe fertur. *Ego* (inquit) *meis Maioribus virtute mea præluxi, vt ſi prius noti nō fuerint, à me accipiant initium memoriæ; tu Tuis vita, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras, vt etiam ſi fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem; ſatius eſt enim me meis rebus geſtis florere, quam Maiorum opinione niti, & ita vt ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Illud ſanè libenter aſſero, ex duobus eiuſdem penè meriti, pariſque virtutis, alterum auita etiam clariorem nobilitate, alteri propria tātum illuſtri, præſtare; nam etſi hunc ignobilitatem ſuperaſſe, atque ex infimo loco ad culmē. per magnos exantlatos labores, ſublimis perueniſſe virtutis cōſtet; nobilitate tamē antiqua, glorioſis Maioribus deriuatam deſtitutū ſupponimus. Demū ratio, cur antiquitas ad nobilitatem conferat, eſt; quia, cum nobilitas virtus ſit originis, vt ſupra dicebam, hæc eò ſuas altius agit radices, quò antiquior eſt. Secundò, quia, quò diuturnior, eò gentilitijs ornatior, atque illuſtrior eſt inſignibus, gloria, atque honoribus. Tertiò, quòd proba, & ad omnem virtutem, eruditionem, atque educationem filiorum auitæ probitatis ſemina ita fouentur, vt in immenſam gloriæ ſegetem in dies creſcant. Quartò, quia defæcat antiquitas ſanguinem, & à turpi ruſticitate magis nobilem genium auocat.

12 *Legitima* in deſcriptione (dixi) *generatione Poſteris communicata*, nam vt generatio, eſt productio Viuentis à Viuente in ſimilitudinem naturæ coniuncto, ſic nobilitatis propagatio aſt uiris nobilibus in filios, poſteroſque quare ad rem *Horatius lib. 4. oda. 4.*

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Et quamuis nobilitas filiorum, ac poſterorum ad parentes maioreſque ex nonnullis textibus videatur aſcendere *in l. Cuperis ia 3. & in l. vltima, verſ. ſimili, vt dicitur forma C.*

de

de prępo.agen.in rebus eodem lib. 12. & alijs, quibus innixni hoc idem docuit Lucas Penna in l. Mulieres col.2.ver.3. ex dignitate C. de dignit. lib. 13. Neque omnino negari poteſt, claritate poſterorum aliqua ratione maiores illuſtrari, vt indicat Textus in l.1. §. Caſum, in illis verbis, Publicum cęcum Aſpernati Nonij patrem ff. de poſtul. quem textum Paulus Caſtrus in l.3. audiuiſſe ſe Baldum aſſerit ponderantem, quia demonſtratio patris ſit aliquando à nomine filij, qui patre nobilior eſt; & in §. Generaliter ibi nobiliores adhuc patres oſtendat, & rurſus in verbis multo maior patribus laus erit: In Authent. etiam conſtitutio, qua de dignitate, vbi Gloſſa in verbo Nobiliores, docet: Nobiliorem patrem per filium eſſe; & rurſus in verbo Occaſionem, dignitatem filij, gloriam eſſe, & laudem patris; verùm & in rigore, & ſępiſſime deſcendere à maioribus ad poſteros nobilitatem certiùs eſt per Textum l.1. ff. de Senat. vbi habetur, conſulares fœminas dicimus conſulum vxores, & ibi Gloſſa, poſt quam Bartolus notat, quam aſſeruimus doctrinam; etſi quæ contraria ſunt iura, ſpecialia docent eſſe; conſonat Gloſſ. in Authent. de conſulib. & Petrus Ancharanus cap.1. & 2. notabili in fine de cognat. ſpirit. & expreſsè Raimundus in tract. de nobilit. 13.q.5. in principio, alijque.

13 Hinc cum Bono Curtilio in tract. nobilitatis 4.par.col.3.verſ. Quid autem in filijs legitimis Tiraq. de nobilit. cap.15. adoptiuos reijcio filios, quod ex ſupradictis, atque expenſis clarè conſtat; ſiquidem hæc generis virtus in iure ſanguinis, vt ita dicam, fundatur, & generatione, quaſi traduce ad poſteros trãſmittitur, vt probè perpendunt Laurentius, et Cardinalis in Clem. Grauis in principio de ſentent. excom. Quod ſi l. liberos, & l. Senatoris filium ff. de Senat. dicantur non modò Senatoris filij, qui ſunt naturales, ſed etiam adoptiui, qui textus in contrarium afferuntur à Raimundo tract. ſępe citato 4.q.5. quia non nihil nobilitatis ex amore, quo adoptati ſunt, in eos deriuatur, id concedi, aliquo pacto impropriè, atque extrinſecè poteſt.

14 Aliter, neque adeo ſcrupuloſè ſentiendũ eſt de legitimis ante dignitatem patris, eiuſque nobilitatem ſuſceptis; quia re vera virtutum ſemina, ac radicalis dignitas innata patri, ſemper fuit, & extrinſeca illa dignitatis, vel nobilitatis actualis denominatio non tãtum momenti affert ad filiorum claritatem; quo circa hos filios etiam nobiles dixerim per textum in l. Senatoris filium ff. de Senat. quo ad rem noſtram vtitur Guigliel. Qua. & ex l. penultima C. de nupt. & l. Cum oportet §. primi Codicis de bonis, quæ liberis ſubſcribit Io. Rainaldus in tract. Nobilium 8.q.5. in principio. Non tamen aliquos eſſe caſus negauerim, in quibus filij ante declaratam patris nobilitatem, gaudere eorum priuilegijs minimè poſſunt, quare Bartol. in l.2. §. in filijs ff. ff. de decur. docet, nobilitatem patris non tranſire ad filios ante natos, ac proprerea huiuſmodi filios non puniri ſtatuto pœnam aggrauante nobilium; quod in hoc caſu expreſsè refert, ac ſequitur Bald. in l. nuptialis §. bis illud ante finem C. de nupt.

15 Amonendi tamen ſunt à nobilitate filij non legitimi, qui Reipublicę ſępe ſępius ſunt peſtes, tum ex his, quæ primo huius libri capite diximus, tum per ea, quæ tradidit Bartol. in l.1. col.4. verſ. item pone ex C. de dignit. lib.12. & Bald. in l. Cum legitimè ff. de ſtat. homin. vbi meritò ait, ſordes non mereri nominari inter præcipuos l. Humilem C. de inceſt. nuptiar. & idemmet Baldus in Cap. innotuit col. vltima verb. nota quod nobilitas de electione, vbi idem docet, etiamſi illegitimi mater, vi, vel dolo ſuerit deflorata: hinc quum contrariorum eadem ſit diſciplina, nec quoad ſtatutorum pœnas illegitimi habentur, vt nobiles, ſic vt conſuetudine receptum eſſe, idem auctor teſtatur in terris Tuſciæ. Expreſſiùs verò noſtra habetur ſententia in l. Cum antiquioribus col. 3. in 8. queſt. C. de iure delib. vbi nobilitas dicitur non tranſmitti in poſteros, niſi per legitimum Anton. in cap. per venerabilem, Cardin. ibidem Alexan. in 3. not. Qui filij ſint legitimi. Anton. conſil. 54. Petrus Anch. conſil. 389. & alij, quos citat, ac ſequitur Tiraq. de nobilit. cap. 15. à nu. 10. Hinc reijci à ſucceſſione feudorum cap. 1. huius libri dictum eſt, & conſtat ex alijs apud Tiraquellum num. 11. quare neque iure vti gentilitio ſtemmate patris, aut inſignibus, vel donari denominatione familiæ poſſunt illegitimi, vt probè Dionyſ. in l. Cum pater §. mater ff. de leg.2. & conſ. cuius initium eſt, Diligenter conſiderata. Andreas de Iſernia in cap.1. tit. ſi feud. defunct. Bartol. in l. Tutelas in principio ff. de capit. demin. & in l. Ex libera per eum textum, & ibi quoque Cornelius C. de ſuis, & leg. vbi Bald. ita ſcribit fuiſſe deriſum in q. Nobilium de Petramala. Immo eſſe infames ex alijs docet Baldus in l. 1. col.1. C. de iure anul. aureor. & in l. Bonæ fidei col.1. verſ. idem dico C. de iur. iu. an. Matth. de Afflict. in conſtitutionibus Siciliæ incipit proſequentes alijque recentiores. è Theologis verò præter citatos cap.1. diſp.1. Alexand. de Aleſſ. in 5. part. ſum. q.48. memb.4. art.3. §.1.

Ex his fit ob vnum teſtem ſpurium non deferri iuramentum in ſupplementum, defectumque probationis, ſic Rò in l. Admonendi, & ibi Cacia in repetit. col.90. verſ.25. ff. de vir. iuran, addit Bald. in C.1. §. iniuria tit. de pace iuram. firm. apud Tiraq. num.15. Præterea ſpurium non poſſe contra legitimos, ſed

contra

contra ſibi ſimilem ferre teſtimonium ſic *Matth. de Afflict. in tit. de aleator. col. 3. verſ. 36. Andreas de Iſernia in conſtit. Sicilia, incipit, Sicut accepimus, vbi etiam idem Matth. de Afflict. nu. 3.* Nec doctoratus inſignibus donari poſſunt *ex Io. Ligne in proem. Clementinar. & auctoribus proemij lib. 6. Afflict. in Conſtit. Sicilia, incipit, Conſtitutione præſenti col. 2. eſto Cardinalis in contrarium videatur ſcribere.*

16 Illegitimorum ignobilitatem deriuat *Bald. in Cap. per tuas verſ. quæro in honoribus de maior. & obed. ſequitur, & commendat Alexander in l. Ex facto §. ſi quis rogatus col. vltima ff. ad Trebel. Stefanus Bertran. conſ. 169. num. 8. lib. 2. apud Tiraquellum citatum num. 17.* Quamobrem cum ſint infames, in feudis nec etiam legitimati ſuccedunt *ex Cap. Naturales tit. ſi de feud. fuerit controu. inter domin. & agent.* Quia feudum honor eſt, & beneficium ſequitur, tametſi multi ſint in contrarium, inter quos *Bald. conſ. 146. tit. Principis Acaia col. 3. & conſil. 387. dum dubijs ſatisfacit col. vltim. lib. 3.* quibus auctoribus ſubſcribo, ſi legitimatio per ſubſequens fieret matrimonium iuxta ſupradicta *diſp. 3. cap. 1.* dummodo non ex meretrice, vel ſcorto ſuſcepti fuerint illegitimi, vt ſcripſit *Angel. in Auth. quom. natur. efficiant legit. & in §. 1. eiuſdem tituli.* Verùm non mihi arridet fundamentum, quo vtitur *Tiraquellus ſæpè citatus num. 21.* quia nimirum non legitimantur: quod abſolutè admittendum non eſt, vt conſtat *ex citato cap. 1. diſp. 3.*

17 An verò ſint nobiles legitimati, & ex muliere ignobili ſuſcepti, pendet ex quæſtione, An huiuſmodi omnino nobiles habendi eſſent, ſi intercedente matrimonio geniti fuiſſent? & quamuis vxores ignobiles, nobiles fieri probabiliùs videatur *ex l. fœminæ ff. de Senat. & l. cum te, & l. vlt. C. de nupt.* ex multis quos citat, ac ſequitur *Tiraq. de nobilit. cap. 18.* nihilo tamen minus à vera, & ſincera nobilitate compertum habeo deficere, vt ex ipſiſmet terminis patet.

18 Quæ omnia limitanda ſunt in his caſibus, in quibus illegitimi appellatione veniunt filiorum; qui quidem deducendi ſunt ex notatis à *Bald. in l. libertinum C. de interd. matr.* quod probè docuit *Nicolaus Perus in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. chart. 4. col. 3. verſ. vnde cogitandum;* cui do manum, dummodo ſtatutum fuerit de re indifferenti; & de dignitate alijs deficientibus legitimis, per *l. Generaliter §. ſpurios ff. de decur.* & ita in ſpecie conſuluit *Angel. conſ. 30. verſ. quidam autem ſunt. Subſcribunt Nicolaus Perus. in tract. de ſucceſſ. in 3. par. in 4. ſpecie filiorum col. vlt. & alij recentiores.*

19 Non autem me latet communis conſuetudo in contrariam, qua magnarum, ac illuſtrium familiarum illegitimi nobiles habentur, vt de illegitimo Subaudiæ Ducis docet *Raimun. in tract. nobilit. in 2. q. 59.* cui cõſuetudini ſtandum eſſe colligo *ex Bartol. in tract. de inſig. & arb. col. 2. Domin. in cap. ſtatutum l. 2. in principio col. vlt. de hæreſ. lib. 6. Matth. Afflict. in tract. de iure protomiſ. in Gloſſa 1. col. 11. verſ. item quæro, & nos in tra. de contract. aliàs diximus. Nicolaus Peruſ. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. in 4. ſpecie filiorũ;* qui refert in Francia, ac Britannia illegitimos in ſuis armis barram, vt eius vtar verbis, tranſuerſam à ſiniſtra parte in dexterã transferre; & quamuis in Gallia non ſuccedere eos ex conſuetudine teſtetur *Tiraq. num. 25.* priuilegijs, vt plurimum, tamen nobilium, eodem auctore, potiuntur; idem apud Tuſcos & Peruſinos docet *Angelus conſ. 30. Domina Franciſca.*

20 Hæc eadem particula *generationis* tranſuerſales hæredes nobilis viri, in rigore etiam arcet à nobilitate; quia tametſi non me fugiant, quæ pro tranſuerſalibus hæredibus affert *Matth. de Afflict. in conſtit. Sicilia, cuius initium, intentionis noſtræ col. 9. verſ. ſed quæro de quaſt.* cum eodem tamen ea omnia ſic accipio, vt quando in tranſuerſalibus hæredibus eadem ratio dependentiæ ab auis, proauis, atauiſque nobilibus vrget, eiſdem & nobilitatis ſit titulus idem, ſecus verò cenſenda res eſt in eo euentu, quo quis homo nouus nuper nobilitatem aſſecutus eſſet, cui nequaquam ipſius ſucceſſerit frater, aut alius collateralis, quia priuilegium perſonale aliam haud attingit perſonam *ex l. 1. ff. de conſtit. princip. & cap. Priuilegium de reg. iur. in 6.*

21 *Nec proprijs factis obſcurata*, hæc clauſula Probatur primo ex ſacris litteris *ad Rom. 9. Non omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij tantũ ſunt Iſraelitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij;* ſed Iſacidæ ſolum, qui patrum fidem virtuteſque cæteras imitarentur, quaſi filij promiſſionis; ergo idem proportione ſeruanda in poſteris nobilium virorum, quorum mores illuſtres, ac præclara propria viuendi ratione exprimere debent, Hinc *Hieronym. ad Celan ſumma nobilitas clarum eſt eſſe virtute.*

Ariſtoteles autem apud Stobæum ſerm. 84. in lib. de nobilit. qui temporum iniuria perijſſe dicitur, filium nobili genere ortum, moribus vero ruſticis, vitijs, ac probris infamem, *ſimilem* (ait) *eſſe pauperi filio è patre diuite.* Concinit *Claudius Galenus in exhortatione ad bonas artes;* qui cum acute nobiliſſimorum mores, ac vitia peiora, ac probro maiori digna, quam ignobiliorum dixiſſet, proinde addit, *Si quis ſapit, ad exercendam artem ſe conferat, per quam ſi nobilis fuerit*

vide

videbitur genere non indignus, ſin minus, ipſe genus ornabit ſuum; hoc autem vel negatiuè præſtandum ſanguinis claritatem dedecorum tenebris non offundendo; vt enim probè *Boetius in lib. 3. de conſol. Philoſoph. cap. 6. Quod ſi quid eſt in nobilitate bonum, id eſſe arbitror ſolum, vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur, nè à maiorum virtute degenerent*; & præ omnibus acutè *Venuſinus noſter loco ſuper laudato* ait,

Vt cumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Vel poſitiuè nouum gloriæ ſplendorem addendo ſanguinis, maiorumque claritati: ſic *Seneca libr. 1. de ira. Tantumque agmen, (ait) nobilium non inania nobilitatis nomina præferentium, ſed eorum, qui imaginibus ſuis decori ſunt*; cuius loci etiam eſt *Euripidis in in Helena adhortatio græca, latinè ſic reddita*.

Imitare mores
Patris iuſti, filio enim gloria hæc
Pulcherrima, qui ex patre probo natus
Conſentit cum parentibus moribus.

Et ſummopere optandum eſſet, nè verum illud *Homeri* eſſet dictum *lib. 2. Odiſſ.*

Pauci enim filij ſimiles patri ſunt,
Plures peiores, pauci autem patre meliores.

Ad hanc etiam veritatem facit Canonicus textus in *cap. Nos, qui, ibi morum nobilitate, vbi id notat Domin. & Cardin. Alexandr. 40. diſtin. & in cap. penultimo ibi, Virtutum nobilitas de præb. & cap. Nobilis homo de purgat. canonica conſtat nobilem nobilitatem ex prauis moribus amittere; & ibi probè Gloſſa verb. Ingenui mores. Gandere non debet, qui ingenui mores abiecit. & cap. In audientia de ſentent. excommun. & cap. penultimo de cleric. coniug. & cap. 1. de apoſt. & cap. 2. Ne Clerici, vel Monaci; vbi Abbas num. 2.*

22 Quod maximè verum eſſe dixerim de his, qui maiorum nobilitatem Chriſtianis exornant virtutibus, vt probè *Hieronym. ſiue alius auctor fuerit epiſt. ad Demetriad. de virg. Ille (ait) clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integram nobilitatem ſuam ſe ſeruare putet, ſi dedignetur ſeruire vitijs, ab eiſque ſuperari*. Etenim cùm ſupernaturalis filiatio, quam vnuſquiſque habet Chriſtianus baptiſmali gratia nobis communicata, proprijs, quas petit, virtutibus déntur, præcipua nobilitas ſit cęteris præſtantior, ab ea maximè nobiles profectò dicimur; quare bene *Paulinus, ſiue Hieronym. Nec intereſt, qua quiſque conditione natus ſit, cum omnes in Chriſto renaſcamur*; Et quamuis hæc nobilitas apud Deum talis ſit, vt ſupra nos *num. 2. & 8.* diximus, negari tamen minimè poteſt, ciuilē, politicamque, quam expendimus, Chriſtianæ Religionis virtutibus, vtpotè maximis, atque heroicis ſummopere illuſtrari; quis enim inficias mihi ibit, virumque Ludouicum, ſanctiſſimos viros, Galliarum, ac noſtri Neapolitani Regni exornaſſe Coronas? Dominicum Guzmanorum familiæ: Aquinatùm Thomam·Ignatium Loiolę: Xaueriæ Franciſcum: Gregorium Nazianzenum: alterumque Magnum, ac ſexcenta Chriſtianæ Religionis ſydera proprijs familijs clariſſimum ſuis virtutibus, atque egregiè pro Chriſtiana Republica geſtis addidiſſe ſplendorem.

23 Nec quempiam moueat *cap. ſcripſit 27. quæſt. 2. & cap. Præſens 20. quæſt. 3. nec non Gloſſa in cap. Ea, quæ in verb. perſonarum delectu*, alijque, qui à Iuriſconſultis afferri ſolent textus, Religioſos viros Religionis ingreſſu nudari nobilitate indicantes; quum hi, vt perpendenti patebit, & probè notauit *Tiraq. de nobilit. cap. 26. à num. 6.* non de generis nobilitate, ſed de titulis eam ornantibus vt ſunt Comitatus, Marchionatus, Ducatus, &c. loquantur. Subſcribunt quamplures, inter quos expreſsè *Bald. cap Cum in magiſtrum, poſt medium de elect. Roman. ſingul. 37. vtrum nobilis*, qui hoc in *Rota* deciſum fatetur, cum eſſet quæſtio de cuiuſdam beneficij impetratione. Ratio autem eſt, quia nobilitas ius eſt, ac dignitas ſanguinis, quę quidem incômutabilis eſt, *l. Ius agnationis ff. de pact. vt probè SuitaK*, quod ſanè per Religioſum ſtatum non expungitur, ſed augetur. *Bartolus* hoc idem voluit in *cap. tua nos col 1. de teſtam. & conſ. 73. Magnanimus ac alibi*; probat præterea eruditè *Sanch. libr. 7. oper. moral. cap. 12. num. 13.* Chriſtianis igitur, ac Religioſis virtutibus exornatur potius Nobilitas, cuius principis noſtrę ſententiæ ratio eſt; quòd maiorum virtutibus non tantum inſit virium ad illuſtrandum vnum è poſteris, quaſi extrinſecè ei nobilitatem appingendo, quantum habent, vt eûdem fœdent propria turpiter geſta, & vitia. Quamobrem innata virtutum auitarum radix, abortiuo quaſi fœtu, in virulentas ruſticitatis ſpinas erumpens, dedecori potiùs ei vertitur, quàm gloriæ; in quem meritò agbr, quique de nobilitate ſcribunt, ac alij ferè paſſim auctores, inter quos videndus *Bartolus in l. 1. col 5. verſ. Item reprobat C. de dignit. lib. 12.* Nec meum pigeat lectorem legere *Iuuenalis* carmina, rem acu tangentis *ſatir. 8. circa medium*.

Quod ſi præcipitem rapit ambitus, atque libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures:
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis,

Omne

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.

Et quod probro non verteretur plebeio, vel obſcuro, atque homini nouo peccanti, eſſet id quidem nobili turpe; quia, vt probè *Marius apud Saluſtium,* maiorum gloria & poſteris quaſi lumen eſt: neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.

24 Nullus diuitijs in mea nobilitatis deſcriptione fuit locus; cùm ab eorum abhorreā opinione, qui nobilitatis ſplendorem non magnanimitatis, magnificentiæ, iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, ac reliquarum virtutū, ſed auri eſſe immeritò putant; quos toto cœlo errare dixerim; nam, vt probè *Lactant. lib. 5. qui de iuſtitia eſt capit. 16. Diuitiæ,* ait, *non faciunt inſignes, niſi quos poſſent bonis operibus facere clariores.* Ratio eſt, quia, quod vile in ſe eſt, ſummum dare locum, aut excelſam parere gloriam haud poteſt, ſubſcribit *Bart. in l. 1. col. 3 verſ ergo quær. C. de dignit. Bald. in cap ſedes col. vltima de reſcript.* vbi meritò Innocentium in contrarium dedeclinantem reprehendit; hos ſequuntur multi, quos laudat, ac ſequitur *Tiraq. cap. 3.*
25 *de nobilit. num. 13.* Nec tamen eius ſententiæ ſum, vt negem, diuitias remotam eſſe nonnunquam nobilitatis occaſionem, & aliquo pacto cauſam, quod ſæpe ſæpius feliciſſima ea tempeſtate, ac ſeculis planè aureis evenit; quando virtuti, ac fortiter pro Republica geſtis, agrorum, feudorum, illuſtriumque titulorum ſeruabatur pręmium: neque huiuſmodi ornamenta, ac decora, nomina venalia vllo pacto erant; quando nobilitati, vt aſſeclæ ancillario quaſi munere inſeruiebant diuitiæ; vt igitur è maiorum fortiter in bello, prudenter in Republica adminiſtranda geſtis nonnunquam emanabāt benè parta: ſic etiam aio, nonnunquam, remotè tamen, eas nobilitati præbere occaſionem; ſecus ſi malis eſſent artibus comparatæ, vt probè *Matth. Afflict. cap. 1 col. 2. verſ. cum illud, quod dicitur, ſit; de pact. iuram.* & fauet *l. Cura §. de muner. & honor. & alij apud eum:* cùm ex fœtido cœno illud aurum obſcuritatem potiùs valeat tribuere, quàm claritatem; atque benè parta pecunia ad optimam filiorum inſtitutionem, ac nobilium, qui eos nec dedignantur, conſuetudinem conducit, ſic ex ea animos hauriunt atque inſtituuntur filij ad gloriam; fauent *Bart. & Bald. modo citati.* Sunt etiam diuitiæ ornamenta penè neceſſaria nobilitatis; non ſecus ac veſtimenta, ſeu tegumenta hominis, auctore *Ariſtotele libr. Ethic. ad Nicomac. 1. cap. 8. ad finem,* docente *felicitatem,* hoc eſt nobilitatem (vt ex græco vocabulo deducit *Tiraqu. cap. 3. num. 12.*) *Externis bonis indigere; fieri enim non poteſt, aut non facilè, vt, cui neceſſaria non ſuppetunt, is bona, atque honeſta agat;* hnc facit illud *Euripidis apud Stobęum ſerm. 89.*

Scis ne, quod nobiles quidem mortalium
Dum pauperes ſunt, non amplius clareſſunt.

Quod certiùs eſt de diuitijs auitis, auctore *Philoſopho lib. 2. Rhetor. ad Theodect. cap. 9.* Etenim inuoluntaria paupertas ad ſcelera mortales impellit, vt probè *Caliſtratus libr. 3. in princip. ff de teſt.* Cæterùm cùm vel cauſa remota, vel effectus, vel ornamenta ſint diuitiæ propriæ nobilitatis, eam in rigore minimè conſtituūt, ſpectantes potiùs ad nobilitatem fortunæ *num.* 2. indicatam. Quocirca Piccolomineus, Principes viros ſolùm ab alijs nobilibus, diuitijs illuſtriores, & fortunatos magis, quàm nobiliores dicendos eſſe meritò docet.

26 Præterijt etiam mea deſcriptio patriam; quam etſi non auſim negare nonnihil ad hominum ſplendorem afferre momenti, ex *l. ſi quis,* vbi notat *Saycet. C. de natural. liber. per Gloſſam in l. 1. C. de Alexand. primat. lib. 11.* virum minoris nobilitatis, originem qui duxit ex nobiliſſima Ciuitate, vt ab Vrbe Roma, vel noſtra Neapoli præferendum eſſe nobiliori alterius inferioris Ciuitatis, paria ſi cætera fuerint; at verò poteſt, & antiquitate, & maiorum gloria, ditione, feudis, alijſque titulis hunc etiam illi præſtare; in quo ſenſu ſubſcribo *Bartolo in l. citata, aliſque, quos laudat Tiraqu. cap. 12, num. 1.* Et ſicut in frugibus, pecudibuſque ſoli vbertas, cœlique conditio, ſub quo aluntur ſemina, ad ſeruandam indolem maximè conducunt, ita in re noſtra. Adde arguitiuè non parùm habere momenti ad mortalium nobilitatem, egregiam Ciuitatem, & in ea primos nāciſci honores, vtpote maiores, atque inter nobiles quoſque caput extollere, eiſq; præſtare, vel eos æquare ſplendorem arguit familiæ non vulgarem. Cœterùm, vt probè *Galenus* in exhortatione ad bonas artes. *Si fixiùs, & attentiùs* (ait) *contempleris res hominum, non comperies homines factos illuſtres ex Ciuitatibus; ſed contra per viros bonos, & artibûs praſtantes horum patrias fuiſſe nobilitatas; etenim quod nomen, aut dignitatem habuiſſet Stagyra, niſi per Ariſtotelem contigiſſet.* Neque ſilentio prætereunda ſententia eſt, quam *Cato maior apud Ciceronem de ſenectute retulit,* & Themiſtocles Siriphio cuidam in iurgio reſpondiſſe fertur. Cum enim ille dixiſſet, Themiſtoclem non ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſequntum: *Nec hercle* (reſpondit) *ſi ego Siriphius, eſſem nobilis: nec ſi tu Athenienſis eſſes, clarus vnquam fuiſſes.* Hnc ſpectat, quod nos de-

creatio;

creatione Euæ intra Paradiſi fines Adamo extra producto in noſtra Coſmopœia diximus *quæſtion.* 24. Sic pariter Ariſtoteles glorianti cuipiam, quod magnæ vrbis eſſet, reſpondiſſe fertur τοῦτο σκοπεῖν ἀλλ' ἐὰν μεγάλης πατρίδος ἄξιος ᾖς, idest, *Noli hæc conſiderare, ſed an magnæ ſiue illuſtri patria dignus ſis*. Prudenter igitur, *Ageſilaus ille magnus, auctore Plutarco in Apophteg. Laconicis* à Chori Magiſtro in vltima eius parte collocatus, *Bene ſanè eſt* (fertur dixiſſe) *oſtendam enim non loca viris, ſed viros locis dignitatem conciliare*. Immò nonnullas apud nationes probro ſibi nobiles ducunt vrbes habitare, ſatiùs eſſe rati propria incolere feuda, ditioneſque, vt fusè tradit, proſequiturque *Pogius in ſuo libro de Nobilitate, & Tiraquellus capite ſecundo numero 2.*

27 Hæc autem fusè dicta, ſi vnica definitione dialecticis legibus magis apta ſit animus comprehendere, ita nobilitatem definies. *Perantiqua dignitas à claris parentibus legitimè deriuata in poſteros, quorum factis obſcurata non ſit*. Quid autem claritas importet, atque excludat, diximus *numero quinto*, ſicut & cæteras particulas explicauimus.

Ex his colligo illuſtriorem, vel minus illuſtrem nobilitatem ex ſuper explicatis conditionibus deſumendam eſſe, præſertim ex clarioribus rebus geſtis, & illuſtrioribus maiorum honoribus, & ex diuturnitate temporis, feudorum ditione, qua talis familia illuſtrata eſt; quamobrem nobiliorem meritò duces, cuius parentes, maioreſque Principes fama, atque opinione fuere celebres, vel ex gloria militari, vel ex inſigni prudentia in adminiſtranda Republica, vel ſcientiarum, doctrina, ac ditione, quàm eos, qui honeſtis tantùm maioribus nati ſunt.

28 Colligo ſecundo, ſummopere *Hoſtienſem* diſplicere, qui inſultè, nè dicam imprudenter, occaſionem alijs præbens præbens, vt de eius natalibus minus rectè, quam par eſſet, ſentiant in *Capit. penultimo de prabendis, ac ſæpè aliàs* (ait) *Et ideo propriè nobilitas ſanguinis non eſt alia, quàm ſtercoris, & fœtoris*. quæ tanti viri ore indigna ſunt. Agitare poſſem alia de nobilitate, ni longiùs ab incepto traherer,

§ § §
§

CAPVT II.

An præſtet Epiſcopum nobilem eſſe, quàm ignobilem.

S V M M A.

Quæſtiones diſputandæ, num. 1.
In caſu neceſſitatis, vel euidentis Eccleſiæ vtilitatis nobilis ignobili ſufficientiori præferendus eſt, num. 2.
Ignobilis nobili abſolutè præhabendus, numer. 3.
De Epiſcopo ſpecialiter id probatur, numer. 4.
Nobilis præſentatus, ignobili pariter præſentato præferendus, num. 5.
In diſpenſatione multitudinis beneficiorum compatibilium nobilitati maximè conſulendum, num. 6.
Nobilitas expeditiorem reddit diſpenſationem in deſiderata ætate ad beneficia, numero 7.
Canonicus nobilis ignobilem antiquiorem præcedit, num. 8.
Votis paribus nobilis electus deferendus ignobili, num. 9.
In dubijs fauendum eſt nobilitati, num. 10.
Quomodo intelligatur, quòd Doctor ignobilis nobili præferendus ſit, numero 8. 11. *&* 12.
Quomodo non datur in his exceptio perſonarum, num. 13.
Expenditur Cap. Venerabilis de præbendis, *num.* 14.
Cur Deus elegerit infirma huius mundi, vt confunderet fortia, num. 15.
Adamauit Chriſtus Dominus nobilitatem, ibidem.
Expenditur Cap. Illud diſtinction. 40. *numero* 16.

1 QVid de nobilitate ſentiendum ſit, ſatis explicatum habeo *capite ſuperiori*: ſequitur, vt eam ad noſtrum inſtitutum accomodatam perſequar; ad quod, vt exploratum ſupponimus, quod hiſce adnotauit Hieronymus. *Ille apud Deum præeſt potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas ſæculi, ſed quem deuotio fidei, & ſancta vita commendat. Et Gregorius in cap.* 3. *diſtinct.* 40. *Nos, qui præſumus, non ex locorum, vel generis dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus, nec Vrbium claritate, ſed fidei puritate*; Idemque conſtat ex *Capit. non loca diſtinct.* 40. vt enim ex ſupradictis liquet virtus,

O boni-

bonique mores anitæ nobilitati prorſus præferendi ſunt, quod expreſsè docuere *Baldus in cap. penultimo in fine de probat. per textum in l. Pronuncio, §. Matrem familiæ. Imola in cap. penult. col. 1. de prob.* vbi clarè loquitur de beneficijs Eccleſiaſticis, & alij, quos laudat, ac ſequitur *Tiraquellus cap. 4. num. 16.* cuius ratio petenda eſt ex *num. 22. ſuperioris capitis*, vnde huc deferenda ſunt rationum momenta, clariùs de Epiſcopatu probantia, ſpirituali ſcilicet poteſtate, de qua in præſentia agitur; quippe quæ virtutis potiùs ornamenta, quam ſanguinis ſplendorem ſuo ſibi iure poſtulat. Quamobrem in hoc caſu noſtra non procedit quæſtio, quę tria videtur habere membra. Primum, an in neceſſitatis caſu, qua premeretur Eccleſia, potens, ac nobilis vir præferendus ſit in Epiſcopum? Secundum, an cæteris paribus nobilis ignobili abſolutè præferendus? Tertium, vbi exiſteret dubium, quia nimirum nobilis ad munus Epiſcopale exiſtenti ſufficientia, dubitaretur, an ignobilis melioris conditionis ob ſcientiam, aliaque deſiderata Præſuli ornamenta ei præferendus eſſet, an id fieri poſſet.

1 Prima concluſio. Quando Eccleſia potentiore, nobili, vel ditiore indigeret perſona, ſi hæc aliqua ratione ad Epiſcopale munus ſufficiens eſſet, præhabenda profectò foret cæteris ignobilibus, cętera magis idoneis. In quo ſenſu *Hoſtienſi* ſubſcribo, quem laudat, & ſequitur *Panormitan. cap. Conſtituti il 2. de appellat.* qui in hiſce caſibus ſciētiæ nobilitatem præferendam eſſe docent, tum ibi, tum *cap. officij de elect.* quod iuxta explicatam noſtram aſſertionem, & non alias amplectimur cum *Felino cap. Cum adeò col. 4. de reſcriptis*, ac Theologis, *Alexand. de Hales in 2. part. ſumma quæſt. 136. mem. 1. §. 1. Diuus Thomas quodlib. 6. art. 9. Azor. 2. part. lib. 6. cap. 15. quæſt. 3.* immo in hoc caſu retractandam eſſe electionem, qua ignobilis, alioquin ſufficientior nobili prælatus fuerit docet *Hoſtienſ. in cap. Conſtitutis lect. 11. de appellat*, quem ſequuntur *Panormit. ibi Philipp. Decius col. 11. in fine*; tametſi alij apud *Seluam in tractat. de benefic. 3. quæſt. 7.* contrarium ſentient. Addo *Conſtitutionem Leonis Decimi, Supernæ de gener. Clericor. & Lateran*; quæ cum decreuiſſet perſonis omnibus numeris abſolutis Epiſcopatus, neque in commendam dandos in futurum; Subiungit: *Niſi ratione vtilitatis Eccleſiarum, prudentiæ, nobilitatis, &c. aliter eiſdem fuerit faciendum.* Ratio autem eſt, quia ſuppoſita tum ſufficientia ex parte perſonæ nobilis, tum neceſſitate, vel euidenti vtilitate ex parte Eccleſiæ maior illa ignobilis qualitas, vt valdè accidentaria ſe habet ad regimen, & Epiſcopale munus.

3 Secunda concluſio. Cæteris Ignobili Nobilis abſolutè præhabendus eſt. Hanc aſſertionem, cui omnes, ni fallor, adſtipulari tenentur Authores, primum abſolutè, deinde ad Epiſcopatum coarctatam probanimus; *Deuteronom.* igitur 1. ita apud Vulgatam habemus: *Tuli de Tribubus veſtris viros Sapientes, & Nobiles, & conſtitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, &c. Eccleſiaſt. 10. Beata terra, cuius Rex nobilis eſt*, aut ex alia verſione, *Filius nobilium*, quem locum affert *Bartolus in l. 1. column. 5. verſic. videndum eſt C. de dignitat. libr. 12. & cap. 1. Vidi ſeruos in equis, & Principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſeruos.* Secundò, ex inſtitutis omnium ferè nationum, quorum nonnulla hic inſeram. *Theſeus* igitur apud *Plutarcum* nobiles ab alijs diuiſit, eiſque facultatem condendi, & adminiſtrandi leges dedit; eandem condidit legem Romulus, Auctore *Halicarn. libr. 2. antiquitatum Romanorum.* Solonem Athenienſium Legislatorem his addidiſſe Magiſtratum conſtitutum ex Nobilibus tradiderunt *Ariſtoteles 2. Politicor. cap. 10. & Plutarc. in Solone* ſequuti ſunt Longobardi, quorum iudices nobiles eſſe debebant, vt in *Lombard. titul. de offic. iudic. l. vltima de iudicib.* Germani ſubſcribunt ex *Tacito*; at Veneti huius optimi inſtituti palmam ferunt, cuius regimen cæteris præſtās Ariſtocraticum eſt. Tertiò probatur ex *Ariſtotele Philoſophorum Principe lib. 2. Politicor. citato capite 10. Nobiles*; aſſerente, & & ingenuos ſibi rationabiliter honores arrogare, & *cap. 8. libr. 7.* legem irridet Lacedemonum, Magiſtratum maximum iubentem ex plebeis creari; quam doctrinam è *Platone* ipſius magiſtro accepit *lib. 3. de legib.* inter ſeptem rationes imperandi hanc ſecundo loco conſtituente, vt ignobilibus nobiles imperent. Quartò ex iure ciuili in *l. Honor §. de honoribus in verb. origo natalium ff. de muner. & honor. & l. honores §. Is qui ff. de Decurion.* vbi plebeij Decurionum honoribus fungi prohibentur, ex quo *Bart. l. 1. col. 3. C. de dignitat. libr. 12.* notat plebeium eligi non poſſe ad dignitatem, & in *l. 1.* vbi hoc idem notat *Ioannes Pla C. de coadit. impuber. hor. libr. 10. & in Authentic. Præſides in principio, ibi nobiliores Ciuitatum.* Atque ex alijs ſexcentis textibus, quos, vt fugiam faſtidium, non affero, hæc veritas liquet. Quintò, ratione imitationis; quia plerunque filij nobiles parentum imitantur mores, vt *Cinus* aduertit per *l. Quod ſi nolit §. qui mancipia, C. de poſtulat.* Quare nobilitatem honore habendam eſſe

docet

docet *Philoſophus lib.3. Polit. cap.8.* quia conſentaneum eſt ex melioribus ortos eſſe pręſtantiores, vt è *ſuperiori capite* liquet; ſubſcribit *Panorm. in cap. Venerabilis col.2. de prabend.* vbi allatam rationem indicat. Sextò probatur è ratione gratitudinis, nam Reſpublica illuſtria maiorum nobilium facta, atque egregiè geſta memoria, ac beneficijs colere tenetur ſempiternis. Hinc *Tullius pro Seſtio; Omnes boni ſemper* (ait) *nobilitati fauemus, & quia Reipublica vtile eſt, nobiles eſſe dignos maioribus ſuis, & quia valere debet apud nos ſenes clarorum hominum de Republica meritorum memoria.*

4 Verùm enim verò, vt legem Romuleam omittam, quæ per nonnullos annos illibata viguit apud Romanos, auctore *Liuio 1. decada lib. 10.* cuius hæc erant verba, *Patres ſacra, magiſtratuſque ſoli perागunto, ineuntoq; Plebei agros colunto*: vt miſſum etiam faciam quod *Claudianus libr. 1. contra Eutropium* ſcripſit:

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

Dixi (cæteris paribus) vt vitarem exceptionem perſonarum, de qua *tom.2.lib.6.diſput.5.cap.1.& 2.* Ad Epiſcopatum propriùs accedens, de quo mecum expreſsè ſentit *Azor. part.2.libr 6.quaeſt.3.pro 6.momento*, ac vnam præ omnibus adduco Baſilij ſententiam *epiſt.10.ad Gregorium Theologum. Quanto enim impotentiores redduntur Eccleſiæ; tantò magis dominandi libido in hominibus augeſcit; & hac tempeſtate Epiſcopatus nomen ad infelices homines vernarum filios deuenit; cùm nullus ex Dei famulis ſe ipſum velit contra ipſos introducere.* Qua aurea pene doctrina non lacrymandam modò ſuam tempeſtatem deplorat *Baſilius*, verùm timorem noſtræ incutit, ne ob tenuitatem redditū Eccleſiaſticorum, quibus Epiſcopales donatæ ſunt Eccleſiæ, quarum paupertas in Chriſti membrorum redundat damna, & ob effrænatam dominandi libidinem nouorum hominum à nobilibus viris reſpuātur, atque ab infami mortalium fœce ambitioſè conquirantur; qui abdomini ſuo nati, vt è domeſticis miſerijs emergant, & aliqua in obſcurorum natalium tenebris luce fruantur, Epiſcopatus ambiunt, quibus Hieronymi ad Nepotianum aliò dirigentis ſententia competit. *Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem ſaturare non poteram, nunc ſimilam, & mella faſtidio.* Quamobrem tria maximè *Baſilius* ſupra laudatus videtur optare: primò, nè nobiles Epiſcopale ſubire refugerint onus, ea, quam nonnullæ Eccleſiæ habent, contenti tenuitate; quum, vt citatus, ait, Hieronymus, *Ignominia Sacerdotis ſit proprijs ſtudere diuitijs*: ſecundum, nè Cathedrales Eccleſiæ tanta plerumque laborent inopia, ac tenuioribus fructibus; quibus Epiſcopi nec ad vitam neceſſaria ſæpe ſæpius habeant, nec modum pauperibus conſulendi, propria Epiſcopali gloria deſtituti, quæ, auctore *Hieronymo*, pauperū eſt inopiæ prouidere: ex quo illud *Bernardi* ſequeretur *ſermone 6. in Cantica versùs finem. Vt nec pro Epiſcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatijs, alijſque dignitatibus*, alijs altioribus, *impudenter hodie decertaretur, vt nimirum Eccleſiarum redditus in ſuperfluitatis, & vanitatis vſus diſſipentur.* Quod ab Eccleſia ſua Deus in præſentiarum auertat. Demum, vt obſcurorum, atque ignobilium ambitio frænaretur, nè in expedito campo ad perniciem Eccleſiarum effuſis excurreret habenis: atque in ſordidæ ſeruitutis præmium, Epiſcopatum, excluſis clariſſimis viris, ſibi fauore, ac gratia vindicaret, quod ſua tempeſtate turpiter factum deplorat modo laudatus Baſilius. *Hi nunc fratrē meū ex Nyſa abegerunt, & eius loco virū introduxerunt, immo potiùs mācipiū triobolare.*

Septimò ex ſacris Canonibus probatur concluſio, qui meritò nobiles, ac Principes viros in Eccleſiaſticia dignitatibus reliquis prætulerunt; vt his notat *Abbas cap. de multa num.5. de prabend. Nobiles, ſeu ſublimes. perſona non reprobantur ab Eccleſia, quinimo honorantur in collationibus beneficiorum; & dic ſublimes, ideſt, nobiles quaſi ſupra alios eleuati, ſupra limen poſiti*: hæc ille; quam doctrinam habet etiam *Cap. Dudum lect.1.in 4.notando de elect.* ſentit hoc idem *Gloſſ.in cap.vltimo verb. nobilitati de pœnis per textum in cap. Non ſatis verſ. item ſi conſideranda eſt 83. diſt. & Gloſſ.in cap. ſtatuimus, in verb. potiorem, vbi Baldus de maior. & obed. Goffred. in ſumma tit. de tempore ordinandorum. Sed circa hoſpitalitatem in fine Archidiac.in cap. Hæc autem ſcripſimus ad finem 30.diſt. ac alij*, quos laudat *Tiraqu.cap.20.num.20.num.11. & ex Iuriſconſultis cum Gloſſ.in l. ſocietas contrahitur Baldus, & alij ff. pro ſoc.* qui voluit, vt ad conſequendos Canonicatus æquiparentur nobiles, & docti; dummodo ſufficienti polleant doctrina nobiles; etſi non adeò eximia, vt aduertit *Barb.conſ.35.lib.11.* vbi ait non tantam exigi ſcientiam in nobili, atque in cæteris. Demum demonſtratur concluſio, nam eſto Eccleſiæ regimen monarchicum ſit, vt probè præ cęteris probat *Bellarm. de Roman. Pontific.lib.1.cap.9.* Verùm ſummo paſtori ſic totus orbis commiſſus eſt, vt per multos alios minores paſtores ei ſubiectos regatur; non ſecus, ac diues Paterfamilias multos colit per alios agricolas: vnus Rex quam-

plures Ciuitates, Prouincias, ac Regna per Moderatores, Præſides, ac Proreges: Imperator exercitum, legioneſque per Tribunos, Centurioneſque, quas omnes Eccleſiæ comperere ſimilitudines probat ex ſacris Scripturis, ac ſanctis Patribus in Caluinum, reliquoſque ſectarios *Bellarminus citatus, ac nos libr. 1. diſput. 1. cap. 5. à num. 3.* diximus. Quæ cum ita ſint, vniuerſum Eccleſiæ regimen apud Epiſcopos nobiles, Pontificis quaſi adiutores, potiùs quàm apud ignobiles eſſe debere, meridiana liquet luce clariùs, ex textu etiam in *l. Omnium circa principium in illis verbis, Inter tot nobiles C. de teſtament.* vbi ex eo notant *Bald. Angelus Raph. Franc. Aretin. Iaſon, & alij,* quòd vbi eſt Princeps, ibi eſt, ac præſumitur eſſe copia nobilium: quod etſi Eminentiſſimis comperat Cardinalibus; ſuo tamen modo etiam Epiſcopis, quibus maior eſt iuriſdictionis poteſtas in ſuis Eccleſijs, quàm Cardinalium in Eccleſia ſui tituli, vt *libr. 1. diſput. 2. cap. 5.* probatum eſt. Tandem ſi prudentiſſimi eſſe debent Epiſcopi, vt 1. *libr.* ſcripſimus; nobiles cæteris prudentiores eſſe ſanè præſumuntur per *l. 1. C. qui & aduerſ. quos*; ideoque nobilitas ætatem ſupplet, vt infra corollario tertio dicam, ac docet *Andr. Barul in conſtit. Siciliæ, Incipit, minoribus, ibi Matth. Afflict. col. 4. verſ. tertiò quærit*, Confirmatur præterea ex auctoritate *Hieronymi*, quam *libr. 3. diſput. 3. cap. 1 num. 14* afferemus.

5 Ex his fit, ſi à diuerſis fuerint præſentati Patronis, pari votorum numero, nobilis, atque ignobilis; cæteris paribus præferendum eſſe nobilem; quod aduertunt *Gayg. in Reper. cap. vlt. col. 54. verſ. item attendere poteſt de elect. lib. 6. Philip. de Sarra in cap. cùm autem pag. 152. Lamberc. in tract. de iurepatron. art. 9. quæſt. 5. part. 3. libr. 11.* ac demum *Tiraqu. de nobil. cap. 20. num. 13.*

6 Fit ſecundò, in diſpenſatione multitudinis beneficiorum compatibilium, nobilitati deferendum eſſe, *cap. De multa de præb.* quia nobiles maioribus ſunt beneficijs donandi, vt ibi Expoſitores; idemque conſtat per *Extrau. Execrabilis, §. vnus itaque, & ibi Zenzel in verb. generis claritatem, & per Gloſſ. cap. Cùm adeò de reſcript. vbi Bald. Panorm. & Felin.* quod ad conſiderandam beneficij ſufficientiam, nobilitatis habenda ſit ratio per citatum *cap. de multa, & Gloſſ. in cap. Quærente de cler. non reſid.*

7 Fit tertiò, nobilitatem expeditiorem, faciliorемque reddere diſpenſationem in ætate ad beneficia, & conſequenter ad Epiſcopatum, vt docet *cap. cum in cunctis de elect. notab. 4.* quod factum fuiſſe tempore ſchiſmatis Alexandri, & Federici in Io: Epiſcopo Gratianopolitano auunculo Comitiſſæ Sabaudiæ refert *Tiraq. num. 13. in fine, atque in alijs paſſim.*

8 Fit quartò, Canonicum nobilem præcedere ignobili priùs etiam receptum, ex *cap. Epiſcopos diſt. 17.* vbi hoc notat *Domin. ſubſcribit Barboſ. conſ. 57. & Felin in cap. Clerici, col 2. de iudicijs, Tiraqu. citatus num. 52. & 53.* Sic etiam Doctor nobilis præfertur Doctori ignobili priùs doctoratu inſignito ex *Bald. in l. Nemini C. de aduoc. diuerſ. iud. Felinus cap. Clericis de iudic. num. 3.* qui ibidem confirmat de Canonico allatam doctrinam.

9 Fit quinto, in electionibus, & quibuſque alijs dignitatibus, vbi votes ſunt vndique pares, præferri nobilium nota non modo in ſecularibus, ex *Gloſſ. in §. Item teſtium cap. ſi teſtes 4. q. 3. & Bart. in l. 1. C. de dignit.* verùm etiam in beneficiorum ac dignitatum eccleſiaſticarum electione, vt probè *Innocent. in cap. Dudum de elect. ad verb. Dignitate, & ibi Hoſtienſ. Io. And. in eodem verbo. Panor. in 4. notab. & Ceſar Lamb. in trac. de iure patron. q. 24. art. 1. princip. part. 2. lib. 1. col. 3. verſ. non obſtat etiam dictu, & in 18. q. art. 5. 3. part. lib. 12 Tiraq. cap. 20 num. 8.*

10 Vltima concluſio, in dubijs fauendum eſt nobilitati, ſic *Tiraq. citatus num. 193.* ratio mihi videtur eſſe, quia melior eſt in dubio conditio nobilitatis ob tot hactenus dicta, cum nobilitas gradum adijciat, vt *cap. Dudum de elect. Hoſtien. cæterũ nobilitatis cõtempl. or, §. 1. docet, ex l. Quod ſi nolit, §. qui mancipia ff. de edilit edict & cap De multa in fine de præb. & cap. vlt. diſt. 60.*

11 Obijcies primò ex *Barboſ. conſ. 57. col. 6. verſ. præterea pondero libr. 2. & in cap. Ad aures, col. 4. de reſcript. & in Extrau.* Doctor litteratus ignobilis nobili Doctori æquè docto præfertur, per argumentum à ſimili deſumpto à *Gloſ. in cap. Nũquam 56 diſt.* vbi ait Chryſoſtomus. *Neſcio quomodo ille magis reſplendet, qui ex parentibus à virtutibus prorſus alienis, ipſe tamen fuit de virtute mirabilis: Addit Gloſ. in verb. neſcio, quod ille, qui natus eſt ex parẽtibus prorſus alienis à virtutibus, dum tamen ipſe ſit bonus, melior eſt, quàm ille, qui natus eſt de bonis parentibus, licèt ipſe etiam ſit bonus.* Quare *Panormit. in cap. penult. col. 2. de præbend. Magis commendandum* (ait) *quàm nobilem, ignobilem æquè virtuoſum; quippe qui nullo maiorum exemplo virtutis viam arripuerit.* Cui ſententiæ & Plato, & Socrates videntur adſti-
12 pulari. Reſpondeo, Diuum Chryſoſtomum
in eos dicere, qui obſcuro loco nati in Creatorem iraſcebantur, contra quos etiam agit ſequens *cap. citatæ diſtinctionis, cuius initium Naſci de adult. adiuncta Gloſſa*, ex qua hanc

mihi

mihi videor deſumptiſſe ſolutionem, cui ipſemet Chryſoſtomus fauet, ibidem, qui dixerat. *Immo etiam (ſi quiddam à communi opinione abhorrens dicendum eſt) neſcio, quomodo, &c.* vt ſupra in argumento; quaſi à communi ſenſu diſcedens, per exaggerationem quandam id eſſet dicturus, nec diſcrepat *Abbas, qui loco laudato* expreſſis verbis, non adeò eſſe honorandum docuit ignobilem æquè virtuoſum, ac nobilem; *Quia in hoc duplex* (ait) *decor fulget, & parentum, & proprius*, vt nos *ſuperiore capite num.* 8. 11. *&* 20. Fundamentum autem Panormitani eſt optimum, ex quo maiori habendum eſſe in honore, duplici pollentem dignitate, ſic Comes, & Baro Comiti tantùm præfertur, aut Baroni, auctore *Bald. in l. ſed milites ff. de execut. tut.* quem ſequuntur *Felinus in dicta rubrica de maior. & obed. ac alij à Tiraquello citati cap. 6. num.* 8. Et quamuis magnifaciendi ſint, qui ab obſcuris parentum ſordibus per egregiè geſta emergentes, vt aurum ſplendent; non tanti tamen, ac nobilis ob dignitatem, ac ius clariſſimi ſanguinis diuturno tempore comparatum. Et huius ſententiæ ſunt *Cynus in l. Prouidendũ C. de poſt. Bald. in l. Nobiliores in fine C. de commerc. & mercat.* quatenus præfert omnibus generoſitatem animi magnitudine decoratam; & clariùs in *l. Nemini in fine C. de aduoc. diuerſ. iudic. Panorm. laudatus, & in cap. 1. notab. 1. de don. & alij*, quos laudat, & ſequitur *Tiraquell. capit. 6. numero* 7. neque in argumento citati Philoſophi diſcrepant.

13 Obijcies ſecundò, ſicut apud Deum non eſt acceptio perſonarum, ita neque apud Pontificem *cap. Nouit de iudic.* nam Papæ iudicium cum diuino compoſitum eſſe debet *cap. Vt noſtrum, Vt Eccleſ. benef. &c.* ergo non eſt, cur ignobilibus præferantur nobiles. Reſpondeo ex *Panorm. cap. de multa de præb.* Perſonarum acceptionem cenſeri, cum circa æqualia inæqualitate laboratur; at viris nobilibus, vel doctis cæteri non ſunt æquales: quamobrem, ſeruata cum his inæqualitate perſonarum, non datur acceptio, quod ad noſtrum præſtat exemplum *Iuſtiſſimus Deus 89. diſt. cap. Ad hoc*, ſatis enim abundè communis eſt commenſuratio, ſi præſtantiorum meritorum, atque conditionum perſonis meliora quæque conferantur; immo ſi nobilitati minimè conſuleretur, acceptio tum quidem perſonarum potiùs daretur, quando ignobilis nobili præferretur; nec ſanguinis claritas ſuperiori capite declarata à *numero* præſertim 18. ad Epiſcopatus, cæterarumq. dignitatum faſtigium, ac diſtributionem impertinens eſt.

14 Obijcies tertiò *Cap. Venerabilis de præb.* vbi cum Papæ ab Argentini Capituli Procuratore perantiqua expoſita fuiſſet conſuetudo, qua nullus infimo loco natus ad quandam præbendam admitti ſolebat. Hiſce Papa reſpondet: *Hoc igitur attendentes, quòd non generis, ſed virtutum nobilitas, vitaque honeſtas gratum Deo fecerunt, & idoneum ſeruitorem, ad cuius regimen non multos ſecundùm carnem nobiles, & potentes elegit, ſed ignobiles, ac pauperes, eo quod non eſt perſonarum acceptio apud Deum.* Hæc ille, quæ ex *cap. 1. ad Corinth.* deſumpta videntur. *Videte enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non mul-*
15 *ti nobiles, &c.* Verum vt à nobilitate, vel ignobilitate inquirenda Apoſtolorum abſtineam, ac textus citati Gloſſam miſſum faciam, neſcio quam de Sancto Bartholomeo doctrinam minùs indicantem, vt ex multis notat *Cornelius à Lapide in cap. 1. ad Corinth. verſ. 20. in fine* ex eodem Paulo aſſero placuiſſe D.O.M. per ſtultitiam prędicationis ſaluos facere credentes, ſtultitiam, non modo quoad materiam, quæ crux cum Chriſti fuiſſet, cęco videbatur mundo ſtultitia; ſed quo ad proportionatos etiam miniſtros, pauperes, idiotas, plerumque ignobiles, & apud mundum ſtultos; qui quidem vnicâ Dei virtutem oſtentantes, crucis trophæum ad miraculum per totum circumferrent orbem; diuino prorſus conſilio, id enim in primordijs fidei dicebat, ne, vt ſequitur *Apoſtolus verſ. 29. Glorietur omnis caro.* Sapienter itaque *Ambroſius lib. 5. in Lucam cap. 6. ad illud, elegit duodecim ex eis. Aduerte,* ait, *Cæleſte conſilium non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit, nè traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitijs, ne potentia, nobilitatiſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, vt veritatis ratio non diſputationis gratia præualeret*; quod argumentum æque doctè proſequitur *Auguſtinus de verb. Domin. ſerm. 59. tom. 10.* Cęterum hęc in Eccleſia iam adulta omnino ceſſauit ratio; neque neceſſitas huius vrget, quod *D. Bernard. laudatus ab Antonio Andrea in textu citato* meritò appellat miraculum. Et quamuis apud Deum *non gradus elegantior, ſed vita melioris actio comprobetur*, neque conſiderandum eſt, quis maior ſit in loco, vel ordine, ſed quis iuſtior *40. diſt. cap. Nos qui, & cap. Non loca* veruntamen cum hæc, tum alia à nobis num. 1. allata huic doctrinæ minimè refragantur; quum de nobilibus virtute deſtitutis cum virtuoſis comparatis loquantur.

Adde, non tantùm abhorruiſſe Chriſtum Dominum Epiſcopum animarum noſtrarum à nobilitate, quin à Regia Virginis matris ſtirpe naſci voluerit, *Matt.& Luc.* 1. quin voluerit à nobili præcurſore prænunciari. *Indicauit enim Lucas* (probè ait Maldonatus in 1. Lucæ verſ. 7.) *nobilitatē generis aliquid ad commendandum facere præcurſoris officium: quare reprehendendæ Eccleſiæ non ſunt, quæ in eligendis Sacerdotibus aliquam generis rationem habent.* Quin demum nonnullos & ſapientes, & nobiles etiam in Eccleſiæ infantia ad fidem in Epiſcopos, Apoſtolos, ac Diſcipulos vocauerit, vt Ioannem Euangeliſtam, & Iacobum eius fratrem, auctore *Hieronymo* 1. *tom. in Epitaphio Marcellæ, ſic Dionyſium Areopagitam, Paulum Proconſulem, Nicodemum, & alios.*

16 Obijcies vltimò textum *cap. Illud diſtin.* 40. vbi Ambroſius mulierem intra Paradiſi fines, extra quos virum creatum eſſe eò refert, vt intelligatur non loci, non generis nobilitate, ſed virtute vnumquemque gratiam ſibi comparare: ſubſcribit *Gloſſa cap. Quoniam vetuſto* 24. *quæſt.* 1. *de elect.* vbi alteri pro ſe nobilitatem alleganti reſpondetur *Piſcatori Petro, fabri filio ſucceſſorem quærimus, non Auguſto.* Reſpondeo vtrunque textum, & Gloſſas nobilitatem conferre ſolum cum virtute; quam ei meritò præhabent, vt nos *num.* 1. etiam docuimus.

DISPVTATIO VII.

De Sacri Præſulis ætate.

Quem *Tridentinum ſeſſion.22.cap.2.& ſeſſion.7.cap.1.* rationi conſentaneum expreſſit ordinem ſequor, ac poſt natales ætatem aggredior Epiſcopi exponendam; ad cuius dilucidationem quatuor declaranda ſeſe offerunt. Primum, ætas Epiſcopo abſolutè neceſſaria; Secundum, an validè quis ante illam Epiſcopatum inire poſſit? Tertium, qua ratione, quaue ſub pœna illicitè quis ante legitimam ætatem Prælulatum aſcendat? Demum, cuius ſit, & quomodo probanda hæc ætas?

CAPVT PRIMVM.

A ſacris Canonibus præſcripta Epiſcopis ætas aſſeritur.

SVMMA.

Quæſtiones diſputandæ, num.1.
Triginta requiruntur expleti anni ad Epiſcopatum. num.2.
Inquiſitori cur quadraginta deſiderantur anni, num.3.
Annus trigeſimus Epiſcopi completus deſideratur, num.4.
Et quidem metaphiſicè, ſiue arithmeticè, nec moraliter, n.5.
In eadem die, in qua quis trigeſimum adimplet ætatis annum, eligi in Epiſcopum non poteſt, n.6.
Omne tempus currit de momento in momentũ, vbi contrarium à iure expreſſum non eſt, num.7.
Quo ſenſu intelligendum ſit, diem inceptam habendam eſſe pro completa, num.8.
Septennium ad ſponſalia, ætatem malitia non ſupplente, metaphiſicè completum deſideratur, n.9.
Quid ſentiendum ſit de teſtamento condendo, num.10.
Quid tenendum de ætate anno biſextili completa, n.11.& 12.
Epiſcopi ætas à die natiuitatis computanda, num 13.
Quid in dubio diei, menſis, & anni, num.14.
Non ſatis eſt vltimus trigeſimi anni dies inceptus ad Antiſtitis ætatem, nec decimi ſexti ad profeſſionem, neque integri anni ad tyrocinium, num.15.
Quomodo ieiunium obligat in vltima die, num.16.

Qvatuor hic habeo diſputare: Primũ, Epiſcopo ætatem ex ſacris Canonibus aſſerere: Secundum, num expleti moraliter, vel metaphiſicè, qui ei deſiderantur anni, eſſe debent? Tertium, quid cenſendum ſit de anno biſextili? Denique, quo ex puncto anni computandi ſunt?

2 Prima concluſio, licet antiquitus ad Epiſcopatus faſtigium gradum quis facere minimè potuerit, qui trigeſimum non attigiſſet annum, poſtea verò triginta expleti requiruntur in tota ferè Eccleſia Catholica. Prima pars probatur ex *Conc. Agathenſ. cap. 16.& 17.* habeturque in *cap. Quicumque 77. diſt. adiuncta Gloſſa, & cap. Cum nobis* olim

olim de elect. In qua Epiſcopis ætate præſcripta, chriſtiana, & catholica iudaicam videtur Eccleſiam imitata, cuius obtinuerat vſus, ne ante trigeſimum annum quiſpiam doctoris fungeretur munere: ſic præcurſor Baptiſta huius ætatis populum docere cæpit: imò, & Magiſter, ac Dominus omnium Chriſtus ante hanc ætatem, ad noſtram doctrinam, cum Verbum eſſet Patris Dei, ab hoc munere abſtinuit, ac miro ſilentio ſe continuit. quod licet ſubobſcurè *Sixtus V. de malè promotis in ſua Bulla, incipiente Sixtus Epiſcopus &c.* videtur tamen ſubindicaſſe. Secunda vero pars conſtat ex *Alexādro Tertio in Concilio Lateranenſi, habetur in Cap. Cū in cunctis de elect. & à Tridentino ſeſſ. 7. cap. 1. de reformat. comprobato.* quod decernit, *vt nullus in Epiſcopum eligatur, niſi, qui iam trigeſimum annum ætatis exegerit*; cui omnes accedunt tum Theologi tum Canoniſtæ; quos laudant, ac ſequuntur *Henriq. in ſumma lib. 10. cap. 19. §. 3. & lib. 14 cap. 9. Azor inſtit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 5. Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 34. dub. 20. num. 103. Rebuff. Tract. de pacif. poſſeſſ. num. 84. Menoch. de arbit. caſu 427. num. 34. & alij apud eos*, quæ poſteriora iura videtur *Soarius* non meminiſſe *de cenſuris diſp. 31. ſect. 3. num. 10.* Conſulto dixi in tota fere Eccleſia Catholica; quòd *Rebuff.* ſupra relatus, ex quo *Auguſt. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. alleg. 1. num. 27.* in Regno Franciç hoc non habere locum credant, in quo ad Epiſcopatum quiſque vigeſimum ſeptimum agens annum aptus iudicatur, ex concordatis inter Leonem decimum, & Galliæ Regē; quamuis alij apud *Campanil. dub. 7. diuerſ. vir. canonic. cap. 6. num. 34.* hanc pactionem locum non habere putant in omnibus Eccleſijs Galliæ; quum bulla concordatorum id ſolum exprimat de illis Cathedralibus, quæ in Delphinatu, Comitatu, Dicenſi, & Valentinenſi ſitæ ſunt; vt ex verbis conſtat *Rebuffi in concordia rubricæ de regia ad prælaturas nominatione facienda §. 1.* quamobrem in reliquis prouincijs iuris videtur communis ſeruanda diſpoſitio iuxta *l. Præcipimus C. de ſacroſ. Eccleſ.* Has autem Galliæ, & Prouincias, & Ciuitates, quibus Epiſcopi, & Archiepiſcopi præſunt, enumerat *Barb. 1. part. tit. 1. cap. 7.* Ratio autem, cui ſacri videntur innixi canones, eſt, quia triginta annorum ætas non ad comparatas iam modo ſcientias, quibus pollere debet Antiſtes videtur apta, verùm ad ſufficientem, qua præditus Epiſcopus deſideratur prudentiam; nam eſto *Sapient. 9.* legamus *in antiquis ſcientia eſt, & in multo tempore prudentia; & Eccleſiaſt. cap. 25. Quam ſpecioſa veteranis ſapientia, & intellectus, & conſilium corona ſenum multa ſapientia, & gloria illorum timor Dei*; nihilo tamen ſecius media ætas, conſilium etiam habet firmum; atque in paucis ſaltem ex multis, & præ multis ad culmen Epiſcopatus eligendis multarum memoria rerum ſufficiens inueniri facile poterit ad deſideratam experientiam.

3 Obijcies, Inquiſitor hæreticç prauitatis quadraginta annos natus eſſe debet ex *Clem. Nolentes de hæret.* ſed Epiſcopo ex *Cap. per hoc de hæret. in 6.* Inquiſitoris munus maximè competit; ergo rationi conſentaneum non eſt, vt triginta tantum ſit annorum. Huic argumēto reſpondet *Gloſſa primi textus* hoc eſſe mirandum, ac de arbitrarijs, de quibus neceſſario aſſignanda ratio non eſt. *Panor. vero Cap. Cum in cunctis de elect. num. 6.* rationem eſſe forſitan ait. *Quia promouendi in Epiſcopos tranſeunt, cum magna inquiſitione, præcipiuntur teſtes, & diſcutitur prius promotio in Conciſtorio Papa, collegioque Cardinalium: ſecundo, quia promotus ad tantam dignitatem præſumitur ex omni parte idoneus; ſed offitium inquiſitionis non committitur cum tanta indagatione.* Hęc ille.

Ego vero Præſuli tùm ratione amplitudinis, iuriſdictionis, tum poteſtatis ordinis, iā tantæ dignitatis ſatis eſſe grauitatis opinor, nec à maiori, quam triginta annorum ætate petenda.

4 Secunda concluſio, trigeſimus qui deſideratur ad Epiſcopatum annus, completus vt ſit, neceſſe eſt, ex communi auctorum ſententia, nam eſto *Gloſſa in Cap. Vnico, verſ. compleuerint de ætat. & qualit. in 6.* Epiſcopum dixerit eſſe poſſe, qui trigeſimum tantum attigerit annum, innixa textui *Cap. Cum in cunctis*: verum quia verbi vim, quo vtitur canon *Exegerit* minimè illa perpendit: & quia id à Gregor. *XIV. per conſtitutionem editam 15. Martij* 1591. expreſſis definitum eſt verbis, vt certum, & exploratum habendum, omnium etiam Doctorum conſenſu firmatum, qui *Cap. Cum in cunctis citatum* illuſtrarunt; quorum nonnulli laudantur à *Syluestro*, alijſque de ordinis ſacramento agentibus.

5 Tertia concluſio. probabilius videtur non ſatis eſſe, vt præſcripta annorum ætas moraliter completa ſit; ducor, quia vel vna die deficiente, verè non dicerentur exacti triginta anni, quos exactos præcipuit *Cap. Cum in cunctis citatum.* ſic à pari teſtamentum, in quo quatuordecim deſiderantur anni compleri, vnius tantum diei defectu, nullius eſſet roboris *l. Qua ætate ff de teſtam.* vbi tanquam quid notatu dignum indicatur, ſatis eſſe vltimam 14. anni diem cęptam eſſe, quod ex ſequenti aſſertione magis confirmabitur. Et ſicut pretium legitimum docent communiter DD. in indiuiſibili conſiſtere, ſic in caſu noſtro; & huius ſententiæ ſunt *Alexander de*

Neuo

Neuo, cap. litteras de ſponſ. im pub. in fine: Couarr. 4. decretal. 1. part. cap. 1 num. 2. Henriq. libr. 11. de matrim. cap. 13. num. 2. quatenus aiunt fauore tantùm matrimonij ſatis eſſe, vt incepta ſit vltima 14. anni dies; & fauet *Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſput. 5. num. 4.* Illud autem non negauerim, ſatis probabilem contrariam eſſe opinionem; nam ſi quis eodem ratiocinaretur modo de hac ætate in fauorem Epiſcopi requiſita, ac de ſeptemnio præſcripto in fauorem matrimonij ad ſponſalia, quando malitia non suppleret ætatem; probabiliter admodum ſentiret; ac ſicut nonnulli arbitrantur ſufficere ſeptemnium moraliter completum ad ſponſalia; quia quod parùm diſtat à re, parùm, aut nihil diſtare videtur ex *Philoſopho 2. phyſic.* & fauent *Diuus Thomas in 4. diſt. 17. quæſt. 2. ad 7. Diuus Anton. 3. par. tit. 1. cap. 18. Syluest. verb. ſponſalia quæſt. 2. in principio, vbi Tabien. quæſt. 4. Bartol. à Ledeſm. de matr. dub. 11. fol. 140. Io. Andreas cap. literas num. 2. de deſponſ. impuber. Henriq. cap. Acceſſit de deſponſat. impuber. num. 2.* vbi dicit; *Eſto deeſſet hebdomada, Manuel 1. tom. ſummæ in ſecunda editione cap. 244. num. 2.* Etiamſi deeſſet aliquid ampliùs hebdomada docent *Sotus in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. ad Viuald. in candel. mater. de ſponſ. 1. part. num. 15. & alij*: ſic pariter de triginta Epiſcopi annis quis probabiliter ſanè ſentire poſſet.

6 Quarta concluſio. In eadem die, qua quis trigeſimum adimpleret annum, non poſſet in Epiſcopum conſecrari, penes alteram, quam probabiliorem duximus, ſententiam; ſed requiritur, vt illa dies prorſus excurrerit. Hanc concluſionem, quam apud nullum auctorũ expreſſam inuenio, ſic probo: quia triginta annorum requiſitio fauor eſt ſtatus Epiſcopalis; cùm enim omnium, qui in Eccleſia Dei ſunt, longè altiſſimus, ac perfectiſſimus ſit, vt *lib. 1.* probauimus, ipſius profectò fauor cenſendus eſt, vt in illa quis ad eum promoueatur ætate, in qua morum maturitas, & grata ſplendere ſolet grauitas; hæc enim iuris primaria videtur intentio, vt *cap. Cùm in cunctis* legenti patebit; at quando fauore alicuius tempus à iure decernitur, illud de momento in momentum computandum, & diem vltimam requiſitam eſſe, atque à termino comprehendi, vt exploratum à Doctoribus habetur; ergo, &c. ſic de ætate minori expreſsè definitur *l. 3. §. Minorem ff. de minor.* vt viginti quinque nimirum anni requirantur, ſtando iuri communi; & nè deinceps quis maior dicatur, vel reſtitutionem ampliùs habeat in integrũ; qui quidem anni complẽdi ſunt de momento in momentum: vbi *Gloſſ. verb. Momentum* ait, hoc eſſe fauorem minoris ætatis; ſic de ætate ſexdecim annorũ, & de integro anno nouitiatus ad profeſſionem requiſito ſentiendum eſt, currere nimirum de momento in momentum, vt docet *Sanchez ex multis libr. 2. de matrim. diſp. 24. num. 22.* Confirmatur per diſparitatem ætatis à iure ad cæteros ſacros ordines olim requiſitæ. Etenim *Clem. Generalem* eam decernens ait, *In decimo octauo ad Subdiaconatus, in vigeſimo ad Diaconatus: & in vigeſimo quinto ſuæ ætatis anno ad Presbyteratus ordines promoueri*; at verò *cap. Cum in cunctis* trigeſimum ætatis annum præcipit, vt exegerit Epiſcopus, ex quo diſtincto loquendi modo deduco, hos completos eſſe debere, illos aliorum ordinum inchoatos; vt indicat *Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 12. de reform.* & tradunt Doctores *Nauarr. cap. 25. num. 16. Tolet. libr. 5. cap. 61.* ac reliqui de *Sacramento Ordinis agentes, cum Gloſſ. Clem. citata*: quæ notat, in ablatiuo caſu cum præpoſitione exprimi annos cæterorum ordinum; quem expoſitionis modum inchoationis illius temporis demonſtrare docet: vt præſtant etiam *Ioannes Deli. in dicta Clem. Bartol. in l. ſi cui ff. de legib. Silueſt. ætas 2. num. 4. Panorm. cap. Cum in cum in cunctis de elect. numer. 6.* quod quidem capitulum diſtincto vtitur loquendi modo, qui æquiualet explicanti per genitiuum dictam ætatem triginta nimirum, vt ſit Epiſcopus annorũ; qua loquendi formula completè deſignantur anni currentes de momento in momen-
7 tum. Confirmatur per regulam, quam ex *Ioan. Andrea* tradit *Panormit. cap. 1. ſuper de appellat. & ex Archid. cap. ſi annum ac iud. in 6. & cap. Cum in cunctis de electíon. num. 12.* Omne nimirum tempus currere de momẽto in momentum, vbi aliud à iure non exprimitur, ſaltem reſpectu eius, in cuius fauorem illud tempus exigitur.

8 Objicies, in fauorabilibus dies incepta habetur pro completa *per l. Qua ætate ff. de teſtament.* vbi teſtamenti fauore decernitur dies; qua ætas ad teſtamentum requiſita impletur, ſufficere incepta, vt docent *Gloſſa l. 3. §. minorem verb. momentum ad finem ff. de minor. & ibi Bartol. num. 2. Alberic. in principio, Bald. in fine, ac alij apud Flaminium de reſignat. beneſic. lib. 12. quæſt. 8. num. 19.* Reſpondeo, hanc contrariam opinionem improbabilem omninò non eſſe vt *num. 5.* indicaui, aſſertam tamen habéo probabiliorem; cum non verſemur in re perſonæ eligendæ, vel conſecrandæ fauorabili, ſed odioſa; Fauorabili verò ſtatui Præſulatus, cui ob eius ſublimitatem canones annorum triginta præſcribunt ætatem, quæ quidem de momento in momentum currere, & compleri debet, non ſecus ac ætas minoris, quod eſt in

eius

eius fauorem, vt probè poſt alios ſentit *Molin.tom.2. diſput. 573. §.atque vt à minori ætate.*

9 Illud autem admonuerim, vt cohærenter loquamur, in hac noſtra ſententia ſentiendum quidem eſſe ſeptennium requiſitum ad ſponſalia, malitia ætatem non ſupplente, metaphyſicè omninò completum deſiderari; etenim ſicut illud præſcribitur à iure in fauorem matrimonij, quod fatetur etiam *Sanch libr.1. de ſponſalib. diſput.15. num 2.* ſic ætas triginta annorum in fauorem Epiſcopalis ſtatus ex primario intento, præcipuoque fine, ob quem à iure ſtatuta eſt. Ex hoc autem fine diſpoſitionem fauorabilem, vel odioſam iudicandam eſſe, communis habet doctrina apud ipſummet *Sanch lib. ſpõſal.diſput.1. num.4.* ergo ſicut ætas triginta annorum, vt maturam ad tantam, ac talem dignitatem decreta de momento in momẽtum excurrere debet; ita ſeptennium ad ſponſalia, in quo incipere rationis vſus ſupponitur, adeò ſanè neceſſarius ad matrimonium quaſi inchoatum per *D.Thom in 4 diſtinct.27 quæſt.2.art.2.& conſenſu Doctorum.* cohærenter itaque magis videntur loquuti *Pallad in 4.diſt.38.quæſt.2. num.15. & Sylu. religio 3. quæſt.3. dicto 2.* docentes, vt ſufficientem ad ſponſalia, ita etiam ad decimum ſextum annum, & ad annum integri nouitiatus ſufficere vltimam ſeptennij diem inceptam eſſe: quã ſenſerit *Sanchez* id in ſeptennio concedens *libr. 1. de ſponſal. diſput. 15. num.2.* negans verò in tyrocinij anno, & in ſexdecim annos ad profeſſionem requiſitis *libr.2.de matr.diſput.24. num.22.*

10 His addo vel ſancitam eam eſſe ætatẽ in fauorem teſtamenti, nè ante illam immaturè quis illud condere poſſet; ac tunc tanquã quid ſpecialiter notandum id erit, vtpotè à communi rerum curſu denians; ex quo exẽplum, paritatemque ad alia probè duci minimè fas erit, vt notarunt *Oddo tract. de reſt. in integr. part.1.quæſt.2.art 9. num 54. Molin.tom.1.de iuſt.diſputat.573. Sanch. libr 4. oper. moral. cap 35. num.3.* ac tanquam ſpecialem fauorem teſtamenti in *l.citata ab aduerſarijs num.8.* id decerni; ſecus verò dicendum eſſe in alijs ætatibus, vt cum multis proſequitur *Sanchez citatus num. 4.* vel ſtatutam eam eſſe ætatem in fauorem impuberum, vel ex impubertate excedentium, quibus minor 25. annorum ætas ad validè teſtandum expectanda non eſt; atque adeò lex, vt odioſa firmitati teſtamenti, atque adoleſcẽtibus fauorabilis non præſcribet tempus de momento in momentum currens; at lex noſtri caſus fauorabilis eſt Epiſcopali ſtatui, ac proinde meritò è contrario ætatem præſcribere cenſebitur de momento in momento in momentum currentem. Quare non placet *Aegidius ConinK de matr.diſput. 21.dub.5.num.55.* in contrarium neſcio quid indicans.

11 Ex his infertur primò, cùm ab anno correctionis Romani Calendarij 1582. vſque ad præſentem, quo hæc condo 1634. quinquaginta duo effluxerint anni, caſum euenire non poſſe, vt quis ante legitimam triginta annorum ætatem ad Epiſcopatum promoueatur; verùm vt abſolutè doctrinam de illo ſpeciali anno correctionis tradamus, à quo decem deſumpti ſunt dies, probabiliter integrum cenſendum eſſe putamus; ac ſufficientem ætati ad reliquos Ordines ſacros deſideratæ; ſic *Henriqu.libr.10.cap.19. num.2.* quòd hic fauor in præiudicium nullius cedat; idemque iudicauerim de alijs ſimilibus, cùm alij alijs præiudicantibus excepti ſint in Bulla. Nec video, cur contrariam ſententiam appellet probabiliorem *Mart.Forn.de Ordine cap.4.num.6. §.Secundum;* & Recentior neſcio quis, eò vel maximè, quod anni iuxta morem Eccleſiaſticum ab Eccleſia præſcriptum computandi ſint.

12 Infertur ſecundò. Si trigeſimus alicuius in Epiſcopum promoti compleretur annus ſextò Kalendas Martij biſextilis anni, cenſendus eſſet compleri in die ſecundo, qui ſexto Kalendas Martij pariter dicitur, vigeſimo nimirum quinto die menſis Februarii, & non vigeſimo quarto eiuſdem menſis; rationem deſumere mihi videor ex eo, quòd illa dies quæ ſexto etiam dicitur Kalendas, eſt ad complementum omninò neceſſaria quadriennij; nam cum annus dies habeat trecentos ſexaginta quinque, & ſex ferè horas, ex hiſce ſex horis quater ductis, ſingulis quaternis annis vnus conſtituitur dies, qui bis idcirco in vltimo è quatuor annis, qui appellatur biſextilis, enumeratur; igitur ad complementum curſus ſolaris, quem quarto quoque anno, immo ſingulis annis conficit ſol, vel integer, vel per quartam ſex horarum partem diuiſus hic ſpectat dies. quum igitur ſacri Canones trigeſimum expletum in Epiſcopo præſcribant annum, quem de momento in momentum currere demonſtrauimus; conſequenter dicendum eſt, ſi compleatur in anno biſextili ſexto Kalendas Martij numerata ſecunda die, cõputandam, & adimpletam cenſendam eſſe hanc ætatem; ſic de ſexdecim annis ad Religioſorum profeſſionem: de minori ætate & anno nouitiatus ſentiunt *Molina tom.2. de iuſt.tract.2.diſputat.573.& Sanchez libr.2. de matrimon.diſputat.24.num.22.* ac de anno nouitiatus ſubſcribit *Bonac.diſp.8.de Ord.q. 3.punct.1.n.15.verſ.ſed contrariam.*

Epiſco-

13 Epiſcopi ætas computanda eſt ex die natiuitatis, communi Doctorũ conſenſu, apud *Couarr. 4. decretal. 2. part. cap. 8. §. 2. num. 3. & Sanch. lib. 4. oper. mor. diſp. 35. nu. 4.* vniuerſaliter de computatione annorum id docentes, & meritò *Gloſſam* carpentes *Reg. 17. cancellariæ, & Sfortiam Oddo tract. de reſtit. in integ. part. 1. q. 2. art. 7. nu.* 48. qui ſingulariter aſſerunt, quando eſt fauorabile probi, vt ſtatutum minoris ætatis à die conceptionis deſumendam eſſe ipſam ætatem; etenim numerationem annorum à die ortus generali, tritoque vſu acceptam eſſe quis non videt? ſubſcribit *Mendoſ. de ætate minori cap. 1. nu. 25.* vbi probe filium ex inciſo matris vtero editum, tunc cenſeri natum, probat, atque ex illo puncto, eius eſſe computandam ætatem, vt opinor etiam de illo, qui ſeptimo menſe, præmaturo matris enixu, naſcitur.

14 Ex hac aſſertione infertur primo, in fauorem, vel maturæ ætatis Epiſcopi, vel Epiſcopalis illam poſtulantis ſtatus, ſi non conſtaret de hora natiuitatis expectandum fore totius diei exitum: quod ſi nec de die conſtaret, ſed de menſe tantum, huius pariter expectandum finem, idemq; ſimiliter de anno, ſi menſis non eſſet certus; quod etiam notarunt *Sforzia Oddo laudatus num. 54. & Sanch. citatus num. 3. nec non Recentior quidã in additionibus Martini Fornarij de ætate de momento in momentum currente vniuerſaliter ſumpta, tractans de ord. cap. 4. verſ. anno biſextili.*

15 Infertur ſecundo, tum ex præcedenti, tum ex quarta aſſertione non ſatis eſſe vltimum trigeſimi anni diem ad Epiſcopatum, vt à pari de vltimo Tyrocinij, ac decimi ſexti anni ad profeſſionem requiſiti ſentit *Sanch. lib. 1. de mat. diſp. 14. num. 22. verſ. cæterum, & de ætate minori verſ. ſimiliter*; quare illicita erit conſecratio, vel electio Epiſcopi, vt *ſequenti cap.* docebimus, ſi mane eius fiat diei, quo Epiſcopus poſt meridiem trigeſimum adimplet annum, quòd hæc ætas de momento in momentum currens computanda eſt.

16 Infertur tertio ex hac annorum ſupputatione de momento in momentum Regula in ætate vigeſimi primi anni ad ieiunij obligationem requiſita probè ſeruanda; vt ſi in die ieiunij vigeſimum primum aliquis conficiat annum, ante punctum, quo illud complet, ientaculum poſſit ſumere; quod ante illud præcepto non tenebatur ieiunij; quo ſumpto, in reliquo diei ad ieiunandum non tenebitur; quia non poteſt, quod ſemel licitè fregit, ieiunium ſeruare; ſi autem ante punctum completæ ætatis ieiunium non fregiſſet, illud poſtea tenebitur ſeruare, quia poſt illud punctum præcepto adſtringitur ieiunij, quod, dum non ſoluerat, poteſt nunc, ac tenetur ſeruare. Scio *Ioannem Sancium in ſuis Selectis diſp. 54. nu. 4.* & ex eo Recentiores contrarium ſcripſiſſe, quia præceptum ieiunij totum reſpicit diem integrum; vt indiuiduum obiectum; ſed immeritò quidem, etenim præceptum ieiunij licet quo ad abſtinentiam à carnibus, & vnicam comeſtionem de re indiuidua ſit, quo ad accidentalia tamen, vt eſt hora comedendi, eſt de re diuidua, vt probè *Thom. Sanch. lib. 1. ſum. cap. 19. num. 16.* nec negat *Ioannes Sancius ſaltem poſt meridiem diſp 53. num. 10.* Igitur præceptum quod non potuit, vel non debuit à meridie obſeruari, cum valeat obſeruari hora ver. grat. vigeſima, tunc obſeruandum erit; nam illa eſt res diuidua, in cuius aliqua parte ſeruari poteſt ratio præcepti, vt hoc noſtrum poſt vigeſimam horã vigeſimi primi anni iam completi, idque per vnicam comeſtionem. Confirmatur, quia amens, vel aliquo alio graui impeditus negotio vſq; ad horam ante meridiem, ſi tunc compos fieret mentis, vel extricaretur negotio, teneretur vtique ſacrum audire, licèt præceptum ſacri audiendi omnium conſenſu, rei ſit indiuiduæ, quo ad ſubſtantiam, diuiduæ verò, quo ad tempus; ergo à pari de ieiunio, in hoc etiam adumbrato caſu.

CAPVT II.

An ante aſſertam ætatem Epiſcopatus validè alicui, præſertim infanti daretur.

SVMMA.

Prima opinio abſolutè negans num. 1.
Secunda conferri docens Epiſcopatum inualidè infanti, non Sacerdoti num. 2.
Non eſt quæſtio de infante non baptizato num. 3.
Aetas ad Epiſcopatum præſcripta ex præcepto Eccleſiaſtico tantum neceſſaria eſt. ibidem.
Validè, illicitè tamen infanti Præſulatus conferretur num. 4. & 15.
Etiamſi tranſeat infans ad alterum vitæ ſtatum num. 5.
Non requiritur actus voluntariæ ſuſceptionis num. 6.
Quæ intentio requiritur ad ſuſceptionem Epiſcopatus num. 7.
Sententia negans amenti, qui aliquando vſum habuit rationis, nec Sacramentum petijt, poſſe illud validè excipere num. 8.
Abſolutè amenti validè datur ordinis Sacramentum num. 9. & 10.
Aſſertur in contrarium opinio num. 11.
Reijcitur num. 12.

Cur

Cur in miniſtro conferente requiratur intentio conferendi Sacramentum; ſecus in ſuſcipiente recipiendi? num. 13.

Electio Præſulis ante legitimam ætatem inualida eſt num. 14.

Secus poſtulatio ibidem.

Soluuntur argumenta contraria num. 15.

1 Conſecrationem, & electionem hoc capite comprehendemus. *Supplementum D. Thomæ in 3. part. q.39. art. 2.* Epiſcopatum abſolutè non poſſe Infantibus conferri docet, quod etiam indicare videtur *Sanctus Doctor in 4.diſt. 25. mox citandus, vbi Bonauent. art. 2. q. 2. Riccard. ibidem art. 4 q. 2. & alij.* Cuiuſcunque ſit hæc opinio, quam dicit communem *Bonacina de Sacram. diſp. 8. q. vnica punct. 1. propoſit. 1. n. 4.* illud videtur habere fundamentum, quòd Epiſcopatus, cum in myſticum Eccleſiæ corpus habeat poteſtatem, actum conſequenter requirit Epiſcopi voluntariè ſuſcipientis, qui in infante non poteſt eſſe. Secundò hùc transferri poſſunt, quæ in communem ſententiam, docentem, reliquos ordines ſacros, ab Epiſcopatu diſtinctos, infanti validè conferri poſſe, contorquent *Durand. in 4. diſt. 25. q. 2. & Petrus Soto de inſtitut. Sacerd. lib. 5. de Sacram. ordin.* quorum præcipuum rationis momentum, in acceptatione fundatur Spiritus Sancti, eiuſque gratię, quę in Epiſcopali conſecratione confertur Epiſcopo: atqui infans ętatis defectu ſpontè illam acceptare gratiam non poteſt, ergo neque Epiſcopatu inſigniri.

2 Secunda opinio poteſt eſſe, aſſerens ante collationem Sacerdotij, Epiſcopatum infanti conferri non ſolùm licitè, ſed nec validè poſſe, cui ſubſcribit *ConincK*; qui quidem cum *diſp. 29. de Sacram. ordin. dub. 5. num. 49.* ad ſecundum docuiſſet Epiſcopatum intrinſecè, & ſecundum completam ſuam rationẽ, ſacerdotium includere, ac *dub. 10. num. 101.* quemcumque ordinem factum validè ſuſcipi, vno excepto Epiſcopatu, quin alium ſupponat diſertè docuiſſet; quippe qui Epiſcopatus eſſentialiter ſupponit, immo in ſuo eſſe includit Sacerdotium, conſequenter dicturus eſſet hic auctor, non poſſe infanti validè Præſulatum conferri, quin ille Sacerdotium ſuſcepiſſet; & cum ex communi ſententia hoc infanti poſſe conferri, idem met *dub. 10. num. 97. concluſ. 3.* ſentiat, conſequenter etiam docturus eſſet, poſſe infanti ſacerdotio iam initiato Epiſcopatum dari; fauet *Soarius mox citandus.*

3 Ego verò primam adnoto, non eſſe quæſtionem de infante non baptizato, qui vt patet *tit. de presb. non baptizato*, & Doctorum conſenſu nullius eſt ordinis capax, quum Baptiſmus ad reliqua ianua ſit ſacramenta; quare non baptizatus iterum ordinandus eſſet. De baptizato itaque nos loquimur, de quo

Prima ſit aſſertio, ætas per ſacros Canones Epiſcopali dignitati præſcripta, non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed Eccleſiaſtici præcepti; deduco ex *Archid. Cap. Subdiaconus diſt. 77. Præpoſ. ibidem, qui in contrarium citans Diuum Thomam, ac Bonauenturam, ex Gloſſa præterea in Cap. ſollicit. diſt. 25. Panor. in Cap. Vnicum de cler. per ſalt. prom. num. 5. communem aſſerenti eſſe ſententiam Tolet. in ſum. cap. 61. num. 3. & ex alijs Recentioribus, quos ſequitur Bonacina infra citandus ac Fornar. de ordi. cap. 6. num. 4. verſ. de ſolo* Vtraque aſſertionis pars probatur ex communi Doctorum ſentẽtia, docente, pueros, etiamſi grauiſſimo cum peccato ſacris initiarentur ordinibus; validè tamen cenſendos eſſe ordinatos, ita *Diuus Thomas in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. quæſtione 2. Sotus ibidem q. 2. §. hic breuiter conc. 3. Palud. q. 3. poſt 3. concluſionem Bonauent. art. 2. q. 2. Vazquez diſp. 246. cap. 1. Aegid. ConincK de ſac. ordinis diſp. 20. dub. 10. nu. 97. conc. 3. Bonac. diſp. 8. quæſt. vnica propoſit. 1. num. 1.* & alij paſſim: patebit præterea prima pars ex ſequenti concluſione; ſecunda verò liquet ex cap. præcedenti.

4 Secunda concluſio, etſi non licitè, validè tamen Epiſcopatus infanti conferretur; ſic pro ſecunda ſententia primo loco citati auctores, quibus ſubſcribunt *Soarius 5. tom. de cenſ. diſp. 31. ſect. 1. num. 53. Bonac. citatus nu. 4.* nec diſcrepat *ConincK*, modo Sacerdotiũ ſimul, vel prius Infans ſuſcepiſſet, quam opinionem infra expendemus: cui *Additiones ad Gloſſam Cap. Sollicit. diſt. 52.* fauent. Probatur itaque primò noſtra concluſio, Infans abſolutè capax eſt ſuſceptionis omnium Sacramentorum, quæ aliquam non requirunt eſſentialiter conditionem illi ſtatui repugnantem: atqui Epiſcopatus eſſentialiter acceptus nullam poſtulat ſibi talem conditionem, ergo &c. Maior propoſitio per ſe patet, poteſt enim infans validè ſuſcipere Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam &c. Minor ex ſolutione obiectionum infra patebit. Si autem caſus eueniret, reliqui tunc ordines prætermiſſi abſolutè ſuſcipiendi eſſent; at Epiſcopatus in praxi ſub conditione, propter dubium, quo exiſtente, vt Baptiſmus, ſic etiam, & ordo ſub conditione conferendus eſt; vt notat *Panorm. cap. 1. de cleric. per ſalt. promot. & præpoſitus in Cap. ſollicitudo diſt. 52. Tolet. lib. 1. cap. 72. ad finem* ſpeciatim de Epiſcopatu ſermonem habens, qui ſub conditione, vt paulo ante dicebam, collatus, periculum non habet irritationis, & ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem poſt reliquos ordines

con-

conferendus eſt, atque in tuto, cum facilè id præſtari poſſit, facultas omnis Epiſcopalis tum ordinis, tum iuriſdictionis aſſerenda eſt.

5 Dices primò, repugnare, infantem conſecrari Epiſcopum, quòd ad alium transfertur vitæ ſtatum; qui quidem tranſitus ſine eius libero conſenſu fieri nequaquam poteſt. Verum enim verò hoc minimè ſatiſfacit; nam ſacro Baptiſmatis lauacro infans ad alium ſanè ſtatum longè diſtantem transfertur, quippe quum chriſtianam ineat vitam, atque inſtitutum; nec tamen voluntarius requiritur illius conſenſus. Secundò probatur aſſertio. Rationis vſus in ea Sacramenta ſuſcipiente deſideratur, quæ in aliquo ſita ſunt actu ipſius ſuſcipientis, ſic matrimonium, mutuum contrahentium conſenſum neceſſariò poſtulat: Pœnitentia peccatorum deteſtationem, & confeſſionem, qui actus ſunt pœnitentis, requirit: pariter extremæ vnctionis capax non eſt, qui non potuit defectu ætatis peccare, vt probè poſt cęteros tractat *ConincK de Sacram. ordin. dub. 10. num. 93. §. nec refert, & quæſt. 64. dub. 4. num. 97.* & in Epiſcopatu ſola datur poteſtas quouis actu prior, ergo de illo par non eſt ratio.

6 Dices ex *Diuo Thoma in ſupplemento citato numer. 1.* requiri actu poteſtatem ſuſcipientis circa opus myſticum Eccleſiæ, & ſuſcipientis curam animarum. At nihilo ſufficientius; nam ad Epiſcopatum, vt Sacramentum eſt, non deſiderari hunc ſuſcipientis actum, ex ſuper allatis momentis conſtat: deinde poteſtas hæc, vel eſt ordinis, ac de illa eadem eſt ratio, ac de cęteris ordinum ſacrorum poteſtatibus: vel eſt iuriſdictionis, & hanc non actualem, ſed in radice, ac potentialiter ſumptam de eſſentia Epiſcopatus eſſe demonſtraui *lib. 1. diſp. 1. cap. 4. numer. 6. & 8.* vbi verum eſſe Epiſcopum poſſe, ſine actuali applicata iuriſdictione ad aliquam Eccleſiam docui; vt qui priuaretur, vel ſe per Summi Pontificis licentiam Epiſcopatu abdicaret; vel ſi abſolutè crearetur Epiſcopus, ſine certa Eccleſia, vt *numer. 9. ibidem* probaui, & *numer. 10.* addidi, actualem indiſſolubilitatem cum certa Eccleſia iuris eſſe canonici, & potentialem tantum cum aliqua, de eſſentia eſſe Præſulatus; & quamuis *numer. 16.* docuerim, pactum intercedere inter Epiſcopum, & Eccleſiam, fœduſque matrimoniale, hoc tamen ſatis eſſe potentiale in conſecratione inhibitum, ibidem declaraui; cui non repugnat ætas infantilis; ſicut neque varijs, quæ ſubit puer per baptiſmum oneribus, & obligationibus.

7 Inſtabis ad hæc Præſulis onera, immo ad Sacramentum requiritur intentio: ſed infanti rationis vſu carenti hæc eſſe non poteſt ergo &c. Reſpondeo in hoc caſu, vt ſolent Doctores de reliquis Sacramentis, præſertim Baptiſmi ab infante ſuſcepti, ſufficere nimirum ad id intentionem Eccleſiæ, vt *Sotus de baptiſm. docet in 4. diſt. 25. quæſt. 1. artic. 2. ad 2.* vel efficacem Chriſti inſtituentis voluntatem, vt alij, quod infra rationem pro prima ſententia adductam diluentes, clariùs oſtendemus.

8 Obijcies iterum, amentibus inualidè conferretur Sacramentum Epiſcopatus, ergo & infantibus. *Aegidius ConincK diſp. 20. de ord. dub. 10. num.* 100 in fine negat amentibus, qui quidem aliquando vſum rationis habuerint, nec illud Sacramentum petierint, poſtquam in amentiam inciderunt, validè conferri ordinis Sacramentum; quia, dum tunc ſui compotes illud non expoſtularunt, cenſetur nunc habitualiter eius diſſentire ſuſceptioni; ſubſcribunt *Bonacina de Sacram. diſp. 8. q. vnica punct. 5. propoſit. 1. nu. 3. & alij Recentiores.*

9 Ego vero cum communi Theologorum ſententia, vt videre eſt apud *Valentiam 4. tom. diſp. 9. quæſt. 4. artic. 1. & Reginaldum lib. 3. n.* ... abſolutè inſano, qui nunquam rationis vſum habuit, validè Sacramentum ordinis conferri aſſero, vt de Baptiſmate *Suarius in 3. tom.* ... *cart. comment. artic. 12. q.* ... *& in 3. tom. diſp. 25.* ... rationis vſus, vt probe in *Additamento ad 3. part. Diui Thomæ quæſt. 39. artic. 2. & nos ſupra diximus num. 5.* non deſideratur in Sacramentum ſuſcipiente, niſi quando Sacramentum actum ſuſcipientis petit; non autem, vbi per illud potentia confertur ad aliquod aliud adminiſtrandum, vel conficiendum Sacramentum, vel aliud quippiam ſimile præſtandum, vt in ordine fauet mihi *Gloſſa Cap. Maiores de baptiſ. in verb. perdurare, vbi Innocentius.* Deinde tametſi omnino inuito adulto inualidè conferri Sacramentum conſiſtens in actione ſentiam ex *Innocent. 3. Cap. Maiores modo citato §. item quæritur. Palud. Aſtenſ. Sylueſt. Tabien. Armill.* quos laudant, ac ſequuntur *Henriqu. lib. 10. cap. 14. numer. 3. Tolet. lib. 2. capit. 16. ac alij recentiores.* Quia hæc fuit Chriſti inſtitutio, ex communi Doctorum, atque Eccleſiæ ſententia nobis nota; & quamuis etiam communi ſubſcribam ſententiæ diſcrimen ponenti paruulum inter, atque adultum; in quo non ſolum non repugnantia ad validè ſuſcipiendum Sacramentum neceſſaria, ſed experitio deſideratur, quod quidem de omnibus Sacramentis contra Ca-

ietannm poſt alios probat *Aegid. ConincK q.64.art.8.dub.5.num.100.& 101.* Verùm in reliquis Sacramentis non neceſſarijs contrarium ſentire libet cum *Caietano in 1. part.q. 68.art.7.* cui quoad hoc ſubſcribo; immo cum Innocentio 3. paulò ante citato in fine. Itaque in ordine, de quo agitur, ſi quis antea ſui compos poſitiuè, ac ſimpliciter diſſenſerat ab eius receptione, atque in Epiſcopatum poſtea amens, etſi neque conſentire, neque diſſentire videatur, eius, aio, non ſuſcipere Sacramentum, neque characterem (ſi illum Epiſcopatus nouum imprimit, d: quò *tom.2.* Deo Dante agemus) ratio autem eſt, quia in eo repugnans cenſetur perſeuerare voluntas, niſi probetur mutata *Cap. Prælatum de his, quę vi met. cau. fiũt. Cap. A nobis de ſent. excom: & ex l. Huius in fine ff. de leg.2. & ff. de prob. eum, qui; et docet Diuus Thomas 3. part. q.69. art.12.* Conſultò poſitiuè, atque abſolutè diſſentire diximus; nam eſto ſecundum quid inuitus fuiſſet antea, dum ſui compos erat, vt ſunt, qui metu ducuntur ad ſuſceptionem Sacramenti, ita vt abſolutè hìc, & nunc illud velit ſuſcipere. etſi id ſane nollet, ſi abeſſet metus, tunc verè Sacramentum, de quo loquimur, ſuſciperet poſtea factus amens; quod colligo ex *Innoc. ſupra laudato ac Toletano Concilio 4. cap. 55. docetque ConincK de omnibus Sacram. q.64. art.8. dub. 5. num. 99.* Ratio eſt, quia ſecundum quid tantum fuiſſet ille tunc inuitus, neque abſolute diſſenſiſſet. Quod ſi quis, dùm ſui compos erat, poſitiuè non diſſenſiſſet, in amentiam poſtea cadens ſi ordinaretur in Epiſcopum, validè quidem ordinaretur; quia vt probè Papa loco citato. *Tunc ergo characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis non inuenit obſiſtentem*, & ſimile habetur *de conſecrat. diſt. 4. Quæris à me, & ff. ad S.C. Macedonianum, ſi filius, & ff. de acquir. hæred. Qui in alterna §. ſi is.* Idemque eſſet ſi conſentire videretur amens; cum ille conſenſus non eſſet deliberatus, ac liber; nec diſſentit *D. Thom. 3. part. quæſt. 59. artic. 12. de baptizando ſermonem habens.*

11 Allegato textui obuiam ire contendens *ConincK laudatus num. 101.* Innocentium, reſpondet, non loqui de caſu metaphyſico, ſed de ijs, quæ moraliter decidere poſſunt: vix autem poſſe fieri, vt qui poſt vſum rationis vllo modo nunquam petijt Baptiſmum, intentionem non habuerit aliquan do ei repugnantem: qualis aliqua ratione illa videtur eſſe, qua quis amplectitur aliquam falſam religionem ab eo cognitam, vt neceſſariò repugnantem chriſtianæ religioni; cui, vt vult manum dare, virtualem videtur habere auerſionem, à ſacris chriſtianis; quæquidem intentio habitualiter manet, donec reuocetur; hæc ferè ille.

12 Cęterum miror viri docti animum in hac quieſcere ſolutione, quæ, vt ſincerè dicam, omni ex parte videtur claudicare: Ecquis non videat poſitiuè, & in alio velle chriſtianis non initiari ſacris, neque Euangelicam amplecti diſciplinam, quod præſtat, qui alteri oppoſitæ voluntariè ſe tradit, idem non eſſe, ac merè negatiuè ſe habere; enodis enim res ſanè eſt; nam primum, poſitiuè in alio eſſet diſſentire; ſecundum verò, ſe negatiuè habere; vtque benè *Innoc. loco citato §. item in fine Plus eſt expreſſè contradicere, quàm minimè conſentire.* Verùm quicquid de hoc ſit, licet
13 ſolutio ConincK in aliquo adulto poſſet quidem habere locum; qui cum baptiſmali non peteret expiari lauacro, ei ad ſalutem neceſſario, aliquo pacto contemnere, vel baptiſmo repugnare videretur; at verò Sacramento ordinis, qua poſſit ratione, id aptari, non video; poſſet enim quis adultus, humilitatis ergo, vitæ religioſæ ſtudio, vel alio honeſto fine, duci ad ordinem ſacrum, & à fortiori ad Epiſcopatum recuſandum, paratus alioquin iuſſus excipere; idcirco igitur à mente poſtea deiectus ſacro dicendus ordini abſolutè repugnaſſe, atque in præſentia repugnare. meritò itaque diximus hunc amentem verè futurum eſſe Epiſcopum; vel quemcumque alium ordinem ſacrum ſuſcepturum; & quamuis in Sacramentum Baptiſmi, vel alio neceſſario admittamus cum *Soar. 3. tom. in 3. part. diſp. 14. ſect. 2. concl. 1.* moraliter loquendo, adultum, qui non conſentit diſſentire; at verò in Sacramento ordinis ſecus cenſendum eſt; neque à *Soario* diſſentimus; ſicut enim ille in fine concluſionis primæ, ad extremæ Sacramentum vnctionis, non æqualem deſiderat conſenſum, ac ad Sacramentum Baptiſmi, in quo ianua ſita eſt Eccleſiæ, primaque ſolemnis chriſtianæ fit profeſſio fidei, & in extrema vnctione ſatis eſſe docet generalem voluntatem, qua vnuſquiſque fidelis pœnitens, benèque diſpoſitus omnibus vult frui ſacramentis, atque à Chriſto inſtitutis remedijs ad ſalutem; quæ quidem, opus ſi fuerit, ſibi deſiderat applicari: ita ipſe dixerim ſatis ad ordinem eſſe, vt adulto per baptiſmũ ius ad omnia ſacramenta recipienda (ſi ei conferantur) habenti, animus, & volũtas etiam ſit generalis, quę ab Eccleſia præſumenda eſt, vt in collatione præſumitur extremæ vnctionis, ineſſe fideli ſenſibus deſtituto; quaque illo antequam in amentiam caderet volebat omnibus frui Sacramentis, quibus ſecundum cętera capax

eſſet

eſſet, ei ſi applicarentur. Hanc autem diſpoſitionem, ſine ſpeciali aliqua, ac formali voluntate ad hunc ſufficere ordinem amenti non perpetuò iudicamus.

13 Dices, miniſtro hunc ordinem conferenti talis non ſufficit voluntas; ergo neque ſuſcipienti. Reſpondeo, longè diſparem vtriuſque eſſe rationem; quòd in miniſtro conferenti, intentio tanquam cauſa efficiens aliquo pacto ad Sacramentum concurrit, voluntariè, & humano modo vtique ab eo conferendum; quamobrem, vt ſit illa actualis, vel ſaltem virtualis oportet; in ſuſcipiente vero, vt efficiens cauſa, non deſideratur intentio, ſed ad ſummum tanquam conditio ſubiecti neceſſaria; vt ſacramenti ſuſceptio ſit volita potiùs, quam voluntaris, ad quod declarata voluntas ſufficit. Confirmatur hæc noſtra ſententia ex *Concil. Florentino*, quod tribus tantum dixit perfici Sacramentum, materia, forma, & miniſtro; quæ omnia huic, quod explicamus, conueniunt.

14 Tertia concluſio. Præſulis ante præſcriptam triginta annorum ætatem electio inualida eſt, ſecus poſtulatio. Prima pars habetur *Cap. Cum in cunctis è Concil. Lateranenſi*; vbi Abbas, ac cœteri communiter; cum quibus *tom. 2. diſp. 6. cap. 8.* agemus. Secunda pars probatur, quia quando poſtulatur aliquis in Epiſcopum, ſolum à Romano Pontifice rogatur, vt eum ſoluat pro eius poteſtate à canonico impedimento, in quo diſpenſatus eligi poſſit, & in Epiſcopum creari: ſecus verò res ſe habet, vbi quis ante legitimam electus ætatem Pontifici exhiberetur confirmandus; tunc enim confirmatio ſola peteretur, quæ idoneum eſſe electum, ac requiſitis à iure donatum ornamentis, omniq; canonico impedimento ſolutum certè ſupponit. Confirmatur ex *Cap. Cum Vuitoniẽſis de elect.* vbi à pari de illegitimo electo argumentari poteſt. Secundò, quia vt probè notant *Abbas in Rubricis de poſtulatis poſt Innoc. cap. 1. de poſtul. num. 3. Azor. inſtit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 2. quæſtiunc. 8.* Qui poſtulant, non conſentiunt in perſonam poſtulatam, vt in Eccleſiæ ſponſum; ſed vota ſua in ſuperiorem dirigunt, vt ille admittere velit poſtulatum, eumque impedimento ſoluere; quare in terminis *ab Azorio laudato* hęc ſecunda pars docetur; qui quidem aduertit, non ſatis eſſe, ſi quando confirmatur Epiſcopus trigeſimum exceſſerit annum, ſi, dum fuit electus, non exegerat, citatque Abbatem in *Cap. Cum eo de elect.* quod ſanè in illo titulo non inuenitur; verum ex ſuperioribus aſſerta doctrina ſatis apertè deducitur, & nos proſequemur *tom. 2. lib. 5. dub. 6. ad calcem cap. 8.*

15 Supereſt, vt primæ opinionis num. 1. relatæ rationum momentis ſatisfaciamus. Primo igitur reſpondemus; vt ad ordinem non requiritur illa intentio, ita neque ad poteſtatem per eum validè collatam, vt probauimus. Ad ſecundum reſpondeo, ordinandi tem, verbis formulæ ſolum ſignificare, quid conferatur ordinato, idque non per modum donationis, aut pacti, ad quæ aliqua deſideraretur acceptatio; ſed per modum efficacis operationis; ſicut baptizans gratiam confert baptizato, ad quam non requiritur ſuſcipientis acceptatio; aliàs, qui, dum ordinatur, eſſet planè diſtractus, ita vt nullo pacto aduerteret, quid circa ſe fieret, inualidè quidem ordinaretur, quod falſum eſſe reor.

Non tamen inficior illicitè per fœdum piaculum conferri Epiſcopatum infanti, vt ſæpe indicaui; tum omnium auctorum conſenſu; tum ratione dignitatis ſacri ordinis; tum epiſcopalis officij. Qualis autem ſit hæc culpa, ſubſequens aperiet Caput.

CAPVT III.

Qua culpa, vel cenſura teneretur, qui ante legitimam ætatem in Epiſcopatum promoueretur, & à quo eſſet diſpenſandus.

SVMMA.

Sciens, & volens ante legitimam ætatem ordinari, mortaliter peccaret num. 1.

Nulla tamen afficeretur cenſura num. 2.

Etiamſi per ſaltum ordinaretur num. 3.

Solius Summi Pontificis eſt in ætate diſpenſare num. 4.

Non conſtat de facultate ad exercitium Epiſcopatus ante legitimam ætatem ſuſcepti neceſſaria num. 5.

1 Piaculum eſſe diximus ſuperiori capite Præſulatum aſcendere, ante legitimã ætatem; quale illud ſit, nunc explicãdum. Sit prima cõcluſio, peccaret lethaliter, qui ſciens, & volens ante trigeſimũ annum expletum, ſine diſpenſatione, in Epiſcopum ordinaretur; & eo moraliter maiori

grauitate culpa, quò magie ab ea ætate diſtaret; cum minue ſupponaretur aptne, Colligitur ex communi auctorum ſententia de ſingulie id ordinibue ſacrie docentium, vt videre eſt apud *Setum in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2. verſ. ex que, alioſq; Recentiores*. Hoc verò ſolum, quod in alije ſuſcipiendie ſacrie ordinibue notauit *Nauarr. cõſ. 50. in antiq. de temp: ordinan.* hic libet adſcribere; ſi quis bona fide, parentum teſtimonio innixue, legitimæ putane eſſe ætatie, in Epiſcopum ordinaretur, non eſt, cur ſcrupulis poſtmodum angatur.

2 Secunda concluſio. Nec ſuſpenſione, neque alia Eccleſiaſtica cenſura Præſul ſante legitimam promotue ætatem afficeretur. *Soarium* habeo huius concluſionie fautorem *de cenſ. diſp. 31. ſect. 1. num. 29.* & mihi quidem eſt certa; etenim in euentu, quo infanti infula conferretur, cuine malitia non suppleret ætatem, vt à culpa, ita à pœna etiam eccleſiaſtica illam ſupponente, vt ſic infane excuſaratur, Cæterum abſolutè de adulto probanda res eſt; quem aio, ſponte etiam ad talem ordinis epiſcopalie ſuſceptionem cooperantem, nulla cenſura ligari; probo, quia tametſi in *cap. Cum in cunctis de electione, comprobato à Tridentino ſeſſ. 7. cap. 1. de reform.* prohibeatur non modo conſecratio, ſed etiam ante trigeſimum annum electio, ſicut *ſuperiori cap. num. 14.* diximus; nulla tamen ibi pœna iniungitur; & quamuis me non lateat *Conſtitutio Pij Secundi* pœnam ſuſpenſionie imponentle in præſumentee tantum ante legitimam ætatem promoueri, veſcribit *Tolet. lib. 1. cap. 61.* quam ſuſpenſionem ab exercitio, & vſu talium ordinum, perpetuam eſſe docent *Rebuff. in prax. benefic. part. 2. tit. de cleric. ad ſacros ordines malè promotis. Gloſſa 4. num. 3. Tolet. in ſum. citatus;* & adminiſtrantes in tali ſuſpenſione velit Pontifex incurrere irregularitatem; quæ quidem conſtitutio à *Clemente VIII. in moderatoria bulla alterius Sixti V. contra clericos malè promotos, & Epiſcopos in ordinum collatione peccantes confirmata eſt;* verùm cum in ea nulla expreſſa de Præſulis, vel Epiſcopatue ordina mentio fiat; hinc eſt, vt qui ad Epiſcopatum ante legitimam ætatem propria culpa promotue eſſet, ſuſpenſionem non ſubiret: quod patet primò ex multie illiue conſtitutionie clauſulie, ex quibus in Epiſcopum ſancitam eam non eſſe, vt legenti obuium erit, conſtat: tum quia pœna ſuſpenſionie generaliter lata, ad Antiſtitee non ſe extendere, habetur *Cap. Quia periculoſum de ſent. excom. in 6.* nec me fugit, Hoſtienſem Epiſcopoe à ſuſpenſione beneficij non eſſe immunee ſentire, ſed ſolum ab officij ſuſpenſione: Verùm quia *Gloſſa* contrarium conſenſu Doctorum habet, & neutram ſuſpenſionem generaliter latam ad Epiſcopos latè patere merito docet: & quia *Bonifac. VIII.* hoc videtur declaraſſe *Cap. ſi compromiſſarius de elect. in 6 §. huiuſmodi;* vbi poſt quam compromiſſarium dixerat, qui ſcienter elegit indignum, ab Eccleſiaſticie beneficije ipſo iure ſuſpendi, compromittentee quoque, id ratum ſcienter, ſi habuerine, ſubiungit. *Huiuſmodi pœnam Epiſcopus non contrahit, ſi ad eligendum fiat compromiſſarius, cum de iure nullam ſententiam ſuſpenſionis incurrat, niſi de ipſo expreſſa mentio habeatur.* Cuiue ratio videtur eſſe aſſignata à *Gloſſa verb. de iure, quia nimirum ſpiritualia ſine temporalibus diu eſſe non poſſunt, quæ habent ſe, vt connexa 1. qu. 3. Si quis*

3 *obijceret.* Idem dictum volo de ſuſpenſione contra illos lata, qui alio ſacro ordine per ſaltum inſigniti ſunt, probabiliorem penes opinionem docentem non irregularitatem eoe, ſed ſuſpenſionem contrahere, vt habes *Sotus diſtinct. 25. quæſt. 1. artic. 3. col. penult. caſ. 3. Henriqu. & alij, quos ſequitur Auila diſp. 9. ſect. 1. conc. 2.* Hanc inquam ſuſpenſionem per ſaltum ordinatue Epiſcopue ob dictam rationem non incurret.

4 Tertia concluſio, ſolius Summi Pontificie eſt in ætate Præſulie diſpenſare. docetur generaliter de ætate ad reliquoe ſacros ordinee requiſita, & deducitur à *Toleto in ſum. cap. 61. num. 3. ex Cap. Nullus de temp. ordin. in 6.* ſed, me quidem iudice, non ad rem, quòd ibi prohibetur tantum, nè Antiſtee Infanti primam conferat tonſuram; habetur tamen expreſsè in *Gloſſa Clem. Generalem de ætat. & qualit. in verb. Anno;* doceturque à *Panormit. Cap. Cum in cunctis notab. 4. in fine num. 2.* qui ex Io. Andrea refert, quemdam virum nobilem promotum fuiſſe in Epiſcopum, ex diſpenſatione Pontificie anno ſuæ ætatis decimo octauo, à quo non eſt abſimile, quod de Alphonſo, Cardinali Caraſa, cui decimum nonum aganti ætatis annum in adminiſtrationem data eſt noſtra Archiepiſcopalie Eccleſia Neapolitana, vt refert *Mandoſius in tract. ſignat. grati. rub. de diſpenſat. ſuper retent. propter promotionem ſub principio;* ex quo alij, atque hac noſtra tempeſtate à Paulo V. Pontifice Maximo cum Sereniſſimo Hiſpaniarum Infante, qui ex ephæbie non adhuc exceſſerat vndecimum annum agens in Archiepiſcopum Toletanum promotue eſt. Sine tamen magna cauſa id fieri nequaquam debere, & ratio ipſa monet, docetq; hic Abbas, & noe diximus de impedimento natalium *lib. 2. diſp. 5. cap. 2.* cuiue momenta rationie in hoc etiam impedimento militant. Non omittam monſtrum

ſtrum

ſtrum hic indicare, nunquam antea in Eccleſia viſum ex *Baron. anno Domini 925.* Hugonis filij Hemberti Comitis Aquitaniæ qui nondum quinquennis, pene infans, Remenſis electus eſt Archiepiſcopus, & à Ioanne X. confirmatus; quod malis etiam artibus inductum exemplum, propagatum poſtea eſſe teſtatur idemmet *Baron.* ibidem.

Verum verò aliqua deſideraretur facultas, vt in Epiſcopatu ſuſcepto, defectu ætatis, ritè non electus, vel ordinatus exerceat, non inuenio; nam eſto ſolius Papæ ſit diſpenſare, vt ante legitimam ætatem ſacro initiatus ordine, illius malè ſuſcepti actus exerceat, vt probè Doctores apud *Maiolum lib. 1. cap. 10. Sayrum lib. 6. cap. 12. Nauarr. conſ. 4.* nihilo tamen minus quum ſuſpenſionem ex hac promotione Epiſcopum non contraxiſſe docuerimus, ea diſpenſatione non indigebit, nec de alia facultate neceſſaria mihi conſtat.

CAPVT IV.

Cuius, & quomodo ſit probanda legitima Præſulis ætas.

SVMMA.

Quæſtionis ſtatus num. 1.

Eius intereſt probare nullam Epiſcopi electionem, qui contra illam defectum opponit ætatis num. 2.

Qui actum impugnare conatur, probationis onere grauatur num. 3.

Eodem grauatur, qui incertum aliquid proponit, ibidem.

Secus ſine alterius præiudicio electio ſi eſſet numer. 4.

Quando ætas deducitur ad iuſtificandam electionem à deducente probanda non eſt nu. 5.

Aliter ſentiendum, ſi electio eſſet in alterius præiudicium num. 6.

Quod ætas deducitur ad impediendam promotionem Epiſcopi, à producente probanda eſt num. 7.

Similiter quando ad idoneitatem alicuius probandam affertur num. 8.

Punctum natiuitatis ignotum coniecturis probandum eſt nu. 9.

Coniectura prima ex lib. Plebani, ſeu Curati nu. 10.

Secunda ex parentum libro accedente præſertim iuramento, vel morte alterutrius parentis numer. 11.

Tertia teſtimonium alterius parentis num. 12.

Quarta obſtetricis num. 13.

Quinta conſanguineorum nu. 14.

1 Varijs omiſſis opinionibus, quas referre ſi ex inſtituto velim, immemor ſim propoſiti, quo ſtatui non vltra attingere alienas quæſtiones, niſi quæ huius noſtri tractatus cohærent rebus, in eam abeo probabiliorem ſententiam *Bald. in l. Cum de C. de probat. & Florian. in l. Cum de ætate num. 5. ff. de prob.* ad quam dilucidandam cum *Menoch. lib. 2. præſump. 15. num. 20.* diſtinguendus eſt actus, ex. grat. qui præ manibus nobis eſt electionis ad Epiſcopatum, penes varias temporis acceptiones; vel vt præteritus, vel vt futurus: ſi vt præteritus, aut impugnandus, aut comprobandus; quemadmodum eueniſſe *Cap. Cum Vintonienſis de electione* refertur; item ſi futurus, vel impediendus ne fiat, vel vt fiat perſonæ qualitas, & conditio demonſtranda eſt. His notatis.

2 Sit prima concluſio. Quando electio Præſulis iam habita in iudicium deducitur ob defectum legitimæ ætatis irritanda, eius erit probare, qui exponit, illegitimam. Deduco ex *Baldo in conſ. 66. tractum tale eſt, apparet col. 1. verſ. quo ad vltimum lib. 3. Florian. laudato num. 7. Decio in conſ. 682. num. 13. Gozad. in conſ. 22. num. 13. Menoch. citato num. 21. apud quem Bononienſes, Statuto qualiter procedatur, ſi ſuper ætate contendatur § ſed reſtitutionis.* Ratio eſt, quia præſumitur pro electionis actu, qui oſtendus eſt vltimam habere formam *l. Ab ea parte ff. de probat.* quando actus fuit ſolemniter, atque in debita forma confectus, in eo præſumitur perſonæ habilitas, vt probè *Abbas in cap. cum virum de regular. num. 3. Decius in cap. in præſentia nu. 11. de probat. & Menoch. lib. 6. præſumpt. præſ. mpt. 13. nu. 3.* ſoluens duo Beroi diſſentientis argumenta, parui quidem momenti.

3 Qui igitur actum impugnare conatur, præſumptionem contra ſe habere dicitur, ob quam probationis onere grauatur ex *l. Generaliter § ſi petitum in fine ff. de fidei commiſſa libertat.* Secundò, ætas eſt quid incertũ continuò fluens *l. Proponebatur ff. de iudic.* Ille autem, qui aliquod incertum deducit, probare ſanè tenetur *l. Spadonum § qui ſolutus ff. de excuſ. tutor.* Tertiò, qui deducit tempus, probare profectò debet *l. Eum actum in principio ff. de neg. geſt.* Propius autem ad rem noſtram accedentes aio, aſſerentis, cui collatum eſt beneficium, ſe eſſe ob ætatem inhabilem, intereſt hunc defectum probare; ſic *Io. Andr. in cap. infamibus col. 3. de reg. iur. in 6. Bald. in l. cum te citata C. de probat. Alexander conſ. 147. num. 16. lib. 5. Florian. in dicta l. Cũ*

de ætate num.6.de probat. Alciat. in tract.de præſum.reg.3.præſumpt.14.num. 2. Soncinas *Iunior in conſ.82.num.12.lib.2. Maſcard. lib. 2.de probat.conc.666.num.8. Menoch. de præſumpt lib.2.præſumpt.50.num.26.*

4 Quod ſi electio alicuius in ſolemni, debitaq; forma producta principaliter in alterius tenderet præiudicium, non militaret regula per noſtram concluſionem aſſerta; nam tunc non præſumi perſonæ habilitatem videtur probabiliùs; quemadmodum ſentit generaliter loquendo *Bald. l.* Cum *te col. 2. verſ. interdum ętas non ponitur* C.*de probat. Alciat.in tract.de præſump. reg.2. præſump.14. num.4. Menoch.lib.6.præſumpt.13. Qui ex Decio in cap.Nouit.notab.3.de iudic.* magnum eſſe debere tale præiudicium, probè notat.

5 Secunda concluſio. Quando ætas deducitur ad iuſtificandam electionem, vel conſecrationem Epiſcopi, eam deducens minimè probare tenetur, ita de quocumque in officium, magiſtratum, vel dignitatem ritè alioquin electo, qui ſuam legitimam ætatem haud probare tenetur, ad electionem iuſtificandam docent Cynus, & *Bald.in l.ſepe adducta cum te* C.*de probat.ibidem* Salicetus *col. vlt.verſ.aut quæritur de iſtis. Alciat.modo laudatus num.3.verſ. tertiò fallit Menoch. lib. 2. præſump. 50.num.28.* Ratio autem eſt, quia præſumptio ſtat ex parte electionis in legitima nempe ætate protſus habitæ.

6 Si autem in alicuius præiudicium res cederet, alia quidem ratione iudicanda eſſet, ex his, quæ modo in alia concluſione num. 4. docuimus, vt benè ſcribit *Menoch. laudatus num.29.*

7 Tertia concluſio. Quando ad electionem, vel ad Epiſcopi conſecrationē impediendā, illegitima deduceretur ætas, à Deducente probanda eſſet, ſiue actor, ſiue reus ſit; ſic de omni actu impediente aſſecutionem officij, vel muneris ſentiunt *Petrus Cynus, & Salicet. in dictá lege* Cum te C. *de probat. Io. Andr.in* Cap.*Infamibus de regul.iur.in 6.Lucas de Penna in l.1.col.vlt.*C. *de fidei inſtrum. & iure haſtæ fiſcal.lib.10.Alciat. citatus num. 2.Menoch. laudatus num.30.* Verùm enimverò hæc concluſio ab his auctoribus generaliter notata, minim probatur; probari tamen eam poſſe reor *momento 2.& 3.concluſ. 1.num.3.relatis.*

8 Quarta concluſio. Eligendus, vel conſecrandus Epiſcopus, ſi legitimam habuerit ætatem, eam adducens ad idoneitatem demonſtandam probare debet, ita de omni ſimili electione *Io. Andr.in cap. Infamibus ſæpe citatus de reg iur.in 6.col.3.* Salicet.*in l. Cū te, ſępius adducta col.2. verſ. ſi verò quæritur* C. *de probat. ac alij quos ſequitur Menochius lib.2.præſump.50.num.32.de elect.ad benefic.* loco exempli rem agitans: ratio eſt, quia cōditionem eueniſſe aſſerentis, eam intereſt probare *l.in fidei commiſſi* §.*Cum Pollidius ff. de vſur.& l.ex his* C.*quando dies legati cedat*, neque ſuffragatur poſſeſſio, vt aſſertione ſecunda dictum eſt, cum de electione facienda, vel conſecratione hic ſermo ſit.

9 Cum ætatem Epiſcopus ordini præſcriptam de momento in momentum currere *cap.1.nu.5.& 6.* dixerimus, è re maximopere eſſe ſtatui, hic rationem probandi punctū natiuitatis adſcribere; ætatis poſtea abſolutè probandæ modum allaturus.

Sit igitur quinta concluſio. Cum punctum natiuitatis alicuius in Epiſcopum promouendi incognitus ſit, coniecturis, & præſumptionibus probandus eſt, ſic generaliter ſentiunt *Bald.l.Cum te laudatum num.2.* C.*de probat.conſ.213. Occurrit dubium in fine lib. 2.& conſ.19 Factum tale eſt, quidam vanus col.2.verſ.modo venio lib.5. Alciat.in tract.de præſump.reg.2.præſumpt.14.num.5.& in reſponſ.409.num.2.ac alij quos laudat, ſequiturque Menoch.lib.2.præſumpt.51.num.1.* Quamobrem Obſtetricum, parentum, & vicinorum, maximopere faciet teſtimonium ad natiuitatis punctum agnoſcendum; quas quidē coniecturales probationes ſufficere, quando conditionaliter requiſitæ eſſent, ſentit *Maſcard.lib.1.de probat. concl 675.num. 11.* veluti ſi Sacerdos in Epiſcopum nominaretur, ea ſub conditione, ſi legitimæ fuerit ætatis, & hæc ætas alioquin incognita modo iam explicato probanda eſſet, auctore *Alciato in præſumpt.14.citata num.5.* cum autem punctum natiuitatis ſolum coniecturis probari poſſit, ex quo clam, & in occulto parere ſoleant mulieres, vt diximus, præſumptio iuris habetur, vt vera probatio, etiam in diſpoſitione conditionali; & ni præſumptiua ſufficeret probatio, nulla quidem eſſet conceſſio, ob ſummam probationis difficultatem facta: ſic ex multis in reſcriptis Principum aliquid ſub conditione concedentium, rei præſertim difficilis probatu ſentit *Menochius lib.1.præſumpt.q.37.num.20.*

10 Demum, vt probetur ætas abſolutè in re pręſertim noſtra, primum affero momentum ex libro Plebani, ſeu Parochi petitum; in quem infantium è ſacro fonte eleuatorum nomina, Caio ver.grat.& Titio ſpōſoribus, referenda ſunt, vt in more poſitum fuiſſe olim Apoſtolorum tempeſtate ſcribit *Areopag.in lib.de Eccleſ. Hierarc.* quodq; *à Sacro Trid.* Concil. *ſeſſ.24.cap. 2. ſancitum eſt*; ex hoc inquam libro ſufficientem deduci probationem docent *Sapia in l.De ętate nu. 33. ff.de minor.Mandoſius in comment.ad reg. cācell.reg.18.de ætate pro* Canonicatu *quæſt.10. Sforzias Oddo de reſt.in integ.qu.37.nu.83.&*

alij,

alÿ,quos ſequitur Maſcard.lib.2.de prob.conc. 672. Deciſumque à Romana Rota habetur apud *Verallum deciſ.*314. *part.*1. Et probatur, quia huic libro præbenda eſt fides, etſi priuata ſit ſcriptura per *Bald. in l. vltima num.*9.*C.ſine cenſu.* cum dixit libros cenſus &c.Eccleſiæ conſcriptos ab Eccleſiæ adminiſtratoribus probare;habeturq; expreſsè de noſtro apud *Menoch.lib.*2.*præſump.*51. *num.* 54.*Maſcard.Salicet. & Anchorit.apud eundē* Neque in contrarium facit *Capra conſ.* 57. aſſerens,Plebani ſcripturam omnino priuatam nullam facientem fidem *ex l. inſtrumentū l.Rationes l.Exemplo C. de probat. cui ſubſcripſit Decius in conſ.*120.*num.*1.id ſolum verum habet,quando in aliquo actu ſcriptura deſideratur Notarij authentica, & publica, vt in teſtamento alterius manu deſcripto,quando exploratum eſt,ſcripturam non ſufficere Parochi, cui talis non eſt poteſtas, aut officium; quod ſanè in relatione horum nominum in publicum quaſi album, ac librum relatorum non requiritur, vt probè *Menoch.citatus,Maudoſius vbi ſupra, & Maſcard.lib.*2.*de probat,conſ.*672.*num.*17. *At ipſe cum cap. cum eſſes de teſt. quoad hoc ſentio:* Probat autem hanc ætatem abſolutè ſumptam huiuſdem libri auctoritas, ſic, ſi quæſtio eſſet,trigeſimum primum, an vero trigeſimum exegerit annum promouendus in Epiſcopum,neque de hora, vel de die diſceptatio eſſet,vt in ſimili de ætatis maioris, vel minoris probatione *Menoch. laudatus num.* 56.*&* 57. quòd ſi in libro Baptiſmaris dies etiam notata eſſet,tunc maiori certitudine poſset ætas teneri:etſi hora referretur etiam decurrens de momento in momentum, noſceretur ætas;vt *Monterius,& Rebuffus apud citatum Menochium*.

11 Secundum momentum deſumi poſſet ex parentum libro, vel alia ſcriptura, ſaltem præſumptiuè, quòd veriſimile haud ſit, falſum,in album domeſticum, & priuatum; patrem retuliſſe abſque cauſa; ideoque ſemiplenam ad minimum faciet fidem, ſi Pater iurauerit veram eſſe illam ſcripturam, vti tradit *Cravetta in tract. de antiqu.tempor. in* 8.*part.primæ partis principalis num.*34.*ex ſententia Caſtri conſil.*124.*num.*2. *libr.*1. vel abſolutè,quando Pater eſſet mortuus, quòd mors iuramenti vim habeat *ex Bart.in leg. Admouendi num.* 27.*ff. de iure iur. & alÿs.* Dixi ſaltem præſumptiuè,quum non defuerint Doctores, plenè Patris librum probare, ſcribentes, ſic *Salicet.in leg. Cum te un.*4.*C. de probat. & alÿ, apud citatum Menochium num.*8.*&* 9.

12 Tertium momentum è parentum, vel alterutrius teſtimonio, quod ad ſemiplenam, ſaltem plerunque valere probationem, opinor probabilius cum *Caſtro conſ.* 124. *in cauſa,quæ vertitur coram lib.*1. *Bart.conſ.*42. *in quæſtione vertente colum.* 2. *verſic. nec obſtat libr.* t.Cum reſpondit teſtimonium Matris admiſſæ ad probandam ætatem filij; puta probabiliter, quemadmodum explicat *Menoch.lib.*2.*præſump.*51.*num.* 14. *qui alios pro hac ſententia laudat,& ſequitur*. Conſultò dixi *ſaltem*; nam aliquando plenam facit probationem teſtimonium paternum; vt ex multis alijs laudatus tradit *Menochius*, quando præſertim in graue non cedit alterius detrimentum. *Plerunque* addidi, quia nonnunquam nullius ſane momenti teſtimonium patris eſt, vt ſi cauſam in filium ageret,ſic probè *Bald. conſ.* 19. *factum tale eſt.*

13 Quartum momentum præbet teſtimonium obſtetricum ex *Bartolo in leg. De ætate num.*7.*ff.de minor.*25.*annis poſt Gloſſam in l.* 2. *ff. de ferÿs & l.*3.5. *Due ff.carbo edicto, Menoch.citato num.*29.

14 Quintum ex conſanguineorum, & propinquorum teſtimonio per *Bart. in dicta l. Ætate num.*7.*Sfortiam Oddo de reſt.in integ. q.*37.*num.*48.*&* 59.*& Franc. Neapol in deciſ.*19.*num.*9. cum ortus vicini infantis videatur ex illis eſſe, quæ in notitiam coniuncti,vel vicini facili negotio caduut,vt probè *Bart. laud.num.*7.*Alexand.in l.*1.*num.* 18. *ff. ſi certum petatur,& alÿ*, eo præſertim euentu,quo non momentum natiuitatis, ſed ætas abſolutè probanda eſt, quæ Vicino maioris ætatis,vel Propinquo, qui neque abſens, neque alienus ob ſimultates, quas cum alio exercet vicino, vel propinquo, nota videtur vero ſimilius;ſic benè *Menoch. d num.* 45. ac deinceps.

LIBER TERTIVS.

De proximis ad Epiſcopatum diſpoſitionibus.

REmotas perſonæ in Antiſtitem eligendæ qualitates ſatis explicaſſe ſuperior videtur liber; reliquas vt hic perſequatur, ſupereſt, quæ quidem magis ad materialem cauſam inſtruendam, exornandamque pertinent, atque ad formam Epiſcopatus excipiendam eamdem proximè diſponunt; nec à natura, ſed ad vitæ cultum à virtuoſis ſanè ducuntur mortalium ſtudijs. & quamuis, quas ſacri Canones & concilia in Epiſcopo ſimul deſiderant qualitates, atque ornamenta, videar ſeceinere; quum expenſis eius natalibus, atque ætate ſuperiori libro ad rerum ſcientiam, virtutes, reliquaque decora hoc me conferam explicanda; nihilo tamen minus etiam quòd ea tributa, vt paulò ante dicebam, à natura: hæc verò non ſine D O.M. auxilio libero comparata ſint arbitrio, atque induſtria diſtincto ſanè diſcriminanda erant volumine.

DISPVTATIO I.

De Scientia Præſulis.

Principem inter Antiſtitis ornamenta cæteris præbens facem, rerum ſcientia iure ſibi vendicat locum, quam dilucidaſſe reor, ſi qua Præſulem inſtructum eſſe doctrina docuero, & an potiùs ſacrorum Canonum, vel Theologica.

CAPVT PRIMVM.

Neceſſaria Præſulis aſſeritur ſcientia.

SVMMA.

Epiſcopus doctus omnino deſideratur numero 1. & 2.

Cuius rationis eſſe debeat Epiſcopi ſcientia. num. 3.

Poteſt, & politioribus, & philoſophicis litteris operam dare ad lucrum animarum. nu. 4.

Ratio comparandi ſcientiam. nu. 5.

Cur Epiſcopus doctus eſſe debeat num. 6.

Epiſcopi nomina rerum ſcientiam indicant. num. 7.

Quæ à Tridentino in Præſule deſideretur doctrina. num. 8.

Magiſter, ac Doctor in Theologia idem eſt. num. 9.

Qui dicuntur licentiati. num. 10.

Licentiatis ſacrorum Canonum, vel Theologiæ priuilegia ratione dignitatis doctoribus conceſſa non competunt, quamuis competant, quæ conceduntur ratione exercitij. numer. ibidem.

Sacra Pœnitentiaria litteras licentiati expedire non poſſunt. num. 11.

Licentiatus ſiue iuris Canonici, ſiue Theologiæ Præſul eſſe poteſt. num. 12. & 13.

Ad Epiſcopatum ſatis non eſt iuris ciuilis peritia. num. 13.

Iuris Cæſarei Doctores; Sacra Pœnitentiaria litteras non poſſunt expedire. num. ibidem.

Vel Theologus, vel Canoniſta eſſe debet Epiſcopus num. 14. & 15.

Quando particula Vel cum habeat coniectiuæ num. 16.

Quo publico teſtimonio ſcientia Præſulis conſtare debet. num. 17.

In foro externo hoc teſtimonio comprobatus idoneus eſt. num. 18.

Secus ſi conſtaret, à corruptis doctoribus promotum eſſe. num. ibidem.

Quid indoctus promotus in foro conſcientiæ facere teneatur. num. 19.

Indoctus mortaliter peccat Epiſcopatum ſuſcipiens. num. 20.

Tenetur præterea, vel ſe abdicare Epiſcopatu, vel aſſidua induſtria ſufficientem ſibi comparare ſcientiam. num. 21. 22. & 23.

Nec apud ſe viros habere doctos ſatis eſt. num. 22. & 23.

Quæ ſit eminens, quæ mediocris, quæ idonea ſcientia. num. 23.

Epiſcopus in examine ſciſcitatus, falsò reſpondens vtrumque ſe teſtamentum ſcire, peccat mortaliter. num. 24.

Quæ neceſſario ab Epiſcopo ſcienda ſunt. numero 25.

Quando peccatum ignorantiæ ab Epiſcopo contrahitur. num. 26.

Non eſt vnum ſpecie peccatum, ſed multiplex. num. 27.

Præcep-

Præceptum doctrinæ Præſuli neceſſaria, & poſitiuum dici poteſt & naturale. nu.28.

Examinatores indoctum promouentes in Epiſcopum mortaliter peccant. num.29.

Directè hoc præceptum diſpenſari non poteſt. num.30.

1 Meridiana profectò eſſet in luce cæcutire, ſi rerum ſcientiam, qua pollere Præſulem decet, in dubiũ reuocaremus; explorata enim res apud omnes eſt, vt operoſum potius ſit, è ſacrorum Canonum, Conciliorum, ſapientiſſimorum Doctorum, ac rationis theſauris, nonnulla hìc adſcribenda ſeligere, quàm quærere.

Sit igitur prima concluſio. Epiſcopus Doctus omnino deſideratur: liquet hoc primò ex adumbrato Antiſtite, veteris nempe legis Pontifice *Exod.28.* cuius Rationale hac erat inſcriptum Epigraphe.

Doctrina, & Veritas.

Hinc vt habemus in *Canon. Qui Eccleſiaſticis 37. ex 2. Reg. 5.* prius verbis ſuis os Prophetæ, quàm ſceptro dextram inſtruxit ex *Hieremia 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes*, & *Malach. 2. labia*, inquit, *Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius.* Hinc etiam Magiſter Chriſtus, quàm prædicationis initium faceret, prius in medio Doctorum ſedit audiens illos, & interrogans, ac prius Apoſtolos docuit, quàm ad prædicandum miſerit *Matt. 10.* ac poſt reſurrectionem prius illis ſenſum aperuit ſcripturarum, ac deinceps præcepit, vt euntes in Mundum vniuerſum prædicarent &c. hiſque ſimilia ſapienter exarata leguntur in citato canone. Hoc etiam ſapientiæ ornamentum Epiſcopo neceſſarium indicauit *Paulus 1. ad Timot. 3.* cum Doctorem exquirat, & *ad Titum 1. Oportet Epiſcopum eſſe iuſtum, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* E contra verò, quàm turpe ſit Epiſcopali ſublimitati potiri indoctũ *Eccleſ. 10.* demonſtratur. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis.* Accedunt *Canones Qui Epiſcopus diſt. 25. ex auctoritate Concilij Cartaginenſis 4. cap. 1. Qui Eccleſiaſtici diſt. 36. ex Zoſimo Papa. Omnes pſallentes 38. ex ſeptima Synodo ſeſſ. vlt. cap. 2.* conſonant *Concilium Toletanum 11. in principio: Lateranenſe ſub Leone Decimo Tridentinum infra laudandum: Innocentius etiam Tertius in Cap. Inter cętera de officio iud. ordin. defectum ſcientiæ omnino reprobandum, & non tolerandum monet.* Hinc in ſcientiæ periculo, quod ſubit Epiſcopus, cum rogatur, num vetus, nouumque teſtamentum nouerit? ſe noſſe quidem reſpondet.

2 Hinc conſentanea cõcluſioni ſanctiſſimorum eſt ſententia Doctorum. Areopagita enim de cæleſti hierarchia. *Quoniam, ait, perficiens omnis ſacerdotij ius, & ſcientia à diuina myſteriorum auctore bonitate, diuinis Pontificibus datur iure, ac meritò in Capitibus Pontificum ſcripta diuinitùs tradita ponuntur, quæ compendio, ſcienterque omnem Theologiam, omnem Dei operationem, doctrinam ſanctam continent.* quam infra vberiùs declarat. Accedit *Hilarius lib. 8 de Trinit. Omnium*, inquit, *virtutum Epiſcopalium, eſt ſcientia, & doctrina.* demum omiſſis alijs *Theophilactus in cap. 1. ad Titum. Doctrinam, virtutem, & characterem dixit eſſe Epiſcopi. Vt nos tom. 2. lib. 5. diſp. 6. cap. 8. proſequemur.*

3 Verùm enim verò cuius rationis eſſe ſciẽtia Præſulis debeat, à Theodoreto prudenter indicatur, nã Epiſcopũ ab Apoſtolo Doctoris nomine nuncupatum loco modo laudato, cum eſſe ait, *Non qui ſit eloquentia præditus; qui verborum floſculos pueriliter ſectetur, ſed eum qui eſt eruditus in diuinis, & poteſt ea ſuadere, quæ conueniunt*, ſic in *Cap. Epiſcopus diſt. 37. è Concil. Carthagin. 4. cap. 16.* Legimus. *Epiſcopus gentilium libros non legat, hæreticorum pro neceſſitate, & tempore: & Cap. Sacerdotes ibidem ex Hieronymo ad Damaſum epiſt. 146. Sacerdotes Dei omiſſis Euangelijs, & Prophetis videmus comœdias legere, et amatoria bucolicorum verſuum verba canere, Virgilium tenere, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Quid ſanctiſſimus Doctor, ſi obſcœna tractari ab Epiſcopis (quod Deus auertat) vidiſſet? percurrantur ſubſequentes Canones, *Nonne nobis: Et legant Epiſcopi.*

4 Neque adeò religioſus haberi cupio, quòd, & humanioribus, & philoſophicis præditum litteris nolim Epiſcopum, dummodo huiuſmodi ſtudia animarum curæ impedimento non ſint, & primo Chriſtum noſſe theſaurum, ſcientiæ, ac ſapientiæ, quàm ſecularibus doctrinis, etiam ad bonum ſpirituale imbui, vel imbutis vti contendat; nam vt eruditè *Gratianus Canoni, legimus, diſt. 37.* addidit, *Moyſes, & Daniel omni ſcientia Aegyptiorum, & Caldæorum eruditi fuerunt, & filijs Iſrael, vt ſpoliarent Aegiptios auro, & argento præcepit Dominus moraliter inſtruens, vt ſiue aurum ſapientiæ, ſiue argentum eloquentiæ apud Poetas inueniremus, in vſum ſalutiferæ eruditionis vertamus: Magi*

que;

quoque tria munera obtulerunt Domino, in quibus nonnulli tres partes, moralem, naturalem, & rationalem volunt intelligi. hæc ferè ille adiuncta *Gloſſ.*: vtque non puduit adoleſcentem Dauidem giganteo gladio giganti caput obtruncare, ita (quod præſtitère Sanctiſſimi Præſules, atque Eccleſiæ Doctores) naturalibus etiam ſcientijs, ac diſciplinis, in hæreſum capita, peſteſque Chriſtianæ Reipublicæ, nobis fortiter agendum eſt; tum quia perficiunt hæ ſcientiæ intellectum humanum, quem acuunt *ex Auguſt. in lib. de doct. chriſt. & ex Beda relato in cap. 8. diſt. 37.* ſunt etiam adiumento ad ſenſum diuinarum percipiendum ſcripturarum, *ex Auguſtino citato*, nec non ad ſacram Theologiam; verum *Gregorio Pontifice Maximo auctore in moralibus. Summa cura prouidendum etiam eſt, nè accepta ſapientia cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, & iam ſapientia eſſe nequeat, quæ etſi loquutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obſcuret*, quæ ſi humilitate condita, ſi firmata charitate fuerit, non Præſulibus detrimento, ſed maximo ſanè proximis adiumento erit: ad quorum regimen, vt habetur initio *diſt. 36. Prudentem Epiſcopum oportet intelligi non ſolum litterarum peritia, verùm etiam ſæcularium negotiorum præditum eſſe*.

5 Eo autem medio hæc Antiſtiti comparāda eſt doctrina, quod *Rex Pſalmiſta pſalm. 118.* tradidit *ſuper omnes docentes intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt*. rerum enim ſacrarum meditatione amor accenditur diuinus, quo duce ſine dubio ſcientiarum theſaurum adinueniet Epiſcopus *Guſtate, & videte*, idemmet *Dauid pſal. 33.* ait; nam amoris guſtu ad notitiam peruenitur doctrinarum: quod nec Plato præterijſſe fertur, quippe qui Deum amare idē ac philo-
6 ſophari eſſe teſtatum reliquit. Ratio autem, cur Epiſcopum ſcientia præditum eſſe neceſſe ſit, *ex D. Thoma deducenda 1. 2. quæſt. 76. art. 2.* nam cum ea ſinguli ſcire teneantur, quæ ad ipſorum ſtatum, atque officium ſpectent, & Epiſcoporum munus ſit proprium Doctorum, quibus tanquam Apoſtolorum ſucceſſoribus dictum eſt *Docete omnes gentes Matth. 20.* eam ſaltem callere ſcientiam debent, quæ ad hoc munus obeundum ſatis eſt; nè, vt habetur in principio *diſt. 86. Inferiorum culpæ in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi neſcit, vel negligit*, vt initio ſequentis concluſionis ex Tridentino confirmabimus. Adde Præſulum intereſſe, fidem defendere, ſuffragium in Concilijs ferre, de chriſtianæ religionis miſterijs decernere, quorum exacta notitia eis ex officio, vt magiſtris profecto competit, apud quos ſincera conſeruari poſſit. Idque ex præcipuis muneribus. nominibuſque Epiſcoporum, perſpicuè dilucidari poteſt: nam *Lux mundi Matth. 5.* dicitur Antiſtes; quæ quidem inſtar ſolis ſe diffundat, alijſque ſyderibus, Presbiteris ſcilicet, ſeu alijs Eccleſiaſticis Doctoribus ſuum foeneret lumen. *Præſidem* (inquit *Theophil. 1. ad Timot. cap. 3.*) *ac principem velut ſtellam, & illuminationem docet eſſe, vt ad ipſum omnes defigentes oculos illuſtrentur, atque ducantur in viam rectam*. Lucerna etiam nuncupantur *Matth. 5.* vt omnibus luceant Epiſcopi; *Quomodo enim lucerna* (ait *Chryſoſt. hom. 15.*) *ſi non lucet? profectò inſeparabile eſt lucere à lucerna, alioquin ſi lumen, quod in nobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quid erunt? Matth. 6.* Speculatorem ex ethymologia Epiſcopum *lib. 1. diſp. 3. cap. 1.* diximus, at ridiculoſa (vt quidam vir æque doctus, ac ſanctus dixiſſe fertur) res eſt, & ſic certè periculoſa, ſpeculator cæcus, doctor inſcius, præcurſor claudus, prælatus negligens & præco mutus; cuius eſt, auctore *Gregor. epiſt. 39. lib. 2. indic. 10. de prædicat. miniſt. Semper cogitare, intenſiſſimo timore cōſiderans, quod receſſurus ad percipiendum regnum Dominus, ac talenta ſeruis diſtribuens dicat Luc. 19. negotiamini, dum venio*. Demum Paſtoris obire munus Epiſcopum, nullus eſt, qui non videat. *Veteris autem præcepta legis* (inquit Hieronym. epiſt. 83. ad Oceanum) *& Pauli monita ad Titum, perſpicua docent, ſacerdotibus neceſſariam eſſe doctrinam, innocens enim, & abſque ſermone conuerſatio quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet; nam, & latratu canum, baculoque paſtoris rabies deterrenda eſt*. Quæ omnia confirmantur *ex Cap. 1. diſt. 43. Hinc Turrecrem. in Cap. ſit Rector diſt. 43.* meritò docuit, peccare mortaliter Prælatum tacentem tempore, quo prædicare tenetur, vrgente nimirum neceſſitate ſuæ Eccleſiæ iuxta *Trident. ſeſſ. 24. cap. 4.* à nobis perpendendum ſequenti cap. num. 12. *ex Ezechiele 33. ſi ſpeculator viderit Gladium, & non ſonuerit Buccina &c. ſanguinem autem de manu ſpeculatoris requiram*. Patet etiam, quia peccat contra proprium officium ſpeculatoris, Medici, Paſtoris &c. Nec non *ex Gregor. lib. 1. epiſt. 33. relato à Cap. Epheſij 43. diſt. & à Cap. Diſpenſatio eadem diſt. ex Iſidoro de Eccleſ. offic. lib. 2. cap. 6. & lib. 3. de ſummo bono cap. 35. habetur in Concilio Aquiſgran. cap. 16. in 3. part. concilior. & ex eodem. Cap. 36. libro 3. apud idem Concilium capitulo 20. ac deinceps.*

8 Sit ſecunda concluſio *ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. de reform. Deſiderata Epiſcopus ſcientia eiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere, ideoque antea in*

vni-

vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel iure canonico, meritò ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur; quod ſi regularis fuerit, à ſuperioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat. Nec aliud quàm Concilij doctrinam expendere nobis præſtandum eſt, ad noſtram concluſionem probandam, quæ ſatis è ſuperiori aſſertione patet. Itaque eã inſtitutus eſſe debet ſcientia Epiſcopus, quæ ad onus tanti muneris obeundi ſufficiens ſit, vt *nos ſupra nu.6.* probauimus; huiuſmodi verò erit, ſi Magiſter, aut Doctor Eccleſiæ fuerit, &c.

9 Vbi adnotaſſe oportet, Magiſtrum, ac Doctorem in Theologia idem prorſus eſſe ex allata Tridentini auctoritate; nam, vt probè notat. *Sanchez lib 8. de matrim. diſp. 34. num. 5.* in aliquibus vniuerſitatibus ad Doctoratum promoti, Theologiæ nũcupantur magiſtri, in alijs verò Doctores.

10 Et quamuis, quæ, ratione dignitatis Doctoribus, vel Theologiæ Magiſtris, conceduntur, haud ſe extendant ad licentiatos, qui Doctores proximè accingendi ſunt, ad quem in Theologia, vel iure ciuili, & canonico gradum, facultatem, ſeu licentiam habent: vnde licentiati, quaſi qui licentiam, ac miſſionem à caſtrorum magiſtris conſequuti, ſiue poſt quadriennium à Iuſtiniano ſtatutum in legum ſtudio conſumptum lytæ, ſiue quinquennium prolytæ dicti. vt in *præfat. ad Anteceſ. §. 5.* habetur, & probè notat *Rip. in l. Centurio nu. 18. ff. de vulg.* aſſerens communem ſententiam docentem, in fauorabilibus licentiatos nomine Doctorum comprehendi; intellige quo ad priuilegia conceſſa Doctoribus ratione exercitij: ſecus quo ad conceſſa ratione dignitatis doctoratus: quamobrem *Roma conſ. 357. num. 8. & 10.* Doctorum prærogatiua vti licentiatos non poſſe; cum potior ſit actu dignitate donatus, vt eſt doctor: quam facultatẽ, vt in ea cõſtituatur, habens, qualis eſt licentiatus *leg. 1. C. de conſul. lib. 10.* cui doctrinę ſauet *Bald. leg. Athleta initio ff. de ſucceſſ. edict. & l. penult. num. vnico. ff. de teſtam. milit: Ex quo multi, inter*

11 *quos Sanch. lib. 8. de mat. diſp. 34. num. 8.* Deducſit, litteras Sacrę Pęnitẽtiariæ ad diſpenſandum votum Religionis, vel caſtitatis, affinitatis impedimentum ex fornicatione occulta ortum, ad ineundum matrimonium, aut in matrimonio cum tali impedimento inito in foro conſcientiæ ac ſimilia, datas li-

12 centias expedire non poſſe, Nihilo tamen minus, & quia Cõcilium expreſſis verbis, ſatis eſſe licentiam ad gradus prædictos habuiſſe, promouendum in Epiſcopum docet, & quia hoc idem indicat *Gregor. XIII. in* *14.* allegandus, & quia non ratione dignitatis modò hanc deſiderare doctrinam in Epiſcopis videtur Concilium; verum ratione exercitij, vt nimirum muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere, vt ſupra. & ex communi doctrina ſuper adducta ex *Ripa*, priuilegia cõceſſa Doctoribus ratione exercitij, eſſe quidem licentiatis communia, conſtat; & quia exiſtens in potentia actui propinqua, in ipſomet actu cenſetur exiſtere *l. penultima ff. de milit. teſtam.* & quia in fauorabilibus Doctoris nomine licentiatus etiam venit, ſaltem modo à nobis nuper explicato *ex Bald. l. 1. §. Dotis num. 9 ad ſinem ff ſolut. matrim. Alexand. l. Mulier §. non eſt dubitandum. num. 2. ff. ad Treb. Dominic. in proœmio ſexti verſ. Bonifacius Epiſcopus num. 10. ibi Franc. nu. 2. Felin. & alijs ab eo laudatis proœmio Decretalium §. Gregorius Epiſcopus num. 8.* idcirco licentiatus ad munus Epiſcopale dignus, & aptus meritò cenſetur.

13 Nec ſatis erit, Doctorem, ac iuris cęſarei Peritum tantum eſſe. tum quia Tridentinum canonici iuris notitiam, & gradum apertè Præſuli præſcribit, tum quia cæſarei [illegible] iuris periti, minimè can[illegible] ad munus epiſcopale rectè obeundum, neceſſaria, eſt ſcientia pollent. Probatur à pari, nam in expediendis litteris ſacræ Pœnitentiariæ, quæ expreſſa clauſula, vt diſcretus Confeſſarius ſit Canonum Doctor, requirunt, non ſufficere iuris tantum cęſarei Doctorem habent ſcriptores apud *Sanch. lib. 8. matrim. diſp. 37. nu. 6.* ergo a ſimili: de ſimilibus enim ſimile debet eſſe iudicium *C. de legib. l. leges 1. & ff de legib. l. Non poſſunt, & Cap. Dudum il 2. de elect. vbi ſcribentes.*

14 Ponit quia opinari neque Theologiam, neque ſacrorum peritiam canonum, ſeorſum ſumptam ſufficere Præſuli; qui vtraque inſtructus eſſe neceſſario debet; quia vtraque ad Epiſcopale munus rectè obeundum neceſſaria videtur, tum in ordinis, tum in iuriſdictionis exercitio, vt ſupra num. 6 probauimus, & probè Innocentius docet *Cap. Cum in cunctis num. [illegible] de elect. ſubſcribit Abbas ibidem num. 4. & Cap. Qualiter num. [illegible] de elect. in Cap. ſicut te num. 2 2. Nè clerici, vel monaci: & communiter Doctores apud Nauarr. in Cap. ſi quando, except. 14. num. 1. de reſcript.* ergo ad hæc munera neutra harum doctrinarum notitia ſola ſufficit; vt ex infra dicendis etiam conſtabit,

15 At me, ſi de Theologaſtro, vel canonici iuris notitia leuiter imbuto, ſermo ſit, huic opinioni manum dare non pœnitet; cum argumento magnum eſſe robur, non eſt, qui non videat; qua enim ratione, per ſe loquendo, munus concionatoris obire, myſteria fidei noſſe, atque explicare, Sacramentorum vim

gene-

tenere, conferre, adminiſtrare; cenſurarum gladio vti; ac ſexcenta exercere epiſcopalia munera poterit, qui penitus Theologiam ignorat? aut quomodo, quæ ad externum forum, & iudiciariam ſpectant poteſtatem obire, canonum peritia pene deſtitutus? verum enim vero ſi de Theologo ſermo ſit, qui hoc ſibi meritò vendicat nomen, ac de vero Canoniſta, quem neceſſaria ad ea, ac ſimilia ſuperius enumerata munia nō præterit ſciētia rerum, etiā Theologicarum; tametſi ſinguli ex profeſſo alterutram profiteantur ſcientiam, ſortianturque nomen Theologi, vel Canoniſtæ, ſatis eſſe contendo, vt altera apprimè præditus ſit, licet ſimis, vt dicitur, labris alterā, ſufficienter tamen ad ſuum munus, attigerit: quem Tridentini eſſe ſenſum non ambigo.

16 Et quamuis me non fugiat, aliquando particulam (*vel*) vim habere coniunctiuæ vt *l. ſæpe ff. de verb. ſignif. & leg. Cum quidam ff. Eodem titulo, de quo latè Bartolus l. ſupra iter ff. de aqua, & plu. arcen.* cæterum in præſenti decreto Tridentini vim diſiunctiuam, vel alternatiuam retinere, compertum habeo, tum è communi Doctorum ſenſu, tum Eccleſiæ vſu, tum quia ſæpe ſæpius alternatiua etiam ſub ratione particula, *Vel*, In iure accipitur, vt conſtat ex *Cap. Inter cæteras de reſcriptis*, & alijs, ex quibus locis ſeptuageſima deducitur regula, *In alternatiuis ſufficit alterum adimpleri* 6. quando nimirum affirmatiuè enunciatur, ſecus ſi negatiuè, in quibus requiritur, vt neutrum fiat, cuius exemplum lege apud laudatū Abbatem. *fauent præterea l. ſi quis ita ſtipulatus fuerit, l. ſi ita quis ſtipuletur ff. de verb. ſignif. & l. In eo quod plus eſt ff. eo titulo*, ex qua regulam iuris deriuatam eſſe docent *Gloſſa eiuſdem regulæ littera B. verb. in alternatiuis. 2.*

17 Publicum autem teſtimonium, quo doctrina Præſulis ad alios erudiendos conſtare id præcipiente Concilio, debet, illud dixerim quòd aut è ſapientum virorum iudicio, & commendatione habetur, *vt indicat Gregorius Papa modo laudandus, docetque Azor. lib. 3. inſt. moral. cap. 28 quæſtione. 9. in fine*, vel ex actuali munere docendi Theologiam, aut ius canonicum, quo quis fungeretur; tum quia præſtantiore, quàm poteſt ratione facultas oſtenditur docendi per actum rite habitum: tum quia hi dicuntur Doctores *l. Medicos in fine C. de profeſſ. & med. lib. 10. quod ex multis probat Baeza de inop. debit. cap. 16. num. 131. & 132. Gutier. quæſtion. practic. lib. 1. quæſt. 22. num. 3.* Neque Tridentinum dignitate Doctoratus, vel Magiſterij donatos tantùm voluit eſſe promouendos ad Epiſcopatum, verùm etiam illos, quorum doctrina hoc publico conſtaret documento. Seruanda præterea eſt conſtitutio *Gregorij XIV. de forma faciendi proceſſus ipſius promouendi, data anno 1591. Kal. Maij* vbi ait Pontifex; *Quia circa doctrinam plures fraudes committi ſolent, & ſæpe contingit, vt nonnulli ſcientia vacui de ſolo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur, volumus, vt de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, vel Licentiæ, titulis, & priuilegijs gaudet, vel etiā à publicis Academijs teſtimonium habuerunt, quod idonei eſſent ad alios docendos; niſi fortè aliquorum inſignis doctrina è publica ipſorum functione notoria eſſet. Ita verò inquiſitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel Iuri Canonico Promouendus operam dederit cognoſcatur. Et quoniam in quibuſdam Prouincijs nulla ſtudia ſunt generalia, &c. declaramus in huiuſmodi locis ſufficere, ſi teſtimonio virorum grauium, & ſacræ Theologiæ, vel Iuris Canonici Peritorum conſtet, ac muneris ſibi iniungendi neceſſitati valeat ſatisfacere, &c.* Et infra hoc ipſum declarat cum Religioſis ſeruandum, etiam à ſuis Superioribus approbatis. *Et nihilominus præter Superiorum teſtimonium, qui fidem faciant, huiuſmodi Regulares ad alios docendos idoneos eſſe, volumus ea ſeruari, quæ de ijs diximus, qui publicum ſuæ doctrinæ ab aliqua Academia teſtimonium habent, vt ſeriò inquiratur, an Regulares ad Cathedrales Eccleſias promouendi progreſſus in ſtudijs fecerint, qui in futuro Antiſtite requiruntur.* Accedit aliud, & quidem maximi momenti ex præcepto Clementis VIII. quod in examine coram Sanctiſſimo habetur Epiſcopatibus Italiæ, in Hiſpania verò, & Gallia coram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatis, vel Nuntijs, vt tradit *Theſaurus for. Eccleſiaſtic. part. 1. cap. 3. num. 10.* His autem decretis quod addam non habeo, quam ex Gregorio XIV. modo citato indicare. *Nomine Superiorum Regularium, eos dumtaxat intelligendos eſſe, qui nullum ſui Ordinis Superiores agnoſcunt, vel in eorum abſentia Vicarij, Commiſſarij, vel in Vrbe Procuratores generales ſunt.* De quibus *libr. 8. diſputation. 5. & 6.* vbi hanc Bullam interpretabimur, copioſiùs agendum erit.

18 Sit tertia concluſio. Electio, vel collatio facta perſonæ illitteratæ in Epiſcopum, eſt irrita; perſonæ verò alicuius doctrinæ, ſed inſufficientis eſt irritanda. Primam partem colligo ex *Concilio Tridentin. ſeſſione vigeſima ſecunda, capite quarto*, vbi hæc habentur. *Nec alijs impoſterum fiat prouiſio, niſi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur, aliter irrita ſit prouiſio.* Quæ maximo-

Q   perè

pere faciunt in electione ad Epiſcopalem dignitatem: ſuffragantur Doctores apud *Panorm. in Cap. Dudum de elect. il 1. num. 10.* qui etiam electores priuari affirmat iure eligendi, ſi inhabilem elegerint: ſic etiam *Innoc. in Cap. Cum in cunctis eodem titulo*, *Nauarr. in Cap. ſi quando except. 16. Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 12. dub. 14. num. 129.* Ratio eſt ſupra indicata num. 3. quia planè indoctus nullo modo Præſulis officio ſatisfacere, nec tāti dignitati conſulere poteſt, vt iterum *tom. 2. lib. 5. diſp. 6. cap. 8. dicemus*. Adde inſuper, ſi litteras poſtea addiſceret, electionem, aut confirmationem nōn reuiuiſcere, vt benè *Garzias citatus num. 20. & Appendix poſtuma ad Pelluciam tract. 41. de benef. eccleſia. cap. 5. num. 37.* Secunda autem pars noſtræ aſſertionis probatur ſpecialiter in Epiſcopatu *ex Cap. Niſi de renunc.* ex quo conſtat poſſe, immo teneri, ſe abdicare Epiſcopatu, qui idonea, ac mediocri ſaltem non eſt præditus doctrina, ſic *Innoc. in Cap. Cum in cunctis eodem titulo, quem ſequuntur Garz. laudatus nu. 21. Azor. 1. part. lib. 10. cap. 13. qu. 18. & Appendix ad Filluc. citatum num. 39. & tom. 2. loco modo citato proſequemur*.

19 Ex his fit primò, in foro externo ſatis eſſe, vt quis Doctoris laurea, vel magiſterio, aut publico, quod ſuper expendimus, teſtimonio ſit inſignitus, vt validè in Epiſcopum eligatur, quamuis reuera indoctus eſſet, vt probè *Azor. part. 2. inſtit. moral. lib. 3. cap. 83. qu. 11.* Ratio eſt, quia in alijs huiuſmodi per ſe loquendo talis Doctor, vel licentiatus priuilegijs, ac prærogatiuis gaudet Doctorum. Verum enim verò ſi à corruptis conſtaret hunc promotum eſſe Doctoribus, priuilegijs non poiiretur Doctoris, vti docent *Archidiac. in Cap. De quibuſdam 37. diſt. ex textu in ſimili l. Vna C. de athlet. libr. 10.* neque in foro externo putarem eligi validè idemque aſſero de teſtimonio, quod falsò daretur, & conſtaret de ignorantia eiuſdem promouendi
20 ob eandem rationem. In foro autem conſcientiæ ſi promotus indoctus fuerit, tantum ſtudij teneretur impandere in addiſcendis litteris, tantum in ablaganda ignorantia, vt ſuo conſulere muneri idoneè poſſet, quemadmodum infra vberiùs dicemus.

21 Fit ſecundo. Epiſcopum earum rerum ignarum, quæ ad Epiſcopale munus rite obeundum neceſſaria ſunt, primo lethaliter peccauiſſe Epiſcopatum procurando, vel ſi non procurauerit, ſuſcipiendo, vt probè *Riccard. quodlib. 3. q. 23.* Deinde vel teneri ad ſe abdicandum Epiſcopatu, auctore *Gregor. Cap. Præcipimus diſt. 34. & indicatur Cap. finali de temp. ordinandor. nec non docetur ab Innoc. in Cap. Cum in cunctis de elect.* dum huius, ait, electionem Epiſcopi eſſe irritandam *ex Cap. Niſi de elect.* vel induſtria, ſtudio, atq; aſſidua curà eò litteris vacare, vt meritò ſibi videatur comparaſſe doctrinam ad Epiſcopale munus obeundum ſufficientem: vel ſaltem viros ſibi doctos aſciſcere, vti docent multi iuxta *Cap. Inter cæteros de offic. iud. ordinar.* quod nos tom. 2. lib. 5. diſp. 5. & 6. paulò ante citatis iterum confirmabimus, atque expendemus.

22 At verò hoc adiutorium ad ſcientiam Epiſcopo neceſſariam valde per accidens eſſe ſentio cum *Soario de fide diſp. 13. ſect. vlt. num. 7.* quare licet varijs de cauſis, vel rationibus ab exacta, quam per ſe requirunt dignitas, munuſque epiſcopale, ſcientia poſſit excuſari, non tamen ab ea, quæ ſufficiens ſit iuxta locorum, ac temporum conditiones, & quamuis Epiſcopum indoctum à malo ſtatu excuſarem, ſi poſtquā promotus fuerit omnibus viribus litterarum incumberet ſtudijs; ac tunc temporis, vel Vicario, vel alijs adiutoribus ſibi conſuleret; omnino tamen cenſerem ei deponendam eſſe infulam, ſi vel ætate, vel inhabilitate iudicaretur inhabilis ad ſufficientem ſaltem ſibi rerum ſcientiam, ac doctrinam comparandam, iuxta mentem auctorum laudatorum, vt nos *tom. 2. lib. 5. diſp. 6. cap. 8. dicturi etiam ſumus*. Ad quod momenti multum afferre iudico Innocentij Tertij auctoritatem, qui *Cap. Niſi cum pridē de renunt.* hæc habet. *Pro defectu quoque ſcientia plerunque poteſt quis petere ceſſionem; quia cum ipſa circa ſpiritualium adminiſtrationem ſit potiſſimum neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna, Præſul, qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere, in vtriſque ſalubriter ei renuntiat, ſi ſcientiam, in qua ipſam regat, ignoret; tu enim, inquit Dominus, ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, nè ſacerdotio fungaris mihi; quamquam, etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in paſtore, in eo tamen ſit competens tolcranda.* Et licet primo intuitu hæc Innocentij doctrina eò tendere videatur, vt ob defectum ſcientiæ licere Præſuli ſe abdicare Epiſcopatu demonſtret, verùm ſi penitius cum Gloſſa inſpiciatur, omnimodè contendit, competentem doctrinam Epiſcopo adſtruere neceſſariā; ad quod perpendo ſciētiam aliquam à Pontifice in Epiſcopo deſideratam, & deciſam, circa ſpiritualium adminiſtrationem potiſſimum neceſſariam eſſe debere; ſed hæc non eſt eminens, vt modo retuli; ergo competens, atque Epiſcopali munere ſufficiens; quippe quæ ſancitur *Cap. Cum nobis olim de elect.* & licet *Abbas Cap. Venerabilis de præbend. & dignit. nu. 8. ex Innocentio* triplicem diſtinguat ſcientiam, eminentem; mediocrem, ac ſuo muneri ſufficientem; haud tamen percipio, quæ poſſit eſſe muneri præſertim Epiſcopali ſufficiens do-

ctina,

ctrina mediocritatem, quæ non attingat; igitur, hanc, quam diximus, ſcientiam Antiſtiti neceſſariam, ſiue mediocrem, ſiue competentem, ſiue ſufficientem appellet, exiſtimandam eſſe prudentum iudicio, probè docet *Abbas cap. Cum in cunctis de elect. num. 4.* ex quo definitionem, ac diuiſionem ſcientiæ eminentis, mediocris, & ſufficientis ex Innocentio allatam, vt paulò ante dicebam, non approbo.

23 Sed eminentem eam dicerem, quæ tum extenſiuè ad omnes illuſtriores, ſiue Theologiæ, ſiuè ſacrorum canonum ſe extenderet quæſtiones; tum intenſiuè, vel quaſi intenſiuè, eas præſtantiori, atque euidentiori noſſet ratione, quam maxima poſſet claritate, atque euidentia ad ſcientiam accedente; Mediocrem vero, quæ vel has eaſdem, vel omnino neceſſarias mediocri claritate, atque euidentia teneret, ita vt ad praxim proprij muneris, iudicio prudentum, perpenſa locorum, perſonarum, negotiorum tranſigendorum qualitate, ſatis eſſe cenſeatur. Vel cum *Azor. 1. part. lib. 10. cap. 13. q. 18. magis ad Innocentium accedente*, triplex dicerem ſcientiæ genus, eminentis, mediocris, & idoneæ; Eminens, qua quis poteſt etiam difficillima ad ſuū munus ſpectantia proprio marte, promptèq; enucleare: Mediocris, qua poteſt explicare paſſim occurrentia: Idonea, qua quis ſub munere fungeretur, dubitare ſciens, doctores percurrendo, doctos conſulendo viros, quorum doctrina dubijs ſatisfaceret; tametſi, vt ſupra indicabam, per ſe tutò alijs inniti coadiutoribus, niſi ex accidenti non poteſt Epiſcopus, nam vt probè *Gloſſa verb. temporalium, Cap. Niſi cum pridem citati*, ait, *Meritò neceſſaria eſt ſcientia ſpiritualium, & temporalium, quia in his alios docere debet Epiſcopus, & ideo aliorum doctrina indigere nō debet*; ſic Epiſcopus Cypri in ſeptima Synodo, vt habetur *cap. Conuenientibus 1. q. 7. Non oportet* (inquit) *nos qui Epiſcopi ſumus indigere doctrina, ſed aliorum eſſe Doctores*; & in *Authent. de Sanctis Epiſc. §. damus colec. 9. Ignominioſum eſſe Epiſcopo* (ſcribitur) *cum ipſe deberet alios docere; ſi tunc quærat ab alijs doceri*: quamobrem *cap. Inter cætera de officio iud. ord.* ex alijs cauſis actum prædicationis impedientibus, concedit Epiſcopis coadiutores, qui quidem concionentur, ſecus verò defectu doctrinæ, de quo hæc habet, *Ne dicamus defectum ſcientiæ, qui in eis reprobandus eſt omnino, nec de cætero tolerandus*: meritò igitur ſtudio, ac diligentia ab Epiſcopo expungendus eſt, vt ignorantiæ tenebris fugatis, aſſiduo, vt dicebam ſtudio, etiā ſi ſenex fuerit, auctore *Abbate Cap. Niſi cum pridem de renunc. nu. 10.* ex *Gloſſa verb. plerunque ſuo*, ſibique muneri cōſulat, *vt mox fortiùs confirmabimus*! Adde ex *Cap. Quamuis de ſac. vnct. Quod contra Deum eſſet, & canonicas ſanctiones tantum in Epiſcopo tolerare defectum.* ob quem fuit meritò priuatus Epiſcopatu Calinenſis Epiſcopus. Hinc probè *Gloſſa* notat, quod ſi propter defectum ſcientiæ remoueatur quiſpiam ab Epiſcopatu iam adepto, potiori iure repellendus eſt ab obtinendo. Ex quibus omnibus, vt apertè ac breui, quod ſentio, dicam, Epiſcopum ſufficienti ad ſuum munus deſtitutum ſciētia, vel ad abdicandum ſe Epiſcopatu, vel omnibus iuribus ad eam ſibi comparandam teneri, vt ei etiā præſcriptum eſt. *Cap. Nullus Epiſcopus diſt. 38. Nullus Epiſcopus propter opprobrium ſenectutis, vel nobilitatem generis a paruulis, vel minimis eruditis, ſi quid fortè eſt vtilitatis, aut ſalutis inquirere negligat, qui enim rebelliter viuit, & diſcere, atque agere bona recuſat, magis diaboli, quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis, quàm fidelis monſtratur*; quòd ſi Theologorum culmen Auguſtinus, vt habetur in *Gloſſ. verb. Opprobrium. Ego ſenex* (aiebat) *à puero nondum anniculo paratus ſum edoceri*, vt etiam *24. q. 3. Cap. ſi habes* ſcribitur, quid cuique Epiſcopo ſentiendum ſit. Tempore autem, quòd diſcendo inſumeret Antiſtes varios ſibi coadiutores doctos teneretur conſulere, quibus per accidens vti licitè poterit. Sic Medicus in malo cenſendus eſſet ſtatu idonea ad ſuū munus deſtitutus ſcientia: ſic Iudex, & cæteri, munia præſertim publica ſubeuntes, quorum eadem eſt ratio, quam *nu. 6. ex Diuo Thoma* retulimus. Quapropter ob proximum ſaltem grauiſſimarū culparum periculum ad maximāq; proximorum perniciem peccabunt, atque ab eo periculo ceſſare, vel aliquo pacto ſe eripere, vti dicebam, hi omnes tenentur, vt notat *Sylueſter. Medicus 1.*

24 Fit tertio Epiſcopum in ſua ordinatione rogatum, an vtrumque ſacrū ſciat teſtamentum; aſſerētemque, cum re vera ignoret, nec æquiualenter ſufficienti ſaltem ad ſuum munus præditus ſit ſcientia, lethaliter peccare, vt probè *Riccard. quodlib. 3. q. 23. Azor. inſtit. mor. part. 2. lib. 3. cap. 28. quæſtiunc. 9. Sylueſt. Epiſcopus, nu. 5. & alij.* Ratio eſt, quia perniciosè mētitur in graue dānum animarum, quarum curā ſuſcipit. Addo, quia proximè ſe exponit periculo ſacrilegiorū, iniuſtitię, aliorūq; peccatorū, quibus ſcatet ma-
25 la Præſulatus adminiſtratio. Quòd ſi neceſſaria ad ſuū munus nō ignoret, vt sūt, auctore *Riccardo*, mādata Dei, myſteria fidei, virtutes, vitia, iuramēta: addiderim cēſuras, ſtatuta eccleſiaſtica magis vſu frequētia, onus, ac rationē viſitādi Eccleſias ſuę diœceſis, eccleſiaſticos diſtribuēdi redditus, cōferēdi bene-

ficia, immunitatis eccleſiaſticæ ſeruandæ, ac defendendæ, ac ſi quæ ſunt aliæ prudentis iudicio ad Epiſcopale munus, pro mediocritate ſcitu neceſſaria; tametſi præſtantiſſimâ cęterarum rerum, & harum, quas memoraui, non præſtet doctrinâ; neque ea expreſsè teneat, quæ vtroque præterea continentur teſtamento, non peccabit mortaliter, etiamſi aſſirmatiuè in examine reſponderit; quia conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres *Cap. Cum dilectus de conſuet.* ſic prædictam interpretatur quæſtionem Epiſcopo factam ex ſupra citatis auctoribus.

26 Fit quartò, cum ignorantia vincibilis eorũ, quæ quis ſcire tenetur, peccatum inſcitiæ ſit, ſitum in omiſſione, tunc incurrit, quando ſcientia ex præcepto habenda eſt, vt probè *Diuus Thomas* 1.2.*q.*76.*art.*2.*ad* 5.*vbi Caiet. Conrad. & Metin. Vaſq.* 1.2.*diſp.* 118.*cap.* 3.*nu.* 9.*Syluest. verb. ignorantia* §.8.*Valent.* 1.2.*diſp.* 6.*q.*6.*punc.*2.*verſ. ex quo patet Sanch. lib.* 1. *oper. mor. cap.* 17.*num* 9.*Sayr. in claui reg. lib.* 2.*cap.*9.*num.*32. quamobrem contrahetur hoc ignorantiæ peccatum, quando quiſpiam in aliquo ſe tempore obligari ad ſciendum aduerterit, elicitque propoſitum non comparandi ſcientiam ſibi neceſſariam, vel eam contemnit, vel ex negligẽtia omittit, vel animum aliò applicat: ſicut qui in die feſto, vel proponit non intereſſe ſacro, vel nullum actum circa ſacrum audiendum habet, vt probè *Sanch. laudatus num.* 10. vel alio voluntariè retrahitur negotio cum ſacro incompoſſibili; qui ſicut in cauſa peccat ita indoctus, dum acceptat tale onus, quod vel relinquere debet, vel ſi in eo perſeuerat, nec dimittit impedimentum ſcientiæ neceſſariæ, vel ipſummet onus, non video, qua ratione ſaltem ob periculum, in quo proximè conſtituitur grauiter errandi, non ſit in malo ſtatu, Non curans enim malitiam furti ſcire, tenetur ad crimen in confeſſione aperiendum, tametſi actu furtum non committat, quia contra furti vitandi præceptum peccauit, eius ſcientiã, cui tenebatur, non curando, ac proinde periculo furti committendi abſque conſcientiæ remorſu ex ſe expoſuit, non ſecus ac, qui ieiunij perfringendi, vel ſacri omittendi periculo, vt modo dicebam, ſe expoſuit; quòd ſi poſtea, vel ieiunet, vel ſacrum audiat, tenetur adhuc periculum in confeſſione aperire, vt docent *Azor. lib.* 1.*tom.* 1. *inſtit. mor. cap.* 12.*q.*5.*Zumel* 1.2.*qu.*76.*art.*2.*diſp.*6.*poſt tertium dictum in ſolutione ad* 2. *Sanch. laudatus num.* 12. ſic à pari in re noſtra.

27 Fit quintò, hanc Epiſcopi ignorantiam cum in ordine ad ſuum obeundum munus, & publicæ ſit perſonæ, non eſſe ſpeciale peccatum vnum, ſed multiplex, vt multiplici præcepto, & virtuti oppoſitum, putà ritè conferendi, & adminiſtrandi Sacramenta, proprias paſcendi, corrigendi, puniendi oues, eccleſiaſticis prudenter vtendi cenſuris conferendi beneficia, & alia huiuſmodi, quod ex *Vazq.* deduco 1.2.*diſp.* 119.*cap.* 2.*&* 3.*Sanch. citato num.* 11.

28 Fit ſextò, præceptum ſcientiæ neceſſariæ requiſitæ ad officium Eccleſiaſtici Paſtoris, ſi ſpectetur in communi, & omnia particularia complectens, in radice, ſeu iure diuino Chriſti Domini, poſitiuum eſſe, [illegible] ac formaliter eſſe naturale; nam [illegible] Epiſcopalis inſtitutione [illegible] obligatio ſcientiæ illi conſentanea eſt, ac neceſſariæ de iure diuino naturali eſt, ad iuſtitiam, & [illegible] tatem ſpectans; quæ intrinſecè [illegible] munere naſcitur, vt nos ſupra indicauimus nu. 6. deduciturque ex *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.*

29 Fit ſeptimò, in hoc præceptum cadere directè diſpenſationem, aut interpretationem per modum Epychiæ non poſſe quia vt *diſp.* 1. *ſuperioris libri cap.* [illegible] dictum eſt in præceptis ex natura rei incluſis in inſtitutione Chriſti locum non habet talis diſpenſatio, cum ſint iuris naturalis, ſuppoſita inſtitutione: ſicut enim ex inſtitutione Sacramentorum oritur obligatio, ea cum debita diſpoſitione adeundi, poteſtque Eccleſia interpretari, an hæc, vel illa huiuſmodi ſit diſpoſitio; non tamen pro aliquo caſu, vel neceſſitate poterit ſentire eam quidem eſſe ſufficientem, quæ re vera inſufficiens ſit ad ſancta ſanctè tractanda, ſic etiam poterit ſanè Summus Pontifex, vel Eccleſia, quæ doctrina neceſſaria ſit ad Epiſcopatum hunc, vel illum interpretari; neutiquam verò poteſt directè diſpenſare, vel interpretari, vt actualiter quis Epiſcopus ſit, munus exercens paſtorale, quin habeat idoneam ad illud prò ratione ſaltem Diœceſum, ſcientiam. Dixi directè nam indirectè tollendo obligationem reſidendi, vt poſſe Papam *Cap. citato diſp.* 1. *lib.* 2. diximus, vel ante conſecrationem ei non permittendo exercere ſuum, quod poſt electionem poſſet, munus, ſed per alium, vt *numer.* 21. *&* 22. hic notauimus, aliiſque ſimilibus modis: non infitior eſſe Pontifici ex vrgenti cauſa facultatem diſpenſandi, & ſumitur ex dictis *Cap. illo* 3. *citato diſp.* 1. *lib.* 2. *numer.* 24. *&* 25. vbi in iure naturali diuino indirectè poſſe Pontificem diſpenſare docuimus; verùm quòd Epiſcopus paſtor ſit non valens paſcere, lucerna lucem non reddens, doctor non docens, iudex non cognoſcens, medicus non diſcernens inter lepram, & lepram, aliaque Epiſcopi ſuſcipiens munera abſque ſcientia hæc neceſſaria, Adinaton prorſus eſt.

30 Fit

30 Fit vltimò, examinatores promonentes Epiſcopum indoctum, ac ſufficienti deſtitutum doſtrina approbantes lethaliter peccare, quod à fortiori deduco, tum ex doctrina communi de examinatoribus ad examen, conſtitutis, periculumque ſcientiæ, quod Beneficiatis ineundum eſt; ac docetur à *Petro de Ledeſma in ſum. par. 2. tract. 7 cap. 1. conc. 7. difficul. 13. Rota Rom. apud Farinac. deciſ. 672. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 60. num. 93. & alijs*; tum quia ipſi cauſa ſunt moralis damnorum ſpiritualium, quæ ex indocti Epiſcopi adminiſtratione promanant.

CAPVT II.

Quis in Epiſcopatus munere ſapiens alteri præferendus ſit.

SVMMA.

Prima opinio Canoniſtarum pro Canoniſtis numer. 1.
Huius ſententiæ ſenſus expenditur num. 2.
Sententia Theologum præferens num. 3.
Status quæſtionis num. 4.
Canonum peritus Iuriſconſulto præfertur n. 5.
Etiamſi non nihil Canonum Iuriſconſultus ſciret num. 6.
Vtriuſque iuris Doctor, puro canoniſtæ præhabendus: Theologus canoniſta puro Theologo, vel Canoniſtæ tantum præſtat num. 7.
Vere Theologus optimo etiam præferendus eſt Canoniſtæ num. 8.
Alternatiua particula cum ordine plerumque accipienda eſt num. 9.
Particula Vel, *pro* Saltem *accipi poteſt etiam, vt à Concilio Tridentino vſurpata nu. 10.*
Quando per alios prædicationis munus exercere poteſt Epiſcopus num. 11. & 12.
Cardinalium Epiſcoporum concionatorum laudatur inſtitutum num. 13.
Admonitio ad Epiſcopos, ne forenſibus diſtineantur iudicijs num. 14.
Præcipua Præſulis cura non eſt de forenſibus numer. 15.
Diſcrimen inter Theologum, et Canoniſtam Epiſcopum num. 16.
Theologi pallio tenus damnantur, ac poſthabentur num. 17.
Æqualitate Doctrinæ intercedente alia detera Eligendorum perpendenda n. 18.

QVam ab auctoribus contractam ad Theologum, & Canoniſtam indicatam inuenio quæſtionem, abſolutè ad alios doctrinæ gradus expendere patentem, operæ pretium eſſe arbitror.

1 Doctorum itaque, Theologum cum Canoniſta tantum conferentium, plerique primum dant locum Canoniſtæ, nec abſolutè; ſed vbi idololatria, aut hæreſes non vigent, vel proximè non accedat locus regionibus hęreſis, vel idololatriæ peſte affectis ſic *Hoſtien. & Io. Andr. cap. 3. de conſang. & affin. Abbas in cap. 1. numer. 9. de conſang. & affin. Felin. cap. Clericis de iudicijs, alijque Recentiores*. Prima huius ſententiæ pars fundamento pro tertia noſtra aſſertione adducendo probabitur. Secunda verò oſtenditur, quòd vbi dicta non vrget agnoſcendæ, reijciendæ, atque extirpandæ hæreſis, vel idolorum cultus neceſſitas, Canoniſta cauſas ad forum pertinentes, iudiciorum formas, contractuum genera, beneficiorum collationes, commutationes, translationes, cenſuras, cęteraque huiuſmodi meliùs noſcit, ac tutiùs tractat. Deinde quia Canonum peritia, cum ortum ex iure ciuili, ac morali philoſophia ducat, ad chriſtianæ Reipublicæ regimen, aptior abſque dubio prorſus videtur.

2 Mihi verò illud adnotare libet ad penitius horum Doctorum ſenſum indagandum, eis minimè ſermonem eſſe de Canoniſta omnino Theologiæ ignaro; ſed eum à Theologo præferunt canonum peritum, qui ſufficienti præditus ſit Theologia, ea nimirum, quæ ſedulo canonum ſtudio comparatur.

3 Secunda ſententia Theologorum eſt relatæ oppoſita, Theologum vbique præferens Canoniſtæ: eſt *Caiet. 2. 2. quæſt. 18. artic. 3. Maior in 4. diſt. 24. quæſt. 10. Sot. lib. 3. de iuſtit. quæſt. 6. artic. 2. Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. & fauet Azor. part. 2. inſtit. mor. lib. 3. cap. 28 q. 10.*

4 At mihi conſilium non eſt perpendere, quas poſſet quiſpiam excogitare comparationes eos inter, qui varijs animum, prò varietate ingenij ſcientijs imbuerunt; ſed præcipuas, ex quibus, quod de alijs iudicium ferendum ſit, facili negotio deducetur. Has autem ad tres reuoco: Primà iuris Cęſarei peritum conferam: Secundà Theologiæ, necnon canonum peritia præditum cum alterutra ex his ſcientijs tantum exornato: Tertià abſolutè Theologum cum Canoniſta componam.

5 Prima aſſertio: ſacrorum canonum peritus Cęſarei iuris conſulto ad Epiſcopatum præferendus eſt. Quæ quidem concluſio omnium Doctorum calculis fundata eſt, quam *ſuperiore capite nu. 13. ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 2.* nos docuimus, ex quo nec puram iuris Cœſarei, vel ciuilis notitiam, quæ canonum non haberet, etiam imbibitam, ad Epiſcopatum ſatis eſſe conſtat, cum ſine

hac dirigibiles non eſſent ſubditi ab Antiſtite in Deum ſecundum ſacras regulas, vt probè *Abbas in proæmio ſuorum librorum, & Io.*
6 *Andr. in regula Peccatū de reg. iur. in* 6. Illud autem huius loci eſſe arbitror *ex Abbate Cap.* Clerici *de iudic. num.* 3. adnotaſſe, quòd etiam ſi ciuilis iuris conſultus aliquam, haberet ſacrorum canonum notitiam, ex eorū limine ſalutato, comparatam, minimè cenſendus eſſet, ita vtriuſquè iuris peritus, vt optimo ſacrorum canonum Doctori, iuxta ſequentem concluſionē præferendus eſſet; fauet *Petrus de Anchar. tum in citatum cap. Clerici, tum Cap. 1. de Paroch.* huiuſmodi igitur Doctores meritò poſtponendi ſunt vnum ſolum habenti gradum altioris, atque illuſtrioris ſcientiæ *Argum. in l. Nemo* C. *de offic. magiſt.* in quo ſenſu ſequens aſſertio non procedet, ſed de eo, qui vtraque peritia congruenter ſaltem præditus eſt.

7 Secunda concluſio, qui Theologus ſimul eſt, & Canoniſta, vel vtriuſque iuris Doctor, iuxta ſenſum in calce præcedentis aſſertionis traditum, puro Canoniſtæ: vel Canoniſta, & Theologus ſimul puro Theologo præferendus eſt. patet ex terminis, ac docetur à citatis Doctoribus, quia duo vincula vincūt vnum. *Cap. 1. de treg. & pac. in fine* C. *de adop. & in Authent. Poſt fratres de legi. haret.* Et planè Theologiæ, & Canonum peritia præditū omnes explere numeros poſſe, atque apprimè Præſulis conſulere dignitati, tū inſtruendo, ac docendo, tum iuſtitiam adminiſtrando, tum ſacramenta, cenſuras, cęteraq; obeūdo epiſcopalia munia, negabit nemo.

8 Tertia concluſio, verè Theologus optimo etiam præferendus eſt Canoniſtæ ad Epiſcopatum vbique habendum: ſentio cum Theologis pro ſecunda opinione relatis. Et quidem de Præſulatu Diœceſis hæretica prauitate, vel falſa religione infectę, neque primæ Doctores ſententiæ, vt vidimus num. 5. audent negare; probaturque *ex Cap. in cauſis de elect. §. quo circa.* Abſolutè deinde, vt ſacræ doctrinæ dignitate, atque ad chriſtianam Rempublicam regēdam neceſſitatem omittam, quæ & à ſuo pręcipuo, cœteriſq; longè præſtantiſſimo deſumitur obiecto, & mirum in modum ab *Honorio Pontifice Cap. vltimo ſuper ſpecula de magiſtris* commēdatur, propiùs ad rem noſtram accedens ex *Trident. ſeſſ. 22. cap. 2.* noſtra videtur concluſio ſummopere comprobari, quòd ſcientiam, qua exornatus Epiſcopus eſſe debet, præſcribēs, vt muneri ſibi iniungendo poſſit ſatisfacere, addit; *Ideoque antea in vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico meritò ſit promotus.* Vbi primum dat locum Theologiæ, deinde Sacrorum Canonum peritiæ.

9 Immo eū dare ſenſum me non pœnitet huic Tridentini ſententiæ, vt dictio *Vel* alternatiua, ſit eū ordine accipienda, quaſi vero prius omni ſtudio procurandus eſſet Theologus, in cuius defectum Canoniſta eligatur, iuxta doctrinam *Reg. 70. ſexti in alternatiuis,* quam affert *Gloſſa in medio, ſunt tamen quædam;* nā in nonnullis alternatiuis, vt in hac nos contendimus, ordinem ſeruandum eſſe compertum habeo, argumento *ff. de legat.* 2. *Cum Pater §. penult.* ſic cum mandat Teſtator aliquid dare liberis, vel conſanguineis, vel affinibus: fauet, quod à Gloſſa affertur de ordine ſequendo 43. *diſt. ſit Rector. in fine* de electione *Cap. penult. in principio, & cap. Mandato in fine de præbend.*

10 Demum poſſem particulam *Vel* in ea ſignificatione interpretari, vt pro *Saltem* in Concilio poſita ſit, quaſi deſideraſſe demonſtraret Tridentinum, in Epiſcopum eligendum eſſe Theologum *Vel* ideſt *ſaltem* Canoniſtam; ſic ſumitur particula *Vel* in *l. Multum ff. de hæred. vel, act. & vend.* Secundò probatur aſſertio ratione: Præſulatus, ſiue vt officium conſideretur, quemadmodum dictum eſt *lib. 1. diſp. 1. cap. 3. num. 2.* ſiue penes quartam, quam ſibi ſtatus aſciſcit conditionem, de qua diximus *lib. 1. diſp. 2. cap. 1. à num. 2.* ſiue vt forma infra *tom. ſequenti* explicanda ad functiones ſalutem animarum concernētes, ſemper aliqua ratione ordinatur; atqui præcipuum in his functionibus locum obtinet verbi diuini pabulo fideles oues paſcere, vt definit *Trident. ſeſſ. 24. cap. 4.* ad quod munus Theologia maxime neceſſaria eſt; duo præterea ſacramenta adminiſtrare ordinis, & confirmationis; paternè ſubditos corrigere, vbi opus fuerit; gladio cenſurarū vti; ſuffragium in Concilijs ferre; de myſterijs, ac rebus fidei iudicare, peccatorum grauitatem agnoſcere; ſibi nonnulla reſeruare; aptis Parochis Parœcias regendas committere, alijs iuriſdictionem in foro conſcientię, alijs approbationem dare; ergo quæ ad hæc munera idonea, aptiorque ſcientia cenſebitur, hęc in Epiſcopo potiori deſiderabitur iure; ſed hanc eſſe veram Thologiam non eſt qui neget; ergo. Tertiò vbi periculum ſcientię Conſecrandus in Epiſcopum ſubit, exquiritur, vel olim, vt notat Sotus, ſiſcitabatur, num vtrumque teſtamentum nouerit? non autem, an ſacrorum canonum peritiam habeat? ergo ſenſus Eccleſiæ videtur eſſe, vt Theologus cuius eſt ſacrarum ſcripturarum myſteria noſcere, in Epiſcopum præ omnibus habeatur.

11 Sed dicet quis. *Ex Trident. dicta ſeſſ. 24. cap. 4.* conſtat per alium prædicationis munus obire Præſulem poſſe; at verò alia ad forenſe regimen neceſſaria cum ille teneatur

exer-

exercere, ad matrimonium præſertim, atque ecclesiaſticas cenſuras ſpectantia, ſacrorum canonum potiùs indiget notitia, quæ maioris momenti ad hæc eſſe videtur, vt contendunt *Menoch. præſumpt. 71. num. 49. Ex Alexand. conſ. 1. col. 4. verſ. Et ſi aliqui lib. 4. Neu. lib. 5. ſilua nupt. num. 69. Pariſ. conſ. 67. num. 31. lib. 4.* Quid dicam de cæteris cauſis ad forenſe ſpectantibus iudicium? Quid de iudiciorum formis, cęteriſque huiuſmodi, quæ propria ſunt Iuriſperitorum.

12 Reſpondeo, Tridentinum Epiſcopos à prædicationis munere, ſi legitimè tantum impediti fuerint, excuſare. *Mandat* (inquit) *vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus aſſument &c.* Quamobrem Cõcilium facultatem in Epiſcopo concionandi, ac myſteria diuina Theologicè nota, ſuis ouibus communicandi ſupponit, cuius actum ob vrgentia tantum excuſat impedimenta; & meritò; nam hac fere ſola functione magna ex parte videtur Epiſcopus ſuæ dignitati, atque officio conſulere, auctore *Bernardo, qui de conſid. lib. 4. paulo ante medium hæc habet. Etſi Purpuratus, etſi Deauratus incedens, non eſt tamen, quòd horreas operam, curamque paſtoralem paſtoris hæres; non eſt, quòd erubeſcas Euangelium, quamquam ſi volens euangelizes inter Apoſtolos quidem, etiam gloria eſt tibi. Euangelizare paſcere eſt, fac opus Euangeliſtæ, & Paſtoris opus implebis.* Ve autem priſca; atque aurea maiorum noſtrorũ ſecula prateream; agnouit etiam noſtrum fere, in noſtra Italia purpuratos Epiſcopos æſtuantes Dei charitate, qui tot inter catholicæ Eccleſiæ curas hanc concionatoris, alijs minimè demandabant; ſanctũ, inquã, agnouit Carolum Boromeum: agnouit Robertũ Bellarminum: Caietanum, nec non Taurusium, & Creſcentium, vtrumque Sanctiſſimi Philippi Neri alumnum. Et quidem Petrus Paulus Creſcentius, ſua erga me benignitate Amicus, ac Dominus Epiſcopus Vrbeuetanus, dum Orbiti eum condo, & compono, non ad ſenatum modo, Populumque Vrbeuetanum Apoſtolico pene ſpiritu, de pietate, iuſtitia, prudentia, de ciuium caritate, ac Republica rectè adminiſtranda ſępè ſęptius ſermonem habet. *In omnibus ſe ipſum* (vt cum Paulo ad Titum loquar) *præbens exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate verbum ſanum irreprehenſibile &c.* verum etiam ſingulis ferè hebdomadis poſt decantatas Deiparæ laudes veſpere Sabbati in eiuſdem ſacello ſuas verbo paſcit oues.

14 Verum enim vero, vt vnde digreſſa eſt, ad ſolutionem inſtantiæ aduerſariorum regrediatur oratio. Ex quo fonte Menochius, cæterique ibi citati Doctores eas deducant materias, canoniſtæ potius, quam Theologi eſſe, non video; cum interſit Theologi Sacramentorum cenſurarumque, eſſentiam, naturam, integritatem, proprietates, effectus, aliaque huiuſmodi penitus & perpendere, & noſcere. De alijs verò externi fori functionibus do quidem manum; at amicum lectorem, & Epiſcopos omnes ſiuè Theologos, ſiuè Canoniſtas, etiam atque etiam oro, vt hãc Bernardi præ oculis habeant, immo in cordibus, ac mentibus altiùs imprimant ſententiam, qui quidem ad Beatum Eugenium Papam de conſid. lib. 1. ſcribens. *Quid ſeruilius* (ait) *indigniuſque præſertim Summo Pontifice, quàm non dico omni die, ſed penè omni hora inſudare talibus rebus, & pro talibus? denique quando oramus, quando docemus populos, quando ædificamus Eccleſiam, quando meditamur in lege? & quidem quotidie perſtrepunt in palatio leges Iuſtiniani, non Domini, Iuſtum ne etiam iſtud, tu videris?* Et infra. *Audi tamen Apoſtolum 1. ad Corinth. 6. quid de huiuſmodi ſentiat. Sic non eſt inter vos ſapiens, qui iudicet inter fratrem, & fratrem? & infert ad ignominiam vobis dico, contemptibiliores, qui ſunt in Eccleſia illos conſtituiſſe ad iudicandum; itaque ſecundum Apoſtolum, indignè tibi, vſurpas tu Apoſtolicus officium vile, gradum contemptibilium. Vnde & dicebat Epiſcopus, Epiſcopum inſtruens 2. Timot. 2. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus,* & poſt pauca cuidam ſibi obijcienti ruſticitatem, atque humanarum rerum imperitiam reſpondens, ſubdit Bernardus. *Et tamen non monſtrabunt puto, qui hoc dicunt, vbi aliquando quiſpiam Apoſtolorum iudex ſederit hominum, aut diuiſor terminorum, aut diſtributor terrarum. Stetiſſe denique lego Apoſtolos iudicandos Actor. 5. ſediſſe iudicantes non lego, erit illud, non fuit. Ita ne imminutor eſt dignitatis ſeruus, ſi non vult eſſe maior Domino ſuo, aut Diſcipulus, ſi non vult maior eſſe eo, qui illum miſit &c.* Ac tandem concludit. *Quis me conſtituit iudicem* (ait) *Ille Dominus, & Magiſter, & erit iniuria ſeruo, diſcipuloque, niſi iudicet vniuerſos?* Hinc Epiſcoporum Epiſcopus *Sanctus Petrus ad Clementẽ, atque in eo ad quoſuis Epiſcopos hæc ſcribit. epiſt. 1. habetur in epiſt. Clementis ad Iacobũ paulò poſt principium. Neque enim iudicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Chriſtus, nè præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundum veritatis regulam ſecernere bonos à malis. Iſta namq; opera, quæ tibi minus congruere ſuperiùs expoſuimus, exhibeant ſibi inuicem diſcentes, id eſt laici, &c.* cuius Epiſtolæ non omnino dubiam eſſe fidem colligitur è *Bellarmino de ſcriptor. Eccleſ.*

Hæc

de ætate num.6.de probat. Alciat. in tract.de præſum.reg.3.præſumpt.14. num. 2. Soneinas Iunior in conſ.82.num.12.lib.2. Maſeard. lib. 2.de probat.conc.666.num.8. Menocb. de præſumpt lib.2.præſumpt.50.num.26

4 Quod ſi electio alicuius in ſolemni, debitaq; forma producta principaliter in alterius tenderet præiudicium, non militaret regula per noſtram concluſionem aſſerta; nam tunc non præſumi perſonæ habilitatem videtur probabiliùs; quemadmodum ſentit generaliter loquendo Bald. l. Cum te col. 2. verſ. interdum ætas non ponitur C.de probat. Alciat. in tract. de præſump. reg. 2. præſump. 14. num. 4. Menocb. lib. 6. præſumpt. 13. Qui ex Decio in cap. Nonit. notab. 3. de iudic. magnum eſſe debere tale præiudicium, probè notat.

5 Secunda concluſio. Quando ætas deducitur ad iuſtificandam electionem, vel conſecrationem Epiſcopi, eam deducens minimè probare tenetur, ita de quocumque in officium, magiſtratum, vel dignitatem ritè alioquin electo, qui ſuam legitimam ætatem haud probare tenetur, ad electionem iuſtificandam docent Cynus, & Bald. in l. ſæpe adducta eum te C.de probat. ibidem Salicetus col. vlt. verſ. aut quæritur de iſtis. Alciat. modo laudatus num. 3. verſ. tertiò fallit Menocb. lib. 2. præſump. 50. num. 28. Ratio autem eſt, quia præſumptio ſtat ex parte electionis in legitima nempe ætate prorſus habitæ.

6 Si autem in alicuius præiudicium res cederet, alia quidem ratione iudicanda eſſet. ex his, quæ modo in alia concluſione num. 4. docuimus, vt benè ſcribit Menocb. laudatus num. 29.

7 Tertia concluſio. Quando ad electionem, vel ad Epiſcopi conſecrationē impediendā, illegitima deduceretur ætas, à Deducente probanda eſſet, ſiue actor, ſiue reus ſit; ſic de omni actu impediente aſſecutionem officij, vel muneris ſentiunt Petrus Cynus, & Salicet. in dicta lege Cum te C. de probat. Io. Andr. in Cap. Infamibus de regul. iur. in 6. Lucas de Penna in l. 1. col. vlt. C. de fidei inſtrum. & iure haſtæ fiſcal. lib. 10. Alciat. citatus num. 2. Menocb. laudatus num. 30. Verùm enim verò hæc concluſio ab his auctoribus generaliter notata, minimè probatur; probari tamen eam poſſe reor momento 2. & 3. concluſ. 1. num. 3. relatis.

8 Quarta concluſio. Eligendus, vel conſecrandus Epiſcopus, ſi legitimam habuerit ætatem, eam adducens ad idoneitatem demonſtrandam probare debet, ita de omni ſimili electione Io. Andr. in cap. Infamibus ſæpe citatus de reg. iur. in 6. col. 3. Salicet. in l. Cū te, ſæpius adducta col. 2. verſ. ſi verò quæritur C. de probat. ac alij quos ſequitur Menocbius lib. 2. præſump. 50. num. 32. de elect. ad benefic. loco exempli rem agitans: ratio eſt, quia cōditionem eueniſſe aſſerentis, eam intereſt probare l. in fidei commiſſi §. Cum Pollidius ff. de vſur. & l. ex his C. quando dies legati cedat, neque ſuffragatur poſſeſſio, vt aſſertione ſecunda dictum eſt, cum de electione facienda, vel conſecratione hic ſermo ſit.

9 Cum ætatem Epiſcopus ordini præſcriptam de momento in momentum currere cap. 1. nu. 5. & 6. dixerimus, è re maximopere eſſe ſtatui. hic rationem probandi punctū natiuitatis adſcribere; ætatis poſtea abſolutè probandæ modum allaturus.

Sit igitur quinta concluſio. Cum punctum natiuitatis alicuius in Epiſcopum promouendi incognitum ſit, coniecturis, & præſumptionibus probandus eſt, ſic generaliter ſentiunt Bald. l. Cum te laudatum num. 2. C. de probat. conſ. 213. Occurrit dubium in fine lib. 2. & conſ. 19 Factum tale eſt, quidam vanus col. 2. verſ. modo venio lib. 5. Alciat. in tract. de præſump. reg. 2. præſumpt. 14. num. 5. & in reſponſ. 409. num. 2. ac alij quos laudat, ſequiturque Menocb. lib. 1. præſumpt. 51. num. 1. Quamobrem Obſtetricum, parentum, & vicinorum, maximopere facier teſtimonium ad natiuitatis punctum agnoſcendum; quas quidē coniecturales probationes ſufficere, quando conditionaliter requiſitæ eſſent, ſentit Maſcard. lib. 1. de probat. concl 675. num. 11. veluti ſi Sacerdos in Epiſcopum nominaretur, ea ſub conditione, ſi legitimæ fuerit ætatis, & hæc ætas alioquin incognita modo iam explicato probanda eſſet, auctore Alciato in præſumpt. 14. citata num. 5. cum autem punctum natiuitatis ſolum coniecturis probari poſſit, ex quo clam, & in occulto parere ſoleant mulieres, vt diximus, præſumptio iuris habetur, vt vera probatio, etiam in diſpoſitione conditionali; & ni præſumptiua ſufficeret probatio, nulla quidem eſſet conceſſio, ob ſummam probationis difficultatem facta: ſic ex multis in reſcriptis Principum aliquid ſub conditione concedentium, rei præſertim difficilis probatu ſentit Menocbius lib. 1. præſumpt. q. 37. num. 20.

10 Demum, vt probetur ætas abſolutè in re præſertim noſtra, primum affero momentum ex libro Plebani, ſeu Parochi petitum; in quem infantium è ſacro fonte eleuatorum nomina, Caio ver. grat. & Titio ſpōſoribus, referenda ſunt, vt in more poſitum fuiſſe olim Apoſtolorum tempeſtate ſcribit Areopag. in lib. de Eccleſ. Hierarc. quodq; à Sacro Trid. Concil. ſeſſ. 24. cap. 2. ſancitum eſt; ex hoc inquam libro ſufficientem deduci probationem docent Sapia in l. De ætate nu. 33. ff. de minor. Mandoſius in comment. ad reg. cācell. reg. 18. de ætate pro Canonicatu quæſt. 10. Sforzias Oddo de reſt. in integ. qu. 37. nu. 83. &

alij,

alij,quot ſequitur Maſcard.lib.2.de prob.conc. 672. Deciſumque à Romana Rota habetur apud *Verallum deciſ.*314. *part.*1. Et probatur, quia huic libro præbenda eſt fides, etſi priuata ſit ſcriptura per *Bald. in l. vltima num.*9.*C.ſine cenſu.* cum dixit libros cenſus &c. Eccleſiæ conſcriptos ab Eccleſiæ adminiſtratoribus probare;habeturq; expreſsè de noſtro apud *Menoch.lib.2.præſump.*51.*num.* 54.*Maſcard.Salicet. & Anchorit. apud eundē* Neque in contrarium facit *Capra conſ.* 57. aſſerens, Plebani ſcripturam omnino priuatam nullam facientem fidem *ex l. inſtrumentū l.Rationes l.Exemplo C. de probat. cui ſubſcripſit Decius in conſ.*120.*num.*1. id ſolum verum habet, quando in aliquo actu ſcriptura deſideratur Notarij authentica, & publica, vt in teſtamento alterius manu deſcripto, quando exploratum eſt, ſcripturam non ſufficere Parochi, cui talis non eſt poteſtas, aut officium; quod ſanè in relatione horum nominum in publicum quaſi album, ac librum relatorum non requiritur, vt probè *Menoch.citatus, Mandoſius vbi ſupra, & Maſcard.lib.2.de probat,conſ.*672.*num.*17. *At ipſe eum cap. cum eſſes de teſt. quoad hoc ſentio.* Probat autem hanc ætatem abſolutè ſumptam huiuſdem libri auctoritas, ſic, ſi quæſtio eſſet, trigeſimum primum, an vero trigeſimum exegerit annum promouendus in Epiſcopum, neque de hora, vel de die diſceptatio eſſet, vt in ſimili de ætatis maioris, vel minoris probatione *Menoch. laudatus num.* 56.*&* 57. quòd ſi in libro Baptiſmaris dies etiam notata eſſet, tunc maiori certitudine poſset ætas teneri:etſi hora referretur etiam decurrens de momento in momentum, noſcetetur ætas; vt *Monterius, & Rebuffus apud citatum Menochium.*

11 Secundum momentum deſumi poſſet ex parentum libro, vel alia ſcriptura, ſaltem præſumptiuè, quòd veriſimile haud ſit, falſum, in album domeſticum, & priuatum; patrem retuliſſe abſque cauſa; ideoque ſemiplenam ad minimum faciet fidem, ſi Pater iurauerit veram eſſe illam ſcripturam, vti tradit *Crauetta in tract. de antiqu.tempor. in* 8.*part.prima partis principalis num.*34.*ex ſententia Caſtri conſil.*124.*num.*2.*libr.*1. vel abſolutè, quando Pater eſſet mortuus, quòd mors iuramenti vim habeat *ex Bart.in leg. Admonendi num.* 27.*ff. de iure iur. & alijs.* Dixi ſaltem præſumptiuè, quum non defuerint Doctores, plenè Patris librum probare, ſcribentes, ſic *Salicet.in leg. Cum te nu.*4.*C. de probat. & alij, apud citatum Menochium num.*8.*&* 9.

12 Tertium momentum è parentum, vel alterutrius teſtimonio, quod ad ſemiplenam, ſaltem plerunque valere probationem, opinor probabilius cum *Caſtro conſ.* 124. *in cauſa.quæ vertitur coram lib.*1. *Bart.conſ.*42. *in quæſtione vertente colum.* 2. *verſic. nec obſtat libr.*1.Cum reſpondit teſtimonium Matris admiſſæ ad probandam ætatem filij; puta probabiliter, quemadmodum explicat *Menoch.lib.2.præſump.*51.*num.* 14. *qui alios pro hac ſententia laudat, & ſequitur.* Conſultò dixi *ſaltem*; nam aliquando plenam facit probationem teſtimonium paternum; vt ex multis alijs laudatus tradit *Menochius,* quando præſertim in graue non cedit alterius detrimentum. *Plerunque* addidi, quia nonnunquam nullius ſane momenti teſtimonium patris eſt, vt ſi cauſam in filium ageret, ſic probè *Bald. conſ.* 19. *factum tale eſt.*

13 Quartum momentum præbet teſtimonium obſtetricum ex *Bartolo in leg. De ætate num.*7.*ff.de minor.*25.*annis poſt Gloſſam in l.* 2. *ff. de ferijs & l.*3.*S. Duæ ff.carbo edicto, Menoch.citato num.*29.

14 Quintum ex conſanguineorum, & propinquorum teſtimonio per *Bart. in dicta l. Aetate num.*7.*Sfortiam Oddo de reſt. in integ. q.*37.*num.*48.*&* 59.*& Franc. Neapol in deciſ.*19.*num.*9. cum ortus vicini infantis videatur ex illis eſſe, quæ in notitiam coniuncti, vel vicini facili negotio cadunt, vt probè *Bart. laud.num.*7.*Alexand.in l.*1.*num.* 18. *ff. ſi certum petatur, & alij,* eo præſertim euentu, quo non momentum natiuitatis, ſed ætas abſolutè probanda eſt, quæ Vicino maioris ætatis, vel Propinquo, qui neque abſens, neque alienus ob ſimultates, quas cum alio exercet vicino, vel propinquo, nota videtur vero ſimilius; ſic benè *Menoch. d num.* 45. ac deinceps.

LIBER TERTIVS.

De proximis ad Epiſcopatum diſpoſitionibus.

REmotas perſonæ in Antiſtitem eligendæ qualitates ſatis explicaſſe ſuperior videtur liber; reliquas vt hic perſequatur, ſupereſt, quæ quidem magis ad materialem cauſam inſtruendam, exornandamque pertinent, atque ad formam Epiſcopatus excipiendam eamdem proximè diſponunt; nec à natura, ſed ad vitæ cultum à virtuoſis ſanè ducuntur mortalium ſtudijs. & quamuis, quas ſacri Canones & concilia in Epiſcopo ſimul deſiderant qualitates, atque ornamenta, videar ſecernere; quum expenſis eius natalibus, atque ætate ſuperiori libro ad rerum ſcientiam, virtutes, reliquaque decora hoc me conferam explicanda; nihilo tamen minus etiam quòd ea tributa, vt paulò ante dicebam, à natura: hæc verò non ſine D.O.M. auxilio libero comparata ſint arbitrio, atque induſtria diſtincto ſanè diſcriminanda erant volumine.

DISPVTATIO I.

De Scientia Præſulis.

Principem inter Antiſtitis ornamenta cæteris præbens facem, rerum ſcientia iure ſibi vendicat locum, quam dilucidaſſe reor, ſi qua Præſulem inſtructum eſſe doctrina docuero, & an potiùs ſacrorum Canonum, vel Theologica.

CAPVT PRIMVM.

Neceſſaria Præſulis aſſeritur ſcientia.

SVMMA.

Epiſcopus doctus omnino deſideratur numero 1. & 2.

Cuius rationis eſſe debeat Epiſcopi ſcientia num.3.

Poteſt, & politioribus, & philoſophicis litteris operam dare ad lucrum animarum.nu.4.

Ratio comparandi ſcientiam.nu.5.

Cur Epiſcopus doctus eſſe debeat num.6.

Epiſcopi nomina rerum ſcientiam indicant. num.7.

Qua à Tridentino in Præſule deſideretur doctrina.num.8.

Magiſter, ac Doctor in Theologia idem eſt. num.9.

Qui dicuntur licentiati.num.10.

Licentiatis ſacrorum Canonum, vel Theologiæ priuilegia ratione dignitatis doctoribus conceſſa non competunt, quamuis competant, quæ conceduntur ratione exercitij. numer. ibidem.

Sacra Pœnitentieria litteras licentiati expedire non poſſunt.num.11.

Licentiatus ſiue iuris Canonici, ſiue Theologiæ Præſul eſſe poteſt.num.12. & 13.

Ad Epiſcopatum ſatis non eſt iuris ciuilis peritia num.13.

Iuris Cæſarei Doctores, Sacra Pœnitentiaria litteras non poſſunt expedire.num.ibidem.

Vel Theologus, vel Canoniſta eſſe debet Epiſcopus num.14. & 15.

Quando particula Vel cum habeat coniectiuæ num.16.

Quo publico teſtimonio ſcientia Præſulis conſtare debet.num.17.

In foro externo hoc teſtimonio comprobatus idoneus eſt. num.18.

Secus ſi conſtaret, à corruptis doctoribus promotum eſſe. num.ibidem.

Quid indoctus promotus in foro conſcientiæ facere teneatur.num.19.

Indoctus mortaliter peccat Epiſcopatum ſuſcipiens.num.20.

Tenetur præterea, vel ſe abdicare Epiſcopatu, vel aſſidua induſtria ſufficientem ſibi comparare ſcientiam. num.21.22. & 23.

Nec apud ſe viros habere doctos ſatis eſt. num. 22. & 23.

Quæ ſit eminens, quæ mediocris, quæ idonea ſcientia.num.23.

Epiſcopus in examine ſciſcitatus, falsò reſpondens vtrumque ſe teſtamentum ſcire, peccat mortaliter.num.24.

Quæ neceſſario ab Epiſcopo ſcienda ſunt. numero 25.

Quando peccatum ignorantiæ ab Epiſcopo contrahitur.num.26.

Non eſt vnum ſpecie peccatum, ſed multiplex. num.27.

Praceptum doctrinæ Præſuli neceſſaria, & poſitiuum dici poteſt & naturale. nu.28.

Examinatores indoctum promouentes in Epiſcopum mortaliter peccant.num.29.

Directè hoc præceptum diſpenſari non poteſt. num.30.

1 Meridiana profectò eſſet in luce cæcutire, ſi rerum ſcientiam, qua pollere Præſulem decet, in dubiũ reuocaremus; explorata enim res apud omnes eſt, vt operoſum potius ſit, è ſacrorum Canonum, Conciliorum, ſapientiſſimorum Doctorum, ac rationis theſauris, nonnulla hic adſcribenda ſeligere, quàm quærere.

Sit igitur prima concluſio. Epiſcopus Doctus omnino deſideratur: liquet hoc primò ex adumbrato Antiſtite, veteris nempe legis Pontifice *Exod.28.* cuius Rationale hac erat inſcriptum Epigraphi.

Doctrina, & Veritas.

Hinc vt habemus in *Canon. Qui Eccleſiaſticis 37. ex 2. Reg. 5.* prius verbis ſuis os Prophetæ, quàm ſceptro dexteram inſtruxit ex *Hieremia 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & Malach.2. labia,* inquit, *Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius.* Hinc etiam Magiſter Chriſtus, quàm prædicationis initium faceret, prius in medio Doctorum ſedit audiens illos, & interrogans, ac prius Apoſtolos docuit, quàm ad prædicandum miſerit *Matt.10.* ac poſt reſurrectionem prius illis ſenſum aperuit ſcripturarum, ac deinceps præcepit, vt euntes in Mundum vniuerſum prædicarent &c. hiſque ſimilia ſapienter exarata leguntur in citato canone. Hoc etiam ſapientiæ ornamentum Epiſcopo neceſſarium indicauit *Paulus 1. ad Timot. 3.* cum Doctorem exquirat, & *ad Titum 1. Oportet Epiſcopum eſſe iuſtum, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* E contra verò, quàm turpe ſit Epiſcopali ſublimitati potiri indoctũ *Eccleſ.10.* demonſtratur. *Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis.* Accedunt *Canones Qui Epiſcopus diſt.25. ex auctoritate Concilij Cartaginenſis 4. cap. 1. Qui Eccleſiaſtici diſt.36. ex Zoſimo Papa. Omnes pſallentes 38. ex ſeptima Synodo ſeſſ. vlt. cap.2. conſonant Concilium Toletanum 11. in principio: Lateranenſe ſub Leone Decimo Tridentinum infra laudandum: Innocentius etiam Tertius in Cap. Inter cætera de officio iud. ordin. defectum ſcientiæ omnino reprobandum, & non tolerandum monet.* Hinc in ſcientiæ periculo, quod ſubit Epiſcopus, cum rogatur, num vetus, nouumque teſtamentum nouerit? ſe noſſe quidem reſpondet.

2 Hinc conſentanea cõcluſioni ſanctiſſimorum eſt ſententia Doctorum. Areopagita enim de cæleſti hierarchia. *Quoniam,* ait, *perficiens omnis ſacerdotij ius, & ſcientia à diuina myſteriorum auctore bonitate, diuinis Pontificibus datur iure, ac meritò in Capitibus Pontificum ſcripta diuinitùs tradita ponuntur, quæ compendio, ſcienterque omnem Theologiam, omnem Dei operationem, doctrinam ſanctam continent.* quam infra vberiùs declarat. Accedit *Hilarius lib.8. de Trinit. Omnium,* inquit, *virtutum Epiſcopalium, eſt ſcientia, & doctrina.* demum omiſſis alijs *Theophilactus in cap.1. ad Titum. Doctrinam, virtutem, & characterem dixit eſſe Epiſcopi. Vt nos tom.2. lib.5. diſp.6. cap.8. proſequemur.*

3 Verùm enim verò cuius rationis eſſe ſciẽtia Præſulis debeat, à Theodoreto prudenter indicatur, nã Epiſcopũ ab Apoſtolo Doctoris nomine nuncupatum loco modo laudato, eum eſſe ait, *Non qui ſit eloquentia praditus; qui verborum floſculos pueriliter ſectetur, ſed eum qui eſt eruditus in diuinis, & poteſt ea ſuadere, quæ conueniunt,* ſic in *Cap. Epiſcopus diſt.37. è Concil. Carthagin. 4. cap. 16.* Legimus. *Epiſcopus gentilium libros non legat, hæreticorum pro neceſſitate, & tempore: & Cap. Sacerdotes ibidem ex Hieronymo ad Damaſum epiſt. 146. Sacerdotes Dei omiſſis Euangelijs, & Prophetis videmus comædias legere, et amatoria buccolicorum verſuum verba canere, Virgilium tenere, & id quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Quid ſanctiſſimus Doctor, ſi obſcena tractari ab Epiſcopis (quod Deus auertat) uidiſſet? percurrantur ſubſequentes Canones, *Nonne nobis: Et legant Epiſcopi.*

4 Neque adeò religioſus haberi cupio, quòd, & humanioribus, & philoſophicis præditum litteris nolim Epiſcopum, dummodo huiuſmodi ſtudia animarum curæ impedimento non ſint, & primo Chriſtum noſſe theſaurum, ſcientiæ, ac ſapientiæ, quàm ſecularibus doctrinis, etiam ad bonum ſpiritnale imbui, vel imbutis vti contendat; nam vt eruditè *Gratianus Canoni, legimus, diſt.37.* addidit, *Moyſes, & Daniel omni ſcientia Aegyptiorum, & Caldæorum eruditi fuerunt, & filijs Iſrael, vt ſpoliarent Aegiptios auro, & argento præcepit Dominus moraliter inſtruens, vt ſiue aurum ſapientia, ſiue argentum eloquentia apud Poetas inueniremus, in vſum ſalutiferæ eruditionis vertamus: Magi*

que;

quoque tria munera obtulerunt Domino, in quibus nonnulli tres partes, moralem, naturalem, & rationalem volunt intelligi. hæc ferè ille adiuncta *Gloſſ.*: vtque non puduit adoleſcentem Dauidem giganteo gladio giganti caput obtruncare, ita (quod præſtitère Sanctiſſimi Præſules, atque Eccleſiæ Doctores) naturalibus etiam ſcientijs, ac diſciplinis, in hæreſum capita, peſteſque Chriſtianæ Reipublicæ, nobis fortiter agendum eſt; tum quia perficiunt hæ ſcientiæ intellectum humanum, quem acuunt *ex Auguſt. in lib. de doct. chriſt. & ex Beda relato in cap. 8. diſt. 37.* ſunt etiam adiumento ad ſenſum diuinarum percipiendum ſcripturarum, *ex Auguſtino citato*, nec non ad ſacram Theologiam; verum *Gregorio Pontifice Maximo auctore in moralibus. Summa cura prouidendum etiam eſt, ut acceptæ ſapientia cum ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat, & iam ſapientia eſſe nequeat, quæ etſi loquutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obſcuret*, quæ ſi humilitate condita, ſi firmata charitate fuerit, non Præſulibus detrimento, ſed maximo ſanè proximis adiumento erit: ad quorum regimen, vt habetur initio *diſt. 36. Prudentem Epiſcopum oportet intelligi non ſolum litterarum peritia, verùm etiam ſæcularium negotiorum præditum eſſe.*

5 Eo autem medio hæc Antiſtiti comparanda eſt doctrina, quod *Rex Pſalmiſta pſalm. 118.* tradidit *ſuper omnes docentes intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.* rerum enim ſacrarum meditatione amor accenditur diuinus, quo duce ſine dubio ſcientiarum theſaurum adinueniet Epiſcopus *Guſtate, & videte*, idemmet *David pſal. 33.* ait; nam amoris guſtu ad notitiam peruenitur doctrinarum: quod nec Plato præteriſſe fertur, quippe qui Deum amare idē ac philo-
6 ſophari eſſe teſtatum reliquit. Ratio autem, cur Epiſcopum ſcientia præditum eſſe neceſſe ſit, *ex D. Thoma deducenda 1. 2. quæſt. 76. art. 2.* nam cum ea ſinguli ſcire teneantur, quæ ad ipſorum ſtatum, atque officium ſpectant, & Epiſcoporum munus ſit proprium Doctorum, quibus tanquam Apoſtolorum ſucceſſoribus dictum eſt *Docete omnes gentes Matth. 20.* eam ſaltem callere ſcientiam debent, quæ ad hoc munus obeundum ſatis eſt; nè, vt habetur in principio *diſt. 86. Inferiorum culpa in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exequi neſcit, vel negligit*, vt initio ſequentis concluſionis ex Tridentino confirmabimus. Adde Præſulum intereſſe, fidem defendere, ſuffragium in Concilijs ferre, de chriſtianæ religionis miſterijs decernere, quorum exacta notitia eis ex officio, vt magiſtris profectò competit, apud quos ſincera conſeruari poſſit. Idque ex præcipuis muneribus, nominibuſque Epiſcoporum, perſpicuè dilucidari poteſt: nam *Lux mundi Matth. 5.* dicitur Antiſtes; quæ quidem inſtar ſolis ſe diffundat, alijſque ſyderibus, Presbiteris ſcilicet, ſeu alijs Eccleſiaſticis Doctoribus ſuum fœneret lumen. *Præſidem (inquit Theophil. 1. ad Timot. cap. 3.) ac principem velut ſtellam, & illuminationem docet eſſe, vt ad ipſum omnes defigentes oculos illuſtrentur, atque ducantur in viam rectam.* Lucerna etiam nuncupantur *Matth. 5.* vt omnibus luceant Epiſcopi; *Quomodo enim lucerna (ait Chryſoſt. hom. 15.) ſi non lucet? profectò inſeparabile eſt lucere à lucerna, alioquin ſi lumen, quod in uobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quid erunt? Matth. 6.* Speculatorem ex ethymologia Epiſcopum *lib. 1. diſp. 3. cap. 1.* diximus, at ridiculoſa (vt quidam vir æque doctus, ac ſanctus dixiſſe fertur) res eſt, & ſic certè periculoſa, ſpeculator cæcus, doctor inſcius, præcurſor claudus, prælatus negligens & præco mutus; cuius eſt, auctore *Gregor. epiſt. 39. lib. 2. indic. 10. de prædicat. miniſt. Semper cogitare, intenſiſſimo timore cōſiderans, quod receſſurus ad percipiendum regnum Dominus, ac talenta ſeruis diſtribuens dicat Luc. 19. negotiamini, dum venio.* Demum Paſtoris obire munus Epiſcopum, nullus eſt, qui non videat. *Veteris autem præcepta legis* (inquit Hieronym. epiſt. 83. ad Occanum) *& Pauli monita ad Titum, perſpicuè docent, ſacerdotibus neceſſariam eſſe doctrinam, innocens enim, & abſque ſermone conuerſatio quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet; nam, & latratu canum, baculoque paſtoris rabies deterrenda eſt.* Quæ omnia confirmantur *ex Cap. 1. diſt. 43. Hinc Turrecrem. in Cap. ſit Rector diſt. 43.* meritò docuit, peccare mortaliter Prælatum tacentem tempore, quo prædicare tenetur, vrgente nimirum neceſſitate ſuæ Eccleſiæ iuxta *Trident. ſeſſ. 24. cap. 4.* à nobis perpendendum ſequenti cap. num. 12. *ex Ezechiele 33. ſi ſpeculator viderit Gladium, & non ſonuerit Buccina &c. ſanguinem autem de manu ſpeculatoris requiram.* Paret etiam, quia peccat contra proprium officium ſpeculatoris, Medici, Paſtoris &c. Nec non *ex Gregor. lib. 1. epiſt. 33. relato à Cap. Epheſij 43. diſt. & à Cap. Diſpenſatio eadem diſt. ex Iſidoro de Eccleſ. offic. lib. 2. cap. 6. & lib. 3. de ſummo bono cap. 35. habetur in Concilio Aquiſgran. cap. 16. in 3. part. concilior. & ex eodem. Cap. 36. libro 3. apud idem Concilium capitulo 20. ac deinceps.*

8 Sit ſecunda concluſio ex *Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. de reform. Deſiderata Epiſcopus ſcientia eiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſsit ſatiſfacere, ideoque antea*

vni-

tenera, conferre, adminiſtrare; cenſurarum gladio vti; ac ſexcenta exercere epiſcopalia munera poterit, qui penitus Theologiam ignorat? aut quomodo, quæ ad externum forum, & iudiciariam ſpectant poteſtatem obire, canonum peritia pene deſtitutus? verum enim vero ſi de Theologo ſermo ſit, qui hoc ſibi meritò vendicat nomen, ac de vero Canoniſta, quem neceſſaria ad ea, ac ſimilia ſuperius enumerata munia nō præterit ſciētia rerum, etiā Theologicarum; tametſi ſinguli ex profeſſo alterutram profiteantur ſcientiam, ſortianturque nomen Theologi, vel Canoniſtæ, ſatis eſſe contendo, vt altera apprimè præditus ſit, licet ſimis, vt dicitur, labris alterā, ſufficienter tamen ad ſuum munus, attigerit: quem Tridentini eſſe ſenſum non ambigo.

16 Et quamuis me non fugiat, aliquando particulam (*vel*) vim habere coniunctiuæ *vt l. ſæpe ff. de verb. ſignif. & leg. Cum quidam ff. Eodem titulo, de quo latè Bartolus l. ſupra iter ff. de aqua, & plu. arcen.* cæterum in præſenti decreto Tridentini vim diſiunctiuam, vel alternatiuam retinere, compertum habeo, tum è communi Doctorum ſenſu, tum Eccleſiæ vſu, tum quia ſæpe ſæpius alternatiua etiam ſub ratione particula *Vel*, in iure accipitur, vt conſtat ex *Cap. Inter cæteras de reſcriptis*, & alijs, ex quibus locis ſeptuageſima deducitur regula, *In alternatiuis ſufficit alterum adimpleri*6. quando nimirum affirmatiuè enunciatur, ſecus ſi negatiuè, in quibus requiritur, vt neutrum fiat, cuius exemplum lege apud laudatū Abbatem. *fauent præterea l. ſi quis ita ſtipulatus fuerit, l. ſi ita quis ſtipuletur ff. de verb. ſignif. & l. In eo quod plus eſt ff. eo titulo*, ex qua regulam iuris deriuatam eſſe docent *Gloſſa eiuſdem regulæ littera B. verb. in alternatiuis. 2.*

17 Publicum autem teſtimonium, quo doctrina Præſulis ad alios erudiendos conſtare id præcipiente Concilio, debet, illud dixerim quòd aut è ſapientum virorum iudicio, & commendatione habetur, *vt iudicat Gregorius Papa modo laudandus, docetque Azor. lib. 3. inſt. moral. cap. 28 quæſtione. 9. in fine*, vel ex actuali munere docendi Theologiam, aut ius canonicum, quo quis fungeretur; tum quia præſtantiore, quàm poteſt ratione facultas oſtenditur docendi per actum rite habitum: tum quia hi dicuntur Doctores *l. Medicos in fine C. de profeſſ. & med. lib. 10. quod ex multis probat Baeza de inop. debit. cap. 16. num. 131. & 132. Gutier. quæſtion. practic. lib. 1. quæſt. 22. num. 3.* Neque Tridentinum dignitate Doctoratus, vel Magiſterij donatos tantùm voluit eſſe promouendos ad Epiſcopatum, verùm etiam illos, quorum doctrina hoc publico conſtaret documento. Seruanda præterea eſt conſtitutio *Gregorij XIV. de forma faciendi proceſſus ipſius promouendi, data anno* 1591. *Kal. Maij* vbi ait Pontifex; *Quia circa doctrinam plures fraudes committi ſolent, & ſæpe contingit, vt nonnulli ſcientia vacui de ſolo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur, volumus, vt de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, vel Licentiæ, titulis, & priuilegijs gaudet, vel etiā à publicis Academijs teſtimonium habuerunt, quod idonei eſſent ad alios docendos; niſi fortè aliquorum inſignis doctrina è publica ipſorum functione notoria eſſet. Ita verò inquiſitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel Iuri Canonico Promouendus operam dederit cognoſcatur. Et quoniam in quibuſdam Prouincijs nulla ſtudia ſunt generalia, &c. declaramus in huiuſmodi locis ſufficere, ſi teſtimonio virorum grauium, & ſacræ Theologiæ, vel Iuris Canonici Peritorum conſtet, ac muneris ſibi iniungendi neceſſitati valeat ſatisfacere, &c.* Et infra hoc ipſum declarat cum Religioſis ſeruandum, etiam à ſuis Superioribus approbatis. *Et nihilominus præter Superiorum teſtimonium, qui fidem faciant, huiuſmodi Regulares ad alios docendos idoneos eſſe, volumus ea ſeruari, quæ de ijs diximus, qui publicum ſuæ doctrinæ ab aliqua Academia teſtimonium habent, vt ſeriò inquiratur, an Regulares ad Cathedrales Eccleſias promouendi progreſſus in ſtudijs fecerint, qui in futuro Antiſtite requiruntur.* Accedit aliud, & quidem maximi momenti ex præcepto Clementis VIII. quod in examine coram Sanctiſſimo haberur Epiſcopatibus Italiæ, in Hiſpania verò, & Gallia coram Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatis, vel Nuntijs, vt tradit *Theſaurus for. Eccleſiaſtic. part. 1. cap. 3. num.* 10. His autem decretis quod addam non habeo, quam ex Gregorio XIV. modo citato indicare. *Nomine Superiorum Regularium, eos dumtaxat intelligendos eſſe, qui nullum ſui Ordinis Superiores agnoſcunt, vel in eorum abſentia Vicarij, Commiſſarij, vel in Vrbe Procuratores generales ſunt.* De quibus *libr. 8. diſputation. 5. & 6.* vbi hanc Bullam interpretabimur, copioſiùs agendum erit.

18 Sit tertia concluſio. Electio, vel collatio facta perſonæ illitteratæ in Epiſcopum, eſt irrita; perſonæ verò alicuius doctrinæ, ſed inſufficientis eſt irritanda. Primam partem colligo ex *Concilio Tridentin. ſeſſione vigeſima ſecunda, capite quarto*, vbi hæc habentur. *Nec alijs impoſterum fiat prouiſio, niſi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur, aliter irrita ſit prouiſio.* Quæ maximo-

pere faciunt in electione ad Epiſcopalem dignitatem : ſuffragantur Doctores apud *Panorm.in Cap. Dudum de elect.il* 1.*num.*10.qui etiam electores priuari affirmat iure eligendi, ſi inhabilem elegerint: ſic etiam *Innoc.in Cap. Cum in cunctis eodem titulo*, *Nauarr. in Cap.ſi quando except.*16.*Leſſius de iuſt.& iur. lib.*2.*cap.*12.*dub.*14. *num.* 129. Ratio eſt ſupra indicata num.3.quia planè indoctus nullo modo Præſulis officio ſatisfacere,nec tãti dignitati conſulere poteſt, vt iterum *tom.*2.*lib.*5.*diſp.*6.*cap.*8.*dicemus* . Adde inſuper, ſi litteras poſtea addiſceret , electionem , aut confirmationem non reuiuiſcere , vt benè *Garzias citatus num.* 20. *& Appendix poſtuma ad Fellucian tract.*4t. *de benef. eccleſia. cap.*5. *num.* 37. Secunda autem pars noſtræ aſſertionis probatur ſpecialiter in Epiſcopatu *ex Cap.Niſi de renunc.*ex quo conſtat poſſe,immo teneri,ſe abdicare Epiſcopatu, qui idonea,ac mediocri ſaltem non eſt præditus doctrina,ſic *Innoc.in Cap. Cum in cunctis eodem titulo,quem ſequuntur Garz.laudatus nu.* 21.*Azor.*1.*part. lib.*10. *cap.*13.*qu.*18. *& Appendix ad Filluc. citatum num.* 39. *& tom.*2. *loco modo citato proſequemur* .

19 Ex his fit primò , in foro externo ſatis eſſe,vt quis Doctoris laurea,vel magiſterio,aut publico,quod ſuper expendimus,teſtimonio ſit inſignitus,vt validè in Epiſcopum eligatur, quamuis reuera indoctus eſſet , vt probè *Azor:part.*2.*inſtit.moral.lib.*3. *cap.*28. *qu.*11. Ratio eſt , quia in alijs huiuſmodi per ſe loquendo talis Doctor,vel licentiatus priuilegijs,ac prærogatiuis gaudet Doctorum. Verum enim verò ſi à corruptis conſtaret hunc promotum eſſe Doctoribus, priuilegijs non potiretur Doctoris, vti docent *Archidiac. in Cap. De quibuſdam* 37. *diſt. ex textu in ſimili l.Vna C.de aiblec.libr.*10. neque in foro externo putarem eligi validè idemque aſſero de teſtimonio,quod falsò daretur,& conſtaret de ignorantia eiuſdem promouendi
20 ob eandem rationem . In foro autem conſcientiæ ſi promotus indoctus fuerit,tantum ſtudij teneretur impendere in addiſcendis litteris,tantum in ableganda ignorantia , vt ſuo conſulere muneri idoneè poſſet,quemadmodum infra vberiùs dicemus .

21 Fit ſecundo . Epiſcopum earum rerum ignarum , quæ ad Epiſcopale munus rite obeundum neceſſaria ſunt, primo lethaliter peccauiſſe Epiſcopatum procurando , vel ſi non procurauerit,ſuſcipiendo,vt probè *Riccard.quodlib.*3.*q.*23.Deinde vel teneri ad ſe abdicandum Epiſcopatu , auctore *Gregor. Cap.Præcipimus diſt.*34.*& indicatur Cap. finali de temp.ordinandor.nec non docetur ab Innoc.in Cap.Cum in cunctis de elect.* dum huius,ait,electionem Epiſcopi eſſe irritandam ex *Cap.Niſi de elect.*vel induſtria,ſtudio,atq; aſſidua curà eò litteris vacare, vt meritò ſibi videatur comparaſſe doctrinam ad Epiſcopale munus obeundum ſufficientem: vel ſaltem viros ſibi doctos aſciſcere , vti docent multi iuxta *Cap.Inter cæteros de offic. iud.ordinar.*quod nos tom.2.lib.5.diſp.5.& 6.paulò ante citatis iterum confirmabimus , atque expendemus .

22 At verò hoc adiutorium ad ſcientiam Epiſcopo neceſſariam valde per accidens eſſe ſentio cum *Soario de fide diſp.* 13. *ſect.vlt. num.*7. quare licet varijs de cauſis , vel rationibus ab exacta , quam per ſe requirunt dignitas,munuſque epiſcopale , ſcientia poſſit excuſari, non tamen ab ea, quæ ſufficiens ſit iuxta locorum,ac temporum conditiones,& quamuis Epiſcopum indoctum à malo ſtatu excuſarem , ſi poſtquã promotus fuerit omnibus viribus litterarum incumberet ſtudijs; ac tunc temporis,vel Vicario, vel alijs adiutoribus ſibi conſuleret ; omnino tamen cenſerem ei deponendam eſſe infulam,ſi vel ætate,vel inhabilitate iudicaretur inhabilis ad ſufficientem ſaltem ſibi rerum ſcientiam, ac doctrinam comparandam , iuxta mentem auctorum laudatorum , vt nos *tom.* 2. *lib.*5. *diſp.*6.*cap.*8. *dicturi etiam ſumus* . Ad quod momenti multum afferre iudico Innocentij Tertij auctoritatem,qui Cap.*Niſi cum pridẽ de renunt.*hæc habet. *Pro defectu quoque ſciẽtiæ plerunque poteſt quis petere ceſſionem; quia enim ipſa circa ſpiritualium adminiſtrationem ſit potiſſimum neceſſaria , & circa curam temporalium opportuna, Præſul, qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere, in vtriſque ſalubriter ei renunciat, ſi ſcientiam , in qua ipſam regat, ignoret; tu enim, inquit Dominus, ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, nè ſacerdotio fungaris mihi; quamquam, etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in paſtore, in eo tamen ſit competens toleranda* . Et licet primo intuitu hæc Innocentij doctrina eò tendere videatur , vt ob defectum ſcientiæ licere Præſuli ſe abdicare Epiſcopatu demonſtret, verùm ſi penitius cum Gloſſa inſpiciatur,omnimodè contendit, competentem doctrinam Epiſcopo adſtruere neceſſariã;ad quod perpendo ſciẽtiam aliquam à Pontifice in Epiſcopo deſideratam,& deciſam , circa ſpiritualium adminiſtrationem potiſſimum neceſſariam eſſe debere;ſed hæc non eſt eminens, vt modo retuli;ergo competens , atque Epiſcopali munere ſufficiens;quippe quæ ſancitur *Cap. Cum nobis olim de elect.* & licet *Abbas Cap. Venerabilis de præbend.& dignit. nu.*8. *ex Innocentio* triplicem diſtinguat ſcientiam,eminentem ; mediocrem,ac ſuo muneri ſufficiẽtem; haud tamen percipio , quæ poſſit eſſe muneri præſertim Epiſcopali ſufficiens do-

ctrina,

ctrictā mediocritatem,quæ non attingat;igitur,hanc,quam diximus,ſcientiam Antiſtiti neceſſariam, ſiue mediocrem, ſiue compecentem,ſiue ſufficientem appellee,exiſtimandam eſſe prudentum iudicio, probè docet Abbas *cap.Cum in cunctis de elect. num.* 4. ex quo definitionem, ac diuiſionem ſcientiæ eminentis, mediocris, & ſufficientis ex Innocentio allatam, vt paulò ante dicebam, non approbo.

23 Sed eminentem eam dicerem, quæ tùm extenſiuè ad omnes illuſtriores,ſiue Theologiæ, ſiuè ſacrorum canonum ſe extenderet quæſtiones; tum inte ſiuè,vel quaſi intenſiuè,eas præſtantiori, atque euidentiori noſſet ratione, quam maxima poſſet claritate, atque euidentia ad ſcientiam accedente; Mediocrem vero, quæ vel has eaſdem, vel omnino neceſſarias mediocri claritate, atque euidentia teneret, ita vt ad praxim proprij muneris,iudicio prudentum, perpenſa locorum, perſonarum, negotiorum tranſigendorum qu tate,ſatis eſſe cenſeatur. Vel cum Azor.1.*part.lib.*10.*cap.*13. *q.* 18. *magis ad Innocentium accedente*, triplex dicerem ſcientiæ genus,eminentis,mediocris, & idoneæ;Eminens,qua quis poteſt etiam difficillima ad ſuū munus ſpectantia proprio marte,promptèq;enucleate: Mediocris, qua poteſt explicare paſſim occurrentia: Idonea, qua quis ſub munere fungeretur, dubitare ſciens,doctores percurrendo, doctos conſulendo viros,quorum doctrina dubijs ſatisfaceret; tametſi, vt ſupra indicabam, per ſe tutò alijs inni coadiutoribus, niſi ex accidenti non poteſt Epiſcopus,nam vt probè *Gloſſa verb. temporalium*, Cap. *Niſi cum pridem citati*, ait, *Meritò neceſſaria eſt ſcientia ſpiritualium,& temporalium, quia in his alios docere debet Epiſcopus,& ideo aliorum doctrina indigere nō debet*;ſic Epiſcopus Cypri in ſeptima Synodo,vt habetur *cap.* Conuenientibus 1.*q.*7. *Non oportet* (inquit) *nos qui Epiſcopi ſumus indigere doctrina,ſed aliorum eſſe Doctores;& in Authent.de Sanctis Epiſc.§.damus colec.*9. *Ignominioſum eſſe* Epiſcopo (ſcribitur) *cum ipſe deberet alios docere; ſi tunc quærat ab alijs doceri*:quamobrem *cap.Inter cætera de officio iud.ord.*ex alijs cauſis actum prædicationis impedientibus, concedit Epiſcopis coadiutores,qui quidem concionentur, ſecus verò defectu doctrinæ, de quo hæc habet, *Ne dicamus defectum ſcientiæ, qui in eis reprobandus eſt omnino,nec de cætero tolerandus*: meritò igitur ſtudio, ac diligentia ab Epiſcopo expungendus eſt, vt ignorantiæ tenebris fugatis, aſſiduo, vt dicebam ſtudio, etiā ſi ſenex fuerit,auctore *Abbate* Cap. *Niſi cum pridem de renunc.nu.*10. *ex Gloſſa verb. plerunque ſuo,ſibique muneri cōſulat, vt mox fortiùs confirmabimus*! Adde ex Cap.*Quamuis de ſac. vnct. Quod contra Deum eſſet, & canonicas ſanctiones tantum in Epiſcopo tolerare defectum.*ob quem fuit meritò priuatus Epiſcopatu Calinenſis Epiſcopus.Hinc probè *Gloſſa* notat, quod ſi propter defectum ſcientiæ remouetur quiſpiam ab Epiſcopatu iam adepto, potiori iure repellendus eſt ab obtinendo.Ex quibus omnibus,vt apertè ac breui, quod ſentio, dicam, Epiſcopum ſufficienti ad ſuum munus deſtitutum ſciētia, vel ad abdicandum ſe Epiſcopatu, vel omnibus iuribus ad eam ſibi comparandam teneri,vt ei etiā præſcriptum eſt. *Cap. Nullus Epiſcopus diſt.* 38. *Nullus Epiſcopus propter opprobrium ſenectutis, vel nobilitatem generis à paruulis,vel minimis eruditis,ſi quid fortè eſt vtilitatis, aut ſalutis inquirere negligat,qui enim rebelliter viuit, & diſcere, atque agere bona recuſat,magis diaboli, quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis,quàm fidelis monſtratur*, quòd ſi Theologorum culmen Auguſtinus, vt habetur in *Gloſſ.verb.Opprobrium. Ego ſenex* (aiebat) *à puero nondum anniculo paratus ſum edoceri*, vt etiam 24.*q.*3.*Cap. ſi habes* ſcribitur, quid cuique Epiſcopo ſentiendum ſit. Tempore autem, quòd diſcendo inſumeret Antiſtes varios ſibi coadiutores doctos teneretur conſulere, quibus per accidens vti licitè poterit. Sic Medicus in malo cenſendus eſſet ſtatu idonea ad ſuū munus deſtitutus ſcientia:ſic Iudex,& cæteri, munia præſertim publica ſubeuntes, quorum eadem eſt ratio, quam *nu.*6.*ex Diuo Thoma* retulimus Quapropter ob proximum ſaltem grauium marū culparum periculum ad maximāq; proximorum perniciem peccabunt, atque ab eo periculo ceſſare,vel aliquo pacto ſe eripere,vti dicebam,hi omnes tenentur,vt notat *Syluester. Medicus* 1.

24 Fit tertio Epiſcopum in ſua ordinatione rogatum,an vtrumque ſacrū ſciat teſtamentum; aſſerētemque,cum re vera ignoret, nec æquiualenter ſufficienti ſaltem ad ſuum munus præditus ſit ſcientia, lethaliter peccare,vt probè *Riccard.quodlib.* 3.*q.*23. Azor. *inſtit. mor. part.*2.*lib.*3.*cap.*28. *quæſtione.*9. *Syluest.Epiſcopus,nu.*5.*& alij.* Ratio eſt,quia perniciosè mētitur in graue dānum animarum,quarum curā ſuſcipit. Addo,quia proximè ſe exponit periculo ſacrilegiorū, iniuſtitiæ, aliorūq; peccatorū, quibus ſcatet ma-
25 la Præſulatus adminiſtratio. Quòd ſi neceſſaria ad ſuū munus nō ignoret,vt ſūt,auctore *Riccardo*,mādata Dei,myſteria fidei,virtutes,vitia,iuramēta: addiderim cēturas,ſtatuta eccleſiaſtica magis vſu frequētia,onus,ac rationē viſitādi Eccleſias ſuę diœceſis. eccleſiaſticos diſtribuēdi redditus,cōferēdi bene-

ficia, immunitatis eccleſiaſticæ ſeruandæ, ac defendendæ, ac ſi quæ ſunt aliæ prudentis iudicio ad Epiſcopale munus, pro mediocritate ſcitu neceſſaria; tametſi præſtantiſſimâ cęterarum rerum, & harum, quas memoraui, non præſtet doctrinâ; neque ea expreſsè teneat, quæ vtroque præterea continentur teſtamento, non peccabit mortaliter, etiamſi affirmatiuè in examine reſponderit; quia conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres *Cap. Cum dilectus de conſuet.* ſic prædictam interpretatur quæſtionem Epiſcopo factam ex ſupra citatis auctoribus.

26 Fit quartò, cum ignorantia vincibilis eorũ, quæ quis ſcire tenetur, peccatum inſcitiæ ſit, ſitum in omiſſione, tunc incurrit, quando ſcientia ex præcepto habenda eſt, vt probè *Diuus Thomas 1.2.q.76.art.2.ad 5. vbi Caiet. Conrad. & Medin. Vaſq. 1.2.diſp.118.cap.3.nu. 9. Sylueſt. verb. ignorantia §.8. Valent. 1.2.diſp. 6.q.6.punc.2.verſ. ex quo patet Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 17. num 9. Sayr. in claui reg. lib. 2. cap. 9. num. 32.* quamobrem contrahetur hoc ignorantiæ peccatum, quando quiſpiam in aliquo ſe tempore obligari ad ſciendum aduerterit, elicitque propoſitum non comparandi ſcientiam ſibi neceſſariam, vel eam contemnit, vel ex negligẽtia omittit, vel animum aliò applicat: ſicut qui in die feſto, vel proponit non intereſſe ſacro, vel nullum actum circa ſacrum audiendum habet, vt probè *Sanch. laudatus num.* 10. vel alio voluntariè irretitur negotio cum ſacro incompoſſibili; qui ſicut in cauſa peccat: ita indoctus, dum acceptat tale onus, quod vel relinquere debet, vel ſi in eo perſeuerat, nec dimittit impedimentum ſcientiæ neceſſariæ, vel ipſummet onus, non video, qua ratione ſaltem ob periculum, in quo proximè conſtituitur grauiter errandi, non ſit in malo ſtatu, Non curans enim malitiam furti ſcire, tenetur ad crimen in confeſſione aperiendum, tametſi actu furtum non committat, quia contra furti vitandi præceptum peccauit, eius ſcientiã, cui tenebatur, non curando, ac proinde periculo furti committendi abſque conſcientiæ remorſu ex ſe expoſuit, non ſecus ac, qui ieiunij perfringendi, vel ſacri omittendi periculo, vt modo dicebam, ſe expoſuit; quòd ſi poſtea, vel ieiunet, vel ſacrum audiat, tenetur adhuc periculum in confeſſione aperire, vt docent *Azor. lib. 1. tom. 1. inſtit. mor. cap. 12. q. 5. Zumel 1.2.qu.76.art.2.diſp.6. poſt tertium dictum in ſolutione ad 2. Sanch. laudatus num.* 12. ſic à pari in re noſtra.

27 Fit quintò, hanc Epiſcopi ignorantiam cum in ordine ad ſuum obeundum munus, & publicæ ſit perſonæ, non eſſe ſpeciale peccatum vnum, ſed multiplex, vt multiplici præcepto, & virtuti oppoſitum, puta ritè conferendi, & adminiſtrandi Sacramenta, proprias paſcendi, corrigendi, puniendi oues, eccleſiaſticis prudenter vtendi cenſuris conferendi beneficia, & alia huiuſmodi, quod ex *Vazq.* deduco *1.2.diſp. 119. cap. 2. & 3. Sanch. citato num.* 11.

28 Fit ſextò, præceptum ſcientiæ neceſſariæ requiſitæ ad officium Eccleſiaſtici Paſtoris, ſi ſpectetur in communi, & o[illegible] ria complectens, in radice, ſeu inſtitutione Chriſti Domini, poſitiuum eſſe, i[illegible] ac formaliter eſſe naturale; nam [illegible] Epiſcopalis inſtitutione muneris [illegible] ſcientiæ illi conſentanea, a[illegible] iure diuino naturali eſt, ad iuſtitiam, & [illegible] tatem ſpectans; [illegible] ex [illegible] munere naſcitur, vti nos ſupra indicauimus nu. 6. deduciturque ex *Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.*

29 Fit ſeptimò, in hoc præceptum cadere directè diſpenſationem, aut interpretationem per modum Epiykiæ non poſſe quia vt *diſp. 1. ſuperioris libri cap.* [illegible]. dictum eſt in præceptis ex natura rei incluſis in [illegible]tutione Chriſti locum non habet talis diſpenſatio, cum ſint iuris naturalis, ſuppoſita inſtitutione: ſicut enim ex inſtitutione Sacramentorum oritur obligatio, ea cum debita diſpoſitione adeundi, poteſtque Eccleſia interpretari, an hæc, vel illa huiuſmodi ſit diſpoſitio; non tamen pro aliquo caſu, vel neceſſitate poterit ſentire eam quidem eſſe ſufficientem, quæ re vera inſufficiens ſit ad ſancta ſanctè tractanda, ſic etiam poterit ſanè Summus Pontifex, vel Eccleſia, quæ doctrina neceſſaria ſit ad Epiſcopatum hunc, vel illum interpretari; neutiquam verò poteſt directè diſpenſare, vel interpretari, vt actualiter quis Epiſcopus ſit, munus exercens paſtorale, quin habeat idoneam ad illud prò ratione ſaltem Diœceſum, ſcientiam. Dixi directè, nam indirectè tollendo obligationem reſidendi, vt poſſe Papam *Cap. citato diſp. 1. lib. 2.* diximus, vel ante conſecrationem ei non permittendo exercere ſuum, quod poſt electionem poſſet, munus, ſed per alium, vt *numer. 21. & 22.* hic notauimus, aliiſque ſimilibus modis non inficior eſſe Pontifici ex vrgenti cauſa facultatem diſpenſandi, & ſumitur ex dictis *Cap. illo 3. citato diſp. 1. lib. 2. numer. 24. & 25.* vbi in iure naturali diuino indirectè poſſe Pontificem diſpenſare docuimus; verùm quòd Epiſcopus paſtor ſit non valens paſcere, lucerna lucem non reddens, doctor non docens, iudex non cognoſcens, medicus non diſcernens inter lepram, & lepram, aliaque Epiſcopi ſuſcipiens munera abſque ſcientia hæc neceſſaria, Adinaton prorſus eſt.

30 Fit

30 Fit vltimò, examinatores promouentes Epiſcopum indoctum, ac ſufficienti deſtitutum doſtrina approbantes lethaliter peccare, quod à fortiori deduco, tum ex doctrina communi de examinatoribus ad examen constitutis, periculumque ſcientiæ, quod Beneficiatis ineundum eſt; ac docetur à *Petro de Ledeſma in ſum. par. 2. tract 7 cap. 1. conc. 7. difficul. 13. Rota Rom. apud Farinac. deciſ. 672. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 60. num. 93. & alijs*; tum quia ipſi cauſa ſunt moralis damnorum ſpiritualium, quæ ex indocti Epiſcopi adminiſtratione promanant.

CAPVT II.

Quis in Epiſcopatus munere ſapiens alteri præferendus ſit.

SVMMA.

Prima opinio Canoniſtarum pro Canoniſtis numer. 1.
Huius ſententiæ ſenſus expenditur num. 2.
Sententia Theologum præferens num. 3.
Status quæſtionis num. 4.
Canonum peritus, Iuriſconſulto præfertur n. 5.
Etiamſi non nihil Canonum Iuriſconſultus sciret num. 6.
Vtriuſque iuris Doctor, puro canoniſtæ præhabendus: Theologus canoniſta puro Theologo, vel Canoniſtæ tantum præſtat num. 7.
Vere Theologus optimo etiam præferendus eſt Canoniſta num. 8.
Alternatiua particula cum ordine plerumque accipienda eſt num. 9.
Particula Vel, *pro* Saltem *accipi poteſt etiam, vt à Concilio Tridentino vſurpata nu. 10.*
Quando per alios prædicationis munus exercere poteſt Epiſcopus num. 11. & 12.
Cardinalium Epiſcoporum concionatorum laudatur inſtitutum num. 13.
Admonitio ad Epiſcopos, ne forenſibus diſtineantur iudicijs num 14.
Præcipua Præſulis cura non eſt de forenſibus numer. 15.
Diſcrimen inter Theologum, et Canoniſtam Epiſcopum num. 16.
Theologi pallio tenus damnantur, ac poſthabentur num. 17.
Æqualitate Doctrinæ intercedante alia decora Eligendorum perpendenda n. 18.

QVam ab auctoribus contractam ad Theologum, & Canoniſtam indicatam inuenio quæſtionem, abſolutè ad alios doctrinæ gradus expendere patentem, operæ pretium eſſe arbitror.

1 Doctorum itaque, Theologum cum Canoniſta tantum conferentium, plerique primum dant locum Canoniſtæ, nec abſolutè; ſed vbi idololatria, aut hæreſes non vigent, vel proximè non accedat locus regionibus hęreſis, vel idololatriæ peſte affectis sic *Hoſtien. & Io. Andr. cap. 3. de conſang. & affin. Abbas in cap. 1. numer. 9. de conſang. & affin. Felin. cap. Clericis de iudicijs, alijque Recentiores*. Prima huius ſententiæ pars fundamento pro tertia noſtra aſſertione adducendo probabitur. Secunda verò oſtenditur, quòd vbi dicta non vrget agnoſcendæ, reijciendæ, atque extirpandæ hæreſis, vel idolorum cultus neceſſitas, Canoniſta cauſas ad forum pertinentes, iudiciorum formas, contractuum genera, beneficiorum collationes, commutationes, translationes, cenſuras, cęteraque huiuſmòdi meliùs noſcit, ac tutiùs tractat. Deinde quia Canonum peritia, cum ortum ex iure ciuili, ac morali philoſophia ducat, ad chriſtianæ Reipublicæ regimen, aptior abſque dubio prorſus videtur.

2 Mihi verò illud adnotare libet ad penitius horum Doctorum ſenſum indagandum, eis minimè ſermonem eſſe de Canoniſta omnino Theologiæ ignaro; ſed eum à Theologo præferunt canonum peritum, qui ſufficienti præditus ſit Theologia, ea nimirum, quæ ſedulo canonum ſtudio comparatur.

3 Secunda ſententia Theologorum eſt relatæ oppoſita, Theologum vbique præferens Canoniſtæ: eſt *Caiet. 2. 2. quæſt. 18. artic. 3. Maior in 4. diſt. 24. quæſt. 10. Sot. lib. 3. de iuſtit. quæſt. 6. artic. 2. Salon. 2. 2. qu. 63. art. 2. & fauet Azor. part. 2. inſtit. mor. lib. 3. cap. 28 q. 10.*

4 At mihi conſilium non eſt perpendere, quas poſſet quiſpiam excogitare comparationes eos inter, qui varijs animum, prò varietate ingenii ſcientijs imbuerunt; ſed præcipuas, ex quibus, quod de alijs iudicium ferendum ſit, facili negotio deducetur. Has autem ad tres reuoco: Primà iuris Cęſarei peritum conferam: Secundà Theologiæ, necnon canonum peritia præditum cum alterutra ex his ſcientijs tantum exornato: Tertià abſolutè Theologum cum Canoniſta componam.

5 Prima aſſertio: ſacrorum canonum peritus Cęſarei iuris conſulto ad Epiſcopatum prætetendus eſt. Quæ quidem concluſio omnium Doctorum calculis fundata eſt, quam *ſuperiore capite nu. 13. ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 2.* nos docuimus, ex quo nec puram iuris Cæſarei, vel ciuilis notitiam, quæ canonum non haberet, etiam imbibitam, ad Epiſcopatum ſatis eſſe conſtat, cum ſine

hac dirigibiles non eſſent ſubditi ab Antiſtite in Deum ſecundum ſacras regulas, vt probè *Abbas in proœmio ſuorum librorum, & Io. Andr. in regula Peccatũ de reg. iur. in* 6. Illud autem huius loci eſſe arbitror *ex Abbate Cap. Clerici de iudic. num.* 3. adnotaſſe, quòd etiam ſi ciuilis iuris conſultus aliquam, haberet ſacrorum canonum notitiam, ex eorũ limine ſalutato, comparatam, minimè cenſendus eſſet, ita vtriuſquè iuris peritus, vt optimo ſacrorum canonum Doctori, iuxta ſequentem concluſionẽ præferendus eſſet; fauet *Petrus de Anchar. tum in citatum cap. Clerici, tum Cap.* 1. *de Paroch.* huiuſmodi igitur Doctores meritò poſtponendi ſunt vnum ſolum habenti gradum altioris, atque illuſtrioris ſcientiæ *Argum. in l. Nemo* C. *de offic. magiſt.* in quo ſenſu ſequens aſſertio non procedet, ſed de eo, qui vtraque peritia congruenter ſaltem prædictus eſt.

7 Secunda concluſio, qui Theologus ſimul eſt, & Canoniſta, vel vtriuſque iuris Doctor, iuxta ſenſum in calce præcedentis aſſertionis traditum, puro Canoniſtæ: vel Canoniſta, & Theologus ſimul puro Theologo præferendus eſt. patet ex terminis, ac docetur à citatis Doctoribus, quia duo vincula vincũt vnum. *Cap.* 1. *de treg. & pac. in fine* C. *de adop. & in Authent. Poſt fratres de legi. hæret.* Et ſanè Theologiæ, & Canonum peritia præditũ omnes explere numeros poſſe, atque apprimè Præſulis conſulere dignitati, tũ inſtruendo, ac docendo, tum iuſtitiam adminiſtrando, tum ſacramenta, cenſuras, cęteraq; obeũdo epiſcopalia munia, negabit nemo.

8 Tertia cooclufio, verè Theologus optimo etiam præferendus eſt Canoniſtæ ad Epiſcopatum vbique habendum: ſentio cum Theologis pro ſecunda opinione relatis. Et quidem de Præſulatu Diœceſis hæretica prauitate, vel falſa religione infectę, neque primæ Doctores ſententiæ, vt vidimus num. 1. audent negare; probaturque *ex Cap. in cauſis de elect. § quo circa.* Abſolutè deinde, vt ſacræ doctrinæ dignitate, atque ad chriſtianam Rempublicam regẽdam neceſſitatem omittam, quæ & à ſuo pręcipuo, cæteriſq; longè præſtantiſſimo deſumitur obiecto, & mirum in modum ab *Honorio Pontifice Cap. vltimo ſuper ſpecula de magiſtris* commẽdatur, propiùs ad rem noſtram accedens *ex Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. noſtra videtur concluſio ſummopere comprobari, quòd ſcientiam, qua exornatus Epiſcopus eſſe debet, præſcribẽs, vt muneri ſibi iniungendo poſſit ſatisfacere, addit; *Ideoque antea in vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, vel iure Canonico meritò ſit promotus.* Vbi primum dat locum Theologiæ, deinde Sacrorum Canonum peritiæ.

9 Immo eũ dare ſenſum me non pœnitet huic Tridentini ſententiæ, vt dictio *Vel* alternatiua, ſit cũ ordine accipienda, quaſi vero prius omni ſtudio procurandus eſſet Theologus, in cuius defectum Canoniſta eligatur, iuxta doctrinam *Reg.* 70. *ſexti in alternatiuis*, quam affert *Gloſſa in medio, ſunt tamen quædam*; nã in nonnullis alternatiuis, vt in hac nos contendimus, ordinem ſeruandum eſſe compertum habeo, argumento *ff. de legat.* 2. *Cum Pater §. penult.* ſic cum mandat Teſtator aliquid dare liberis, vel conſanguineis, vel affinibus: fauet, quod à Gloſſa affertur de ordine ſequendo 43. *diſt. ſit Rector. in fine* de electione *Cap. penult. in principio, & cap. Mandato in fine de præbend.*

10 Demum poſſem particulam *Vel* in ea ſignificatione interpretari, vt pro *Saltem* in Concilio poſita ſit, quaſi deſideraſſe demonſtraret Tridentinum, in Epiſcopum eligendum eſſe Theologum *Vel* ideſt *ſaltem* Canoniſtam; ſic ſumitur particula *Vel* in *l. Multum ff. de hæred. vel, act. & vend.* Secundò probatur aſſertio ratione: Præſulatus, ſiue vt officium conſideretur, quemadmodum dictum eſt *lib.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 3. *num.* 2. ſiue penes quartam, quam ſibi ſtatus aſciſcit conditionem, de qua diximus *lib.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 1, *à num.* 2. ſiue vt forma infra *tom. ſequenti* explicanda ad functiones ſalutem animarum concernẽtes, ſemper aliqua ratione ordinatur; atqui præcipuum in his functionibus locum obtinet verbi diuini pabulo fideles oues paſcere, vt definit *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 4. ad quod munus Theologia maxime neceſſaria eſt: duo præterea ſacramenta adminiſtrare ordinis, & confirmationis; paternè ſubditos corrigere, vbi opus fuerit; gladio cenſurarũ vti; ſuffragium in Concilijs ferre; de myſterijs, ac rebus fidei iudicare, peccatorum grauitatem agnoſcere; ſibi nonnulla reſeruare; aptis Parochis Parœcias regendas committere, alijs iuriſdictionem in foro conſcientię, alijs approbationem dare; ergo quæ ad hæc munera idonea, aptiorque ſcientia cenſebitur, hęc in Epiſcopo potiori deſiderabitur iure; ſed hanc eſſe veram Thologiam non eſt qui neget; ergo. Tertiò vbi periculum ſcientię Conſecrandus in Epiſcopum ſubit, exquiritur, vel olim, vt notat Sotus, ſiſcitabatur, num vtrumque teſtamentum nouerit? non autem, an ſacrorum canonum peritiam habeat? ergo ſenſus Eccleſiæ videtur eſſe, vt Theologus cuius eſt ſacrarum ſcripturarum myſteria noſcere, in Epiſcopum præ omnibus habeatur.

11 Sed dicet quis. *Ex Trident. dicta ſeſſ.* 24. *cap.* 4. conſtat per alium prædicationis munus obire Præſulem poſſe; at verò alia ad forenſe regimen neceſſaria cum ille teneatur

exer-

exercere,ad matrimoninm præſertim,atque ... ccleſiaſticas cenſuras ſpectantia,ſacrorum canonum potiùs indiget notitia, quæ maioris momenti ad hæc eſſe videtur , vt contendunt *Menoch.præſumpt.71.num.49.Ex Alexand.conſ.1.col.4.verſ.Et ſi aliqui lib.4. Neu. lib.5.ſilua nupt.num.69. Pariſ. conſ.67. num. 31. lib.4.* Quid dicam de cæteris cauſis ad forenſe ſpectantibus iudicium? Quid de iudiciorum formis,cęteriſque huiuſmodi,quæ propria ſunt Iuriſperitorum.

12 Reſpondeo, Tridentinum Epiſcopos à prædicationis munere,ſi legitimè tantum impediti fuerint,excuſare. *Mandat* (inquit) *vt in Eccleſia ſua ipſi per ſe,aut ſi legitimè impediti fuerint , per eos , quos ad prædicationis munus aſſument &c.* Quamobrem .Côcilium facultâtem in Epiſcopo concionandi , ac myſteria diuina Theologicè nota , ſuis ouibus communicandi ſupponit, cuius actum ob vrgentia tantum excuſat impedimenta; & meritò ; nam hac fere ſola functione magna ex parte videtur Epiſcopus ſuæ dignitati,atque officio conſulere,auctore *Bernardo,qui de conſid.lib.4.paulo ante medium hæc habet. Etſi Purpuratus, etſi Deauratus incedens,non eſt tamen,quòd horreas operam , curamque paſtoralem paſtoris hæres; non eſt,quòd erubeſcas Euangelium , quamquam ſi volens euangelizes inter Apoſtolos quidem,etiam gloria eſt tibi . Euangelizare paſcere eſt,fac opus Euangeliſtæ,& Paſtoris opus implebis .* Vt autem priſca ; atque aurea maiorum noſtrorũ ſecula prætercam; agnouit etiam noſtrum fere,in noſtra Italia purpuratos Epiſcopos æſtuantes Dei charitate,qui tot inter catholicæ Eccleſiæ curas hanc concionatoris,alijs minimè demandabant; ſanctũ, inquã,agnouit Carolum Boromeum : agnouit Robertũ Bellarminum : Caietanum , nec non Tauruſium , & Creſcentium,vtrumque Sanctiſſimi Philippi Neri alumnum . Et quidem Petrus Paulus Creſcentius , ſua erga me benignitate Amicus,ac Dominus Epiſcopus Vrbeuetanus,dum Orbiti eum condo, & compono, non ad ſenatum modo , Populumque Vrbeuetanum Apoſtolico pene ſpiritu,de pietate,iuſtitia,prudentia, de ciuium caritate , ac Republica rectè adminiſtranda ſępè ſępius ſermonem habet. *In omnibus ſe ipſum* (vt cum Paulo ad Titum loquar) *præbens exemplum bonorum operum in doctrina , in integritate,in grauitate verbum ſanum irreprehenſibile &c.* verum etiam ſingulis ferè hebdomadis poſt decantatas Deiparæ laudes veſpere Sabbati in eiuſdem ſacello ſuas verbo paſcit oues .

14 Verum enim vero,vt vnde digreſſa eſt,ad ſolutionem inſtantiæ aduerſariorum regrediatur oratio. Ex quo fonte Menochius, cæterique ibi citati Doctores eas deducant materias,canoniſtæ potuit, quam Theologi eſſe,non video;cum interſit Theologi Sacramentorum cenſurarumque,eſſentiam , naturam, integritatem, proprietates , effectus, aliaque huiuſmodi penitus & perpendere, & noſcere . De alijs verò externi fori functionibus do quidem manum; at amicum lectorem,& Epiſcopos omnes ſiuè Theologos,ſiuè Canoniſtas,etiam atque etiam oro, vt hãc Bernardi præ oculis habeant, immo in cordibus,ac mentibus altiùs imprimant ſententiam,qui quidem ad Beatum Eugenium Papam de conſid.lib.1,ſcribens. *Quid ſeruilius* (ait) *indigniuſque præſertim Summo Pontifice,quàm non dico omni die,ſed penè omni hora inſudare talibus rebus,& pro talibus? denique quando oramus,quando docemus populos,quãdo ædificamus Eccleſiam , quando meditamur in lege? & quidem quotidie perſtrepunt in palatio leges Iuſtiniani,non Domini, Iuſtum ne etiam iſtud,tu videris?* Et infra. *Audi tamen Apoſtolum 1.ad Corinth.6: quid de huiuſmodi ſentiat. Sic non eſt inter vos ſapiens, qui iudicet inter fratrem. & fratrem? & infert ad ignominiam vobis dico,contemptibiliores , qui ſunt in Eccleſia illos conſtituiſſe ad iudicandum;itaque ſecundum Apoſtolum , indignè tibi, vſurpas tu Apoſtolicus officium vile, gradum contemptibilium . Vnde & dicebat Epiſcopus, Epiſcopum inſtruens 2. Timot.2. Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſęcularibus* , & poſt pauca cuidam ſibi obijcienti ruſticitatem , atque humanarum rerum imperitiam reſpondens,ſubdit Bernardus. *Et tamen non monſtrabunt puto , qui hoc dicent , vbi aliquando quiſpiam Apoſtolorum iudex ſederit hominum, aut diuiſor terminorum, aut diſtributor terrarum . Steti*ſſe *denique lego Apoſtolos iudicandos Actor.5.ſediſſe iudicantes non lego,erit illud,non fuit . Itane imminutor eſt dignitatis ſeruus,ſi non vult eſſe maior Domino ſuo,aut Diſcipulus, ſi non vult maior eſſe eo,qui illum miſit &c.* Ac tandem concludit. *Quis me conſtituit iudicem* (ait) *Ille Dominus,& Magiſter,& erit iniuria ſeruo.diſcipuloque,niſi iudicet vniuerſos?* Hinc Epiſcoporum Epiſcopus *Sanctus Petrus ad Clementẽ, atque in eo ad quoſuis Epiſcopos hæc ſcribit. epiſt.1.habetur in epiſt. Clementis ad Iacobũ paulò poſt principium . Neque enim iudicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum hodie te ordinare vult Chriſtus, nè præfocatus præſentibus hominum curis , non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundum veritatis regulam ſecernere bonos à malis. Iſta namq; opera,quæ tibi minus congruere ſuperiùs expoſuimus , exhibeant ſibi inuicem diſcentes,ideſt laici,&c.* cuius Epiſtolæ non omnino dubiam eſſe fidem colligitur è *Bellarmino de ſcriptor. Eccleſ.*

Has

15 Hæc vt ad efformandam Epiſcopi normam faciunt, ita minimè deſumendam eſſe potiorem, atque illuſtriorem Epiſcopatus rationem è Forenſibus demonſtrant actionibus; in quas incidenter, vt cum eodem Bernardo loquar, excurrere, cauſa quidem vrgente, poterit Epiſcopus, non autem ex profeſſo incumbere.

16 Ex his deduco primùm, illud eſſe inter optimum Theologum, & Canoniſtam omnibus numeris abſolutum, diſcrimen, quod ille Præſulatus minoris momenti functiones Vicario, vel alteri committere: hic præcipuas alteri commendare ſæpiſſimè tenebitur.

17 Colligo ſecundò, de veris me loquutum eſſe Theologis; nam eis, qui hac noſtra tempeſtate Theologi paſſim immeritò dicuntur, præferendos eſſe Canoniſtas, comprobatum habeo. Vtinam in Dei Eccleſia non eſſent qui otio, ac mollitie fluentes, maiorumque ſuorum, & quidem doctiſſimorũ volumina præclara, doctrinaque memorantes, clariores ſe putant, quod contra eſt; nam quantò ſtudia illorum illuſtria: tantò horum ſocordia obſcurior, neque ramorum ſterilitatem (vt cum *Hieronymo* loquar) radix fœcunda compenſat, neque cur id, quod in fructu non tenes, mireris in trunco? At quid de ijs dicam, qui omnem ſcientiarum vim in paucis ſpeculatiuæ, quam appellant, Theologiæ quæſtiunculis collocant: ſenſuum Scripturæ ſacræ, traditionum ſacrorum Conciliorum, doctrinæ ſacrorum Patrum, ſacrorumque Canonum, immò eorũ, quæ ad Chriſtianam vitam inſtituendam, & cum merito gloriæ ſempiternæ tranſigendam, & à culpis immunem reddendam, neceſſaria ſunt, prorſus ignari; qui quidem, cum quid extrinſecæ denominationes, quid modi, quid relationes, quid ſenſus compoſitus, & diuiſus, quid actus exercitus, & ſignatus quid prioritas naturæ, rationis, & realia ſit, quid neſcio quæ parui admodum momenti teneant, vana cæci ambitione, facilè cæteros contemnunt, & cum pauca admodum obſcurè nouerint, omnia docere audent. *Pudet me (vt cum Seneca epiſt. 48. loquar) in re tam ſeria ſenem penè ludere. Mus ſyllaba eſt: Mus caſeum rodit; ſyllaba ergo caſeum rodit. O pueriles ineptias, in hoc ſupercilia ſubduximus, in hoc barbam demiſimus, hoc eſt, quod triſtes docemus, & pallidi. Non eſt iocandi locus, ad miſeros aduocatus es, Præſul, opem te laturum, naufragis, captis, ægris, intenta ſecuri inječtum præſtantibus caput, pollicitus es? quo diuerteris? quid agis? & ſanè quæ dementia eſt, ſuperuacua diſcere in tãta tẽporis egeſtate?* Noui ex his quempiã, & ſacræ Theologiæ (ſi Deo placet) dum hæc ſcribo, lectorem, qui dum periculum ſcientiæ coram quodam Reuerẽdiſſimo Vicario faceret, à quo ad confeſſiones excipiendas approbari optabat, quæſitus an circumſtantiæ in infinitum aggrauantes peccatorum, non autem ſpeciem mutantes malitiæ, in confeſſione aperiendæ eſſent: magna verborum oſtentatione, ſpecioſiſque periodis reſpondit, ſe negare infinitum à parte rei, atque hinc philoſophicam quæſtionem de infinito ad faſtidium inſulsè cœpit explicare. Quis cum hoc legerit, riſum tenebit? & ſanè pretium illius diſputationis repulſio fuit, & omnium exſibilatio. Quid de his dicam, qui Theologi cùm habeantur, elatè, atque amplè loqui audent, cùm pſittaci ſint, omne ſtudium, induſtriamque in humanioribus, nè dicam grammaticis litteris adeò impendentes, vt nec myſteria fidei, nec præcepta Decalogi eos noſſe, dicere auſim, neque alia, quàm ludrica quæque, ac pueriles ineptias ſiue ſoluta, ſiue metro deuincta oratione etiam vernacula, ad nauſeam crepitant: ſignorum magiſtri, non rerum, verborum Doctores, ſcientiarum ornamento penitùs deſtituti, cæteros, quoſi ſapientiam etiam multi admirantur, per ſummam contumaciam flocci facientes, & dum paſſim in turpiſſimos mortalium indoctiſſimi incidunt errores, quorum ſapientiæ lumen ſi ſaperent, ſectari deberent, eorum audacter detectant inſcitiam verborum ad numerũ pueriliter compoſitorum. Hos, inquam, neque per ſomnium cum ſacrorum Canonum probè peritis comparamus. de quibus omnibus, quod *Baldus in proœmio ff. in fine* Scripſit me dixiſſe non pœnitebit. *Pallit nid mirum aſſerta regula de Doctorellis.*

18 Colligo tertiò, cũ ex æquo in Epiſcopum eligendi bonarum artium ſcientia pollerẽt, ad reliqua recurrendum, vt dignior aſſumatur: ad morum nempe probitatem, rerum experientiam, nobilitatem, de qua nos *libr. 2. diſput. cap. 2.* ac cætera huiuſmodi decora in Epiſcopo deſiderata; ſic ſi duo eodem die Doctoratus laurea donati eſſent, ex alijs ornamentis petendam eſſe alterutrius prælationem, docet *Bartol. in l. 1. ff. de obſeq. Baldus in cap. Cùm olim. de conſuet. Felin. cap. Clericis de iud. à num. 4. Anan. in rubricis de magiſtr. & de praced.*

DISPVTATIO II.

Num aliquod crimen Epiſcopatui ſit Impedimento?

A crimine, quo Præſul vacare debet, ordior, quibus, deinceps, ornandus ſit virtutibus, dicturus. *Panormitanus igitur Capit. Dudum il ſecondo de elect. numer.* 24. quam propoſuimus quæſtionem, nimis intrincatè (vt cum eo loquar) Doctores pertractaſſe ſcribit, vbi præſertim de Epiſcopi electione agitur. Addo, quod etſi varijs in locis cum expenderint Canoniſtæ, omni tamen ex parte minimè comprehendentes, per varia membra, ſatis confusè diſcerpunt; nos verò primo loco hæreſim, opinioneſque varias recenſemus; deinde quædam, vt ſolutionis fundamenta iaciemus; demum quid ſentiendum ſit, tum contra hæreſim, hac de re; & quæ ſint crimina, de quibus infamati, accuſati, inquiſiti, vel excepti à dignitate reijciantur, docebimus.

CAPVT PRIMVM.

Afferuntur variæ Doctorum ſententiæ.

SVMMA.

Primus hæreticorum error num. 1.
Sententia proximè accedens. num. 2.
Secunda ſententia veritati proximior. num. 3.
Tertia non multum à veritate deuians. num. 4.
Quarta ſententia Abbatis. num. 5.
Prima opinio de accuſato, vel denuntiato numero. 6.
Secunda, eligendum etiam accuſatum, vel denuntiatum, docet. num. 7.
Tertia, terminum præfigendum accuſationi ſentit, num. 8.
Demum infamem tantum, non eligendum ſcribit Hoſtienſis. num. 9.
Proximè accedit Innocentius. num. 10.
Nec multum diſtat Abbas. num. 11.

1 DVplicem opinionum ſeriem inuenio, primam de criminoſis agitantem, alteram de accuſatis, vel denuntiatis, &c.

2 Eò igitur peruenerunt inſaniæ nonnulli hæreticorum, vt omni pietate, ac religione destituti nimis (ſi Deo placet) Religioſi viderentur contra Epiſcopos eſſe, & nullum peccatorem Epiſcopatus faſtigium aſcendere poſſe temerariè dixerint; immo in peccatum prolapſum ab Epiſcopali etiam dignitate deiectum eſſe docuerint. Huius peſtis quis primus fuerit auctor mea non intereſt inquirere; quod præſtat, inter cæteros *Caſtrus verb. poteſtas*, qui quidem eam, & reuocatam, atque ad omnes poteſtates deriuatam, ait, à Ioan: Vuicleph. & Ioan. Hus, ſentientibus neminem mortali culpa irretitum, Regem, Imperatorem, Papam, vel Epiſcopum, aut alio donatum eſſe principatus nomine.

Nonnullæ præterea circumferuntur ſententiæ à *Gloſſa* relatæ *in capit. fina. diſtinct.* 25 *& cap. Ex præmiſſis diſtinct.* 50. Prima eſt aſſerens, qui ſemel peccauit, præſertim mortaliter, eum non poſſe poſtmodum promoueri, vel legitimos exercere actus; habetur expreſsè in citato *Cap. finali ex Hieron. in epiſt. ad Titum, &* 48. *Quoniam* 1. *quæſt.* 7. *ſi quis omne* 50. *diſt. Illud* 6. *quæſt.* 1. *Qui crimen*

8. quæſt.

5.q.5. In ſcr:ptis in fine: Extrauagāt. de tēp. ordin. Cap. Ex tenore, & Argum. pro eis ff. de edil. edic. Quis ſit fugitiuus, ac in alijs.

3 Secunda ſententia docet; quantumcumque ſit graue delictum, dummodo ſit occultum poſt pœnitentiam non impedire promouendum, ex 50. *diſt. De his.*

4 Tertia eſt Ioannis ibi aſſerentis, ſiue ſit occultum delictum, ſiue manifeſtum, ſi tamen fuerit enorme, etiam poſt pœnitentiam, impedire promouendum ex 50. *diſtinctione Miror.*

5 Quarta Panormitani ſententia in *Capit. Dudum de elect. num. 24.* ſentientis, quodcumque peccatum mortale, electionis tempore perſeuerans, eam reddere nullam; idem etiam erit ſi non perſeuerauerit, ſed notorium fuerit; idem, ſi occultum, & ex illis fuerit, quod impedit ordinis executionem, vt homicidium, & ſimonia; ſecus ſi non impedit, & fuerit pœnitentia deletum. Prima pars ab Abbate probatur, quod in tali peccato exiſtens celebrare non debet; eſt enim ſuſpenſus quo ad ſe, *Cap. Quotidie de conſec. diſt. 11. & cap. finali de cohabit. Cleric.* Ergo non poteſt eligi in Prælatum, ſicut neque excommunicatus excommunicatione minori. Secunda ex *Can. 1. diſt. 82.* vbi deſideratur Epiſcopus ab Apoſtolo ſine crimine: crimen autem eſt peccatum mortale, quod vita priuat æterna, §. *alias, ea demum diſtinct. 25. & Gloſſ. in cap. Florentinum, alias incipit Archidiaconum diſt. 85.* vbi aſſeritur, iuramētum temerarium pœnitentia non purgarum repellere quemuis ad electione.

6 Quo ad ſecundam itaque ſeriem ſententiarum, inter Doctores catholicos cum conſtet ex *cap. Omnipotens de accuſ. inquiſ. & denunc.* non eſſe honorandum quempiam, cuius accuſatio, vel denunciatio pender, aut de quo inquiritur, modo infra declarando controuerſia eſt, num interim eligi accuſatus, vel denunciatus, &c. valeat.

7 Prima igitur in hac ſerie ſententia accuſatum, vel denunciatum, &c. eligi poſſe docet: ſic *Aliqui apud Innocentium loc. citato*; fundamentum eſt, quod alioquin impediri facili quidem negotio poſſet electio, calumnioſa denunciatione, vel accuſatione ad hūc finem adornata; ſed via non eſt aperienda figmentis; ergo.

8 Secunda opinio apud eundem Innocentium, terminum accuſationi præfigendum eſſe, docet.

9 Tertia opinio eſt *Hoſtienſis*, qui præcedēte infamia inquiſitum eligendum non eſſe, ait ex *cap. Qualiter, & quando de elect. il 2.* infamia verò non præcedente, & inquiſitum & accuſatum eligi poſſe.

10 Quarta opinio *Innocentij in cap. Accuſ. tum de ſimon.* aſſerentis inquiſitum ob infamiam præcedentem eligi minimè poſſe, vt tertia habet ſententia, at verò accuſatum, vel denunciatum, vel exceptum de aliquo crimine confirmari, & conſecrari poſſe, ne dum eligi.

11 Quinta demum ſententia eſt Abbatis in *cap. Omnipotens ad finem de accuſat. & inquiſit.* qui quidem negat inquiſitum in Epiſcopum eligi poſſe, ob infamiam, in quo cum reliquis connenit; accuſatum verò præcedente infamia negat etiam ob eandem rationem eligi poſſe; non præcedente verò infamia, eius electionem haberi poſſe, aſſerit, ſecus autem promotionem. Idem pariter docet de denunciato; quod, ſi denunciatio facta fuerit ei, qui conferre dignitatem debet, poterit hic eam denunciato conferre, atque à fortiori eundem eligere, qui ſi criminoſus poſtea probatus fuerit, priuandus erit.

CAPVT II.

Proluſio dilucidationis.

SVMMA.

Quid ſit infamia, num. 1.
Infamia altera iuris, altera facti, num. 2.
E communi hominum exiſtimatione, & ſignificatione prouenit infamia facti, num. 3.
Effectus infamiæ, ibid.
Quis habendus ſit homo grauis, numero 4. 5. & 6.
Infamia iuris primò per ſententiam tantùm definitiuam, non autem interlocutoriam incurritur, n. 7.
De ſententia definitiua infamiam inferente conſtare debet, n. 8.
Nec ſufficit propria confeſsio criminis, numero 9.
Quæ delicta ſint publica num. 10. remiſſiuè.
Secundò incurritur iuris infamia ex pœna per leges ſtatuta, num. 11.
Crimina, quibus hæc pœna per leges ſancita eſt, notoria eſſe debent, num. 12.
Improbum fœnus infamia plectitur. nu. 13.
Adulterium etiam, in quo quis deprehenſus ſit, num. 14.
Bigamia. num. 15.
Locatio operis ad pugnam cum feris. nu. 16.
Ludus periculoſus. num. 17.
Lenocinium. num. 18.
Furtum, ob quod quis damnatus eſt. nu. 19.
Apoſtaſia. num. 20.
Periurium, cæteraque ſimilia delicta, ibidem.
Quid de Sodomia. ibidem.
Variæ indignæ functiones, num. 21. & 24.

Ob vnicum delictum, cæterà probus, odio habendus non eſt. num. 22.

Aleatores neque conſuetudine excuſantur. num. 23.

Solemni pœnitentia affecti. num. 24.

Qui iure ciuili ſunt infames, ſunt etiam canonico. num. 25.

Ad infamiam notorietas delicti requiritur. num. 26.

Quis dicendus ſit emendatus. num. 27.

1 AD exactam huius difficultatis enodationem. Noto primò infamiam quidē eſſe ſine fama, ac eſt enim vt probè *Syluester* infamia primo læſæ dignitatis qualitas, vel ſtatus, vita, & moribus reprobatus, per argumentum à contrariò; nam ſicut fama illeſæ dignitatis ſtatus eſt, legibus, & moribus comprobatus, atque in nullo diminutus ex *leg. Cognitionum ff. de var. & extraord. cognit.* ſic à contrario infamia, ſiue in poſitiua qualitate, vt indicat Syluester ſita ſit, neque aſſentior; ſiue in negatione famæ cum nonnulla reprobatione morum, quod magis arridet, nec penitus decerno, quòd mea non intereſt: quo circa infamis communi omnium opinione dicitur, cuius ſtatus vita, & moribus eſt reprobatus vel diminutus ex *leg. ſed ſi hac lege §. prætor, adiuncta Gloſſa ff. de in ius vocat. & leg. Honori, & l. licet ff. de obſ. à liber.*

2 Noto ſecundò, infamiam in duas partiri quaſi ſpecies, alteram facti, alteram iuris, & hanc ſubdiuidi in eam, quæ Canonici eſt iuris, & quæ eſt Cæſarei.

3 Notandum tertiò, infamiam facti ex communi hominum exiſtimatione, locutione, vel alia ſignificatione prouenire; ſicut enim licet fama à fando deducta ſit, & ſermone, ac rumore, bona, vel mala contrahatur, nihilominus tamen potiſſimè ſita eſt in iudicio, & exiſtimatione interna cæterorum; cum multorum æſtimatio de vita, ac moribus alterius eſſe videatur; penes quem ſenſum modò allata eſt explicanda deſcriptio, ſic à pari, tametſi deriuatam duxerimus infamiam facti ab hominum locutione, vel ſufficienti aliqua ſignificatione, meritò tamen exiſtimationem inuoluere arbitramur; de qua *Bartol. in l. De minor. §. tormenta ff. de quæſt.* & eſt qua de facto quis dicitur infamis *ex Gloſſa Reg.* cuius apud bonos, & graues opinio grauata eſt. Incurritur autem generali regula, quando apud hos, quos modò dicebam, probos viros ob quidpiam turpe infamatur quis dicta *l. licet ff. de obſe. à liber. & 6. quæſt. 1. Cap. ſunt plurimi*, quæ quidem infamia, vt optimè notatur in *Cap. licet de teſt. il 2.* non inducitur paucorum, nec malorum, leuiumque perſonarum dictis, modò apud bonos, de qua agitur, perſona benè; audiat ſubſcribunt *Bald. & Imola ex l. Non debet ff. de dolo, l. Honor ff. de obſeq. Vinald. in appendice ad Candelabrum aureum cap. 10. num. 4. Vgolin. de irregular. cap. 60 num. 4. & alij Recentiores.* Huius duo ſunt effectus: Primus repulſionis à dignitate, niſi ob inopiam illegitimi competitoris: Secundus, repulſio, à querela inoſſicioſi, *C. de dignit. l. 2. & ff. de decur. l. Generaliter §. Spurios, & de inoffic. teſt. l. Fratres.*

4 Grauis autem vir, ait *Gloſſ. in citatum cap. Licèt il 2.* dicitur, qui non eſt leuis, homo, ſcilicet, bonæ famæ, & antiquus; ſicut benemeritus dicitur, qui non dum demeruit, *ff. de legat. 2. Cum pater §. Rogo. & l. Cum quidam, & de ſeruitute cap. vnico.* Verùm enim
5 verò eos ipſe dixerim graues, quibus conſtantia eſt animi vultu, verbis, moribus expreſſa. Qui verò tales habendi ſunt, iudicis arbitrio relinquitur in foro externo, iuxta negotij qualitatem, vt probè *Syluester citatus num. 3. in fine. Bald. in cap. ſi pro debilitate in fine de offic. deleg. Marſil. in l. Quæſtionis modum num. 40. Menoch. de arbitr. ca-*
6 *ſib. caſ. 69.* Hos etiam per maiorem viciniæ partem ex notorietate dignoſci poſſe meritò, docent *Auila mox citandus ex Caſtro, & alijs ante primam concluſionem, Felin. in cap. Teſtimonium de teſt. & atteſt. num. 12.*

7 Notandum quartò, infamiam iuris eſſe à iure certum ob crimen inuſtam, cuius effectus eſt repulſio ab honoribus iuxta ſpecialem titulum, & *l. De infamibus C. lib. 10.* Contrahitur autem bifariam; primò per iudicis ordinarij ſententiam definitiuam criminis publici, vel priuati, vt *tom. 2. libr. 1. diſputation. 3. cap. 5.* iterum dicam, non autem per interlocutoriam, vel arbitri ex *leg. Quid ergo §. ex compromiſſo ff. de his qui notati ſunt infamia, & per l. furti eadem*, deciſumque fuit in vna Bononienſi teſtamenti die 1. Iunij 1551. coram *Auguſtino per Caputaqueuſ. deciſ. 90. infamia par 2. apud Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 43. num. 14. 15.* docetque *Felin. in Cap. Teſtimonium de teſt. num. 15. Angel. & Tabien. apud Auilam de cenſ. part. 7. diſp. 4. dub. 5. in principio*: Et regulare eſt, quòd in criminibus publicis per ſententiam tantum contrahatur *leg. 1. de his qui notati &c. & indicat Lynus in dicta reg. Infamibus, & Abbas in Cap. Teſtimonium de teſtib.*

8 De hac autem ſententia conſtare opus eſt, nec refert, ſi teſtibus ſolum probaretur lata, ſic *Syluester apud Auilam citatum, Lanfranc. in Cap. Quoniam num. 72. de probat. Barbaſ. modo laudatus num. 16. in fine* ita vt neque ad furcas ductus infamis ex iure di-

cere:

9 ceretur, non producta, & ſufficieneer probata ſententia, ex Rotæ ſupra relata deciſione. Addit *Angelus verb. Infamia num.* 5. non ſufficere, quòd delinquens proprium fateatur crimen in iudicio, ad hanc infamiam incurrendam; quia ex hac confeſſione facti potiùs infamia, quàm iuris contrahitur. Dixi regulariter, nam ſunt aliqua crimina, quibus à iure inuſta eſt infamia, vt vſuræ, ſiue laici ſiue clerici, alijſq; ab ipſomet *Angelo* notatis, in quibus incurritur ante ſententiam infamia, vt mox explicabo; quæ quidem tamen ſemper notorietatem requirunt facti. Et quamuis *lib. 2. diſp. 5. cap. 3. num.* 82. dixerimus, inter definitiuam, atque interlocutoriam ſententiam illud eſſe ſolùm diſcriminis, quod nouis aduenientibus indicijs, & probationibus, res poſt interlocutoriam in iudicium reuocari poteſt, ſecus poſt definitiuam; hoc tamen præſenti allatæ doctrinæ non obſtat, immò fauet, quoniam, cum per ſententiam interlocutoriam res aliquo pacto pendula ſit, & ad priſtinum reuocari poſſit ſtatum, miminè videtur rationi conſentaneum, per eam infamiam iuris contrahi.

10 Quæ autem ſint crimina publica, habes *Inſtit. de public. iudic. & ſuper crimen* §. 3. de quorum publicitate, ac notorietate, in *lib. 2. diſp. 5. cap. 3. &* 4. ſatis multa diſputauimus, illinc deducenda, quæ ad hunc locum facient.

11 Secundò, incurritur infamia iuris ipſo facto, cum id ita per leges, vt paulò ante dicebam, ſtatutum ſit, quo ſecundo modo comprehendere mihi videor aliud genus contrahendi infamiam, quod à nonnullis affertur. Per quæ autem delicta, præter hactenus allata, infra ex parte, prò noſtri ratione inſtituti, dicemus, hìc verò duo adnotaſſe iuuat: primum ad omnia huiuſmodi crimina facti notoreitatem requiri, vt iuris pariant infamiam, quod probè notarunt *Henriquez de irreg. cap. 5. num. 3. lit. L. Tabien. verb. infamia num.* 2. *Couarrub. lib. 3. variar. cap. 3. num. 2. circa finem Caſt. lib. 2. de leg. pœn. cap. vlt. circa finem*; qui probat, nam, ſicut fama oritur ex publica bonorum operum notitia, ita ortum ducit infamia ex publica perpetrati criminis agnitione; quod ſolum à iure videtur affici pœna, idque magis arridet, *vt num.* 26. iterum dicemus, & *ſequenti cap. num.* 2. quàm contrarium, cui ſubſcribit *Felin. in Cap. Teſtimonium; de teſtib. num.* 16. Secundum notatu dignum eſt, iuris infamiam aliquando ſine delicto induci, ex officio nimirum infami hiſtrionis ver. gra. & aliorum relatorum ab *Angelo num.* 5. quæ nos breui infra ſubijciemus.

12 Notandum ſextò, aliqua eſſe crimina, nonnullaſque turpes actiones, quibus à iure infamia inuſta eſt, vt initio præcedentis numeri indicatum eſt, quorum præcipua hic adnotaſſe non abs re futurum arbitror.

13 Improbum fœnus, quo vſuræ exiguntur vſurarum *3. quæſt. 7. cap. 2. § porro.* vbi multa ad rem legi poſſunt, & *leg Improbum fœnus C. ex quibus cauſis infamia*, docent *Afflict. deciſ.* 128. *alijque recentiores apud Barboſ. 2. part. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 43. *num.* 3.

14 Adulterium, in quo quis deprehenſus eſt *ff. de ritu nupt. l. Palam § qui in adulterio*. Et quamuis, quod optimè *Henriqu.* notat *lib. 13. cap. 36. ex quo Auila part. 2. diſp. 4. dub. 2. concl. 4. verſ. ſed hic conſuetudine*, ſit abrogatum antiquum ius, quod ipſo facto clericum publicum concubinarium ſuſpendebat: at verò ius reddens irregularem clericum in ſacris, infamem, propter crimen adulterio maius, & depoſitione dignum, non eſt conſuetudine abrogatum.

15 Contractus matrimonij ſimul cum duabus initus, vel ſponſalia cum duabus ſimul habita, *ff. de bis, qui nu. & de bigam. Nuper à nobis*.

16 Operæ locatio, vt cum feris pugnet *ff. de poſt. l. 1. §. beſtias*: ſecus ſi cauſa virtutis exercendæ.

17 Ludus periculoſus in plateis, alijſque locis *per dictam legem primam*.

18 Lenocinium, vel qui filias, aut nepotes proſtituit *l. Athletas §. ait prætor ff. eodem*, vbi alia referuntur.

19 Furtum, cuius damnatus ſit infamis ex *cap. vlt. de furt. Bernard. in pract. cap. 93. numer. 2. in nouis editionibus, & alij apud Barboſ. alleg. 42. citatum n.* 5.

20 Apoſtaſia à Religione Chriſtiana ad Iudaiſmum, qua notati, etiamſi poſtea, impoſita pœnitentia ab Inquiſitoribus, Eccleſiæ reconcilientur, infames fiunt, nec poſſunt aliquo ordine inſigniri, neque in ſuſceptis miniſtrare, ſic *Cald. Pereir. quæſt. Foren. conſ.* 13. *num* 6. Et nè multus ſim perinrium, ac cætera, quæ notantur *Cap Infames, & cap. Quicumque 6. quæſt.* 1 ac alibi. vbi de infamibus in iure mentio ſit. Quid autem de ſodomia ſentiendum ſit, tradit *Auila 7. par. diſputat. 4. in fine, nec non Azor.* reliqua enumerans crimina *part. 2. libr. 6. cap 7. quæſt. 5. verſ. denique vt ſummatim*.

21 Turpes, fœdaſque actiones obeuntes etiã infames ſunt, ſic hiſtriones, ludentes in ſcœnis, iaculatores ex *Gloſſ. in l. 2. ff de his, qui not. ſunt infam.* cum mercedis gratia ludibrium ſui faciant, dummodo his hanc obiecint artem, vt limitat *Panormit. in cap. Cum*

deco-

Rectorem de vit. & honeſt. cleric. Argum. in l. Palam de ritu nupt. aſſerens mulierem duos committentem actus ſui corporis turpis cauſa quæſtus, dici meretricem: & ſonet 23. q. 2. approbaturque *ab Archid. in cap. Illud 32. diſt.* dicẽte, quòd in malis functionibus, & in delictis duplex ſufficit actus ad conſuetudinem probandam *C. de Epi. audien. l. Nemo. Innocentius tamen in dictum cap. cum decorem,* limitat ad hyſtriones publicè repreſentantes. Plura apud *Barboſ. laudatum alleg. 43. num. 11.*

22 Huius tamen loci eſſe arbitror, quod prudenter admonet *Abbas in cap. Niſi ſpecialis de offic. legat. nu. 3.* propter vnicum delictum odio habendum non eſſe quempiam, cætera virtuoſus, atque amandus, qui quidem ad meliorem frugem paratus eſt redire *cap. Septies de pœnit. diſt. 3.*

23 Aleatores etiam, vt probè *Molina de inſt. tract. 2. diſp. 159. in fi. verſ. nihilominus. Cald. Pereira ad §. ſoror n. 44 verſ. cinadi. Vinald. tom. 1. commun. opinion. lib. 3. tit. 29. de relig. & ſumptuoſ. muner. vbi Maſcard. de prob. conſ. 995.* neq; capaces eſſe beneficiorũ, quorũ eis collatio facta, nulla eſt, ſi publici fuerint, ſi occulti irritanda: neque eſſe ratione conſuetudinis eos excuſandos tenuit *Rota in vna Pampilonenſi parochialis 21. Maij 1574. coram tunc Illuſtriſsimo Aldobrandino poſtea S. P. Clemente Octauo, & habetur deciſ. 426. part. 1. diuerſar. ſubſcribit Salicetus ad Bernard. cap. 73. lit. O. in nouiſſima editione, nec non Reginald. in praxi for. pœnit. lib. 30. num. 199. Flamin. de reſignat. lib. 4. q. 3. ad finem, & alij Recentiores.*

24 Pœnitentes ſolemniter infamiæ nota laborare docent *Bernard. in pract. cap. 19. num. 1. alias cap. 23. in poſtremo editis. Henriq. lib. 13. cap. 38. §. 3. verſ. 3. & alij Recentiores.* De ſolemni pœnitentia ſermonem habui, de qua præter citatos ſubſcribunt *Syluest. verb. irregularitas q. 17. & Auila 7. part. diſp. 4. dub. 6,* non autem de publica, quæ merito à *Couarrub. lib. 2. variar. cap. 10. num. 3. à ſolemni diſtinguitur,* neq; irregularitatem inducit *ex Syluest. citato, Anton 3. part. tit. 14. cap. 17. §. vlt. Auila laudato*; cum citati Canones de ſolemni loquantur, quæ nunc in vſu non eſt.

25 Notandum ſextò, ſępe ſępius infames iure ciuili habitos, canonico etiam iure haberi *ex cap. omnes 6. q. 1.* & notat *Innocent. in cap. Qualiter, & quando il 2. de accuſ. cap. infames 6. q. 1. Bernard. in pract. cap. 93. num. 2. in nouiſſimis editionibus Nicol. Garzia de beneſit. part. 7 Azor. inſt. moral. part. 2. lib. 6. cap. 7. q. 8. Auil. de cenſ. part. 7. diſp. 4. dub. 5. concluſ. 1. & alij Recentiores.*

26 Notandum ſeptimò, nos cum iis ſentire, qui nullum quantumuis enorme delictum irregularitatem inducere docent, ni notorium ſit, præter homicidium, hi ſunt *Henriquez lib. 17. de excomm. cap. 36. num. 2. Auila 7. part. diſp. 4. dub. 7. apud quos alij antiquiores ex cap. ex tenore de temp. ordinand. cap. finali, vbi Gloſſ. penultima, & vtrobique ſcribentes cap finali de furto, & ibi Gloſſ. finali* grauiſſimam enim hãc pœnã incurri, ni notorium ſit delictum, rationi conſentaneum non eſt: addo, præter *citatos Canones de cohabit. cleric. & mulier. & ibi Gloſſam: cap. Sacerdos 1. q. 1. & ibi Gloſſam.* Quòd ſi nonnulla delicta præter homicidium irregularitatem inducant, etſi non primariò pro culpa, verùm pro violatione prioris cenſuræ illam inurere cenſentur, vt quæ contrahitur ob receptionem, aut exercitium ordinum, habitum ab excommunicato, vel non ratione infamiæ, quam inferunt, de qua ex citatis textibus nos loquemur, ſed ex ſe pariunt irregularitatem, vt baptiſmatis iteratio: ſolum igitur homicidium occultum ob enormitatem, atque irreparabile damnum, crimen in ſacris canonibus dicitur enorme, ex quo irregularitas ratione infamiæ iuris deriuat.

27 Notandum octauò, eum dici emendatum de crimine, qui de illo pœnitentiam fecit ſic Abbas *cap. Teſtimonium de teſtib. & atteſtat. num. 2.* ac tunc perſeuerare quis in malo, vel crimine dicitur, quando illud vera, & proprie pœnitentia non deleuit, per *Ioan. Andream, vt nos iterum cap. ſequenti nu. 11. dicemus.*

CAPVT III.

Vera Sententia.

S V M M A.

Error eſt, aſſerere, ſacerdotem peccatorem non habere poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, num. 1.

Nullum occultum crimen præter homicidium irregularitatem aliquam inducit, ſiue ad ordinem, ſiue ad Epiſcopalem dignitatem, numer. 2.

Omne peccatum mortale etiam notorium electionem non irritat Epiſcopi numero tertio.

Crimina depoſitione digna, nota tamen per ſententiam definitiuam irregularitatem inducunt, nullamque reddunt electionem Epiſcopi, num. 4.

Item, ſi notoria ſint per confeſſionem ſpontaneam, vel euidentiam facti, ni pænitentia ſint deleta, dummodo infamiam iuris non inducant, num. 5.

Concordia Canonum lapſis pœnitentiam concedentium, & aliorum eiſdem negantium, num. 6.

Occulta non curet aperire promouendus, ni irregularitatem inducerent, n. 7.

Publica ſimonia in ordine irregularem reddit, ſecus ſimonia in beneficio, n. 8.

Infamia Iuris ad promotionem à Papa directè poſt pænitentiam tollitur, n. 9.

Etiam ab Epiſcopo indirectè, ibid.

Infamia facti contrario tollitur facto, vel pœnitentia, n. 10.

Criminoſus emendatus cenſetur poſt trienniũ emendatæ vitæ, n. 11.

Nullus infamis ſiue iuris, ſiue facti in Epiſcopum promouendus eſt, n. 12.

Infamis infamia iuris, appellatione pendente, eligendus non eſt, etſi contrarium probabile ſit, n. 13.

Accuſatus, Denunciatus, vel ob aliquod crimen Exceptus, licitè non eligitur, n. 14.

Secus, ſi per calumniam, n. 15.

Limitatur etiam, quando accuſatio, vel denũciatio facta eſt ab illegitimo, n. 16.

Quando accuſatum eſt integrum Collegium, vnus è Collegio poteſt promoueri. n. 17.

Infamia præcedente neq; inquiſitus, neq; accuſatus, neq; denunciatus, vel delatus ob aliquod enorme delictum poterit eligi, numero 18.

Infamia non præcedente, accuſatus, vel denũciatus eſto conſecrari licitè non poſſit, poterit tamen eligi, n. 19.

Electi, qui poſt electionem praua infamia accuſatus eſſet, non eſt reiteranda electio, numer. 20.

Secus, ſi ante electionem accuſatio, vel denunciatio, infamia intercedente, etiam præceſſiſſent. ibid.

Verè pœnitens innocenti ad prælaturam præhabendus eſt, num. 21.

Cautè tamen cum hæreticis reſipiſcentibus agẽdum eſt, ibid.

1 PRima aſſertio contra primum hæreticorum errorem *cap. 1. nu. 2.* relatum, quem aio eſſe damnatum à *Concilio Conſtantienſi quæſt. 15.* vti teſtantur *Bellarm. in Cronol. ſub anno 1406. Caſtr. à nobis citatus dicto num. 2.* accedit *Trident. ſeſſ. 14. can. 10. Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſoluendi non habere, anathema ſit.* Et vt omittam, quæ in hunc errorem *Thom. Vualdenſis 2. tomo doctrinalis fidei antiquæ lib. 3. à cap. 81.* ſcripſit, falſitatis breui conuinci poteſt, exemplo Iudæ in Apoſtolum electi, qui tamen Diabolus meritò dicebatur, *Ioan. 11 Vnus ex vobis Diabolus eſt*; Quique, vt probè in hæreticos Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes, *Maldon. in Matth. cap. 16. ad illa verba, et tibi dabo claues Regni cælorum. Apoſtolus* (inquit) *eſſe nõ deſijt etiã tunc, cum fur eſſet, & loculos haberet, etiam tum, cum in menſa diſcumbens de vendendo Chriſto cogitaret, etiam tum Cum vendidiſset, antequam ſuſpenſus creparet medius.* deinde ſermonem Chriſtus Dominus habens de obedientia præſtanda Superioribus, *Super cathedram* (ait) *Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.* quod magis patebit ex ſequenti aſſertione.

2 Sit ſecunda aſſertio. Nullũ crimen occultũ præter homicidium huiuſmodi, irregularitatẽ aliquã inducit, ſiue ad ordinẽ, ſiue ad dignitatem Epiſcopalem; eſt contra primã tertiam, & quartam opinionem, *num. 2. 4. & 5. cap. 1. relatas.* iuxta 2. tamen adductam *num. 3.* & traditur à *Gloſſa in cap. Qui ſemel diſt. 50. Nauarr. cap. 27. num. 248. Henriq. numer. 2. libr. 13. de excommunic. cap. 36. Auila 7. part. diſput. 4. dub. 7. §. vnde ſit prima concluſio. ConincK de Sacram. diſput. 18. dub. 7. num. 56. & 57.* Et ratio primæ partis eſt, quia regula videtur eſſe generalis ad hanc agnoſcendam irregularitatem, vt per ea ſolùm cenſeãtur induci crimina, quę ſecum trahũt infamiam, vt probè *Henriq. citatus, & Auil. verſ. pro vtroque*: ſed infamia iuris plerumque nonniſi ex ſententia Iudicis, vel ex notorietate modo indicato *notabili 4. num. 26. & 11.* contrahitur, ergo, &c. & fauet textus *Cap. vltim. de temp. ordinand.* vbi quæſitum fuit à Papa etiam de Epiſcopo ordinando, & *Cap. Ex tenore eodem titulo*, vbi dicitur *Ex nullo crimine quantumcumque graui, etiam degradatione digno inducitur ſuſpenſio, vel irregularitas in ſuſcipiendis ordinibus*; quod notauit *Innocent. ibi, & cap. vlt. citato*, homicidium tantùm excipitur, ad quod diſpenſatio deſideratur etiam peracta pœnitentia, quæ omnes rationes militant in ordine ad electionem Epiſcopi à fortiori. Quod *2. tomo lib. 5. diſp. 6. cap. 8.* iterum confirmabimus.

3 Tertia concluſio omne crimen, ſeu peccatum mortale, etiam notorium irritam non reddit electionem ad Epiſcopatum. Ita ſentio contra quartam ſententiam cum *Felino cap. Dilecte de except. num. 4.* probatur *ex cap. ſicut noſtis de iure iurando*, vbi Canonicus mortali peccato irretitus, etſi manifeſto, propter iuramentum temerariè factũ, &

Eccleſiæ

Eccleſiæ nocuum; reiectus tamen minimè fuit ab Epiſcopatu, ad quem promouebatur, ſed iuſſus eſt pœnitentia illud delere; adde *Gloſſam 1. eiuſdem textus, & Gloſſam in cap. Perpetua, verb. priuentur de elect. in 6. Innocent. cap. Conſideramus ad finem*. Nec ſatisfacit *Abbas in dictum cap. Sicut noſtis*, reſpondens, in textu ſermonem fuiſſe de electione iam facta, quæ irritatur per ſubueniens mortale. Nam, vt etiam oſcitanter legenti verba textus notum eſt, ante electionem, dum in minoribus erat, perperam iuraſſe illum, de quo agebatur, ſimul cum canonicis conſtat, poſt quod iuramentum electio ſequuta eſt, quæ quidem in ſententia Abbatis fuiſſet nulla. Deinde ex *Gloſſa cap. 1. diſtinct. 81.* vbi *Auguſtinus* ponderat, Apoſtolum non dixiſſe abſolutè, *qui ſine crimine eſt*, ſed addit, *ſicut homicidium, adulterium*, & ſimilia; alioquin nullus eſſet, qui non reprobaretur, & nullus, qui ordinaretur, vt rectè proſequitur *Felinus* laudatus.

4 Quarta concluſio. Crimina depoſitione digna, ſi per ſententiam iudicis definitiuam, ſint notoria, pariunt irregularitatem, & nullam reddũt electionem Epiſcopi. Prima pars eſt de mente *Nauarri laudati, Henriqu. cap. 5. num. 2. Auil. pariter citati conc. 3.* probatur, quia inducunt iuris infamiam, vt *ſuperiori cap. num. 7.* notauimus. Secunda pars probatur à fortiori ex momentis adductis *cap. 1. pro 1. 2. 3. & 4. opinione*, & in hoc ſaltem ſenſu ſine crimine eſſe debet Epiſcopus: atque vrget *Hieronymi* ſententia in *Epiſt. ad Titum cap. 1. allata in cap. 1. diſtinct. 26. Quomodo enim poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in delicto ſimili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem poteſt; cùm tacitus ipſe reſpondeat, eadem admiſiſſe, quæ corripit.* Locutus ſum de criminibus irregularitatem inducentibus; nam, vt probè *Nauarr. in ſumma cap. 27. num. 251. §. 7.* ratio, cur non valeat electio, vel collatio beneficij non eſt criminis enormitas, ſed quòd irregularitatem inducat, quam variè ſumi dicemus infra. Probatur præterea, qui inhabilis eſt ad vnum, inhabilis cenſendus ad ei annexum, *Capit. Tranſlato de conſtitut.* Et in hoc rerum genere docet *Gloſſ. cap. Studeat 50. diſt. & cap. Poſtulaſtis de Cler. excommun. miniſtrante*: atqui irregularis eſt inhabilis ad Ordinem, & vſum eius, quem prærequirit Epiſcopatus; igitur irregularis erit inhabilis ad Epiſcopatum: ſubſcribit expreſsè *Felin. in cap. 2. de reſcript. num. 4. in fine, & cap. Dilecte de except. num. 4. ex Innocent. cap. Cum in noſtris de conceſſ. præben.* afferente ad finem 3. *Gloſſa*, nullam eſſe electionem factam de his, in quos ius dignitatis cadere non poteſt. De cæteris verò beneficijs videndus eſt *laudatus Felinus*. Fauent *Nauarr. Calderin. Gomez, & alij apud Garziam de beneſic. cap. 8. numer. 47.* & idem tenet *Compoſ. in Cap. Quia quæſtiones, apud Gloſſam, verſic. & nunquam electio, de reſcript.* qui ait, nunquam legiſſe, quòd electio facta de conſtituto in crimine non inducente irregularitatem, fiat nulla: ſubſcribit *Ioann. Andreas in cap. Auditis apud Felinum citatum, & nos tom. 2. libr. quinto diſputat. 6. cap. 8.* proſequemur.

5 Quinta concluſio. Crimina depoſitione digna, ſi notoria ſint per confeſſionem ſpontaneam, iuxta dicta *notabil. 4. num. 11. ſuperioris cap.* vel per euidentiam facti inducunt irregularitatem, & conſequenter nullam reddunt electionem Epiſcopi ante pœnitentiam, non tamen poſt; niſi crimina talia ſint, quæ inducant infamiam iuris, vt crimen vſuræ, ſimoniæ, & alia, de quibus ſuperiori concluſione, & à *num. 13.* ac deinceps, præcedẽtis capitis egimus. Prima pars eſt *Auila in 4. concluſ.* & probatur; quia cùm non inueniatur hac de re textus expreſſus, qui tamen neceſſarius eſſet ad ſtatuendam irregularitatem, alia ſeruanda non eſt regula ad eam agnoſcendam, quàm allata *aſſertion. 2. nu. 2.* ex qua perſpicua fit præſens concluſio. Secunda pars probatur ex *4. ſententia Panormitani cap. 1. numer. 5.* relata, cui quo ad hoc ſubſcribo, & confirmatur argumentis, ac textibus primæ, ac tertiæ opinionis, quæ vel formaliter, ac directè, vel à fortiori hanc probant partem, ex qua etiam ſequitur, collationem beneficij factam infami, infamia facti, vel iuris eſſe nullam; vt benè *Syluest. verb. infami quæſt. 3. & 10. Panormitan. Cap. Inter dilectos de exceſſ. Prælator. num. 8. & cap. Infamibus de regul. iur. in 6.* Tertia autem pars de crimine pœnitentia deleto, quo ad ordinem, vel dignitatem iam habitam, quæ ob illud non adimitur, ita videtur clara, vt *cap. Ponderet 50.* Poſt quam à Caliſto Papa probata ſit, dicatur de contraria. *Et ipſi, qui hoc putãt, non ſolùm errant, ſed etiam contra traditas Eccleſiæ claues diſputare, & agere videntur*; Et infra definiens, *Nos verò* (addit) *indubitanter tam Domini Sacerdotes, quàm reliquos fideles poſt dignam ſatisfactionem poſſe redire ad honores credimus, teſtante Domino per Prophetam Hieremiam 8. Numquid, qui dormit, non adijciet, vt reſurgat?* Et ex contrario ſequitur manifeſta hæreſis, *capite primo numero ſecundo* relata, & *numero primo præſentis cap.* Accedit *Sanctus Gregorius epiſtol. 37. libro ſeptimo*, habeturque *diſtin. 50. Quia ſanctitas*, poſt multa, quibus

id probat; *Quid enim eſt grauius, aut carnale delictum admittere, ſine quo pauci inueniuntur, aut Dei filium iure iurando negare? in quo tamen hunc ipſum Beatum Petrum Apoſtolorũ* Principem,*ad cuius ſacrum corpus indigni ſedemus, lapſum eſſe cognoſcimus, ſed poſt negationem pœnitentia ſequuta eſt, & poſt pœnitentiam miſericordia data, quia poſtea ab Apoſtolatu eum non expulit, qui ante quidem ipſum ſe negare prædixit*; Adde *cap. Sacerdos diſt.* 50. & comprobatur varijs exẽplis *diſtin. eadem* 50. *ex Ioann. Chryſoſtomo.* De dignitate autem acquirenda certo etiam certiùs videtur, tum ex eiſdem rationum momentis, eſt enim per pœnitentiam ſolutus reus, atque habilis ex reliquis criminibus, quibus de iure inuſta non eſt nota inhabilitatis, tum ex *cap. Fidelior* 50. *ex Ambroſio adiuncta Gloſſa verb. Gratiam*; tum quia, vt aduertit *Auctor poſthumæ appendicis ad* Fellucium *tractat.* 4t. *capit. quinto*; etiamſi crimen tale ſit, quod beneficij iam accepti priuationem induceret, vel per ſententiam, vel ipſo iure, non tamen proptetea inhabilis quis eſt ad alia obtinenda, ni habeatur in iure expreſſum, quod apud eundem notauit etiam *Garzias de benefic.* Præterea probatur in *capit. Si poſt. diſtinct.* 50. primò exemplo Mariæ ſororis Moyſis, cui poſt pœnitentiam redditum eſt prophetiæ donum. Secundò, Aaronis poſt conflatum vitulum in Summum Sacerdotem aſſumpti; Tertiò, Dauidis, cui idem prophetiæ donum poſt pœnitentiam datum etiam eſt. Quartò Pauli Stephanum lapidantis, in Apoſtolum poſtea aſſumpti; Quintò, Auguſtini ab hæreſi emergentis, qui poſtmodum in Epiſcopum electus eſt, cuius quidem exemplum in primam opinionem *num.* 2. relatam maximè facit. Demum Petrus negauit Chriſtum, & tamen Apoſtolorum Princeps factus eſt. Huic poſtremo exemplo, & auctoritati reſpondet *Panormit. citatus in fine num.* 24. de pœnitentia Petri clarè conſtitiſſe, quæ non præſumitur in alijs, ac in ipſo Petro vera, & realis. Verùm enim verò, vt huiuſmet Auctoris vtar armis, quum Eccleſia non iudicet de occultis, vt ex communi ſententia ibidem ille docet, argumento præſertim in *cap. Vnico, vt Eccleſ. benefic.* ac de externis pœnitentiæ ſignis eligendæ perſonæ conſtet, cur præſumenda eſſet de eo falſa pœnitentia, non video. Deinde non eſt, qui non putet futilem admodũ hanc eſſe ſolutionem; nam etſi nihil ſit, quod fugiat diuinam ſapientiam, dum tamen, vt noſtrorum morum magiſter ad extra operatur Deus, ad noſtram eruditionem noſtros videtur induere affectus, quamobrem pœnitere eum aliquando, nonnunquam iraſci legimus: & Chriſtus, ac ſi ignorauiſſet, Iudam elegit, cùm optimè ſciret ex eius malitia futurum proditorem. Denique ſummum imponat faſtigiũ huic veritati *Chriſologus. Quis* (ait) *in ſæculo peccauit enormiùs Paulo? Quis in Religione grauiùs Petro? illi tamen per pœnitentiam meruerunt aſſequi non ſolùm miniſterium, ſed magiſterium ſanctitatis.* Hinc homunciones neſcio qui diſcant, qui quidem trabem è proprijs oculis non auertentes, feſtucamque in oculo fratris magnificientes, vim diſciplinæ Eccleſiaſticæ in perſonato, & politico rigore exiſtimant ſitam eſſe, diſcãt quæſo viſcera induere Chriſti Domini, ac maximopere ab improbo errore animum auertere, ad quem videtur temerariè acceſſiſſe *Maximus Tyrius diſſert.* 40. *num.* 238. cum ait, *Virtutem quem ſemel proſcripſerit, nunquam denuò admittere, nunquam in gratiam recipere.* Tandem ex his veram eſſe etiam ducimus *Gratiani concordiam in cap. Sacerdos* 50. *diſt.* inter Canones, negantes lapſis reparationem, & alios concedentes: quòd illi de fictè pęnitentibus loquantur, vt ex *Auguſtino* probatur *ad Bonifacium epiſt* 50. *relata in capit. Vt conſtitueretur* 50. *diſt.* atque ex rigore diſciplinæ: vel de ijs, qui pęnitentiam oſtentant, affectata honorum ambitione per *cap. Benè valet eadem diſt.* 50. vel de pęnitentiam publicam obeuntibus, qui quidem iuris infamiam incurrunt, vt *ſuperiori cap. num.* 25. ſcripſimus per *cap. Ex pęnitentibus eadem diſt.* Hi verò concedentes, de verè pœnitentibus ſermonem habent, atque ex æquitate, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ obſeruata antiquitùs benigna traditione. Quocirca per *cap. Fraternitatis* 24. docet *Gloſſa* in aliquibus derogatum eſſe *Capitulo finali diſt.* 25. allegato à Contrarijs; quia cùm in hoc rigor, in illo vigeat æquitas, hæc meritò rigori præhabenda eſt ex 45. *Licet, &* 50. *Ponderet*: quod maximoperè verum eſt, quando rigor eſt in priori conſtitutione, vt pręſens, de qua agimus; at verò æquitas in poſteriori ex *Gloſſa ſolemni*, quam ponderat *Imola ibidem* 7. *column. in cap. Extirpandæ*; & ſequuntur alij apud *Felinum cap. Cum illorum de ſentent. excommun. num.* 2. *circa medium*: fauet etiam *Extrauag. de furt. cap. vlt. nec non C. de iudic. Placuit. In citato autem cap. Fraternitatis* affertur ratio, cur benignitate potiùs vtatur in cæteris delictis Sancta Mater Eccleſia. *Tamen* (ait) *quia defectus noſtrorum temporum, quibus non ſolùm merita, ſed corpora etiam hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur in omnibus hanc cenſuram.*

7 Ex hac aſſertione fit, de occultis criminibus irregularitatẽ nõ inducentibus, non eſſe, cur

curet

curet Promouendus ea aperire, vel non aperire; cum de his verum ſanè ſit, neminem teneri ſe infamare ex *cap. quis aliquando* §. *non dico tibi de pœnit. diſt.* 1. ea vero, quæ irregularitatem inducunt, prudrnter, & cautè prodere tenebitur ad effectum diſpenſationis ex *cap. ſi quis viduam diſt.* 50. In alijs verò criminibus, etſi certiùs quidem ſit nonnulla, quæ iuris infamiam non habent annexam, irregularitatem nō parere aliquam; incurrunt tamen notam; atque impedimentum quodāmodo inferunt, ob indecentiam, qua, ni pœnitentia deleta illa ſint, meritò arcetur quis ab ordinatione, vt ex *cap. vlt. de temp. ordinand. notat Aegidius ConincK. de cenſuris diſp.* 18. *dub.* 7. *num.* 57. quod magis declarabitur infra.

8 Vtrum autem ſimonia in ordine, vel in beneficio cauſet irregularitatem, quatenus noſtri huius eſt inſtituti, ſi prima ſit notoria, dicenda eſt irrrgularitatem inducere, & non aliàs, ſecus ſecunda; ſic *Henriq. lib.* 13. *de excom. cap.* 25. *num.* 4. *& cap.* 37. *num.* 4. *Auila laudatus* 5. *concl. Nauarr. lib.* 5. *conſil. conſil.* 35. *de ſimon. ad* 1. *argumentum, neque oppoſitum habet conſ.* 61. *num.* 9. ſi attentè legatur, & notat *Auila*; ratio eſt, quia cum non inueniatur textus expreſſus adſtruens hanc irregularitatem, ſed ad ſummum ſuſpenſionem, quando non eſt notorium delictum non eſt aſſerenda, neque aliud dicitur *cap. Inquiſitionis de accuſat. per ea ſuſpendit ſuſcepti ordinis exequutionem*. Quod autem ſimonia in benrficio etiam publica non faciat irregularitarem, docent *Couarr. Clem. ſi furioſus parte* 2. §. 3. *num.* 4. quamuis contrarium dicat de ſimonia occulta in ordine; verùm de his vberiùs *tom.* 2. *libr.* 5. *diſp. tertia*.

9 Sexta concluſio. Iuris infamia per promotionem à Papa directè, & per ſe tolli poteſt, vel à Rege, Imperatore, ac ſummo Principe poſt peractam pœnitentiam; prima pars conſtat ex *cap. per venerabilem, qui fil. ſint legitimi*, & notat *Bernard. Innocent. & Hoſtienſ. in cap. Cum te de ſent. & re iudic. & alij apud Nauarr. cap.* 27. *num.* 204 *in fine*. Nec modo clericus hoc pacto à Pontifice poterit habilis reddi; verùm etiam ſecularis, ei non ſubditus quo ad ſpiritualia, de quibus hic loquimur; quo ad alia verò videndus eſt *Sanctus Thom.* 2.2. *quæſt.* 68. *art.* 8. de ſpiritualibus autem ſentimus cum *Innocent. apud Abbatem cap. cum te citato numer.* 11. *& eodem Panorm. arg.* 54. *Multos, & cap. Per venerabilē qui fil. ſint legit.* qui quidem primo loco citatus *videri conſequenter reſtitutum*, ait, *quoad temporalia eum cenſeretur integra fame quo ad ſpiritualia, quæ digniora ſunt* ſubſcribit *Sfort. Oddo de integ. reſtit. part.* 2. *quæſt.* 92. *ab artic.* 4. ſecus eſſet, ſi collatio fieret, nulla mentione facta de hac infamia, vt probè *Nauarr. in cap. ſi quando de reſcript. numer.* 9. nec poſſe Collegium Cardinalinm, niſi in mora fuiſſet periculum futurum expectandi Pontificem, vt docet *Panorm. in citato cap. cum te*, cui *Sylueſt. infamia quæſt* 12. *num.* 17. dat manum ex parte, quamuis abſolute contradicat cum alijs apud Innocentium, & dictum Abbatem. Dixi, directè, & per ſe, nam indirectè poteſt quidem Epiſcopus, quippe qui, cum diſpenſat in delicto, ad quod eius facultas ſe extendit, acceſſoriè etiam infamiam demit iuxta ſingularem *Gloſſam cap. Euphemium* §. 1. 2. *quæſt.* 3. *& Gloſſam in cap. Domino* 50. *diſt. Abbatem citatum num.* 15. demum in *cap. At ſi* §. 1. *de iude.* fauet *Nauar. modo citatus*. Secunda pars ſcribitur ab *Innocent. Anton. & Panormitano in cap. Cum citato, Sylueſt. laudato num.* 18. *&* 19. *atque ab alijs Recentioribus*.

10 Septima concluſio. Infamia facti, vel contrario facto, vel pœnitentia tollitur. Secunda pars eſt *Nauarri*, & conſtat ex dictis ſuperiori aſſertione, nec non *numer.* 5. *aſſert.* 5. Præter ea autem, quæ diximus *cap.* 2. *num.* 26. quicumque ſupponitur emendatus, qui crimen commiſit occultè, & confeſſus eſt Sacerdoti *auctore Maſcard. de probat. concluſ.* 465. *numer.* 7. externa adhibita ſatisfactione, vt aduit *numer.* 10. Quam emendationem per abſolutionem probari poſſe ait *numer.* 12. Criminoſum etiam præſumi jam purgatum, & emendatum idem ſcribit auctor *num.* 19. Si trium annorum ſpacio ab improbè factis ſe abſtinuerit, & in virtuoſis actionibus ſe exercuerit, vt *praecedenti Capite numer.* 26. indicatum eſt. Sic etiam emendatus præſumitur, qui poſt peccatum operatur bonum, ex eodem *concluſion.* 600. *numer.* 15. præter quam in reatu periurij, vt multi apud *Barbeſam de officio, & poteſt. Epiſc. allegat.* 43. *numer.* 24. Incumbit autem infami onus probandi emendationem, contra quem ſtat præſumptio, ſic *Abbas cap. Teſtimonium de teſt. & atteſt. numer.* 14. *ex reg. in* 7. *ſemel malus &c.* & firmat *Rota Romana ſingul.* 460. *incipit*. *Dubitatio eſt magna*. Ratio autem concluſionis eſt, quia omnis res, per quaſcumque cauſas componitur, per eaſdem diſſoluitur *cap.* 1. *ex reg. iur.* non enim poteſt facere Princeps, vt facta infecta ſint *l. in bello* §. *facta ff. de capt. & cap. ſi paulus* 32. *qu.* 5. *cum Gloſſa verb. ſuſcitare*, nec poteſt voluntates, vel actiones mortaliū abſolutè mutare *cap. ſicut ij* §. *quod tunc n.* 4. *diſt.* 47. etſi poſſet ſanè Princeps diſponere; ne talis infamia

facti ſuum ſortiatur effectum contra infamatum, vt etiam tenetur, cùm nouerit infamiã iniuſtè alicui inuſtam eſſe, atque ab æmulis ortam, vt *cap. Cum iuuentute de præſumpt. & 2. quæſt. 5. Mennam*. At de his infra vberiùs; & in hoc ſenſu *Sfortia Oddo*, quem ſequitur *Farinac. in praxi crimin. part. 1. quæſt. 6. num. 45. ver. in propoſito*, dicens, Principem poſſe impedire factum infamiæ. Hinc rectè cẽſuit *Abbas in cap. 2. num. 3. de ſchiſm. ex textu in cap. Præterea de teſtib. & ibid. Felin. num. 6.* Pontificem, ordinando ſcienter infamem, præſumi reſtituere illum famæ: quod etiam notauit *Gloſſ. in cap.* Cum *autem 43. diſt.* quã ſequuti ſunt *Bald. in l. Imperiali, §. ſimilis C. de nupt. Alexand. in l. Quidam conſulebat nu. 8. ff. de re iudic. & alij*, quibus ſubſcribit *Menochius lib. 2. de præſumpt. præſumpt. 26. num. 14.* vt nos *lib. 2. diſp. 5. cap. 6.* proſequuti ſumus.

12 Octaua concluſio, nullus infamis infamia iuris, vel facti in Epiſcopum promouendus eſt: ſequitur *è concluſione 2. & 3.* neque immoror circa validitatem conſecrationis Epiſcopi laborantis infamia; cum hanc non pendere ex huiuſmodi irregularitatibus iure poſitiuo inductis, certum ſit. Hanc autem aſſertionem infra iterum firmabimus.

13 Nona concluſio. Quamuis appellauerit infamis infamia iuris, adhuc promouendus in Epiſcopum non eſt, ita *Nauarr. conſil. 7. Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſcop. cap. 1. §. 1. num 8.* etſi contrarium improbabile non ſit. Ratio eſt, quia appellatio nõ ſuſpendit, quin infamis infamia iuris inhabilis ſit ad Epiſcopalem dignitatem, donec, vt ſupra per ſententiam contrariam inhabilitas ex infamia deriuata prorſus tollatur. Scio *Gloſſam cap. Finalis de teſt. & atteſt. in fine*, aſſerere, condemnatum de crimine poſt appellationem in teſtem ciuilem poſſe recipi, ſecus in criminalem. Verùm hoc contra noſtram concluſionem non eſſe puto; tametſi non improbabile dixerim contrarium, quod addit ibi *Gloſſa*; etenim poſt appellationem non dicitur quis condemnatus, *ff. de pœn. l. 2. §. vltim.* Et integer eſt illius ſtatus, vt interim fungatur honoribus, *ff. nihil innouari appellatione interpoſita l. vnica, §. integer, & medius in §. ſi quis deportatus*, quia licèt ſit damnatus, non tamen adhuc habetur infamis, ex quo appellationem ſuam proſequitur *ff. de ijs, qui not. infam. fur.* Demum, vt appellatio ſuſpendit infamiam ortam è ſententia, ſicut modo probabiliter dicebam, ſic etiam ſuſpendere infamiam ortã ex accuſatione, videtur docere *Bartol. in l. Poſt contractum in penultim. columna ff. de donat.*

14 Decima concluſio: Accuſatus, denunciatus, vel exceptus de aliquo crimine, de quo *concl. 3. & 4 num. 4. & 5.* dictum eſt, licitè non poteſt promoueri, vel conſecrari; eſt contra opinionem *Innocent. cap. 1 numer. 10.* relatam, iuxtà doctrinam tamen *Abbatis cap. Omnipotens de accuſat. & inquiſit. num. 4.* Ratio eſt, quia, ſi non poteſt, pendente accuſatione, ad ſecularem promoueri dignitatem, potiori quidem iure, neque ad Eccleſiaſticam, & Epiſcopalem, quippe quæ maiorem ſibi vendicat integritatem, ac perſonæ promouendæ qualitatem, *argument. 61. diſt. Miramur. Et de denunciato eodem textu*. De excepto verò conſtabit ex ſequenti aſſertione, cui fauent *l. Reus, ff. de muner. & honor.*

15 Hæc autem aſſertio primò limitatur, niſi accuſatio (& idem dicerem à pari de denunciatione) fuerit calumnioſa, quia tunc non pareret effectum; ſic *Goffred. cap. Omnipotens citatus, Felinus ibidem num. 2. & alij communiter ex textu in l. Qui de libertate ff. de lib. ca.* per illum textum; *Quod voluit*; ſic etiam *Bart. in l. Cùm is ff de tranſ. Innocent. in Cap. Granis de re ſpol.*

16 Limitatur ſecundò, dummodo facta ſit accuſatio à legitimo; ita *Felin. num. 2. ex cap. Meminimus de accuſat.*

17 Limitatur tertiò, ni ſit accuſatum vnum integrum Collegium; quia tunc, pendente lite, vnus ex his promoueri poterit, vt nonnulli apud *Felin. num. 3.*

18 Vndecima concluſio. Infamia præcedente, nec inquiſitus, neque accuſatus, nec denunciatus, aut aliter delatus ob aliquod ex ſupra notatis, poterit eligi, ne dum promoueri; ita ſentio cum *3. opinione num. 9. & 10. cap. 1 relati, & cum Abbate laudato*. Probatur, tum ex ſuperioribus, tum de inquiſito, cùm præceſſerit iam infamia, per *cap. Cum in cunctis* arguitiuè *de electione, & cap. ſuper eo, & ſuper his eodẽ, & cap. Tantis Daniel* 81. *diſt.* De Accuſato etiam conſtat, quod ſola infamia facti impedit *l. 2 C. de dignit. lib. 12. & in Reg. Infamibus de reg. iur. in 6. vbi Dynus*. De denunciato autem expreſsè habetur *Cap. Omnipotens de accuſat.* & in hoc ſenſu ſubſcribo *Felino cap. Omnipotens citato num. 1.* ex multis textibus aſſertionem hanc comprobanti. Illud autem perpendere huius loci eſt, de infamia, quam immeritò quis contraxit, vt *num. 15. & 16.* indicauimus, hoc non eſſe intelligendum.

19 Duodecima concluſio. Non præcedente infamia, accuſatus, vel denunciatus, eſto cõſecrari licitè non poſſit, vt ſupra dixi; eligi tamen probè poterit, ita ſentio cum *Abbate laudato, & Auctoribus primæ aſſertionis*. Ratio eſt, quòd ad euitandum, nè malitioſè attententur denunciatio, atque accuſatio, id

expe;

expedit *argum. l. 1. §. cum quis ff. de quaſt.* Idem dic de Denuntiato, etiam ſi fuerit apud eum dennotiatus, à quo eligendus eſt, vt probe *num. 11. in 5. opinione*, dictum eſt *ex Abbate*, & ſubſcribit *Innocent. in cap. ad diſſoluendum de diſpenſat. impuber. & in cap. Cum inter, de elect.* An autem electores peccent mortaliter eligentes quempiam exiſtentem in quocumque peccato publico dicemus *tom. 2. lib. 4. diſp. 6. cap. 3.*

20 Colligo ex his, electi, qui poſt electionem accuſatus eſſet, præuia infamia, ſi poſtea abſolueretur, non eſſe reiterandam electionẽ; quæ cum accuſationem præceſſerit, non eſt, cur reddatur inualida; e contra verò ſi electus, vel promotus eſſet, iam data accuſatione, vel denuntiatione, vel inquiſitione incepta, præcedente infamia, licet poſtea inueniretur innocens, illam promotionem, vel electionem cenſendam eſſe ipſo iure inualidã; ratio huius ſecundæ partis eſt, quia non conualeſceret, apparente innocentia, vt probè *Felin. Cap. Omnipotens de accuſ. & inquiſ. num. 3. & 4.* Confirmatur, quia geſtum contra legem eſt nullum *10. diſt. cap. Vides*, eſto contrarium doceat *Caldar. in tit. de prabend. conſ. 20. & in tit. de accuſ. & inquiſ. conſ. 4.* Ex his autem rationum momentis prima huius corollarij pars etiam patet; nam cum accuſatio, præuia infamia, ad ſubſtantiam inhabilitatis pro electione requiratur, non ſatis eſt eam ſubſequutam fuiſſe; quod ad aliom propoſitum notat *Felinus cap. Cum Dilectus de accuſ. & inquiſ. num. 2. ex textu in l. Præcipimus § finali C. de appellat.*

21 Quæres quis præeligendus in Epiſcopum ſit potior, qui peccauit, ac vera pœnitentia ſuum deleuit peccatum, an innocens? Reſpondeo, tametſi innocentia præferenda ſit pœnitentiæ, quæ malum omnium peſſimum, peccatum, ſcilicet, neceſſariò ſupponit; nihilo tamen minus; & quia Dominus Petrum Ioanni prætulit, & quia, vt ait *Ambroſius ſerm. 47. de fide Petri*, habeturque *Cap. fidelior 50. fidelior factus eſt Petrus poſt quam fidem ſe perdidiſſe defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amiſit, tanquam enim bonus paſtor tuendum gregem accepit, vt qui antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* Et quia, vt ait *Gregor. in homil. Dominica Reſurrectionis cap. Conſiderandum nobis eſt 50. Petri peccatum amantiſſimus Deus permiſiſſe videtur, vt is, qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet. Prius itaque eum oſtendit ſibi, & tunc præpoſuit in cæteris, vt ex ſua infirmitate cognoſceret, quàm miſericorditer aliena infirma toleraret, qui condolere, vt ait Apoſtolus ad Hebræos 5. poſſit ijs, qui ignorãt, & errant, quoniam, & ipſe circundatus eſt infirmitate*, naturæ, ſcilicet, & concupiſcentiæ, & nonnunquam culpæ; & quamuis infirmitas naturæ, quæ ſola Pontifici neceſſaria aliquo pacto videtur, à Chriſto Pontifice idcirco aſſumpta, vt cæterorum hominum miſeriarum, & ærumnarum particeps eſſet, expers culpæ, qui peccatum non fecit, nec potuit, verum cum cæteri Pontifices concupiſcentiæ, & fomitis infirmitatem originali cõtraxerint culpa, *debuit* aliquo pacto, & ipſe Princeps Sacerdos Chriſtus *per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis Pontifex* non quæ culpæ, aut concupiſcentiæ, ſed communes dotes, & effectus, ſeu propaſſiones ſuſcipere, & vt experimentali quidem ſcientia noſtræ infirmitatis noſceret miſereri, nam longè aliter ærumnas, & miſerias cognoſcimus, dum eas ipſi experimur, quam dum ſpeculamur, & in alijs videmus *in eo enim* (proſequitur Paulus) *in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt, & ijs, qui tentantur, auxiliari*, ideſt aptus idoneus, pronus, & miſericors. Idcirco *Gloſſa verbo, gratiam*, eligendum potius eſſe affirmat eum, qui poſt peccatum condigna emerſit pœnitentia, quàm qui ſemper fuit bonus; nam infirmus fortior reſurgit *de pœnit. diſt. 1. Poteſt, & ibidem diſt. 3. Ille.*

22 Verum magna opus eſſe prudentia non inficior in hæreticis admittendis poſt pœnitentiam, atque Eccleſijs præficiendis *argum. Nos conſuetudinem diſt. 12.* ac de apoſtata à fide *cap. legi 16. q. 1. vt nos ſupra cap. 13. num. 21.* qui præterea ad maiores etiam ordines aſcendere prohibeatur *cap. ſaluberrima: cap. conuenientibus 1. qu. 7. & cap. illud diſt. 5.*

CAPVT IV.

Contraria diluuntur argumenta.

S V M M A.

Diluuntur argumenta primæ, ſecundæ, & tertiæ ſententiæ num. 1.

Soluuntur quartæ ſententiæ rationes num. 2.

Omne peccatum mortale licet priuet vita æterna, non tamen inducit irregularitatem, vel inhabilitatem ad dignitatem, ibidem.

Expenditur Cap. finale de cohabit. cleric. *num. 3.*

Explicatur Cap. 1. diſt. 8. *num. 4.*

Quomodo ſecundum Apoſtolum Epiſcopus delicto vacare debet num. 5.

Declaratur cap. Florentinum, ſiue Archidiaconus diſt. 83. num. 6.

Re-

Reſpondetur argumentis ſententiarum ſecundi ordinis num. 7.

1 VT varijs relatarum ſententiarum argumentis ſatisfaciamus ſupereſt: Canones igitur primæ primi ordinis opinionis explicati ſunt *concluſ. 4. num. 5. & 6.*

Secundæ ſententiæ, ſecunda pariter aſſertio noſtra ſubſcripſit, vt *num.* 2.

Terriam ex parte reiecimus in ſecunda aſſertione *num.* 2. ex propoſito *aſſert.* 4. *num.* 5. & 6. vbi interpretationes ad reliquos textus rradidimus, *Capitulum* autem *Miror* loquitur de irregularitate ex homicidio, quod nos etiam excepimus *aſſert.* 2. *num.* 2.

2 Quartam opinionem quarta etiam noſtra impugnauit aſſertio. Cur autem rigor Eccleſiaſticæ diſciplinæ non in omnia delicta vigere nunc debeat, *concluſione* diximus 4. *num.* 5. & 6. Textus *Quotidie* non eſt ad rem, nam eſto, qui mortali tenetur culpa, omnino ante pœnitentiam abſtinere à ſacra Sinaxi debet; verùm cur enm eligi extra caſus à nobis relatos in Epiſcopum non poſſit, haud video; & quamuis omne peccatum mortale gratia ex ſe, ac vita priuet æterna, non idcirco, vt minus cautè *auctore Felino cap. Dilectc de except. num.* 4. dixiſſe fertur *Abbas in cap. ſicut noſtis de iur. iurar.* aſſerẽdum eſt graue ea enormitate ſemper eſſe, quæ ad inhabilitatem requiritur, inducendam pro conſecutione dignitatis, vt ex factis argumentis num. 5. patet: tum quia alias ex hoc ſeqnetetur pro quouis peccato mortali Clericum deponendum eſſe, cum habeamus pro grauiſſimo ſaltem peccato depoſitionem faciendam *cap. Inuentum in verb. graui culpa* 16. *qu* 7. & *apud ipſum Abbatem eſt textus ſingularis in cap. At ſi clerici in principio* 18. *colum. de iudic. & cap.* Conquærente *in* 1. *notab. de reſt. ſpoliat.* atqui hoc eſt abſurdum, quod nullus mortalium audebit aſſerere, qui ſapiat iuxta *Gloſſam* 13. *qu.* 8. *in ſum. & in cap.* 1. *diſt.* 81. ergo &c.

3 *Capitulum finale*, de infami notorietate facti loquitur, vt benè *Gloſſ. verb. euitari.* Deinde quo ad ordinis ſuſcepti exercitium, de ſuſpenſione tractat, non quantum ad reliqua, ſicut ibi *textus*; Paritas autem excommunicati excommunicatione minori, non vrget; quia conſtare ſſe ibi textum, quo, quẽadmodum infra dicemus, aliquid ſancitur de electione, ſecus verò de alijs mortalibus criminibus *cap.* 2. notatis *à num.* 2. ac deinceps, qua ratione reſpondet *Innoc. in cap. ſi celebrat, verb. irritanda de cleric. excom. miniſt. & Felin. cap. Dilecte de except. num.* 4. fuſiùs hac de re diſputans.

4 Ad ſecundum momentum Abbatis dicimus, Capitulum primum citatnm nobis fauere, quum crimen eſſe dicat peccatum graue, accuſatione, & damnatione digniſſimũ. Addo ex *Felino* modo cirato falſam eſſe *Gloſſam cap. Florentinum*, contra quàm eſt *Gloſſa in cap. Definitio* 23. *q.* 4. *in additionibus Barthol. Brixcnſis*; quã ob rẽ irreprehenſibilẽ eſſe Epiſcopum iuxta Apoſtolum, de huiuſmodi delictis intelligendnm eſt, non autem omnis culpæ expertem; nam vt probè *Capitulum citatum, hoc ſi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur.* Simile legitur *de pœnit. diſt.* 3. *cap. Penult. et diſt.* 2. *ſi eum.* Intelligi eriam Pauli ſententia poteſt de publicis delictis, pœnitentia non purgatis; vel occultis, ob quæ ne peracta quidem pœnitentia, vſus recuperatur officij; ſecus de alijs, vt probè *Vgolin. de off. & poteſt. Epiſcop. cap.* 1. §. 1. *num.* 7.

6 Textus vero *cap. Florentinum, ſiue Archidiaconus* nihil de iudicio temerario, ſed ſolum Pontifex ibi præcepit, vt à nonnullis certior fieret, ſi qui in Epiſcopos proponerentur *de nullo ſibi eſse crimine conſcii, quod eos ad hoc officium vetet*, & de crudeli inhoſpitalitate Archidiaconi mentionem deinde facit.

7 Primæ ſententiæ ſecundi ordinis ſubſcripſimns *concluſ.* 11. Secunda non eſt contra nos. Tertia 10. *concl.* noſtram confirmat. Quarta quo ad primam partem ab eadem decima non diſcrepat, quo ad ſecundam reiicitur à nona. Sententiæ Abbatis damus manum, vt ex noſtris conſtat aſſertionibus.

DISPVTATIO III.

De Præſulis integritate vitæ:

Palmaribus exploſis, atque ablegatis à noſtro Epiſcopo peccatorum notis, proximè ad alias culpas, quibus vacare debet, quibuſue exornatus virtutibus optatur accedimus: &, nè actum hic agere videamur, ſupponimus, quod de perfectione ſtatus Epiſcopalis *lib. 1. diſp. 2. cap. 1. & 2. num. præſertim* 3. ſcripſimus, vbi non teneri, perfectum eſſe ineuntem Epiſcopatum diximus, & quamuis *Cardinalis Bellarminus in admonitione ad Nepotem cont.* 4. contrarium indicet, id non de perſona, verùm de ſtatu intelligendum eſſe cenſeo; quod conſenſu Doctorum, loco paulò ante citato, aſſeruimus, ac fundamentum Bellarmini ſoluimus. Supponimus etiam non ſolum Epiſcopalem ſtatum eſſe perfectionis exercendæ, ſed etiam, ſuo modo, acquirendæ, vt probauimus *cap.* 2. allegato *nu.* 7. & 8. per media ab eodem ſtatu exhibita, de quibus à *num.* 9. egimus. Demum ſtatum Epiſcopalem ex ſe aliquam in perſona eum ſubeunte perfectionem expoſcere iuxta *num.* 14. & 16. *cap. citati*, ad quam omnibus contendere viribus tenetur Epiſcopus electus, de cuius perfectionis conditione hic nobis agendum eſt. Igitur, cum quæ ſacræ litteræ de morum probitate Præſulis habent, quæque exarata à Sanctis Doctoribus in ſacris Canonibus; reliquiſque Eccleſiaſticis monumentis deſcripta leguntur, huc ſi transferenda eſſent, prægrandi quidem volumine, nè dum huius diſputationis finibus contineri non poſſent, nè copia me inopem faciat, neue, dum faſtidium vitare contenderim; de re in primis Præſuli noſtro neceſſaria ieiunè diſputauerim, duo præſtabo. Primum è Sanctorum Patrum dilucidationibus vnam, vel alteram hic adſcribam ſententiam, in qua, vt in idea Epiſcopi probitatem inſpiciamus. Deinde eandem per varia veluti membra, Pauli præſertim pennicillo delineatã, omnibuſque ſuis abſolutam numeris, quam moribus, expreſſam habere deſideramus, in Præſule imaginem ad amuſſim exponam. Tandem, quod poſtremum præſtabit Caput, num Religioſus non Religioſo Eccleſiaſtico præſtet ad Præſulatum? videndum eſt.

CAPVT PRIMVM.

De morum probitate Præſulis:

S V M M A.

Qua ratione irreprehenſibilis deſideretur Epiſcopus num. 1.

Exprimitur Præſulis figura à Bernardo num. 2.

Ratio, cur tanta debeat Epiſcopo ineſſe perfectio nu. 3.

Cur Apoſtolus Præſuli communes adſcribat virtutes num. 4.

Hæ tum erga Deum, tum erga ſemetipſum; tum erga proximum Antiſtiti neceſſariæ ibidem.

Quo pacto Sanctum vult Epiſcopum Paulus num. 5.

Vir-

Virtutes erga Deum Epiſcopo neceſſaria. ibidem.
Erga ſemetipſum num. 6.
Superbus ne ſit num. 7.
Epiſcopatus eſt ſplendida ſeruitus num. 8.
Nè ſit iracundus Antiſtes num. 9.
Ira gradus num. 10.
Qua ratione frænanda ſit ira num. 11.
Nè ſit Antiſtes vinolentus num. 12.
Nè percuſſor num. 13.
Non litigioſus num. 14.
Non cupidus num. 15.
Sobrius num. 16.
Vigil ibidem.
Prudens num. 17.
Ornatus, ſeu Decorus num. 18.
Pudicus num. 19.
Modeſtus, ſiue æquus, nec nimis iuſtus n. 20.
Suæ domui benè præpoſitus num. 21.
Filios habens ſubditos cum omni caſtitate n. 22.
Ioannis Baptiſtæ à Conſtantio Archiepiſcopi Co-ſentini pudicitia laudatur nu. 23.
Quid, ſi luxuria à luxu deducatur num. 24.
Hoſpitalis num. 25.
Non Neophitus ibidem, remiſſiuè.

1 PRima ad Timotheum 3. *Apoſtolus* prima quaſi delineamenta Epiſcopalis noſtræ adumbrans imaginis, *Oportet*, ait, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, vbi *Hierony. epiſt. 83. ad Oceanum cap. 4. Omnes*, inquit, *virtutes in vno ſermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit; quis enim ille eſt, qui abſque peccato, & reprehenſione viuat?* Et quidem animo illud ſemper Epiſcopum volutare deſiderarem, quod teſtatum nobis *Plutarc.* reliquit *lib. de doct. princip. Sunt Principes tàm ſacri, quàm profani inſtar lucentium gemmarum, atque adeò ſi quis in illis næuus apparet, detractioni patet, & calumniæ. Irreprehenſibilem* idcirco *ſine crimine* legit Gloſſa; *Nam ſi paſtor*, inquit Gregorius Magnus 1. part. paſtor. cap. 2. *per abrupta graditur, grex profectò ad præcipitia ſequetur, aut qua præſumptione percuſſum mederi properat, qui in facie vulnus portat? tantumque debet actionem populi actio traſcendere Præſulis, quantum ſolet diſtare à grege vita paſtoris. Ab immundo quis mundabitur* meritò *Eccleſiaſticus cap. 24.* monet; *Manus enim ſordida aliam non lauat*, ait *idemmet Gregor. moral. lib. 7. & oculus plenus puluere maculam non conſiderat, ita mundus debet eſſe, qui vult aliena corrigere;* quomodo autem τὸ *irreprehenſibilem* doctrinaliter intelligendum ſit, *Superiori diſp. cap. 3. & 4. num. præſertim 5.* dictum eſt.

2 Demum diuinam, quam contemplamur Præſulis imaginem, *Diui Bernardi* coloribus expreſſam videamus *lib. 4. de conſider. ad Eugenium Papam. Conſideres*, inquit, *ante omnia, Sanctam Romanam Eccleſiam, cui Deo authore præs, matrem eſſe non dominam, te vero non dominum Epiſcoporum, ſed vnum ex ipſis, porro fratrem diligentium Deum. De cætero conſideres, oportere te eſſe formam iuſtitiæ, ſanctimoniæ ſpeculum, pietatis exemplar, aſſertorem veritatis, fidei defenſorem, doctorem gentium, chriſtianorum ducem, amicum ſponſi, ſponſæ paranymphum, magiſtrum inſipientium, refugium oppreſſorum, pauperum aduocatum, miſerorum ſpem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum ſenum, vltorem ſcelerum, malorum metum, bonorum gloriam, uirgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem canonum diſpenſatorem, ſal terræ, vrbis lumen, ſacerdotem altiſſimum.* Hæc autem, quàm omnibus abſolutam numeris caritatem requirant, nullus eſt, qui non videat; contendat autem vnus, quiſque nè huic noſtræ tempeſtati *Gregorij Magni* ſententia poſſit accomodari *lib. 4. cap. 5. in 1. lib. Regum capi 10. plerumque enim culmen prælationis accipient, qui in caritate Dei, & proximi perfecti non ſunt*, vbi perpendo τὸ plerūque. Quæ quamuis de Summo Pōtifice dicta ſint, facili negotio cuique Præſuli aptari poterunt.

3 Et vt omittam, quæ *lib. 1. diſp. 2.* differens de perfectione ſtatus Epiſcopalis, argumenta perpendi, in promptu eſt ratio perfectionis, quæ Præſuli deſideratur ineſſe, atq; omnibus uiribus cōparāda eſt; quòd (vt *ex Auguſt. lib. 12. cap. 6. ſuper Geneſim* ad litteram argumentatur Sanctus *Thomas 2. 2. q. 184. art. 7.*) agens patiente præſtantius eſt: atqui in genere perfectionis iuxta Dionyſium Epiſcopi ſe habent, vt perfectores, reliqui verò ut perfectibiles; quorum vnum pertinet ad actionem, alterum ad paſſionem; igitur &c. Confirmatur, quia cum ex *Ariſtot. 7. metaphiſ. cap. 8. text. 28. & lib. 8. ethic. cap. 12. tex. 4. à Diuo Thom. 1. part. q. 27. art. 2. ac Damaſo lib. 1. fidei orthod.* adducto, *vt nos in libris de generatione* docuimus, Generatio viuentis ſit proceſſio viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ coniuncto; & hæc quidem filiorum Dei ſupernaturalis, vt ita dicā, generatio (de qua ſæpè ſæpiùs Paulus) ab Epiſcopis tanquam à patribus emanet, debet vtique eſſe à principio vitæ ſupernaturalis gratiæ, ac perfectionis coniuncto; & ſanè rerum naturis inſitum eſt, vt agens ſibi ſimile producat, ſeque, vt alibi Philoſophus, contendat perennare in prole; ignis enim ignē, hominem homo generat &c. Quin etiam hoc idem æmula naturæ ſibi vendicat ars, ſic Philoſophus Philoſophum agnoſcit Magiſtrum; muſicum muſicus: chriſtiani ergo in vita, ac perfectione ſupernaturali magiſtros, patreſq;

patreſq; agnoſcentes Epiſcopos, hanc in eis præſtantiorem ſanctitatem ſupponunt, tanquam in cauſa, ſemper diuina ſuppoſita gratia, eminentiori quadam ratione, quàm alijs communicat eam continente.

4 Verum enim verò cum *Sanctus Chryſoſtomus* ſibi interroganti in *1. ad Timoth.3.* cur Apoſtolus in Epiſcopo communes virtutes, non autem raras, atque heroicas requirat, reſpondeat, *Quia perpaucos tales inuenire erat, Epiſcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per ſingulas ciuitates magiſtri conſtituerentur, ne ergo Eccleſiæ negotia, fructuſque perirent, idcirco moderatam virtutem propoſuit inquirendam, non ſupremam illam, atque excellentem.* Et vt ad eum *Sanctus Hieronymus lib.1. aduerſus Pelagium cap.8.* primum quod ad Thimoteum Paulus dixit *num.1.* à nobis relatum irreprehenſibilem ſcilicet, *aut nullus, aut rarus; quis eſt enim, qui non quaſi in pulcro corpore, aut næuum, aut verrucã habeat?* Nos itaq; ne nimis religioſi videamur apoſtolicis inſiſtentes veſtigijs, quas ex illo *nu. 2.* indicauimus, breui proſequemur virtutes è canonibus deductas, præſertim *diſt. 25.* eas ad tria genera reuocantes erga Deum, erga ſe ipſos, & erga proximos.

5 *Sanctum* igitur deſiderat Epiſcopum *Paulus ad Titum cap.1. verſ. 8.* grecè ὅσιον, ideſt pium *ex Vatablo, & alijs*, nec modo, vt ſibi, muneri, dignitatique propriè; verùm etiam, ne ſuis conſulat ouibus Epiſcopus, enixè incumbere pietati debet; *nihil eſt enim* (ait Trid. *ſeſſ.22. cap.1.*) *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt; cum enim à rebus ſeculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conijciunt, ex ijsq; ſumunt, quod imitentur.* Idque potiori iure, quàm reliquis Eccleſiaſticis, Epiſcopis conuenit. Quòd ſi *Sanctum*, vt frequenter vſurpari ſolet idem ſit, ac Dei charitate feruentem, quod addam dictis *lib. 1. diſp. 1. & 2.* ſolam habeo *Apoſtoli* ſententiam *1. ad Corinth.13. ſi charitatem non habuero, nihil ſum.*

6 Venio ad eas, quæ erga ſe Præſuli colendæ ſunt virtutes, quibus vitia maximè ad aliorum ſcandalum euitandum fugere inprimis tenetur Epiſcopus, nam, vt probè *Auguſt. lib. de paſtore Omnis, qui male viuit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidit; & fortè, qui imitatur, moritur, qui non imitatur, viuit, tamen, quantũ ad illum pertinet, ambos occidit. Auguſtino adſtipulatur Gregorius Magnus. Par. 13. adm. Prælatus peccans tot mortibus dignus eſt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittit, vnde tantò cautiùs debet ſe à peccato cuſtodire, quantò peccando non ſolus tantum moritur, ſed omnium animarũ; quas prauis exemplis deſtruit, reus eſt.*

7 Apoſtolus præterea ad Titum 1. citatus verſ.7. Epiſcopum non vult *ſuperbum* grecè *αὐθάδη* .i. ſui ſenſus tenacem, & vt *Syrus* vertit, qui ſua propria ducatur voluntate, ſuo ſemper nitatur adhærens ſenſui, præfractus, durus, aſper, inflexibilis, qui ſibi ipſi ita placeat, vt cæteros parui pendat, ita *Chryſoſt. & Theophilat. Proteruum.* legit *Hieronymus Alij contumacem*: in memoriam igitur reuocent Epiſcopi, quod *lib.1. diſp.2. cap.4. & 2. num. præſertim penult. & vlt.* diximus; quòdque Antigonus Rex videns filium ſuum ferociùs quàm par erat, ſubditos tractantem
8 dixiſſe fertur: An ignoras, Fili, Regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſeruitutem.

9 Non *Iracundum* ibidem, quod ſi omnibus *ad Ephes. cap.4. verſ.26: idem Apoſtol.* præcipit *ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram* potiori ſanè ratione, atque arctiori vinculo ab Epiſcopis expoſtulat: ſic ſanctus Ioannes eleemoſinarius Archiepiſcopus Alexandrinus, teſte *Leontio in eius vita*, cum in Nicetam Patricium, ira licet iuſta, exarſiſſet, vt ſe ante veſperam ei reconciliaret, miſit Presbyterum ſuum, qui Nicetæ diceret, *ſol iam eſt in occaſu, vir maximè venerande*, qua Præſulis benignitate tactus Nicetas ad Sanctũ Ioannem accurrit, atque in mutuos vterque iuerunt amplexus. Accedit Sanctus Epiphanius Cypri Epiſcopus, qui Sancto teſtatus eſt Hilarioni, ex quo accepit habitum Epiſcopalem, non permiſiſſe aliquem dormire, aliquid in ipſum voluntantem; neque illum dormiuiſſe aliquid aduerſus quempiam habentem. Cæterum ſi, vt eſt, loco prouerbij, Pauli ſententia habeatur, *ex epiſt. ad Ephes.* citata illud in primis Epiſcopo curæ ſit, vt iram quàm primum compeſcat ſi in eam quamuis iuſtam inciderit, perque ſuos gradus frenet.

10 Itaque primus domandæ iræ gradus eſt, vt eam ſtatim comprimamus, nè altiùs inhæreat animo, vel in verbum, aut factum aſperiùs erumpat. Secundus eſt, vt ſi adhæſerit, aut eruperit ante ſolis occaſum, ideſt ſtatim vt poſſimus ad mentem, ac tranquillitatem redeamus, ſic *Anſelmus Genebrardus*, atq;
11 *Ianſenius in pſalm.4.* Hoc autem efficaciter præſtabit, qui animum ad alia cogitanda etiam vi contraxerit, in eumque alias etiam lætas, hilareſque induxerit cogitationes; vel ſe ſtudijs, alijſque meditationibus æternorum bonorum, vel malorum commiſerit.

12 Non *Violentum*, nam vt *diſt.35. cap. venter ex Hierony. ad Oceanum* habetur *epiſt.83. Venter mero æſtuans cito deſpumat in libidines, & ibidem cap. Eccleſiæ Principes, ex eodẽ ſancto in Micheam cap.2. Eccleſiæ Principes,*

qui

Qui delitijs affluunt, & inter epulas, atque laſciuias pudicitiam ſeruare ſe credunt, propheticus ſermo deſcribit, *quòd eyciendi ſunt &c.* & infra, *& ſi vis ſcire, quò eÿciendi ſunt, Euãgelium lege, in tenebras, ſcilicet, exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor gentium*. Nam, vt probè *Ambroſ. in lib. de Elia, & Ieiunio*, & habetur *35. cap. ſexta die. Serpens gulæ perſuadet, Dominus ieiunium decernit: itaq; gula de paradiſo regnantem expulit: abſtinentia ad paradiſum reuocauit errantem*, cum primi parentes beatitudine potiti ſunt *de pœnit. diſt. 1. cap. ſicut primi, & de conſecrat. diſt. 1. cap. hic duo, & cap. Epiſcopus diſt. 41. & diſt. 44. Cum autem*; vbi tribus probatur rationibus gulæ intemperantiam à Præſule longè amandandam. Prima, quia comeſſatio, & ebrietas *ad Roman. 13.* meritò numerantur *ab Apoſtolo* inter opera tenebrarum, *Non in comeſſationibus &c.* Secunda, *Quòd ventris ingluuies ad luxuriam facilè prouocat, & omne opus bonũ diſſoluit; vnde, & venter, & genitalia ſibimet ipſis vicina ſunt, vt ex vicinitate membrorum confœderatio intelligatur vitiorum*. Tertia, quia Nabuzardan Princeps Coquorum *4. Regum vlt. iuxta ſeptuaginta interpretes, muros Hieruſalem deſtruxiſſe legitur, quia venter, cui multitudo coquorum deſeruit, ædificia virtutum ad ſolum redigit*. Concludit deniq; textus. *Sacerdos itaq; de altari viuat, ideſt ſola neceſſaria habeat, vt Gloſſa, ad victum, & veſtitum. Cap. Epiſcopus 12. q. 1. vbi Gloſſa. verb. non luxuriari*.

13 *Non Percuſſorem ad Timoth. 3.* nec etiam lingua nè iurgetur, nè conuitietur, Chryſoſtomo interprete; nè ſæuiat, nè ſit crudelis in domeſticos, vel ſubditos: *Percuſſorem*, ait *Hieronymus, Epiſcopum ille condemnat Chriſtus, qui dorſum poſuit ad flagella, & maledictus non maledixit; vt in diſt. 45. ſub initio*.

14 Non *litigioſum* ex eodem ibidem: græcè ἄμαχον, ideſt alienum à pugna, non tam verberum, quàm verborum, vt modò dicebam, & abſque iurgio, *Hierony. interprete lib. 1. contra Pelagian.* qui ad Oceanum docet, quã lites dedeceant Epiſcopos, dum in ruſticos inuehitur Prçſules; *Nihil impudentiùs eſt*, inquit *arrogantia ruſticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ſemper ad lites in ſubiectum ſibi gregem tumidis ſermonibus ſonant*. Hinc liquet, quàm deſiderandi ſint Nobiles in Epiſcopos, vt nos *lib. 2. diſp. 6.* docuimus: Adde diuinam *cap. 1. diſt. 46.* exaratam doctrinam, & videndam: legendus præterea *Turrecremata ad principium citatus diſt. 46. & Diuus Thomas 2. 2. q. 116. artic. 1.* doctè explicans quid litigium ſit, quippe quòd peccatum ortum nonnunquam habet ex defectu amoris, animos vincentis, ac pertinens ad diſcordiam caritati contrariam; quandoque verò contradictio imbibita in litigio ratione oritur perſonæ, quam quis triſtitia afficere non veretur, atque affabilitati opponitur, cuius eſt delectabiliter cum alijs conuiuere, vnde *Philoſophus 4. ethicor.* dicit *Eos, qui ad omnia contrariantur, cauſa, cuius, quod eſt contriſtare, nec quodcumq; curantes, diſcolos, & litigioſos vocari*. Cauſas verò litigij probè tradit *Sebaſtianus Medice de prom. Epiſcop. cap. 10. verſ. ſecundum notandum, ac deinceps*.

15 Non *Cupidum* græcè ἀφιλάργυρον alienum ab argenti cupiditate: & ſanè quàm turpe hoc ſit lucrum clericis, nè dum Epiſcopis, docent ſacri Canones *1. q. 2. cap. ſi quis, & 17. q. 4. cap. Alias*: igitur Epiſcopus & ſe, & ſuos ditare non ſatagat, ex multis, quas canonũ tranſgreſſoribus imponit pœnas; quique auarè frumentum, at decimas non recondat, expectans annonæ caritatem, vt pluris diuendat; denique qui ex mercium, aliarumque rerum indecentium, & ſordidarum commutatione, aut negociatione lucrum non aucupetur: ita *Patres Antiocheni Concilij apud Euſebium lib. 7. hiſtoriar. cap. 23. & 24.* grauiter accuſant Paulum Samoſatenum Antiochiæ Epiſcopum, & hæreticum, quòd antea vili, ac pauperi loco natus, vel à litigantibus per fraudes, & dolos pecunias extorſit, ijſque ſe ditauit. lege *Turrecrem. ad principium diſt. 43. & ad cap. Bonorum 47. diſt. & cap. Virum eadem, & cap. ſicut eadem, ac deinceps*.

16 His declaratis vitijs, quas Apoſtolus requirit præcipuas in Epiſcopo virtutes perpendemus.

Sobrium itaq; deſiderat primo loco Præſulem *ad Titum verſ. 8. & 1. ad Timoth. verſ. 2.* vbi græcè νηφάλιον, tam ſobrium, quàm vigilem; & quidem ſobrietati ſedulò vacandũ eſt Epiſcopo, cuius eſt populum docere, nã vt *Diuus Hierony.* admonet *Epiſt. ad ſecundũ*, & habetur *35. cap. Eccleſiæ. Nonnè ignominia, & confuſio eſt, Ieſum Crucifixum pauperem, & eſurientem fartis prædicare corporibus? & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumulentiaq; ora proferre?* Et quidem ſobrietas potiori titulo, quàm in alijs, deſideratur in Epiſcopis ex *Diuo Thom. 2. 2. q. 149. art. 4.* ratione finis, ac proprij muneris, cum vinum, atque intemperantia vſum rationis impediat, mentemque hebetet, auocetq; à diuinis, & à prudentia, inducatq; nuditatẽ virtutũ, & contẽptũ ex *Abacuc 2. & ex Hierony. in epiſt. ad Oceanũ*: nec non ratione ſcãdali, quod fugere maximè tenẽtur Epiſcopi.

Vigilem etiam, cum mater vigilantiæ ſobrietas ſit, ſic *Iacobus Patriarcha Geneſ. 31. verſ. 39.* ſic Paſtores, quibus diuinum dominicæ natiuitatis myſterium

tebitiatum eſt, hanc vigilantiam Epiſcopi nomen expoſtulat *cap. 1. diſp. 1. noſtri t. lib. Blanditur*, inquit, *Bernard. lib. 2. ad Eugen. cathedra ſpecula eſt, inde ſuper intendens, ſonans tibi Epiſcopi nomine non Dominum, ſed officium*. Hinc reliquis dormientibus Apoſtolis, Petrus, cui datæ ſunt claues Regni Cœleſtis, Chriſti Vicarius, Epiſcopus Epiſcoporum ſomnolentiæ, ac ſocordiæ ſolus accuſatur, atque à Domino redarguitur *Simon dormis? Marc. 14.* ſi enim oculi, qui ſunt paſtores, dormiunt, reliquum corporis lethargo, veternoque ligatum profectò erit; quibus dormientibus inimicus Cacodæmon *ſuperſeminauit zizaniam in medio tritici Matth. 12.* & ratio reddenda eſt Summo Paſtori Chriſto *Ipſi enim peruigilant*, ait, *Apoſtol. 1. ad Hebre. 13. quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

17 *Prudentem* Qui ſana mente, iudicio, & cõſilio eſt, cùm Epiſcopalis cura è *Nazianz. apol. 1. ars artium, & ſcientia ſcientiarum videatur, hominem regere, animal, ſcilicet, omniũ maximè varium, & multiplex*, & cum omnes ſubditos in beatam conducere vitam ſuo ſtudio prò viribus teneatur Epiſcopus, hac, quam appellabat, auriga virtutum Sanctus Antonius, in primis indiget: nec ſolum, vt habetur *diſt. 39. initio*, oportet literarum peritia, verùm etiam ſecularium negotiorum diſpoſitione præditum eſſe, exemplo Chriſti, qui non modo ſequentes turbas ſpirituali cibo doctrinę, verum etiam corporalibus reficiebat alimentis. Hinc *Gregorius* Clero, ac Nobilibus Neapolitanis ſcribens *lib. 8. epiſt. 40.* & habetur *cap. Petrus 39. diſt. Petrus*, inquit, *Diaconus, quem à vobis electum aſſeritis, omnino, vt dicitur, ſimplex eſt, & noſtis, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum, verùm etiam de extrinſeca ſubiectorum vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſollicitus.*

18 *Ornatum, Ex Hieron. ad Oceanum*, Tullium ſecuto, ornatus vocatur, qui decorem ſeruat in motu, inceſſu, habitu & ſermone, itaq; idem erit ornatum aliquem eſſe, quod moribus compoſitum, vt etiam ex corporis decore tanquam è criſtallo radij reſplendeant compoſiti animi; *Amictus enim corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo Eccleſiaſt. 19.* quo circa in hunc Timothei locum docet *Sanctus Thomas*, Diuum Ambroſium nonnullos ordinare noluiſſe, hoc ſolo nomine, quod incederent diſſolutè. Accedunt *Sanctus Gregorius ho. 17. in Euang. & idem Ambroſ. lib. de dignitate Sacerdotali*, qui contra clericorum, ſacerdotum, atq; Epiſcoporum nonnullorum leuitatem, moreſq; incompoſitos inuehuntur, atq; à populis meritò eos deſpici, ac reijci ſcribunt; & quibus per *Malach. cap. 2.* ſic Dominus loquitur, *Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Leui: propter quod, & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis; & diſt. 41. cap. mox citando*, dicitur, *Ecce oportet illum eſſe ornatum in exterioribus habitu, videlicet, & inceſſu, vt nec fulgidis, nec ſordidis ſe veſtibus ornet*, nam vt ait *Hieronymus, nec affectata ſordes, neque exquiſita delitia laudem ponunt*, quemadmodum ſcribitur in *eadem diſt. in cap. Parſimoniã* & proſequitur *Turrecrem. diſt. 41. in principio.*

19 *Pudicum* ex Romana tranſlatione: de qua virtute pudicitiæ agitur *diſt. 43. Pudens, & à Diuo Thoma 2. 2. q. 151. art. 4.* Eſt enim virtus animæ ad caſtitatem ſpecialiter pertinens, exteriora potius ſigna reſpiciens venereorum, quàm ipſam veneream copulam, tametſi pro caſtitate nonnunquam ſumatur. Hic eſt ſcopulus vt latens, ita nocentiſsimus ad quem minùs cauti, aut ſibi blandientes, vel nimis fidentes, alliſi viri ſummæ perfectionis naufragium fecere caſtitatis, & nè caſtos mei lectoris offendam oculos, ſilentii velo arbitror inuoluẽdum nefandum, quod neq; nominare licet inter Chriſtos Domini, vitium deteſtabile flammis infernalibus, nè quidem ſodomiticis, immo vtrilq; & hic, & in Erebi baratro, combutẽdum; periculũ ſolum conſortio mulierum perpaucis indicabo. *Concilium*, itaq; *Carthaginenſe tertiũ Can. 25.* decernit, ne Epiſcopi, vel Clerici fœminas adeant, niſi coram alijs clericis, vel probatæ vitæ chriſtianis. Addo ex *Auctore libri de ſingul. cleric. qui inter opera extat Cypriani. Ipſi nos fallimus, quoties credimus inter maſculos, & fœminas caſtitatem immobilem cuſtodire. Difficile quis venenum bibet, et viuet; verendũ eſt dormienti in ripa, nè cadat, cum dicat Apoſtol. 1. ad Corinth. 10. qui ſe putat ſtare, videat, nè cadat; & vtilius eſt, infirmũ ſe homo cognoſcat, vt fortis exiſtat, quàm ſi fortis videri velit, infirmus emergat.* Et infra *De carbonibus ſcintillæ diſſiliũt, de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam, quam Salomon ſic comparat dicens, de veſtimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Tandam ad rem noſtrã in fine ita concludit, *ſic igitur ambulate, ſic agite, vt ſemper in clericis Eccleſiæ Senatus candidus conſtet: ſeueritas in vobis circa fœminas vigilet, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur.* Hinc Diuus Auguſtinus conſanguinearum, immo & ſororis fugiebat cõſuetudinem: aiebat enim Auctore *Poſsidonio cap. 26. in eius vita. Quòd etſi de ſorore, & nepotibus ſecum commorantibus nulla ſumi poſſet mala ſuſpitio, quoniam tamen illa perſona ſine alijs neceſſarius ſe-*

cumque manentibus fœminis eſſe non poſſent, & quod ad eas etiam aliæ, & foris intrarent, de ijs poſſe offendiculum, aut ſcandalum infirmioribus naſci. Quamobrem *Sancti Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi* conſilium præ oculis habeant Eccleſiaſtici, & præcipuè Prælules *in inſtruct. ad Florent. ſoror. à Brounero Societ. Ieſu edita cap. 2. Quiſquis vir, ſi ſanctus eſt, nullam tecum quærat familiaritatem, nè videndi ingitate, aut infametur vtriuſque ſanctitas, aut pereat.* & *Sancti Franciſci Xauerij,* quem ſçpe dicere accepimus, *mulieres minori fructu adiri, & maiori periculo, vel tentationis, vel ſuſpicionis ſiniſtra.* Sit itaque impollutus Epiſcopus inſtar Pontificis Chriſti *ex Paulo ad Hebræos* 17. græcè ἀμίαντος, ideſt illæſus, inuiolabilis, qui quidem ab igne cõcupiſcentiæ, mente, & corpore illæſam cuſtodiat puritatem, vt per *Iſaiam* 43. promittitur. *Cum ambulaueris in igne, non comburreris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Iſrael Saluator tuus,* qui quidem ſuos Epiſcopos ex amiãto lapide, ſaue flexili telis contextis induit, quæ igni iniectæ non ardent, ſed ſplendidiores exeunt, auctore *Dioſcoride lib. 5. cap. 113. & Plinio lib. 36. cap. 19.* quibus ornati Præſules, tametſi proximorum ſaluti incumbentes, varijs cum perſonis neceſſe ſit agere, Dei innixi gratiæ integri, ac puri ſemper perſeuerabunt; immo ſimiles filio Dei quaſi Angeli veſte amiantina tutabuntur ab igne babylonico, vt habetur *Danielis 3. ſicut* (inquit Leo Caſtrius è Sancto Athanaſio) *ex amianto lapide tela fiunt igne inuiolabiles, ita Beata Virgo agnum peperit, cuius glorioſo vellere facta eſt nobis veſtis immortalitatis, qua tecti nec igne comburi poſſumus, nec aquis concludi, aut vlla alia re, quin per omnia cruciamenta illæſi ad incorruptionem, & immortalitatem tranſeamus.*

20 Illud reliqui caput hoc expoſcit, vt quas ab Epiſcopo requirit erga proximos virtutes Apoſtolus, vel breui expendat. *Ad Timoth.* igitur *cap. 3. verſ. 3.* Epiſcopum deſiderat *modeſtum* græcè ἐπιεικῆ ideſt æquum; æquus autem à *Philoſ. 5. ethic. cap.* 10. dicitur, qui ſummum non perſequitur ius, in quo ſumma eſt incuria, ſed in partem propendit benigniorem, quæ æquitas dicitur, ac moderatio ex epijKia. Verùm cùm de regimine clericorum *tom.* 3. Deo dante dicturi ſimus, in eum huius virtutis diſputationem remittimus.

21 *Suæ domui benè præpoſitum*; ex œconomici enim regiminis aptitudine inditium probè ſumitur aptitudinis ad regimen politicum, atque eccleſiaſticum; qui enim propriam domum rectè moderatur, optimi ſpecimen Epiſcopi ſanè præbet; è contra verò, *Qui domui ſuæ præeſſe neſcit,* ait idem *Apoſtol. hic verſ. 5. Quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Hinc *Can. 18. Concil. Cartag.* præſcribitur, ne Epiſcopi præsbyteri, & Diaconi prius ordinentur, quàm omnes, qui ſunt in eorum domo, chriſtianos catholicos ipſi fecerint. Ad rem *Hieronym. ad Oceanum. Vult* (inquit) *Apoſtolus, Epiſcopum domum ſuum benè regere, non vt opes augeat; non vt regias paret epulas; non vt cçlatas patinas ſtruat, non vt phaſidis aues lentis vaporibus coquat, qui ad oſſa perueniant, & ſuperficiem carnis non diſſoluant, artificij inſtrumento, ſed vt, quod populo præcepturus eſt, prius à domeſticis exigat.* Caueant Epiſcopi culpabilem quemdam affectum, & incuriam *ex 1. Reg. 2. & 2. Reg.* 13. atque ad ſolatium perpendant *Auguſtini* verba *epiſt.* 137. *Quantumlibet vigilet diſciplina domus mea, homo ſum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quam arca Noe, vbi tamen inter octo homines vnus reprobus inuentus eſt; aut melior ſit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum eſt, eijce ancillam, & filium eius, aut melior ſit, quam domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.*

22 *Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.* Filios dixerim, in noſtra Eccleſia præſertim latina, nepotes, vel alia ratione propinquos. Vult igitur Apoſtolus ex moribus compoſitis ſiue liberorum, ſiue nepotum, ſiue conſanguineorum, propinquorum, aut domeſticorum Epiſcopi mores, Eccleſiæque benè regendæ facultatem æſtimaſi, eumque eligendum eſſe in Epiſcopum, qui coniunctos domeſticos optimè inſtituerit. Hinc *Sanctus Bernardus lib. 4. de conſid. ad Eugen. Intereſt* (inquit) *gloriæ ſanctitatis tuæ, vt, quos præ oculis habes, ita ordinati, ita ſint informati, quatenus totius honeſtatis, & ordinis, ipſi ſpeculum, ipſi ſint forma: inueniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas ſolliciti, circumſpecti, ſeſe cuſtodientes in omni caſtitate.* Mihi verò magni roboris ſemper fuit *Themiſtoclis* Athenienſium ducis aurea prorſus ſententia, qua vxori ardentiùs, pro filio neſcio quid petenti reſpondit, *Athenienſes Græcis, ego Athenienſibus, tu mihi, tibi filius imperat; vide ergo ne inſipiens omnibus Græcis imperet.* Videant igitur, & iterum, atque iterum caueant Epiſcopi, nè inſipientes familiares, ſeu propinqui, ſeu conſanguinei, aut nepotes fuerint Eccleſijs ſuis imperent, eoſque (quod Deus auertat) ad infernos deducant. Quod ſi omni vacare culpa nepotes, familiares propinqui, ac domeſtici noſtri

Præ-

Præſulis, à turpi luxuriæ nota maximè abhorrere debent, ex *Apoſt ad Titum c.1. verſ.6 Vt filij non ſint in accuſatione luxuriæ*; quamobrem ab Epiſcopis expoſcit idem Apoſtolus, ita vt caſtè ſuos educent, vt de contrario vitio notari, aut accuſari minimè poſſint; ſicut filij Heli Pontificis, olim accuſati meritò fuere; ideoque omnes Pontificatu, & vita per ſummam infamiam priuati ſunt 1. *Reg.*2. Hinc Apoſtolico præcepto obtemperans, vt cæteros breuitatis, ergo taceam, Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus, qua ratione nepotem Epiſcopum erudiuerit, admonitio ad eundẽ publicis conſignata monumentis, docet. Quid de meo Auunculo, quem honoris cauſa nominatum hic volo, quemque hominum fama in concilio cæleſtium collocauit Ioanne Baptiſta à Coſtantio Archiepiſcopo Colentino dicam? cuius obſequio adoleſcens antequam Rrligioni nomẽ dediſſem, ipſi præſtò fui, qui quidem puritatem adeò colebat, vt cum alioquin mitiſſimus eſſet, ſi fortè fortuna etiam iocoſum verbum, aliquo pacto indecorum à familiari quopiã audiret, vt ferox leo in hunc ita loquẽtẽ inuehebatur, ſeuerisque verbis animaduertebat.

24 Quòd ſi luxuria pro luxu ab Apoſtolo ſumatur, quod indicat textus græcus *ἀσωτία* docentque nonnulli maximè Præſuli curandum erit, nè domeſtici de luxu accuſentur in commeſſationibus, & compotationibus; diuinæ prorſus ſententiæ Vrbani Pontificis, & Martyris memores, quæ habetur in eius vita ac lectione, quam legit in eius die feſto Romana Eccleſia. *Ipſa res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alijs vſibus, quàm Eccleſiaſticis, & chriſtianorum fratrum indigentium, conuerti: quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonium pauperum.*

23 *Hoſpitalem* græcè *φιλόξενον* .i. peregrinorum amantem, & erga eos hoſpitalem; quæ quidem virtus Epiſcopo pro viribus neceſſaria eſt. Hinc *Sanctus Hieronymus ad Oceanum*, ſæpe laudatus, *Ante omnia* (inquit) *hoſpitalitas futuro Epiſcopo denunciatur; ſi enim omnes illud Euangelij audire deſiderant, hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me, quantò magis Epiſcopus, cuius domus omnium debet eſſe hoſpitium? Laicus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens implebit hoſpitalitatis officium; Epiſcopus, niſi omnes recipiat, inhumanus eſt.* Immò S. Gregorius ad Ioannem ſcribens. *Hoſpitalitatem* (ait) *neſciens, non fiat Epiſcopus*. quam quidem ipſe, Authore *Ioan. Diacono libr. 2. cap. 22. & 23. eius vitæ*, apprimè colebat. De hac virtute agitur *diſt. 42. cap. Hoſpitalitatis*, vbi octo probatur rationibus Epiſcopo neceſſaria, ac per reliquos textus modus oſtenditur hoſpitalitatis. Hinc hoſpitalitatis opera deſpicientes à *Gangrenſi Concilio cap. 11.* excommunicantur. Cæterum faſtigium deſideratæ perfectioni Epiſcopali imponat *Chryſ. homil 43. ad cap. 23. Matth.* & habetur *Cap. Multi 40. diſt. Videte ergo, quomodo ſedetis ſuper cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, ſed Sacerdos cathedram; non ſanctificat locus hominem, ſed ſed homo locum: non omnis Sacerdos Sanctus, ſed omnis Sanctus Sacerdos, &c.* quæ ibi legi poſſunt, atque in animo inſculpi.

Non *Neophytum* prętereà vult Epiſcopum Apoſtolus, de quo agemus *lib. 4. diſp. vltim. cap. vnic. num. 2.*

CAPVT II.

Non Religioſo Clerico præhabendus nè Religioſus ad Epiſcopatum?

SVMMA.

Quæſtionis ſtatus, num. 1.

Religioſus clericus non Religioſo præferendus eſt, n. 2.

Immenſus Religioſorum numerus, qui doctrina, & ſanctitate vitæ varias illuſtrarũt Eccleſias, num. 3.

Religioſi vitæ mixtæ, vitæ contemplatiuæ Religioſis præferendi ſunt, n. 4.

Nonnunquam ſeculares Clerici Religioſis prę feruntur, n. 5.

Si Parochi præſertim fuerint, vel Prælati Epiſcopis inferiores, n. 6.

Etſi magna cum cautela; optabile tamen eſſet multos Religioſos morũ probitate, ac ſciẽtia donatos in Epiſcopos eligi, num. 7. & 8.

HVius eſt loci, quam propoſuimus, quæſtionem expendere, cùm perſonam Epiſcopi ſuis abſolutam ornamentis adumbremus; ad quã ſuppono, probaturus infrà, *libr. 4. diſput. 1.* Religioſum ſtatum impedimento non eſſe ad Epiſcopatum ineundum.

1 Deinde noto, nos non de militibus Religioſis agere, neque de Monachis, qui Clericali militiæ ſacris ordinibus nõ initiati, nomen minimè dederunt, vt vſque ad tempus Euſebij, Zoſimi, & Syriaci dare minimè ſolitos fuiſſe habetur 16. *quæſt. 1. Cap. Hinc eſt etiam*; qui quidem, auctore *Hieronymo* ibi laudato, ſua, & aliorum peccata potius deflendi habent officium, quàm docendi, & & Chriſtianum paſcendi populũ, neque eadem de cauſa, de Religioſis conſiliũ eſt pertractare, qui ad actiuam vitam, Marthæ ſorte contenti, tantùm incumbunt, ſed noſtrã contrahimus diſputationem ad Religioſos, & quidem ſacris ordinibus donatos, vel mox donandos, contemplatiuam colentes vitam, vel mixtam, de quibus in dubium re-

uocari poſſet, prę ſtent nè alijs clericis, quibus ad infulam, cuius ſunt capaces ex Catholica ſententia, cæteris paribus, præhabẽdi ſint.

2 Prima aſſertio. Religioſus, per ſe loquendo, non Religioſo, cæteris paribus, ad Epiſcopatum præferendus eſt. Probatur primò, tum quia primi à Chriſto Domino Epiſcopi, immo & Apoſtoli omnes, quibus ſuccedere Epiſcopos, *lib. 1. diſp. 1. & 2.* docuimus, Religioſi fuere; vt docet *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 4. ad 3. & quæſt. 186. artic. 6. ad 1.* dum ait Apoſtolos ſequutos fuiſſe Chriſtum, tamquam immobiliter ei adhęrentes, & nunquam receſſuros, ex *Auguſtin. de conſonant. Euangel. libr. 2. cap. 17.* hoc etiam ideminet ſentit *Auguſt. epiſt. 89. quæſt. 4.* aſſerens Apoſtolorum exemplo, hãc ſe perfectionis Religioſi viam iniſſe s ad quam, vt conſtat ex eius vita *cap. 5.* factus Presbyter, monaſterium Eccleſiæ adiũctum extruxit, vbi cum Religioſis viris, iuxta regulam à ſanctis Apoſtolis traditam conuiuere cępit. Adſtipulatur *Chryſoſt. homil. 17 ad populum, & 17. & 69. in Matth.* necnon alij, quos citat, & ſequitur *Suarez tom. 3. de Religion. cap. 3. num. 9. & 10.* Tum quia cùm *cap. 3. præced. diſputat.* Theologum, & Chriſtianum Oratorem potiorem obtinere locum ad Epiſcopatum habendum diximus, cumque præcedenti etiam capite expenſarum virtutum religio ſchola ſit; hinc eſt, vt Religioſi ad Eccleſiarum regimen ſpirituale, meritò per ſe præſtantiores cenſendi ſint, quàm ſeculares Clerici, qui quidem in ſtatu perfectioris vitæ ex ſe minimè ſunt; vt probè *Diuus Thomas de perfect. vitæ ſpiritual. à cap. 20.* & ex multis doctè tradit *Suarius tom. 3 de Relig. libr. 1. cap. 17. numer. 3.* & gradum à Clericatu ad Religioſum ſtatum, vtpotè præſtantiorem, facere procul dubio poſſunt, nec à Prælatis impediendi *cap. Clerici 19. quæſt. 1.* Accedit *Sanctus Greg. epiſt. 40. ad Epiſcopũ Deſideriũ lib. 10. regiſtri, necnon Anſelm. epiſt. 10. ad Goffred.* Hinc etiam fit, ſtatum Religioſum, quò ſpontaneè magis, eò prudentiùs, & ſecuriùs, curam verò animarum à Parochis, quò magis coactè, atque ex pura obedientia, eò tutiùs ſuſcipi *ex Auguſtin. 19. de Ciuitat. cap. 19. Gregor. in paſtorali part. 1. cap. 8.* quæ omnibus curam animarum ineuntibus, quibus loquitur *Auguſt. epiſt. 48.* facilè applicari poſſunt.

3 Confirmatur hoc idem ex incredibili penè virorum ſanctitate ſimul, ac doctrina inſignium numero relato à *Hieronym. Plato de bono ſtat. Relig. lib. 2. cap. 25.* qui à religioſa diſciplina in lucem, atque ornamentum Eccleſiæ prodiit, ad præclaram hanc litterarũ virtutumque coniunctionem, ab Epiſcopali ſtatu maximè requiſitam, quam aptum Religioſum ſit inſtitutum, planè demonſtrant; quorum tanta fuit multitudo vt ſi ſummam eorum ſubducere quis vellet, qui Chriſtianam Rempublicam doctrinæ, ac ſanctitatis gloria illuſtrarunt, abſque dubio maximam inueniret partem fuiſſe Religioſorum. Ex numero etiam pene innumerabili ſanctiſſimorum, ac doctiſſimorum Prælatorum, quos Eccleſiæ peperit religio, hoc idem oſtendi poteſt; & quidem *S. Antonin. par. 3. tit. 23. c. 10.* ad ſuam vſque ætatem duntaxat anni 1445. ad quem vſque defluxerãt à cõfirmatione Religionis Dominicanæ ducenti circiter viginti nouem anni, ex ea centum, & viginti quinque profert, etſi neque omnes, ſed perpaucos ſe nominare affirmet, E Franciſcanis autem, quod non poſſum, nõ mirari, proximis ſeptuaginta annis, anno 2590. quo citatus *Hieron. Plat.* publicis cõſignauit notis laudatum librum, vt *ipſemet ait lib. 2. c. 29.* quorum conſtans potuit eſſe memoria, plures quàm centum, & octuaginta numerati ſunt. At ex Sanctiſſima, atque Illuſtriſſima Benedictina Religione *Tritemium* habeo accuratiſſimum, ac grauiſſimũ auctorem *lib 4. cap. 129. & 170.* aſſerentem quinque millia Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, eòque ampliùs promanaſſe, quorum nonnulli quanta fuerint doctrina, & sãctitate, luculenter refertur a *cit. Plato.* Omitto quamplures purpuratos: non paucos Sũmos Pontifices, qui ex Religioſis cœtibus ad totius Eccleſiæ clauum probè, ac prudenter regendum prodiere.

4 Sit ſecunda Concluſio. Cæteris paribus Religioſi vitæ mixtæ, vitæ contemplatiuæ Religioſis ad Epiſcopatum præferendi sũt. Ratio eſt, quia cũ Epiſcopi ſucceſſores ſint Apoſtolorum, vt ſuperiori concluſ. diximus, & Apoſtoli, primiq; Eccleſię Epiſcopi, nõ ad contemplatiuæ vitæ à Chriſto Domino, ſed ad inſtitutum mixtæ vocati ſint ex *Matt. 4. Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum: & Lucæ 9. Sine mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuncia Regnum Dei.* Cui miniſterio *Marci 10. & Luc. 18.* ſingulare promittitur pręmium, & à quo recedens quis, ineptus Regno Dei cenſetur, *Lucæ 9. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei.* Qui Religioſi hoc Apoſtolicæ vitæ ſectantur inſtitutũ, meritò alijs præferẽdi ſunt; quorũ quidem intereſt Chriſto cooperari ad ſalutẽ animarũ, qui finis erat Apoſtolicæ Religionis; duo, ſcilicet, ſibi vẽdicans, & orationẽ, & actionem, & contemplatiuã, & rationẽ agendi actiuã, Mariæ, ac Martæ ſorte declaratam *Act. 6. Nos verò orationi, & miniſterio verbi*

inſtan-

inſtantes erimus. Accedit, quòd quamplures horum Religioſorũ è proprio inſtituto ſacris litteris, ac Theologiæ ſtudiis enixè incumbere, animarum curæ omnibus viribus vacare, necnon experientia magiſtra, & vocationis gratia duce, artem nactos eſſe, fructuosè admodum agendi cum proximis.

5 Conſultò in prima concluſione dixi, per ſe loquendo, quòd aliter euenire poſſe, non inficior, idque vel ex parte Clericorum ſecularium, vel ex parte Religioſorum. Clericorum ſanè, quùm ex his nonnulli tanta rerum peritia, & ad regendas Eccleſias experientia ornati ſint, vt accedente ſcientia, morumque probitate, meritò Religioſis etiam doctis, regiminis tamen Eccleſiarum ignaris præferendi videantur.

6 Quod certius eſt de Prælatis inferioribus Epiſcopis, ac Parochis; cùm nonnulli ſint authores, qui hos in ſublimiori cenſeant eſſe ſtatu perfectionis; ex quibus ſunt *Henricus, Maior, & Gerſon*, quibus fauet, *Caiet. 2. 2. quæſt. 144. art. 6.6. ad obiectionem contra ſecundam rationem*. Et ratio eſt, quia ſtatus perfectionis exercendæ, de qua nos *libr. 1. diſput. 2.* egimus, eſt perfectior ſtatu Religioſo; ſed Curati, ac dicti Prælati, aliquo pacto, cenſentur eſſe in ſtatu perfectionis exercendæ; quippe paſtores ſunt, quorum intereſt verbo, & exemplo alios illuminare, purgare, atque perficere, ad quod præſtanti opus eſt virtute, atque ad vincendas difficultates maximo animi robore, ergo, &c. quod hoc altero rationis momento firmari poteſt, quia *Paulus 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.* quæ in Epiſcopis deſideratur, eximiam indicans ſanctitatem, nomine Epiſcoporum, presbyteros omnes, ac paſtores comprehendiſſe videtur. Illud autem exploratum habeo, horum Prælatorum, ac Parochorum ſtatum, quicumque ille ſit, perfectiora opera ex ſuo genere etiam iuſtitiæ requirere, quàm reliquorum Clericorum, & nonnullorum etiam Religioſorum virorum ſtatus, vt indicat *Diuus Thom. in Matth. 5.* & luculenter probat *Soarius tom. 3. de relig. lib. 1. in fine num. 6.*

7 Ex parte etiam Religioſorum contingere poteſt, vt poſthabeantur non Religioſis Clericis, tum quia, cùm nonnullæ ſint Religiones, vbi Religioſa quàmmaximè viget diſciplina, quarum alumni magno cum merito, vt infrà dicendum eſt, votum emittunt, non admittendi prælaturas; cum aliæ prætereà ſint, quæ in procurantes Epiſcopatus pœnam ſtatuerint; Religioſiores verò viri cæterarum Religionum, vt Deo, ac ſibi vacare poſſint, honores omninò fugere, ac declinare omnibus contendunt viribus, ad paucos dignitates ſpectare videntur, quas maximè vitandum eſt, nè nonnulli ambitiosè ſibi procurare conẽtur, nec vocati à Deo tanquam Aaron; Quamobrem cùm res paucorum in præſentia ſit Religioſorum, atque ex eis periculum ſit, nè ſuperbia, ac ſtudio Regularem ſubterfugiendi diſciplinam, curent in Epiſcopos eligi; ideo ſæpè ſæpiùs cõtingere facilè poterit, vt è ſecularibus Clericis, Prælatis præſertim Epiſcopo inferioribus probatæ vitæ, atque idoneæ ſcientiæ magis expediat, quamplures in Epiſcopos aſſumere, ac præferre ambitioſis, vel inexpertis viris Religioſis. E contra verò Regulares maiori humilitate, ac doctrina præditi, cæteriſque Religioſis virtutibus exornati, vtinam multi eſſent, qui ad Eccleſias regendas Diui Baſilij, Nazianzeni, Auguſtini, Gregorij, ac ſexcentorum Religioſorum ſanctiſſimorum Epiſcoporum imitatores eligerentur, etiam inuiti, ad maiorem Dei gloriam, & Reipublicæ Chriſtianæ bonum compellerentur.

Reliquum illud erat, vt expenderetur, an ſemper virtute, litteriſque præſtantior, infula donandus eſſet; at è re magis futurum arbitror, hanc quæſtionem in primum ſecundi tomi librum reijcere, vbi, quæ de electione diſputari ſolent, ex inſtituto tractanda ſunt.

DISPVTATIO IV.

Quæ potiſſimum cenſuræ impedimento ſint Epiſcopatui?

Superioribus Diſputationibus oppoſita Præſulatui perpendi ſcelera, Virtuteſque adumbraui ei perneceſſarias: hac maximè eidem officientes Eccleſiaſticas proſequar pœnas, & cenſuras.

CAPVT PRIMVM.

Maiori ligato excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto, num ad Epiſcopatus Sacramentum pateat aditus?

SVMMA.

Quæſtiones, quæ poſſent agitari, num.1.

Sermo eſt tam de excommunicatò vitando, quã non vitando, n.2.

Quicumque excommunicatus in Epiſcopum conſecraretur, validè quidem, ſed illicitè conſecraretur, n.3.

Poterit à culpa excuſare ignorantia, vel metus, num.4.

Si ſine obice culpa fuerit conſecratus excommunicatus, gratiam conſequetur, n. 5.

Excipiens Ordinis Epiſcopalis Sacramentum excommunicatus ſiue vitandus, ſiue non vitandus, ſuſpenſionem incurrit, numer. 6. & 10.

Solus Summus Pontifex poterit abſoluere ab aſſerta ſuſpenſione, vel Ordinarius, ſi ex delicto occulto. n.7.

Reijcitur ſententia Soarij, aliorumque Recentiorum, n.8.

Eſt communis aſſerta ſententia, quamuis nonnulli Auctores nomine ſuſpenſionis intelligant irregularitatem, n.9.

Hanc ſuſpenſionem non incurreret ſecretò ordinatus, etſi iuridicè ob falſam tamen cauſam excommunicatus, n.11.

Ab aſſerta ſuſpenſionis pœna excuſabit in foro interno ignorantia etiam craſſa, vel ſupina, num.12.

Explicatur Cap. Cum illud de ſentent. excommun. in 6 *num.13.*

Excuſat à ſuſpenſione vis, vel metus grauis, num.14.

Quando nefas omninò eſſet carere intentione Sacramentum Epiſcopalis Ordinis recipiendi, num. 15.

Suſpenſus, in Epiſcopum ordinatus, alteram non incurrit ſuſpenſionem, n.16.

Perſonaliter interdictus, ſi conſecraretur Epiſcopus, eſſet quidem ſuſpenſus, n.17.

1 Notandum primò, de præſulatu quæſtionem agitari poſſe, & quà Sacramentum, & quà beneficium: nos hic de eo, vt Sacramentum eſt tractabimus; quo ad titulum verò, & fructus deinceps acturi.

2 Notandum ſecundò, ſermonem eſſe tum de excommunicato vitando, tum non vitando, de quo, quæ poſſet eſſe varietas opinionum, e noſtris aſſertionibus liquidò conſtabit.

3 Prima concluſio, quicumque excommunicatus in Epiſcopum conſecraretur, validè, ſed illicitè conſecraretur. Aſſertio eſt certa; quòd (vno excepto Sacramento pœnitentiæ, de quo aliqua poſſet eſſe difficul-

tas,

ćas; nec non limitatione, quæ extremæ vnctioni adhiberi ſolet, nec mea hic intereſt expendere) cæterorum validitas ab Eccleſiaſticis minimè pendeat cenſuris; quorum applicata debita forma, ac materia, & deſiderata miniſtri, & ſuſcipientis intentione, reliqua neceſſariò perficiuntur. Hoc igitur Ordinis Sacramentum quo ad ſubſtantiam ab alia diſpoſitione ſuſcipientis minimè pendet, à qua independenter characterem, *vt 2. tom.* Deo dante dicemus, imprimit: neque reiterari poteſt, neque per cenſuram Eccleſiæ impediri, vt conſtans eſt Doctorum ſententia, & videre eſt apud *Soarium de cenſ. diſput. 10. ſect. 3. Auil. de cenſur. 2. part. cap. 6: diſputat. 3. dub. 4. ConincK diſp. 14. numer. 22. & in terminis habent varij Recentiores.* Quòd autem per ſe loquendo illicita hæc ſit conſecratio ex parte recipientis, qui quidem, vt ſic, peccabit mortaliter, ex generali deducitur regula, quam de excommunicato Sacramenta recipiente tradunt *Doctores in 4. diſt. 18. Diuus Thom. Diuus Bonauentura, Riccard. Palud. & alij apud Nauarr. cap. 27. num. 18. Couarr. in Cap. Alma mater 1. part. §. 6. num. 5. ex cap. Illud, & cap. Si celebrat, de Cleric. excommunic. miniſtr.* Et ex hoc præſertim anathematis effectu, omnium Eccleſiaſticarum pœnarum maximo, quo Sathanæ homo traditur, vocaturq; in *Cap. Nemo Epiſcoporum 11. quæſt. 3. æterna mortis damnatio.* Probatur præterea ex graui materia ſacrilegij, contra, quæ debetur, reuerentiam tanto Sacramento, vt probè *Caietan. in Summ. verb. abſolutionis impedimentum*, tum quia inobediens meritò reijcitur, vt indignus à potiſſimorum participatione Sacramentorum.

4 Poterit autem excuſare ab hac culpa ignorantia inuincibilis iuris, vel facti iuxta dicta *lib. 2. diſp. 4. cap. 4.* ac infra dicenda *Cap. 4. n. 10. 11. 12. et* 13. vel ex vrgēti neceſſitate ad euitandum graue damnum infamiæ, ſcandali, aut mortis, cuius metus probabilis à voluntaria ſaltem excuſat contumacia, vt probè poſt alios *Soarius de cenſur. diſp. 4. ſect. 3. num. 14. & diſp. 6. ſect. 3. n. 7.* dummodo non eſſet in odium, vel contemptum Eccleſiæ, metus incuſſus; vt conſenſus habet Doctorum. Neque eſt intrinſecè malum Sacramentum recipi ordinis Epiſcopalis ab excommunicato, vt nec facere Sacrum ex vi cenſuræ, vt docet idemmet *Soarius num. 8.*

5 Effectum autem gratiæ, ſi ſine alia culpa, & cū iuſta excuſatione cōſecrabitur in Epiſcopum, Excommunicatus abſq; dubio recipiet; quòd Sacramento non ponit obicem, quo remoto gratia non poteſt ab illo non conferri, neque ab Eccleſia impediri. Quòd ſi peccabit mortaliter, hoc recipiens Sacramentum, obicem ponendo, gratiam non obtinebit; quam verum recedente fictione conſecuturus ſit, non eſt huius loci.

6 Secunda aſſertio. Sacramentum Epiſcopalis Ordinis in excommunicatione maiori ſuſcipiens incurrit ſuſpenſionem ab eius executione; hoc enim ſpeciale eſſe in hoc Ordinis Sacramento, communis habet Doctorum ſententia, in materia de ſuſpenſione: quod etiam decernunt iura de hoc Sacramēto, in quo maior planè turpitudo, ac fœditas apparet, ſi ab excommunicato recipiatur; cum per illud miniſtris Eccleſiæ, præſertim Epiſcopis, iuriſdictionis, atque ordinis claues cōmittantur. Quamobrem rationi valdè conſentaneum erat, vt, qui in earum contemptum initiarentur, peculiari ſuſpenſionis pœna punirentur; & quamuis inter Doctores diſceptatio ſanè ſit, an hæc aſſertio, vt ad omnes ordines latè patens, ſatis probetur, ex *c. 1. de eo qui furt. ordin. ſump. & ex 1. & 2. de Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui*, ab omnibus tamen ſufficienter cōprobari cenſetur ex *c. cum illor. de ſent. excomm.* vbi, tametſi loquatur textus de excommunicato ob violentam in clericum manus iniectionem; verùm cùm definiendo Pontifex vniuerſali vtatur loquendi ad omnes excōmunicationes maiores apta forma, accedente communi Doctorum ſenſu, haud ſupereſt dubitandi ratio.

7 Ab hac autem ſuſpenſione ſolùs poterit ſummus Pontifex abſoluere *Cap. Cum illorum de ſent. excomm. & ſeſſ. 24. Trident. cap. 6.* Si autem contracta fuerit ex delicto occulto, ab Ordinario etiam poterit tolli; in quo caſu ſecum medio ſuo confeſſario diſpenſare integrum erit eidem Ordinario conſecrato vt *lib. 2. cap. 4. à num. 13:* diximus.

8 Nec ab aſſerta propoſitione me remouet, quod *Soarius innuit in contrarium de cenſur. diſp. 13. ſect. 1. num. 58. quem Recentiores ſequuntur*; nam præter ea, quæ *aſſert. 5. ac deinceps* dicenda ſunt, maximè hanc veritatem corroborantia, *& tom. ſequenti* docebimus per conſecrationem Epiſcopi verum conferri ordinem, quamuis in odioſis non comprehendatur Epiſcopus, ſecus tamen ſe res habet in fauorabilibus: hanc autem pœnam, vt à ſimili *num. 1.* dixi fauorabilem arbitror eſſe dignitati præſulatus. Probatur deinde, quòd hæc ſuſpenſio non in Epiſcopum, vt ita dicam in facto eſſe ſed in fieri, ſancitur, ideſt in perſonam, quę Præſulatus antequam ordine ſit inſignita, ſi excommunicationis vinculo catenata fuerit, inhabilis ad tantam habeatur dignitatem, officium, beneficium, atque Ordinem; talem quippe aſſertum ab

Emi-

Eminent. Bellarmino tom. 3. lib. vnico de Sacram. Ordin. cap. 5. Vazq. tom. 2. in 3. part. diſp. 240. cap. 3. Valent. tom. 4. diſp. 9. quaſt. 1. punct. 4. Emanuel Sà verb. ordo num. 1. ConincK diſp. 20. dub. 2. nume. 9. & alijs apud hos, quibus conſequenter vobiſcum ſentiendum eſt.

9 Ex auctoribus autem, qui abſolutè aſſertam cōcluſionē ad omnes ordines ſe extendentem amplectuntur, nonnulli, vt *Nauarr. Syluest. Sayrus, Henriq. Auila, Tolet. Valentia, & alij*, quam nos dicimus ſuſpenſionem, irregularitatem appellant: alij verò, quibus manum damus, eam ſuſpenſionem probabiliùs vocant, cuius proprium munus eſt ab exequutione officij, vel ordinis remouere; hi autem ſunt *Soarius laudatus*, ConincK *de Sacram. diſp. 14. num. 32. Alterius tom. 2. diſp. 10. cap. 6. Bonacin. de ſuſpenſ. diſp. 3. pun. 6. propoſit. 1. num. 1. apud quos alij*.

10 De quocumque excommunicato locùtum me, nec pœnitet; cum nullum hoc loco habendum eſſe diſcrimen cenſeam inter excōmunicatum vitandum, & non vitandum, etiam occultum, cùm quo ad hoc antiquū vigeat ius, neq; per *Extrauagātē. Ad euitāda*, deſumptam *ex Concil Baſil. ſeſſ. 20.* quæ ab vſu Eccleſiæ comprobatur eſſe Pontificis, vt probè *Soar. diſput. 9. de cenſur. ſect. 2. à n. 1. ac deinceps.* fauor vllus ipſi ſit excōmunicato, qui licèt occultus ſit, à receptione tamen cuiuſcumque tenetur Sacramenti ſe abſtinere, alioquin, magnus ſubreperet contemptus cenſurarum; quòd ni ad huiuſmodi obligaretur pœnas, nomine potiùs, quàm re, talis habendus eſſet, vt probè notant *Azor 2. par. lib. 6. cap. 7. quaſt. 8. Soar. de cenſur. diſp. 10. ſect. 1. num. 4. Abbas cap. Poſtulatio de cler. excom. miniſt. num. 4.*

11 Illud autem haud inficior, quòd, ſi quis ex cauſa in re falſa, iuridicè tamen probata, iuridicè etiam excommunicatus eſſet, & ſecretò Sacramentum Epiſcopalis ordinis ſuſciperet, talem ſuſpenſionem non incurreret. Ratio eſt, quia talis excommunicatio in foro ſaltem interno, nullius eſſet momenti, vt ſentio cum Auctoribus *ſeq. cap. citandis num. 3.* quare ſicut taliter excommunicatus poſſet Euchariſtiam ſumere; vel interdictus audire miſſam poſſet in ſecreto, vel vbi ignoratur eius cēſura, vt laudati Doctores aiunt, præſertim *Soarius diſp. 4. de cenſur. ſect. 7. nu. 14.* & ſuſpenſus cum eadem cautela facere ſacrum; ſic à pari poterit hic cum eadem, Sacramentum ordinis ſuſcipere, neque aliam haberet obligationem, quàm in publico hæc non obire; obligationem inquam ortum proximè ducentem ab euitatione ſcandali, ad quam tenemur; quatenus contrarium contra obedientiam videretur eſſe Eccleſiæ, cui, ſi talis cenſura publicè contemneretur, profectò non parùm derogaretur; quamobrem etſi per ſe, ac directè poſſet illum iudex punire, qui cenſuram in foro externo iuſtam tranſgreditur, etiam tranſgreſſione occulta, ad illum tamen deducta, & probata; ſimpliciter, & realiter tamen non poteſt illa tranſgreſſio pœna affici, quippe eſt cenſuræ re vera nō exiſtentis, neque vim, niſi per accidens habentis; quia nimirum de ipſius nullitate iuridicè minimè conſtat. Immo tametſi publicè, & cum ſcandalo huiuſmodi excommunicationem violans quis ordinaretur, neque etiam tunc ſuſpenſionem in foro interno reuera incurreret, cum huiuſmodi Violantem cenſuram, quæ iure talis non eſt, pœnas minimè ſubire à iure impoſitas, contra tranſgreſſores realis eiuſdem cenſuræ probabilior ferat opinio, quam ſequitur *Soar. citatus num. 20.* vel quia hic reuera non eſt excommunicatus; vel quia illa excommunicatio valde imminuta eſt, atque imperfecta in ordine ad effectus inducendos, & per conſequens tranſgreſſio imperfecta, ac diminuta minimè obnoxia erit pœnis in abſolutos tranſgreſſores ſancitis. In foro autem externo, vt ſuſpenſum habere ſe deberet, vti etiam ſi in iudicio condemnaretur, quamuis reuera talis non eſſet; in quo diſpar videtur eſſe ratio à receptione beneficij (quam cum non tradat *Soarius citatus*, videtur ſibi non nihil deeſſe) eſt igitur, quia non poteſt iudex aliquem excommunicatum declarando irregularem, ob celebrationem, re vera facere irregularem; quòd irregularitas nota eſt eius perſonæ, quæ illa afficitur; at verò ad publicum bonum, regimenque Eccleſiæ iudicare nullam, vel potiùs nullam facilè poteſt ex tunc reddere electionem, ab alijs factam perſonæ ad beneficium, quo quamuis abſolutè illa eſſet capax, irrita tamen per iudicem ob dictam cauſam electio, vel collatio, ſeu actus ſecundus talis habilitatis cenſebitur, quatenus ex perſona eligente, & conferente pendere videretur; ac proinde, excommunicatione re vera in foro externo non exiſtente, collatio, vel electio ad beneficium excommunicati, dum declaratur nulla, vt *ſequenti cap. num. 6.* dicemus, non modò in eo foro nulla cenſenda erit, ſed etiam realiter, & abſolutè: verùm excommunicatus huiuſmodi, ſi Sacramentum reciperet ordinis Epiſcopalis, quamuis declararetur, & habendus eſſet in foro externo ſuſpenſus ab eius exequutione, re vera tamen in dicto caſu non eſſet. Quòd ſi ex hoc incommoda atque abſurda ſequerentur, quæ in alio caſu dicemus *cap. ſequenti num. 6.* tunc conſequenter aſſerendum eſſet, etiam remanere hunc ſuſpenſum

ab

ab exequutione ordinis, non quòd inhabilis videretur ad eam, ſed quòd actuale exercitium impediretur ad melius Eccleſiæ regimen, eademque de hac ſuſpenſione ab executione ordinis eſſet ratio, ac de ſuſpenſione à beneficio recipiendo, & diſpar, ab irregularitate, vel alia ſimili pœna, ex qua dicta abſurda minimè ſequerentur, & quæ protſus ex parte perſonæ irregularis, vt eiuſdem notæ ſe haberent,

12 Tertia concluſio, à tali pœna excuſabitur quis in foro interno ob ignorantiam craſſam, vel ſupinam, de qua nos egimus *lib. 2. diſp. 4. cap. 4. & infra iterum cap. 4.* non nihil dicemus; quæ tamen non præſumitur in foro externo: Primam partem deduco *ex Innoc. cap. 1. de ſchiſm. Panorm. in Cap. Veritatis de dolo, & contum. num. 46. Caſt. lib. 2. de leg. pœnal. cap. 15. Nauarr. in ſumm. cap. 21. num. 241. & alijs, quos laudat, ac ſequitur Soar. de cenſ. diſp. 31. ſect. 1. num. 59. Bonac. de ſuſp. diſp. 3. punct. 6. prop. 1. num. 5.* qui quidem de quouis ſacro ordine, quo excommunicatus ignorans initiaretur, loquuntur. Probatur, quia vel hæc ſuſpenſio tanquam pœna imponetur, vel tanquam inhabilitas: ſi primum, igitur prærequirit culpam, & hac per ignorantiam, vel inaduertentiam, ceſſante, vt adæquata cauſa, illa minimè cõtrahetur, & ceſſabit per *Cap. Apoſtolicè de cleric. excomm miniſt.* ſi ſecundum, gratis ſanè, ac ſine textu aſſereretur; textus enim, qui afferri ſolent, vt probè *Couarr. in Cap. Alma mater part. 1. §. 6.* vel hac de re non loquuntur, vel culpam ſupponunt, indicantes, hanc, de qua tractamus, ſuſpenſionem veluti pœnam imponi; ſic textus de eo, qui furtiuè ordinem ſuſcepit *diſt. 64. Extra conſcientiam, & 24. Quando.* Culpam manifeſtam furtiuæ promotionis indicant, reliqui etiã textus pariter de promotione loquuntur contra prohibitionem ſub anathematis pœna impoſita: quamobrem *Condignum* (ait) *in vtroque caſu*, Pontifex, *imponendam eis furtiuè, vel clandeſtinè ordinatis pœnitentiam.*

13 Secunda pars de foro externo probatur ex *Cap. Cum illorum de ſent. excom.* quòd quidem in foro externo ita explicatum volo, vt, qui ſcienter, & in contemptum ordinati ſunt, in excommunicatione ſuſpenſi ſint, vt ibi §. *autem*, reliqui verò ignorantes, ſi craſſiſſima fuerint ignorantia ordinati &c. ignorantia inquam æquiualenti ſcientiæ, & contemptui, ſuſpenſi quidem etiam maneãt, verùm ſpem diſpenſationis habeant, cùm quæcumque illa fuerit ignorantia, culpam aliqua ratione minuat; ſic dictum Capitulum tacitè interpretari videntur *Nauarr. in ſum. cap. 27. num. 151. Soar. citatus num. 59. in fine Bonac. laudatus diſp. 3. punc. 6. propoſit. 1. num. 2. in fine.* Etenim in facto graui, vt eſt violenta manuum iniectio in clericum, & in iure tam manifeſto excommunicationem contra talem percuſſorem imponente, non præſumitur probabilis, & excuſans ignorantia, vt probè ibi *Hoſtienſ. & Abbas num. 15.* vel à culpa, vel à cenſura præſertim in foro, de quo loquimur, contentioſo. Poteſt confirmari à paritate illorum, qui ignoranter ordinantur ab Epiſcopo excommunicato, hæretico, ſchiſmatico, &c. quos quidem non incurrere ſuſpenſionem inter cæteros probat *ConincK. de ſuſp. diſp. 15. dub. 5. à n. 32*

14 Quarta concluſio, à pœna, quam expendimus ſuſpenſionis, excuſari poterit excommunicatus, qui per vim, vel metum grauem iuxta dicta *num. 4.* in Epiſcopum ordinaretur; ſic *Sylueſt.* qui generatim loquitur, *verb. irregularitas §. 9. quæſito 7. nec non Soar. diſp. 31. ſect. 1. num. 6. & alij apud Bonac. ſæpe laudatum num. 2. §. limitatur.* Ratio eſt, quia, vt *num. 4.* dicebam, metus grauis à mortali peccato contra eccleſiaſticam prohitionem excuſat, & conſequenter à cenſura; etenim tanto cum rigore non obligat Eccleſia, eis tamen, quas *loco citato numer. 4.* attulimus, limitationibus adhibitis.

15 Nec poſſet quis in hoc, quem præ manibus habemus, caſu exteriùs epiſcopalem ſubire ordinem, & interiùs intentionem eum ſuſcipiendi non habere, quia, vt notauit *Soar. citatus nu. 60.* maius tunc ſacrilegium committeret contra intentum Eccleſiæ, illam ſuſpenſionis pœnam ad irreuerentiam à Sacramentis auertendam imponentis; & ne Sacrum adiret ordinem cum eius, & cenſurarum Eccleſiaſticarum contemptu excommunicatus.

16 Ex dictis colligo, eandem non eſſe rationem de ſuſpenſo quidquid in contrarium dicant *Couarr. Cap. Alma mater part. 1. §. 6. & num. 6. Maiol. lib. 4. cap. 43. Alterius tom. 2. diſp. 10. cap. 6.* & ratio eſt, quia nullum afferri poteſt ius, quod talem ſuſpenſionem, vel irregularitatem (vt eam alij appellant) in ſuſpenſum ingerat, qui ordinem ſacrum ſuſcipit, vt optimè probat *Auila 7. part. diſput. 9. ſect. 2. dub. 6. concl. 4.* Confirmatur quòd effectus ſuſpenſionis non eſt priuare receptione, ſed actiua executione ordinis; quamobrem ex pura receptione ſacri ordinis epiſcopalis, altera non incurritur ſuſpenſio, & ita de quouis ſentiunt ordine ſacro, vt recepto, quod dixi ad excludendum ſacerdotium, in quo, cum celebret ordinatus, vt poſt alios notant *Auila citatus Bonac. de irreg. diſp. 7. quæſt. 3. punt. 3. n. 3. & de ſuſp. diſp. 3. quæſt. 1. punt. 6. prepoſ. 1. num. 2.* incurrit hanc cenſuram non quà recipiens, ſed quà celebrans.

57 Colligo ſecundò, ex hac poſtrema, quam modo dixi, ratione, perſonaliter interdictum, qui conſecraretur in Epiſcopum, ſuſpenſionem incurrere, ſeu irregularitatem. Ita *Nauarr. cap. 27. num. 242. Henriq. lib. 13. cap. 43. num. 3. & lib. 14. cap. 6. num. 4. & Auila part. 7. diſp. 9. ſect. 2. dub. 6. concluſ. 5.* quem immeritò pro ſe citat *Bonac.* Ratio autẽ eſt, quia ſicut Excommunicatus priuatur receptione ordinis, ſic etiam perſonaliter interdictus; quamuis, cùm expreſſus textus non habeatur de hac ſuſpenſione, in perſonaliter interdictum lata, non videtur adeò certum corollarium hoc, vt præcedens, neque probabilitate contrarium carere, quod, vt indicaui, amplectitur *Bonacina*.

CAPVT II.

Num Epiſcopatus beneficio maior excommunicatio, ſuſpenſio, vel interdictum impedimento ſint?

SVMMA.

Quæſtionis ſtatus. num. 1.

Nomine beneficij, Epiſcopatùs comprehenditur. num. 2.

Formula indefinita æquiualet vniuerſali. num. 3.

Epiſcopatus collatio, facta excommunicato maiori excommunicatione, eſt inualida. num. 4.

Suſpenſio ab officio ſæpe eſt connexa cum ſuſpenſione à beneficio. num. 5.

Quando quis ex cauſa iuridicè probata, ſed falſa excommunicatur, in re incapax non eſt beneficij. num. 6.

Etſi abſolutione ex negligentia, vel contemptu prætermiſſa beneficium occuparet. numero 7.

Quid cenſendum ſit de hoc excommunicato in foro externo. num. 8.

Etſi probabile ſit, promotionem ad Epiſcopatum ſuſpenſi ab officio eſſe nullam, probabilius eſt eſſe tantum irritandam. num. 9.

Dummodo fuerit totaliter, ac abſolutè ſuſpenſus. num. 10.

Promotio perſonaliter, & abſolutè interdicti non eſt irrita, ſed irritanda. numero 11. & 12.

Effectus perſonalis interdicti non neceſſario ſunt connexi num. 12

Ignoranter excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus ex communi ſententia inualidè in Epiſcopum, Prælatum etiam religioſum, vel aliam dignitatem etiam legati promouetur. num. 13. 17. 18. & 19.

Contraria ſententia rationis robur aliquo pacto datur, num. 14.

Exercẽs munus publicum, etſi laboret defectu occulto, quomodo eius acta ſint valida. num. 15.

Impedimento iuris diuini non ſuffragantur communis error, & titulus putatus. numero 16.

Excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus ignoranter etiam inhabilis eſt ad munus Vicarij, & Gubernatoris Epiſcopatus, nec non & Compromiſſarij. num. 17. 18. 19. & 20.

Dummodo in litteris non ſit clauſula abſolutionis ad hunc effectum. num. 22.

Quarum litterarum impetratio ſine hac clauſula eſſet etiam nulla. num. 21.

In Epiſcopum eligere, vel præſentare excommunicatum, graue peccatum eſſet. numer. 23.

Papa ſcienter promouens excommunicatum &c. cenſetur cum eo diſpenſare num. 24.

Poterit abſens à cenſura abſolui ad promotionem. num. 25.

Excommunicatus bona fide promotus beneficio tenetur, ſe abdicare. num. 26.

1 EXpoſita cum Epiſcopatu, vt Sacramentum eſt, oppoſitione, quam habent maior excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum; deinceps de eiſdem illi oppoſitis, vt beneficio, dicendum eſt.

2 Ad quod notandum cum omnium Doctorum votis ex *Cap. Poſtulaſtis de cleric. excomm.* exploratum ſit maiorẽ excommunicationem ad obtinenda beneficia impedimento eſſe, quam ſententiam varijs expendere concluſionibus in præſentia mihi animus eſt, vt certum habendum etiam reor, nomine beneficij in *cit. canone* Maiora etiam (vno Summo Pontificatus excepto) venire, inter quæ Epiſcopatus numeratur; tum quia vniuerſaliter canon ille loquitur, neque Doctorum conſenſus aliquam adhibet exceptionem: tum quia formula vtitur indefinita; quippe quæ vniuerſali æquiualet, vt deducitur è *Gloſſa Cap. Vt circa ſub initio, verb. aliorum de elect. in 6.* à Doctoribus maximè commendata, & ea potiori ratione, quòd Canonis propoſitio cum ſit negatiua, omnimodam continet diſtributionem, quia negatio omnia dextruit, quemadmodum ex *Cap. Cum bona de ætat. & qualit.* colligitur; & meritò à Philoſophis dicitur malignantis naturæ. Confirmatur præterea à for-

fortiori; nam qui ad minora beneficia maiori fit inhabilis excommunicatione, abſq; dubio ad maiora ineptior fit: & quamuis Epiſcopalis dignitas ſub generalibus beneficiorum verbis in odioſis non veniat ex *Cap. 2. adiuncta Gloſſ. verb. dignitatum de præbend. in 6. Gonzal. ad reg. 8. cancell. Gloſſ. 5. in Principio num. 30. & alijs apud Barboſ. de offic. & poteſt. epiſc. part. 2. alleg. 1. n. 17. in fine*, quod maxime conſonat doctrinæ à nobis traditæ *lib. 1. cap. 1.* verùm, vt ibidem indicauimus, in fauorabilibus aliter ſe res habet; huius autem diſpoſitionem canonis Epiſcopatui fauorabilem eſſe cenſeo, cuius dignitati quàm maximè conſulitur, dum excommunicati ab ea reijciuntur; ſubſcribunt huic notabili *Soar. de cenſ. diſp. 13. ſect. 1. num. 4. ac Leſſius de benefic. lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 116. verſ. notandum ſecundò.* Romanum Epiſcopatum, ac Summum totius Orbis Pontificatum meritò excluſi, qui quidem ab ipſo Chriſto Domino ei confertur, qui ſecundùm formam in Eccleſia receptam ab Emin. Cardinalibus electus ritè fuerit, etiamſi excommunicatus, ſuſpenſus, aut irregularis eſſet, vt colligitur *ex Cap. licèt de electione* per ea. *Ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia pro Romano Pontifice habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuit, & receptus*, ex quibus vllam ei obeſſe cenſuram priorem, vel propriam, vel Cardinalium eligentium manifeſtò ſequitur, idque ad extinguendas occaſiones ſchiſmatum, quæ funeſtæ ſunt Eccleſiæ Catholicæ faces.

4 Prima aſſertio. Epiſcopatus collatio inuoluens electionem, præſentationem, & nominationem facta maiori excommunicatione innodato, inualida eſt. Ita communis habet ſententia de collat. benefic. excommunicato facta; cùm autem nomine beneficij maiora comprehendi præcedenti numero probatum ſit, vt ad Epiſcopatum ipſum etiam contracta, præſens concluſio videtur pariter communis *Theologorum 4. diſt. 18. Riccard. præſertim art. 7. q. 4. Palud. q. 4. Antonin. 3. part. tit. 24. Sot. 2. 2. q. 91. art. 4. Soar. de cenſ. diſp. 13. ſect. 1. num. 2. Leſſ. de benefic. lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 116. Auil. de cenſ. 2. part. capit. 6. diſp. 5. dub. 2.* Accedunt *vtriuſque Iuris Doctores in dicto Cap. Poſtulaſtis, vt Abbas num. 1. & alij. Couar. Cap. Alma mater, part. 1. §. 7. Nauarr. Cap. ſi quando de reſcript. excep. 9. & in ſum. cap. 27. Flamin. de reſignat. lib. 4. q. 33. à num. 44. Nicol. Garz. part. 7. cap. 13. & alij Recentiores.* probatur ex textu *Cap. Poſtulaſtis*, vbi per ea, *Neq; illi valent ea licitè retinere*, atque ex ratione, qua id ei vetitum eſt, *Cum ea non fuerint canonicè conſequuti, adiuncta Gloſſa*, ex quibus nullam eſſe hanc collationem manifeſtò deducitur; addo præterea congruentiam huius pœnæ; quia maioris ligatus excommunicationis vinculo, ab omni cum ſit Eccleſiaſtico ſuſpenſus officio, inhabilis meritò redditur, ne beneficio donetur, quod propter officium præcipuè confertur. Cõſultò congruentiam hanc dixerim, nè connexa quis ita cenſeret officium, ac beneficium eſſe, vt ſuſpenſionem ab vno dari poſſe, ſine altero non arbitretur, quod aliter ſe habere infra *cap. 3. num. 21.* aſſerendum eſt; ſolùm igitur rationi conſonum eſſe iudicamus, vt qui officio penitùs priuatur, etiam, & beneficio careat. Quod autem hæc collatio, vt electionem, & præſentationem imbibens, ſit irrita, docetur paſſim à Doctoribus, & videre eſt apud *Gloſſ. in Cap. vlt. per textum ibi de elect. lib. 6. Azor. inſtitut. part. 2. lib. 6. cap. 7. quæſt. 8. Leſſium citatum num. 116. verſ. notandum primò;* Couarr. in Cap. *Alma mater part. 1. §. 7. num. 1. & 2. Lambert. part. 1. lib. 2. quæſt. 9. art. 10. alioſque Recentiores*, & ratio eſt eadem. Num autem hęc aſſertio extendẽda ſit ad poſtulationem, pẽdet ex his, quæ dicturi ſumus *lib. 7. diſt. 9.* de poſtulatione, quæ cũ directè nõ terminetur, niſi ad principem, diſpenſare valentem; tametſi fuerit perſonæ impedimento cenſurarum ligatæ, nõ videtur ex ſe adeò obſtare, vt electio talis impediti, facta; cù præſertim, qui eligi non poſſunt, poſtulari valeant. Scio *Leſſium citatum, & alios* abſque diſcrimine de electione, pręſentatione, & poſtulatione loqui. At ego in locum citatum rem refero; vide propterea *cap. 4. à num. 6.*

6 Vnam autem non inficior limitationem ſubire aſſertam cõcluſionem in eo caſu, quo quis, etſi ex cauſa iuridicè probata, falſa tamen excommunicatus per ſententiam iuridicam eſſet; in quo ſentio cũ auctoribus aſſerentibus, in foro conſcientiæ talem excõmunicationẽ eſſe nullam, quamuis in externo foro ſeruandam, ſic *Maior in 4. diſt. 18. quæſt. 2. concl. 3. coroll. 4. Gabriel quæſt. 2. concl. 8 expreſſiùs Adrian. quodlib. 6. quæſt. 1. Caiet. 2. 2. quæſt. 7. art. 4. ad 2. Sot. in 4. diſt. 22. q. 1. art. 3. coroll. 3.* Couar. Cap. *Alma mater par. 1, §. 7. num. 5* ſi benè perpendatur, qui alios refert Canoniſtas, & iuris conſultos; cum æterni tribunal iudicis illum reum non habet, quem iniuſtè iudex condemnat *ex 1. ad Corinth. cap. 4. & Cap. A nobis de ſent. excommun. il 2. & Cap. 1. de ſent. & re iudic. in 6.* Ad rem itaque noſtram, communem hanc Doctorum ſententiam applicando, excommunicatum, aio, per iuridicam ſententiam ob falſam cauſam, & à fortiori per ſententiam non iuridicam, incapacem in re non eſſe ad beneficia, ex vi talis cenſuræ; ſic *Soar. diſp. 4.*

de

de *cenſur. ſect. 7. num.* 27. neque electionem, cæteraſque actiones requiſitas ad collationem Epiſcopatus, ac reliquorum beneficiorum inualidas in ſe eſſe, quamuis in fôro externo, vt appareret, declarari poſſent inualidę. Ratio eſt, quòd hæc Eccleſiæ bona grauis ſanè momenti ſunt, neq; efficaciùs auferenda, quàm vel cauſa, vel communis boni ratio poſtulare videatur; in hoc autem caſu nulla eſt, quò minùs hic, qui reuera non eſt excommunicatus, incapax, atque inhabilis ad huiuſmôdi etiam in re reddatur; quùm dignus hac pœna nôn ſit, neque aliqua communis boni iactura in contrarium vrget ad illã inducendam in foro interno. Quamobrem etiamſi perſona in. Epiſcopum eligenda abſolutionem procurare, ad omnia ſubmouenda dubia, teneretur; nihilo tamen minùs ſi antequam abſolueretur, beneficium obtineret Epiſcopatus, vel quoduis aliud, eius collatio ualeret, vt probè *Soar. diſp. 4. de cenſ. ſect. 7. n. 27. ex quo Soario num.* 28. addere liceat, quod tametſi ex graui negligentiæ, vel contemptus culpa, abſolutione prætermiſſa, beneficium quis acceptaret, adhuc illius collationem irritam non futuram; quòd hæc præcedens cenſura effectum habere non poteſt ex culpa in ipſam commiſſa: igitur ſi talis collatio ſine hac culpa nõ erat inualida, neque cum illa, etſi ex contemptu mortali, vt indicat in ſimili *D. Th. apud Soar. citat. num.* 22. quia tamen contra hanc negligentiæ, vel contemptus culpam, nullam in iure latam habemus cenſuram, neque etiam illa prior, quæ per ſententiam vel nullam, vel ob aliam cauſam falſam lata eſt, vrgeat, ideo conficitur ex vi prædictæ culpæ, nec iurium aliquid addi priori cenſuræ, neque primam nouum habere effectum, vt docet *Couar. modo citatus* §. 7. *num.* 5. *in fine*.

7 In foro autem externo huiuſmodi collatio beneficij ad forenſe iudicium deducta, ac homini taliter excommunicato facta, ſi probaretur, irrita abſque dubio declaranda eſſet, & quidem meritò, cùm in illo foro, vt verus excommunicatus ille haberetur, cuius ſententia declaratoria robur nullitatis ipſius collatioois, non ſolùm in eo foro habitum eſſet, ſed abſolutè, atque realiter, quia id expedire communi bono conſtat; nè, vel beneficium, præſertim epiſcopale tanti momenti, vel reliquę, quæ ex eo penderent, actiones, functiones, ac muoera ſine certa ſtabilitate in dubium reuocarentur, & litem; etenim ſi eiuſdem excomunicati Epiſcopatus alteri conferretur, vel per validam collationem, vel noo? ſi per validam, prior irrita erit, ſi per inualidam, magna ſanè ſequerentur abſurda, quæ ob bonum regimen euitanda ſunt, ac Superioris erit, ad conſulendum communi bono in eo ſenſu ſententiam declaratoriã proferre, vt reuera, quod declarat, ex tunc ſaltem efficiat; qua ratione nonnullorum opinio aſſereos, hanc cenſuram à principio fuiſſe validam, inter quos videtur eſſe *Couarr. citatus* §. 11. *num.* 24. quamuis in re nobiſcum ſentiat *Cord. lib. 1. quæſt. 44. & fauet Gloſſa in Cap. 1. de ſent. excomm. in 6. verb. propter quam*, vera cenſeri poteſt, cùm ſit efficax hæc cenſura, quo ad ſingulos effectus, ſpectantes ad bonum commune, & Eccleſiaſticum regimen. Videantur dicta *præcedenti cap. num.* 11.

8 Secunda concluſio, quamuis probabile ſit, promotionem ad Epiſcopatum perſonæ ſuſpenſę ab officio ipſo iure, inualidam eſſe, probabilius tamen iudico, non eſſe irritam, ſed irritandam. Prima pars, mea quidem ſententia maximè probatur ex *Cap. Cum dilectus de conſuet. adiuncta Gloſſa per* verbum *caſſauimus* id eſt, *caſſam nunciauimus*, quo nullam, ſuſpenſi electionem videtur Pontifex declaraſſe, ac defenditur ab *Henriq; cui ſubſcribit Auila de cenſur. 3. part. diſp. 2. dub. 1. conc. 5. §. ex his ſequitur*; qui quidem auctores hoc aſſerunt de ſuſpenſo etiam occulto, quia Concilium Conſtantienſe nullo pacto fauere intendit excommunicatis, vel ſuſpenſis, vt omnibus in confeſſo eſt. Huius autem, & partis ratio eſt, quòd cùm beneficium propter officium detur, vbi ab hoc, quis ſuſpenſus fuerit; & inhabilis ad illud aliud per Eccleſiam cenſendus erit.

9 Verùm enim verò, cùm hæc ratio illud ſolùm probet, quòd ſecunda concluſionis pars, quam probabiliorem duximus, intendit; eſſe nimirum talem promotionem irritandam, etſi de facto irrita non ſit, idcirco nec texui allato tantum eſſe roboris iudicauimus; quippe qui non modò de ſuſpenſi electione, ſed de electione à ſuſpenſis habita loquitur, & *Tò caſſauimus*, quo verbo vtitur ille textus, *caſſam nunc reddimus*, poteſt magis propriè ſignificare; neque obſtat *Cap. Cum bonę de ætat. & qualit.* quod præ omnibus in contrarium videtur vrgere, vbi de nonnullis Clericis ſuſpenſis dicitur, quòd non liceat eis, beneficium in ſuſpenſione obtentum aliquatenus retinere; nam, vt accuratè illum textum legẽti facilè negotio patebit, non perpendit Pontifex illos clericos ſuſpenſos beneficium obtinuiſſe; ſed triennali ſuſpenſione in ea inſorduiſſe, *Vnde* (ait) *Archiepiſcopo dedimus in mandatis, vt eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apoſtolico, beneficijs, quæ habẽt, non differat ſpoliare*. Quæ quidem adeò clara *Panormitano* viſa ſunt, vt *num.* 3. non abnuerit, ſuſpenſum

pro:

promotum, non eo ipſo priuatum eſſe, imò neque priuandum, niſi per triennium in ſuſpenſione durauerit; qua propter cum ex iure irritam hanc eſſe collationem ſuſpenſo factam deduci minime poſſit, ſed ad ſummum irritandam, in re tam ardua, ac difficili huiuſmodi pœnæ, vt etiam ſimiles non ſunt extendendæ; ita docent præter citatum *Panormitanum num. 3. & 7. Soar. de cenſ. diſp. 26. ſect. 3. num. 4. & 8. Leſſius aſſerens eſſe probabilem hanc ſententiam lib. 2. cap. 34. dub. 22. nu. 116. ConincK diſp. 15. dub. 3. num. 7. verſ. addunt multi.* Et in hoc ſenſu ſubſcribo *Gloſſa, & Canoniſtis in cap. Illa de elect. vbi Abbas cap. finali eodem in 6. Flamin. et alij, apud Barboſ. 3. part. de poteſt. & officio* Epiſc. *alleg. 22. num* 98. quatenus aſſerunt eligi ſuſpenſum non poſſe, & *Lamber. lib. 2. part. 1. q. 9. art. 2. alijſque apud eundem Barboſam* aſſerentibus, nec præſentari poſſe ſuſpenſum.

10 Ex induſtria loquutus ſum in concluſione de abſolutè ſuſpenſo ab officio, qui quidem nullum exercere poteſt actum ſaltem ſpiritualem ad illud pertinentem, ſiue fuerit ordinis, ſiue iuriſdictionis; nam ſi quis ſuſpẽſus eſſet ab vno, vel altero actu, vel exercitio (vt poſſe ſuppono ex materia de ſuſpenſione) promoueri poſſet ratione alterius actus ordinis, & beneficij; ſic ſi eſſet ver. grat. ſuſpenſus tantum à pontificalibus, Epiſcopus exercere poſſet iuriſdictionalia, quæ diſtincta ſunt ab his, quæ ſunt ordinis pontificalis *ex cap. Trãſmiſſam de elect.* Idque confirmatur *ex cap. vel non eſt compoſ. de temp. ordinan.* quia ſuſpenſus ab officio iure ſuo miniſtrare poſſet in temporalibus, eſto remoueatur à ſpiritualibus; ergo quando duo habet onera, ſi ſuſpenditur ab vno, non trahitur ſuſpenſio ad alterum; vt probè *Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 51. num. 12. verſ. & confirmatur, Argum. l. ſi manibus* C. *de donat. inter vir. & vxor.*

11 Tertia concluſio. Perſonaliter interdicti promotio in Epiſcopum non eſt irrita, ſed irritanda. moueor, quòd aliquem canonem habuimus contra ſuſpenſum, nempe *cap. 1. cum dilectus num.* 9. adductum, qui quidem probabiliter ſuſpenſi promotionem ipſo facto irritam, indicabit; verum contra perſonã interdictam *cap. 1. de poſtul. prælat.* quod afferri ſolet, expreſſis adeò verbis de violante ipſum interdictum loquitur, quem meritò *Innoc. Tertius* ab Epiſcopali repellit dignitate, pro qua ibi ille poſtulabatur, vt nodum eſſet in ſcirpo quærere, ſi dubitare propoſitũ eſſet de eo. Quamobrem doctrina ibi tradita non eſt generalis contra quemcumque interdictum; & quamuis maximè conſentaneum ſit rationi, vt, cui prohibitæ ſunt functiones officij, prohibitum etiam ſit officium ipſum, quippe quod ad eas ordinatur (vt communis Doctorum fert ſententia) id tantum probat collationem beneficij Epiſcopalis interdicto factam, meritò irritandam eſſe; quemadmodum hoc idem definitur de excommunicato excommunicatione minori in *cap. finali de cler. excomm. miniſt.* vt infra *cap. 4.* dicemus. Sentio in hoc *cum Leſſio laudato ad finem num. 116. verſ. quod diximus,* probabiliter hanc noſtræ aſſertionis partem defendente.

12 Quia tamen in eo cum ſuſpenſione conuenit interdictum perſonale, vt eius effectus connexi non ſint, qui quidem limitari etiam à Prælato poſſunt, & inter cæteros videre eſt apud *Henriq. cap. 2. de excomm. num. 3. & lib. 13. cap. 43. nu. 6. Nauarr. nu. 183. Auil. de cenſur. part. 5. diſp. 4. in principio verſ. ſecundo ſuppono;* noſtram concluſionem in eodem ſenſu veram aſſerimus, quo præcedentem, nimirum de perſona abſolutè interdicta; ſecus autem, ſi ab vno, vel altero, Eccleſiaſtica vet. grat. ſepultura &c. & cum tunc, vt habilis ad functiones Epiſcopales cum ordine, atq; officio Epiſcopali connexas, ſic capax eſſet Epiſcopalis officij ob rationem ex *Abbate num* 10 indicatam. Quare meritò *Auguſtin. Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 72. num.* 99. interdictam perſonam ait, cui ſpecialiter officium, vel aliquis ordo interdictus eſt, nõ poſſe præſentari; cũ obſit ordinis requiſiti interdictũ: fauet *Lãbert. lib. 2, part. 1. q. 11. art. 3.*

13 Quarta concluſio. Ignoranter excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, vel quia non putat ſe excommunicatum, vel quòd exiſtimat ſe abſolutum, vel excommunicationis oblitus, ſecundum communem opinionem, inualidè promoueretur in Epiſcopum; cui etſi *Nauarr. in cap. fratres de pœnit. diſt. 5. num. 45.* contradicat, & ei probabiliter tantum ſubſcribat *Leſſius citatus num.* 117. verùm id ſine ſufficienti præſtant fundamento. Nam *Gloſſ. a. cap. Apoſtolicè à Nauarr. & Leſſio laudata* tametſi ſuboſcurè eis videatur fauere; expreſſis, & clarioribus tamen verbis, deinceps, his aſſertam concluſionem exprimit, *Non credo, quod electio de ipſo facta teneat, licet ignoret ſe excommunicatum, vel ſuſpenſum.* Ideoq; dictus *Nauarr. in ſum. cap. 27. num. 273. Contrarium §. 8. docet.* Noſtram igitur concluſionem defendunt Doctores *de cleric. excomm. miniſt. inter quos. Abbas num. 6. & cap. Paſtoralis §. verum, de appellat. Couarr. in cap. Alma mater §. 7. num. 3. Rebuff. in dicto cap. Poſtulaſtis num. 62.* quibus, & alijs, ſubſcribunt Theologi, *Soar. diſp. 13. de cenſ. ſect. 1. n. 3. Leſſius modo laudatus. Auila 2. part. cap. 6. diſp. 5. dub. 2.* Cuius ratio eſt; quia licet ignorantia inuincibilis excuſet à culpa, & à pœnis præſertim cenſurarum ob talem cul-

pam impoſitis,iuxta laudatum *cap. Apoſtolicè de cleric.excomm. miniſt.* verum habilem non reddit, quem Eccleſia reddidit ineptum. Adde hanc inhabilitatem, etſi poſſe etiam dici quis contenderet pœnam; adeſſet ſanè peccatum, ob quod excommunicatio, ſuſpenſio, vel interdictum contractum eſt: à quo non poteſt excuſare ignorantia ſubſequens, & poſterior ipſiuſmet cenſuræ interuenientis in collatione beneficij. vt probè *Soarius laudatus*.

14 Ego verò tametſi,quam modo retuli ſententiam ex fundamento Nauarri omnino iudicem improbabilem, & quamuis communi ſubſcribam aſſertæ ſententiæ; nihilo tamen minus iudicio lectoris relinquo, an è rationum momentis, quæ mox ſubijciam, aliquid contrariæ opinioni ſit probabilitatis. primò quia qui neſcit, & neſcitur excommunicatus, ſi eligitur in Epiſcopum, excommunicatus ſaltem erit toleratus: atqui omnia, quæ geruntur ab excommunicato tolerato poſt Concilium Conſtantienſe ſunt valida, ſiue pertineant ad iuriſdictionem fori interni, ſiue externi; ergo beneficium Epiſcopale, quod ob hoc datur officium validè tali dabitur perſonæ. Conſequentia eſt certa,minor propoſitio ex communi auctorum ſenſu conſtat,& ſępe à nobis iterata eſt.Maior eſt *Henriq. lib.13. cap.8.n. 6.in Gloſſ.litt.A.Nauarr.cap.27.nu.21. Auil. 2.part.cap.6.diſp.6.dub.21 §. tertia opinio. & dub.7.conc.1.Sanch.lib.3.de mat. diſp. 22. nu. 35.Soar.de cenſ. diſp.14.ſect.1. num. 10. Abbat.citati num. 14. Alexand. de Neuo ibidem num.25.& Felin.num.3.*

15 Secundò,dum aliquis exercet, & ſuſtinet munus, ac dignitatem in Republica, licet occultum habeat defectum, acta tamen illius,ex eiuſdem Reipublicæ interpretatione, & conceſſione valida ſunt: atqui ſic ſe habet,quando excommunicatus eſt occultus, vt benè Soarius citatus; igitur eius acta ſunt valida,igitur & dignitas,& beneficium, quod ei confertur ob hoc officium. Maior huius argumenti eſt communis apud Iuriſperitos *ex l.Barbarius ff.de officio prat.* quorum doctrina ad res Eccleſiaſticas contrahunt *Gratian.in cap.infamis §. veruntamē 3. qu.7.* ac reliqui Auctores; cùm chriſtiana Reſpublica, non minori prouidentia, fidelium vtilitati cōſulat, quàm Ciuilis ſuorum vtilitati membrorum. Tertiò probatur ex innumerabilibus,quæ ſequerentur,abſurdis; etenim electus, & confirmatus Epiſcopus, ante quam cōſacraretur,ea,quæ poteſt exercere iuriſdictionis, munera, inualida ſanè præſtaret,ſi ipſius electio eſſet nulla; ex quibus propè infinita ſequerentur incommoda,quæ contendit vitare Conſtantienſe Concilium. Quod ſi huius Epiſcopi nominati, electiq; acta ſunt valida,beneficium,ad quod electus eſt validè profecto cenſebitur collatum:vt è contrario ſenſu patet;nam ſi beneficium eſt propter officium; vbi ad hoc inhabilis quis habetur, ad beneficium etiam exiſtimabitur;vt mox *num. ſequenti* ſubijciam: & è contrario ſi ſit ad officium habilis, & ad beneficium etiam erit. Quare non videtur improbabile,quòd cùm geſta per habentem titulum putatiuum Epiſcopatus, obtemptū tempore,quo occultè excommunicatus quis erat, valida ſint;interuenientibus communi errore, & titulo præſumpto, beneficium da-
tum in ordine ad ea geſta validè datum
16 etiam putetur eſſe: eò vel maximè, quòd il-
lud impedimentum occultæ, vel ignoratæ
excommunicationis non erat iuris diuini,
aut naturalis; cui ſuffragari non poſſe communem errorem,& titulum putatiuum,probabilior ferret opinio,apud *Sanch. lib. 3. de mat.diſp.22. num.27.* ſed ſolius iuris humani. Textus denique in contrarium allati,de excommunicato non tolerato intelligi poſſent. Cęterum cuius probabilitatis ſint hæc, mei lectoris iudicio me commiſiſſe non pœnitet.

17 Colligo primò, quo ad perſonas, ac dignitates ampliando quam abſolutè ſuperiorem amplexi ſumus ſententiam *num. 13.* non modo ad beneficia eccleſiaſtica in rigore ſumpta, ſimile expoſcentia de ſe ſpirituale, ac perpetuum ius ad temporales fructus, latè patere,verum etiam ad quamcumque eccleſiaſticam dignitatem, & officium, etſi ad tempus conceſſum,vt eſt munus Vicarij, Adminiſtratoris,vel gubernatoris Epiſcopatus
ad certum tempus, ex *cap.vltimo de ſupplen.*
18 *neglig.prælat.& cap.is cui de elect.in 6.* Item
munus Prælati in aliqua religione, quod &
temporales non habet fructus,& ad tempus
19 ſœpè durat; munus etiam Legati, aut Dele-
gati,aut Inquiſitoris.Et ratio eſt, quia prohibito exercitio alicuius actus, prohibetur id, per quod ad illum peruenitur actum: ſed excommunicatus,vt iam diximus, abſolutè ſuſpenſus, vel interdictus incapaces ſunt vſus iuriſdictionis, & ordinis; ergo non poſſunt recipere munus, & officium ad eum ordinatum. Secundò ſpeciatim probatur de excommunicato; qui quidem extra omnem eccleſiaſticam communionem actus eſt: atqui aſſumptio ad dignitatem eccleſiaſticam eſt maxima communicatio; ergo. Quod argumentum indicatur ab Innocentio Tertio in *capitulo Poſtulaſtis de cleric. excommun. celebr.* per ea *Conſultationi veſtræ reſpondemus &c.* vbi tametſi verbis rigoroſè inſpectis de beneficijs concludit,ex vi tamen antecedentis idem de omnibus

nibus dignitatibus infertur, vt probè Suar. *diſp.13.ſect.1.nu.6.*

20 Extendit hoc idem corollarium *Abbas cap.veritatis de dol. & cont. ex Ioan. Andr. in Reg. dolo facit de re iudic. lib. 6. ad compromiſſarium*, qui per viam Laudi, & ſententiæ ageret; ſecus vero ſi mediatoris vices, ex partium ageret conſenſu, & ratio eſt, quòd arbitraria redacta ſunt ad inſtar iudiciorum *l. 1. ff. de arbit.* igitur ſententia publicè excommunicati non valet *cap. Ad probandam de ſent. & re iudic.* ita nec laudum arbitri, de quo *Speculator in tit de arb. §. reſtat, & §. differt, & Ioan. Andr. in cap. Pia de excomm. lib. 6.* & abſolutè ſicut penes hanc opinionem communem excommunicati iudicis electio irrita eſt, ita & arbitrarij.

21 Infero ſecundò pariter ampliando opinionem, quam abſolute veram cenſuimus *num.13.* non ſolum Epiſcopalis collationem beneficij modo iam dicto eſſe irritam, vel irritandam, quod præter Auctores citatos, aſſerit *Sanch. lib.3. de mat. diſp 22.* verùm etiam litterarum impetrationem ex *cap. Dilectus de reſcrip. & cap. ipſo iure eodem in 6.* ſic *Azor. 2. part. lib.6. cap.7. q.8. Auila 2. part. cap. 6. diſp. 5. dub. 2. concl. 4.*

22 Infero tertiò noſtram limitando doctrinam, in eo ſane euentu locum non habere, vbi collatio, vel electio facta eſſet cum clauſula abſolutionis *quo ad effectum præſentium conſequendum*; quæ communiter in pontificijs ſcribitur litteris; de qua clauſula *Nauarr. cap.27. num.271. § omitto, Pelinus cap. Apoſtolicæ col.1. de except. Auil. 7. part. cap.6. diſp.5. dub.2. concl. 2 §. quinto nota.*

23 Infero quartò, graue peccatum eſſe, præſentare, vel eligere in Epiſcopum aliquem excommunicatum, ex communi Doctorum ſententia, de omni beneficio loquentium, quos inter eſt *Conınck diſp. 14. de excomm. dub.9. num.76.* quod intelligerem, ni ex animo habendæ abſolutionis id potiùs per poſtulationem peteretur, vt ad hunc effectum abſolueretur, quàm eligendi, ac iuridicè præſentandi id factum fuiſſet. Ratio eſt, non ſolum, quia hæc eſt notabilis communicatio cum excommunicato (quæ ratio non habet locum in collatione facta tolerato, neq; interdicto, aut ſuſpenſo) verùm etiam, quia ſingulariter prohibitum eſt, nè excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto, vt ſupra tanquam indignis eccleſiaſtica conferantur beneficia ex *cap.1. de poſtul. prælat.* immo *cap. Poſtulaſtis de cler. excom.* præſcribitur, vt hi qui ſcienter huiuſmodi perſonis beneficia conferunt, tamdiu à collatione beneficiorum ſuſpendantur, quamdiu veniam mereantur; quæ quidem ſuſpenſio non lata, ſed ferenda videtur in conferentes beneficia excommunicatis non toleratis, quippe qui ſoli violant cenſuram, cuius violationis intuitu videtur textus eos velle punire. Conferens tamen beneficium curam habens animarum, vt Epiſcopale, aut ad illud eligens excommunicatam perſonam pro illa vice priuatur eligendi poteſtate (nec loquor de Summo Pontificatu, de quo infra) vt patet ex *cap. Cum in cunctis §. Clerici de elect.* vbi hac pœna plectuntur conferentes huiuſmodi beneficia indignis; quis autem indignior excommunicato?

24 Infero quintò, noſtram doctrinam minimè procedere, vbi Papa conferret alicui Epiſcopatum, quem nouit eſſe excommunicatum, ſuſpenſum, vel interdictum, quemque abſoluiſſe, vel habilem reddidiſſe eo, vel ipſo cenſendus eſt, ſic *Nauarr in ſumm. de quouis beneficio prælud. 9. numer. 11. ex cap. 27. numer. 74. Couarr. cap. Alma mater, part. 1. §. 7. numer. 9.* quod dictum volo iuxta ea, quæ docui *lib. 2. diſp. 5. cap. 6.* ex quo multa huc aſportari facilè poſſunt; non ſatis eſſe nimirum promotionem ſine notitia impedimenti, vt ibi *num. 8*; vel ex errore diſpenſantis, vt ibidem *num. 10.* vel ſine impedimenti memoria, aliquo pacto obliterata; vt *num. 11.* & quæ notitia neceſſaria *num, 12.* quæ in Principe præſumenda non eſt, vt *num. 14.* & à quo probanda ſit *num. 15.* quæ neceſſaria in foro interno *num. 16.* quæ in externo *num. 21.* an requiratur expreſſio impedimenti in litteris *num. 17.* & an ſufficiat probatio per clauſulam inſeri ſolitam in litteris *ex certa ſcientia numer. 20.*

25 Infero vltimo, cum abſolutio à cenſuria abſenti poſſit dari, vt ex communi ſententia ſuppono certum *Soti diſt. 22. q. 2. art. 3. Henriq. lib. 15. cap. 29. num. 1. Nauarr. cap, 26. nu. 14. Auila 2. part. cap.7. diſp. 2. Suar. diſput. 7. de cenſ. ſect.7 num.4.* etſi vſus videatur in contrarium, vt *Auila ex Nauarr. cap.27. numer. 24.* cum etiam inuito dari non repugnet, vt *Sotus, & Auila citati*, quòd excommunicatio non eſt culpa, ſed pœna, quæ quidem ſicut incurri poteſt ab inuito, ſic etiam & tolli; poterit ſanè à Pontifice abſens, vel inuitus abſolui ab excommunicatione ad effectum promotionis Epiſcopalis. Idem dicendum de ſuſpenſo ob eandem rationem, qui inuitus, & abſens abſolui etiam poteſt, conſenſu Doctorum apud *Auil. 3. part. diſp. 3. dub. 6.* idemque de interdicto ex *Henriquez cap. 51. numer. 3. Auil. 5. part. diſp. 6. dub. 3.*

26 Nona concluſio. Quamuis bona fide quis excommunicatus promotus eſſet ad beneficium, non poſſet tuta conſcientia illud retinere, vbi nouerit, niſi noua facta colla-

tione poſt diſpenſationem: Neque huius aſſertionis ſenſus eſt, quaſi Sacramentum epiſcopalis ordinis validè collatum non eſſet, cuius contrarium diximus *ſuperiori cap.* ſed quod Epiſcopatus, vt beneficium, tuta non poſſit conſcientia retineri, ſaltem ante conſecrationem, ni interueniente abſolutione à cenſura; quia talis collatio inualida fuit, quod conſenſu Doctorum conſtat apud *Suar. diſp. 13. de cenſ. ſect. 1. num. 2. in fine, Conine K. diſp. 14. dub. 9. num. 71. Abbat. cap. Poſtulatio de cler. excom. miniſt. nu. 2.* quicquid in contrarium immeritò *Compoſt. in cap. ſicut de elect.* dixerit. Ab hac doctrina communi, quomodo electio in Summum Pontificem excipiatur, dicam *to. 2. lib. 7. diſp. 14. num. 7.*

CAPVT III.

Oppoſitio, quam habent maior excommunicatio, ſuſpenſio, ac interdictum cum Epiſcopatus beneficio, quo ad fructus expenditur.

SVMMA.

Non eſt eadem ratio de fructibus, ac de beneficij titulo, num. 1.

Excommunicato non facienti fructus ſuos prouidendum non eſt de alimentis, vt Depoſito, numer. 2.

Excommunicatus bona fide, ratione beneficij aliquod officium præſtans, neceſſaria ad congruā ſuſtentationem retinere poterit, nec reliquorum reſtitutione tenetur, quod conſumpſit, nec factus eſt ditior. ibidem.

Occultè excommunicatus inſeruiens beneficio, tantum poterit ſibi accipere, quantum ſubſtituto dandum alioquin eſſet, num. 3.

Aptatur doctrina præcedens Epiſcopatum obeunti, num. 4.

Excommunicatus Epiſcopatum nactus abſolutione poſtea obtenta, quos antea non fecerat, poterit retinere fructus, ſaltem in nonnullis Epiſco*patibus, num. 5.*

Eſto probabile ſit contrarium, num. 6.

Quando reſtituendi ſunt fructus fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus, num. 7.

Diſtributiones tamen excommunicati reſtituendæ bis, qui choro interfuere, ibidem.

Redditus autem Epiſcopatus legitimè Promoto, vel cui, vacante Epiſcopatu, debcrentur, reſtituendi ſunt, ibidem.

Collatio beneficij præſertim Epiſcopatus facta excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, interueniente poſtea diſpenſatione, plerunque conualeſcit, num. 8. 9. 10. 11. & 12.

Epiſcopatus ab excommunicatione immuni collatus, validè ab eo poſtea iam excommunicato, acceptatur, etſi probabilius ſit contrarium, numer. 13.

Poſt validè adeptum epiſcopatum, ſi quis in excommunicationem inciderit ſaltem toleratus pro ratione officij, quod præſtitit, poterit fructus retinere, num. 14.

Dummodo ſatis ſolum ſint ad congruam ſubſtentationem num. 15.

Vbi autem præſtito officio reſtituendi eſſent fructus, non ante ſententiam reſtituendi, numer. 16.

Quod ſi non præſtiterit aliquod officium, ad reſtitutionem ſententia expectanda non eſt, numer. 17.

Iniuſtè excommunicatus fructus etiam diſtributionis lucratur, num. 18.

Explicatur Cap. Quia diuerſitatem de conceſſ. præbend. *num. 19.*

Cum proportione idē, quod de ritè electo, & cōfirmato, dicendum eſſe de conſecrato Epiſcopo quo ad fructus, nu. 20.

Abſolutè ſuſpenſus ab officio, non neceſſariò etiam cenſetur & à beneficio, num. 21.

Tripliciter ſuſpenſio fieri poteſt, num. 22.

Abſolutè verbis ſtandum eſt Canonis, num. 23.

Verba in decretis nec quo ad ſyllabam ſuperflua ſunt, nu. 24.

Conſtitutio pœnalis non eſt extendenda ad caſum non expreſſum, num. 25.

Satis probabile eſt, Canonicum excommunicatum, & ſuſpenſum, ſi interfuerit horis in choro, diſtributiones lucrari, num. 26. & 27.

Qui mouetur à principali, quando, & quomodo cenſetur ab acceſſorio, num. 28.

Expenditur Canon Præter hoc diſt. 32. *numer. 29.*

DEinceps (vt erat propoſitum) de fructibus Epiſcopatus dicendum eſt.

1 Sit igitur aſſertio prima. Non eadem eſt ratio de beneficij titulo, ac de fructibus, etiam Epiſcopatus; nam licet duplici titulo fructus non fecerit ſuos excommunicatus, & quia beneficium re uera ſuum non erat; quo titulo tenebitur reſtituere; cum nec prouidendum ei ſit; vt docent *Doctores*
2 *in cap. Poſtulaſtis de appell. vbi Abbas num. 16.* niſi fama periret; neque de illo, ac de Depoſito ratio eſt. vt probè *Ioan. Andreas apud dictum Abbatem*; quòd ille petitione abſolutionis ſibi conſulere, facili negotio, poteſt; ſecus Depoſitus ob crimen, cui cum quacumque emendatione præſtita, non reſtituatur ſtatus, meritò conſulendum

eſt,

eſt, nè mendicare cogatur in Clericatus opprobrium, per *Gloſſ. in cap. Studeat diſt.* 50. nihilominùs non modò ſi bona fide ſe neſciens excommunicatum ver. gr. ratione beneficij aliquod officium, vel miniſterium, eadem exercuerit bona fide, iuſtè poteſt ſtipendium, ſeu congruam ſubſtentationem prò ratione præſtiti muneris ex fructibus beneficij accipere, cùm verè præbuerit Eccleſiæ miniſterium, ratione cuius congrua dignus eſt ſubſtentatione; ac proinde non tenetur hanc portionem reſtituere, immò nec reliquum perceptorum fructuum, ſi bona fide id conſumpſerit, nec factus ſit ditior, vt docet *Soar. diſp.* 13. *ſect.* 13. *num.* 3. *necnon ConincK diſp.* 14. *dub.* 9. *num.* 70. cùm non teneatur ex iniuſta acceptione, à qua excuſatur ob bonam fidem, neque ex retentione iniuſta, cùm non extent illi fructus, neque in ſe, neque in alio loco eius permanente, igi-

3 tur nullo modo tenebitur. Verùm etiamſi occultus fuerit excommunicatus, vt docet *Auila 2. part. diſput. 6. dub. 7. concl. 4. verſ. ex dictis*, cùm veram accipiat iuriſdictionem, propter bonum commune, vt indicaui *ſuperiori cap. num.* 15. ex communi ſententia, etſi verum titulum non haberet, neque ius ad percipiendos fructus, vt ibidem; ſi tamen inſeruit beneficiò, poteſt tantùm percipere, quantùm daretur ſubſtituto, qui illud præſtitiſſet miniſterium; reliquos verò exiſtentes in ſe, vel in alio etiam ante ſententiam iudicis teneretur reſtituere.

4 Quamobrem, vt noſtræ rei hæc omnia applicemus, ſi Epiſcopus excommunicatus, vel exiſtens in bona fide, vel occultè talis eſſet, obtentis apoſtolicis litteris, & poſſeſſione Eccleſię varios iuriſdictionis exerceret actus, perciperetque fructus; certum eſt ſi bona fide proceſſiſſet iuxta regulam *n.* 1. & 2. datam, poſſe eos, vel eorum partem ſibi retinere; ſi autem occultus eſſet, nec bona fide procederet, non audeo, quod *Auila* docuit modo relatus, abſolutè aſſerere; tametſi, & ex eius rationis momento, & ex auctoritate improbabile id non iudicem; cui fauet *cap. Paſtoralis de appellat.* quem infra *num.* 16. perpendemus.

5 Adde meritò ex *Henriq. lib.* 13. *cap.* 3. *nu.* 3. ſi hic cenſura affectus, poſtea hoc beneficium legitime, habita abſolutione, & habilis redditus obtineat, eos, quos antea fructus non fecerat ſuos, poterit retinere, quòd illud beneficium eò vſque vacauit, & fructus beneficij vacantis debentur ſucceſſori. quod ad noſtram præcipuè rem vna cum limitatione facilè admitto; vt ſcilicet, de Epiſcopatibus intelligatur, quorum fructus ſucceſſoribus ſeruantur, vt Regij ſolent eſſe in noſtro Neapolitano Regno, in Sicilia, atq; in Hiſpanijs. Neq; obſtat, quod affert *Gloſſ. cap. Poſtulaſti de appellat. verb. ſubtrahuntur*, ſequi nimirū ex noſtra doctrina, fore, vt faciliùs delinquāt Rei ſpe abſolutionis 50. *diſt. cap.* 1. cū facilitas veniæ tribuat incentiuum delinquendi 23. *q.* 4. *cap. eſt iniuſta*: & quòd pœnę non debeant repeti *ff. de condit.* Nam præterquam, quod non reſtituerentur Reo, vt Reo, vel vt abſolutio illi fructus, ſed eidem legitimè iterum ineunti beneficium, quod perſeuerante cenſura vacauiſſe cenſetur: nec valet illa ſequela in culpis, ac reatibus peccatorū, quamuis certò peccator ſciat, quòd, vbi validam contritus, vel attritus habuerit abſolutionē, propria deleātur peccata; neq; reſtitutio fructus denuo facta abſoluto quaſi beneficium ineunti facilitatē arguit veniæ, quæ non niſi maturè, ac prudenter cum abſolutione conferenda eſt. Scio nonnullos contrarium ſentire, reſtituendos videlicet eſſe Eccleſiæ eos fructus, vt *Abbas cap. Poſtulaſtis num.* 27. quod eſt probabile. Nec video cur *Aegidius ConincK modo citatus* ab hac doctrina diſcrepet; etenim ſi beneficium ſit Epiſcopatus, de quo paulò ante dicebam, neque ſpeciale aliquod prærequirat miniſterium, vt fructus eſſe dicantur ſucceſſoris, quemadmodum in prædictis patet Epiſcopatibus, eos retinere poterit, qui legitimè hoc beneficium poſtea nāciſcitur, quin aliquam præſtet operam, ad quam minimè tenetur; quòd ſi ex eius generis eſſet beneficijs, aliquod ſpeciale poſtulantibus opus, vel miniſteriū, tunc manum Aegidio darem, ac ſentirem, quin hoc præſtitiſſet beneficiatus, non poſſe fructus illos retinere; quod alioquin meliorem ſequeretur eſſe conditionem inualidè, quam validè beneficium obtinentis.

7 Infero ex his, quod quamuis verum ſit, fructus in eo caſu, quo reſtituendi ſunt, fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus eſſe reſtituendos, vt poſt alios *Nauarr. cap.* 25. *num.* 123. & quando diſtribuenda ſunt lucri facta, per diſtributiones quotidianas, reſtituenda quidem illis, qui choro illis diebus interfuere, neque cenſura affecti ſunt, vt hic, de quo loquimur, vt probè *Henriq. lib.* 7. *de Indulg. cap.* 36. *nu.* 3 *Auila 2. part. cap. 6. dub.* 2. verum de fructibus Epiſcopatus ita ſentirem, vt ei ab illegitimè promoto reſtituendi ſint, qui legitimè poſtea illum obtinebit, vel cui debentur redditus ipſius Epiſcopatus eo vacāte. Ratio eſt, quia *nu.* 3. dicebam hoc beneficium ita ſe habere, ac ſi vſq; ad præſens tempus vacauiſſet, ergo fructus ei debentur; cui eo vacante competunt. Si verò aliqui perciperentur fructus ex actuali aliquo miniſterio præſtito, retineri poterunt, vt *num.* 1. 2. & 3. docuimus; quod ſi non fuerit præſitum, tunc eis, qui loco excommunicati,

vel cenſura impediti, munus illud obiere, reſtituendi, vt proſequuntur *Henriquez*, & *Auila modo citati*.

8 Secunda Concluſio. Collatio Epiſcopalis beneficij facta ſuſpẽſo, interdicto, vel excommunicato, adueniente diſpenſatione ſæpiſſimè conualeſcit. Propoſitum non eſt hanc probare concluſionem de alijs beneficijs, de quibus variæ apud Doctores leguntur ſententiæ, relatæ à *Nauarr. libr. 4. conſil. ſecunda editione titul. de ſponſal. conſil. 14. num. 8. & 14. & à ſcribentibus cap. Innotuit de elect. atque à Theologis Sanch. libr. 8. de matrim. diſput. 7. num. 12. Leſſio libr. 2. cap. 34. dub. 22. num. 119. ConinckK de cenſur. diſp. 14. n. 9. dub. 9. n. 72.* Sed ſolùm eam de Epi-
9 ſcopatu ad rem noſtram confirmare: ad quã ſuppono, poſſe dictarum impedimentum cenſurarum, vel eſſe collatoribus occultum, vel publicum; necnon conferentes, eligentes, præſentantes, &c. vel coincidere cum perſona diſpenſante, vel non; quibus in hũc
10 modum conſtitutis, aio, Adueniente diſpẽſatione aliam non requiri electionem, præſentationem, vel collationem, ſed primam ſufficere ſuſpenſo factam, vel interdicto. Ratio eſt, quia, vt *ſuperiori cap. num. 9. 10. 11. & 12.* dictum eſt, collatio ſuſpenſi, vel interdicti, non eſt de facto irrita, ſed ad ſummum irritanda. At vt probè *Panorm. cap. Innotuit, num. 11*: quando vitium electi eius eſt generis, vt non reddat, ipſo iure, nullam præſentationem, electionem, collationem, & cõfirmationem; ſed facultatem caſſandi concedit, tunc abſque nouo conſenſu eorum, ad quos illæ incumbunt, ſatis eſſe cenſenda diſpenſatio, quippequæ cùm reperiant in ſe validam electionem, præſentationem, &c. habet ſanè quòd confirmet, & auferens impedimentum, locum non relinquat reſiliendi ab electione, &c quod certiùs eſt, vbi, qui habebant eligere, præſentare, &c. ſciebant impedimentum; quippe nullitatem ex facto illis cognito, non valent allegare; & quamuis ignorarent, idem etiam eſſet, quia tale impedimentum nullam electionem non reddidit, & eo per diſpenſationem ablato, neque facultatem retrocedendi cenſendi ſunt habere; cùm ceſſet ratio impedimenti, eis illam conferens. Quòd ſi iuxta probabilem opinionem, quam loco citato *concluſ. 2. & 3. num. 4. & 6.* indicauimus procedendum ſit, idem ſentire de his cenſuris, ac de excõmunicatione licebit, & de excommunicatione quidem ſi non irritaſſet electionem, vt *num. 9.* ibidem indicauimus, non improbabile fortaſſis idem; ac de ſuſpenſione, atque interdicto non irritantibus; quæ doctrina certior eſt, quando Summus Pontifex eſt, qui contulit alicui Epiſcopatum, quique vt ſolus poteſt, diſpenſat, ob rationem mox afferendam.

11 Collatio igitur excommunicato facta, ſi fuerit à perſona diſtincta, verb. grat. à Rege, etiamſi irrita ſit, vt *cap. 1. num. 1.* docuimus, interueniente tamen diſpenſatione Pontificis, alium non deſiderat conſenſum, ſed primus erit ſatis, vbi illud excommunicationis impedimentum Regi notum fuerit, vt probè *Abbas citatus*. Ratio eſt, quia non poſſet tunc Rex allegare nullitatem ex facto ei ſanè cognito *Argum. ex cap. Nulli de elect. in 6.* & perſiſtẽdum eidem eſſet in priori conſenſu; vbi autem Regi eligenti, ac præſentanti notum excommunicationis impedimentum non fuerit, tunc non ſatis eſſe diſpenſationem probabiliùs eſt, cùm ex dicto *cap. Nulli* conſtet, integrum electori eſſe propriam electionem impugnare ex facto de nouo detecto; ex quo textu clarior hæc pars liquet; ideoque conſultò dictum eſt in concluſione, ſæpiſſimè electionem conua-
12 leſcere, non autem ſemper. Quòd ſi Pontifex, qui diſpẽſat, is fuerit, qui cenſura ligato contulit beneficium Epiſcopale, res dubio prorſus caret, vt *num. 1.* indicaui; nam vel quando contulit Epiſcopatum impedimentum habenti, hoc nouit, vel non: ſi primum ipſâ met collatione ſcienter facta, vt ſupra dictum eſt, cenſetur diſpenſaſſe: ſi autẽ poſt collationem innotuit cenſuræ impedimentum, diſpenſatione ipſa cenſebitur iterum illud conferre; nam ſi promotione ſciẽter facta videtur diſpenſare, à contrario, diſpenſatione data, cenſebitur conferre; quare primam conualeſcere electionem impedimentum habentis, probè tunc dixit *Innoc. cap. Innotuit* paulò ante *citato num. 2.* vt quãdo diſpenſatio à ſuperiori conceſſa eſt, beneficium conferre poterat, quique diſpenſãdo videtur de nouo conferre, & clariùs *Card. in eodem cap. Innotuit num. 5. oppoſit. 3.* ait, hoc ſolùm procedere in diſpenſatione à Pontifice ſcienter facta.

13 Tertia cõcluſio. Tametſi probabile ſit, Epiſcopatum libero ab excommunicatione collatum validè ab eodem poſtea excommunicato acceptari poſſe, probabilius cenſeo contrarium. Prima pars, quam non iudico improbabilem, videtur Doctorum cõſenſu conſtare apud *Couar. libr. 3. variar. cap. 19. num. 4. & in cap. Alma mater num. 4. Leſſius libr. 2. cap. 34. num. 118.* & fauet praxis auctore *Couarrubia*, ex qua, & ex Doctorum auctoritate, quam ab intrinſeco maiorem ſortitur probabilitatem; etenim etſi ante excommunicationem per legitimam electionem cenſeatur ius acquiſitum electo; hoc tamen ad rem eſt, non autem in re; quod quidem omninò conſenſum expetit electi, vt

conſtat

conſtat ex *Cap. ſi tibi abſenti de præbend. in 6.* & ſpeciatim de Epiſcopatu ex *Cap. Cum inter 213. de elect.* quamobrem cum eo tempore ex cenſura incapax ſit noui iuris Eccleſiaſtici acquirendi, cenſebitur illegitimè collatum Epiſcopatus beneficium per talem acceptationem, neceſſariò requiſitam ad contractum quaſi matrimonialem, vt in dicto *Cap. Cum inter*, dicitur. Quamobrem noſtræ concluſionis prima pars ab extrinſeco potiùs, quàm à ratione intrinſeca videtur probabilis, & quia Eccleſiaſticus vnus hæc poſitiuo iure ſtatuta moderari poteſt. Verùm maiorem præſeferre videtur probabilitatem contraria, quæ eſt ſecunda noſtræ ſententiæ pars, cui, quo ad omnia beneficia ſubſcribit abſolutè *ConincK diſp. 14. dub. 9. numer. 78.* & confirmatur, quia non minùs acquiritur ius in beneficium per collationem, quàm per acceptationem, ſed collatio facta excommunicato eſt inualida, ergo & acceptatio ab eodem habita. Dices, diuerſam eſſe rationem, quia collatio verum confert ius electo; acceptatio verò conditio eſt, ſine qua non operatur ſuum effectum ipſa collatio. Verùm negãdum eſt aſſumptum; nam, vt res aliqua mea fiat, non minùs à meo pendet acceptante conſenſu, quàm ab alterius conferentis, cùm vterque de ratione ſit intrinſeca pacti, & contractus huius oneroſi, vel quaſi oneroſi.

14 Quarta concluſio, ſi quis poſt beneficium validè adeptum Epiſcopatus, in maiorem occultè inciderit excommunicationem, vel ſaltem toleratus ſit, & officium præſtiterit, fructus poterit retinere; ſecus, ſi illud non præſtitiſſet, ni excommunicatio iniuſta fuiſſet ex parte cauſæ. Prima pars eſt *Nauar. lib. 2. de reſtitut. cap. 2. diff. 4. num. 138. Auil. 5. part. cap. 6. diſp. 6. dub. 1. conc. 2. & aliorum*: fingamus ad rem noſtram caſum, eſt qui legitimè in Epiſcopum electus eſt, canonicèq; confirmatus, nec non iure nouæ *Extrauag. Iniunctæ de elect. inter communes*, Apoſtolicas obtinuerit litteras. quibus poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ inijt, ac proinde, quæ ſunt iuriſdictionis, exercere poteſt, vt ſuo loco dicemus; Is inquam, ſi intra trium menſium ſpatium datum ad conſecrationẽ, in excommunicationem incideret, an fructus percipere poſſet quæritur: quos aio, poſſe ab illo percipi officio præſtito eorum, quæ ad iuriſdictionem ſpectant. Ratio eſt, quia tametſi quo ad Deum ſuum non rectè obeas munus, rectè tamen illud in Eccleſiæ vtilitatem cenſetur præſtare, nam geſta omnia huiuſmodi excommunicati valida eſſe ſæpe diximus; quamobrem ob officium præſtitum, ſtipendium beneficij aſſignandum eſſe decet: ex quo rationis momento nos iure loquutos fuiſſe de excommunicato occulto vel tolerato liquet; nam non toleratus, neque ad officia diuina neque ad miniſteria & actus iuriſdictionales admittitur, in quem vrget *Cap. Paſtoralis §. verum de appellat.* vbi dicitur quòd *prouentus Eccleſiæ meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſiæ communio denegatur; & meritò*, vt habet *Gloſſa; qui enim extra Eccleſiam eſt, nihil nomine Eccleſiæ poteſt poſſidere 8. diſt. quo iure, & 23. q. 7. Cap. 2. & 7. & 32. Eos.* idcirco excommunicatum etiam denuntiatum videtur textus ille comprehendiſſe.

15 Eam tamen limitationem hæc habet aſſertio, vt tunc ſolum vera ſit, quando fructus beneficij, ſatis ad congruam ſuſtentationem beneficiati ſunt, etiamſi aliunde, vnde ſubſtentaretur, haberet; ſecus verò, ſi longè pinguiores eſſent, nam ex his illis, quos dixi prudentis iudicio ad ſuam ſuſtentationem neceſſarijs deductis, reliquos tenetur beneficiatus reſtituere poſt ſententiam iudicis; in quo ſenſu ſubſcribo *Henriquez* indicanti, ſubobſcurè non priuari fructibus Beneficiatum, quamuis fuerit in mora procurandæ abſolutionis. Neque *Cap. Paſtoralis citatum* contra primam noſtræ concluſionis partem facit: tum quia videtur contra non toleratos loqui, vt dixi; tum quia poterit explicari contra toleratum ſuum non præ-
16 ſtantem officium. Demum cùm præcipiat, vt ſubtrahantur fructus poſt ſententiam, & non ante, intelligendum eſt, cùm diſpoſitio ſit pœnalis, neque ſine expreſſo textu aggrauanda. Confirmatur, quia, vt ſequenti concluſione dicemus, ab officio ſuſpenſus, neceſſariò ſuſpenſus non eſt à beneficio: ſed Excommunicatus non aliter videtur priuatus fructibus, quàm quatenus eſt ſuſpenſus ab officio; igitur non eſt ijs abſolutè priuatus; minor huius argumenti probatur, quòd excommunicatio per ſe, atque immediatè, ſolùm priuat communione fidelium, reliquis autem rebus (ni aliud iure exprimatur) tantum priuat, quantum haberi non poſſunt ſine communicatione prohibita; atqui poteſt excommunicatus ius ad fructus habere; immò eos percipere ſine communicatione ſibi prohibita, quemadmodum
17 propriorum agrorũ percipit; ergo, &c. Secunda concluſionis pars eſt *Couarr. 3. variar. cap. 13. num. 8. illat. 12. Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 2. diffic. 4. num. 278. Auil. citati conc. 1.* & patet ex contraria ratione: immo hos reſtituere tenetur fructus, ante iudicis ſententiam, quòd hæc lex non eſt pœnalis, ſed conuentionalis; ex qua reſtitutio videtur eſſe rei alienæ, ad quam ex naturali iure tenebitur homo; vt proſequitur *Nauarr. in ſum.*

cap.

cap.25.num.221. atque in hoc ſenſu ſubſcri-
bo *Gutier. canon. quaſt. cap.7. Argent. 2. 2. q.*
12. alijſq; apud Couarr. aſſerentibus, ad reſti-
tutionem obligari Beneficiatum, quamuis
negligens non fuerit ad abſolutionem pe-
18 tendam. Tertia pars eo vera eſt, vt etiam
fructus diſtributionis lucretur iniuſtè ex-
communicatus; ſic *Couarr. Nauar. & Auil.*
laudati, & expreſsè habet *Gloſſa citati cap.*
Paſtoralis verb. ſubtrabantur ex 2. q. 5. ſuper
cauſis, & ff de re milit. l. penult. & de conceſſ.
praben. Quia diuerſitatem.

19 Obijcies primo ex *Syluest. verb. Clericus*
4. q. 25. & verb. excommunicatio 3. nu. 1. An-
ton. 3. part. tit. 24. cap. 76. effectu 9. & alijs, ne-
que improbabiliter ſentientibus, ſuis ſolum
priuari fructibus benefitiatos excommuni-
catos, quando ſunt in mora petendi abſolu-
tionem, ex *Cap. Quia diuerſitatem de conceſſ.*
prab. vbi de quodam Archiepiſcopo ſuſpen-
ſo dicitur, quod per ſex menſes, in quibus
haud negligens fuit in ſibi comparanda ab-
ſolutione, conferendi beneficia non fuerit
iure priuatus; ergo ſimiliter erit de Epiſco-
po excommunicato, quamdiu negligens nõ
fuerit in abſolutione quærenda. Reſpondeo
huic argumento, vt ſecundæ parti noſtræ
concluſionis pugnanti, affirmatiuam quip-
pe partem à iure expreſſam eſſe, quando
nempe diligentem ſe præbuerit Epiſcopus
in ſibi procuranda abſolutione, beneficiorũ
collationem non deuolui; neutiquam vero,
exaratum in iure nos habere, quòd, quando
excommunicatus negligens in comparan-
da fuerit abſolutione, officio non præſtito,
fructus tamen lucretur, faciatq; ſuos: Immo
clarè deducitur contrarium, quod officium
non præſtanti meritò denegentur emolu-
menta.

20 Ex his facili negotio, quid de Præſule
iam conſecrato excommunicato dicendum
ſit, deduci poteſt.

21 Quinta concluſio. Præſul legitime ele-
ctus, & confirmatus, qui poſſeſſionem ſuæ
Eccleſiæ tam inijt, fructuſque percipit, ſi ſu-
ſpendatur ab officio, non eſt ſuſpenſus à be-
neficio, & iure percipiendi fructus, niſi ex-
preſsè id declaretur. Antequam hanc probẽ
concluſionem, ab ipſa re admoneor, vt hoc
loco varietatem referam ſententiarum; &
vereor, nè ad faſtidium lectoris nauſeam
prouocem: vt enim nil facilius, quàm li-
brorum volumina alienis referta materijs
theſim continentibus exarare, quod multi
videmus præſtitiſſe; ita ſæpe ſæpius legenti
tędium hoc ipſum ingerit. Obiter igitur mi-
hi aliud conſilium habenti, & ad propriarũ
rerum hypotheſim properanti *Sanchez* in-
dicaſſe ſatis erit, ex quo facili negotio, eas
cupiens legere poterit *lib. 3. de mat. diſp. 51.*

22 Ad propoſitum itaque noto tripliciter ex
Syluest. verb. ſuſpenſio q. 5. Sanch. laudato nu.
1. & ex multis apud hos poſſe aliquem ſu-
ſpendi; primùm ab officio, ideſt ab exercitio
ordinis, officijque clericalis, immò, & iuriſ-
dictionis: ſecundùm à beneficio, ideſt à bene-
ficij fructibus excipiendis; nam ſic ſuſpenſus
non interdicitur ab illius adminiſtratione
in temporalibus, & ſpiritualibus: tertiùm
ab officio, & beneficio ſimul. Secundò no-
23 tandum, nullam eſſe difficultatem, ſi ſen-
tentia, vel canon ab officio, & beneficio la-
tam ſuſpenſionem exprimeret: vel ſi ab of-
ficio tantum; ſub prima enim ratione la-
ta ab vtroque ſanè ſuſpenderet: ſub ſecun-
da verò non à fructibus, ſed ab officio tantũ;
aliàs verba non verificarentur, vt benè *Syl-*
ueſt. citatus verſ. ſi iterum ſuſpenſio ſit ab offi-
cio, & ibi Tabien. q. 4. n. 5. Roſell. verb. ſuſpen-
ſus num. 1. in fine. Diuus Antonin. 3. part. tit.
27. cap. 4. verſ. item, Sanch. laudatus, & alij.
Demum noto, in eo controuerſiam verſari,
quando nempe ius, vel ſententia quempiam
abſolutè ſuſpendit ab officio, an hoc, vel ip-
ſo à beneficio ſuſpendere etiam cenſeatur.

24 Quibus prælibatis, probatur concluſio;
primò auctoritate *Bonifacij Clem. finali nu.*
38. de pæn. vbi hæc habentur. *Poſſumus dice-*
re, quod ſuſpenſus ab officio, ſiue perpetuo, ſiue
ad tempus; ſiue ſimpliciter, ſiue à iure, ſiue ab
homine, ſiue ex leui cauſa ſiue ex graui, ſiue ſit
in mora petendi abſolutionem, ſiue non, nun-
quam cenſetur ſuſpenſus à beneficio, niſi hoc in
ſententia exprimatur. Quid ad rem aptius?
Secundò verba in decretis ſuperflua eſſe non
debent, ac aliquid operari: ſed in iure inter-
dum ſuſpenſio ab officio, atque à beneficio
ſigillatim exprimitur; ergo, dum non expri-
mitur, ab vtroque ſuſpenſus quis cenſendus
non eſt. Maior probatur, quia ſuperfluitas
in lege, aut decreto vitanda eſt, etenim ſi
abſq; ſpeciali expreſſione abſolutè ſuſpẽſus,
& ab officio, & à beneficio vtiq; habẽdus eſ-
ſet; ſuperuacaneũ ſanè eſſet aliquando in ca-
none ab his ſigillatim ſuſpendi, contra *cap. ſi*
Papa de priuil. in 6. ibi *eũ uerba operari debeãt*
& l. 3. in principio, ibi *nec fruſtra dicitur ff. de*
iure iuran. ita ut nec ſola dictio tãtũ, ſine ali-
quo effectu eſſe debeat, verum nec minima
quidẽ ſyllaba, vt habent *Gloſſ. cap. ſoluta verb.*
tanquã, de maior. & obedien. Staphileus de litt.
grat. tit. de vi, & effec. clauſ. § 7. num. 6. Simon.
de Pretis de interp. vlt. volunt. lib. 2. interp. 3.
dub. 2. ſolut. 5. cuius initium Quinto generali-
ter. Minor autem propoſitio probatur ex
cap. tam litteras in fine, ibi, Ab officio, et benefi-
cio denuntietis eſſe ſuſpenſos, de teſt. & atteſt.
& cap. 1. de ſecund. nupt. & cap. Tuarum de
priuil. ac alijs paſſim textibus. Tertio proba-
tur in iure, diuerſæ ſunt quaſi ſpecies ſuſpẽ-

ſionis

ſionis ab officio, & à beneficio, vt *cap. quia in omnibus in fine de vſur. & cap. finali §. finali de cland deſponſ.* & quandoque à beneficio ſolum, vt *cap. cum in cunctis §. finali de elect. & alijs,* quos modo retuli, textibus, igitur ſuſpenſio ab officio, ſuſpenſionem à be-
25 neficio neceſſariò non inducit. Quartò conſtitutio pœnalis extendenda non eſt ad caſum non expreſſum, cum odia reſtringenda, neque vltra ſphæram educenda ſint, *Reg. Odia, de reg. iur. in 6.* ergo conſtitutio ſuſpendens ab officio extendenda haud eſt ad ſuſpenſionem à beneficio. Quinto, quia clericus non ſuſpenſus ab officio, ſi per Vicarium ſuum adimpleat miniſterium, beneficij non amittit fructus, ſed ſatis eſt, ſi Vicario miniſtranti ſatisfaciat, *cap. cum ex eo de elect. in 6.* ergo ſimiliter clericus ab officio ſuſpenſus non ea de cauſa beneficij fructus amittit, cum Vicarium miniſtrantem deſtinare poterit, congrua aſſignata & mercede ex beneficij parte; quod ſanè, vbi de curatis etiam beneficijs apud Doctores exploratũ eſt, facili negotio noſtræ de Epiſcopatu rei poterit accomodari. Amplectuntur præterea hanc de omnibus beneficijs ſententiam *Gloſſ. cap. Presbyter ſi à plebe 2. q. 4. verb. ſuſpendatur il 1. Nauarr. lib. 5. conſilior. in ſecunda editione tit. de homic. conſil. 41. num. 2. Perez lib. 5. ordinat. tit. 7. lib. 1. ſol. 31. §. in oppoſitum Sanch. lib. 3. de mat. diſp. 51. nu. 12. & paulò ante etiam laudatus.*

26 Obijcies ſecundò. Quotidianæ diſtributiones illis tantum dantur, qui choro interſunt *cap. vn ita de cler. non reſid. in 6. & Trident. ſeſſ. 4. cap. 12. de reform. ad finem*, ſed ſuſpenſus ab officio nequit intereſſe horis canonicis; ergo ſuſpenſus erit à diſtributionibus. Secundò, diſtributiones ei non dantur, qui quomodolibet Canonicis non intereſt horis, ſed illi, qui ex Eccleſiæ beneplacito ritè choro adeſt: atqui ſuſpenſus ab officio, miniſtraret quidem. & contra Eccleſiæ prohibitionem; ex quo munere pœnam potiùs, quam præmium reportare deberet; ergo vt graues Auctores docẽt, quoties Eccleſiaſticus excommunicatus, ſuſpenſus &c. arcetur à miniſterio, fructus ob illud debitos non acquiret; ita *Rebuffus in praxi beneficiorum tit. de Simon. in reſignat. num. 15. Couarr. 4. decretalium 2 part. cap. 6. §. 8. num. 7. in fine Vinald. cã de l. ſacram. 2. part. mater de ſuſpenſ. num. 171. in fine.*

27 Ad primum argumentum aio, ad ſummum probare, Suſpenſum ab officio emolumento priuandum, ob perſonale miniſteriũ ei debito; quando hoc non præſtitit, vt quotidianæ ſunt diſtributiones: non tamen probare, ſi Suſpenſus ab officio illud præſtiterit, horis ver. grat. ſi interfuerit canonicis, fructus nõ lucraturum, & diſtributiones; quamuis illud obeundo munus peccaret; ſatis .n. probabile eſt, Canonicum excommunicatum, & ſuſpenſum, ſi horis interfuerit, etiam ſi illicitè, diſtributiones tamen lucrari; vt ſcribunt *Nauarr. lib. 2. de reſtit. cap. 2. in noua editione part. 2. difficul. 5. nu. 243. Henriq. lib. 13. de excommun. cap. 3. num. 3. & cap. 14. nu. 3. in fine cap. 32. num. 3. in commentario litt. X. Sanch. lib. 3. de mat. diſp 51. num. 11. §. tandem.* Et ratio eſt, quia quamuis illud miniſterium peccaminoſum fuerit, ob quod in externo foro poſſet fructibus ille priuari, immo & grauiori pœna plecti; nihilo tamen minùs, proficuum Eccleſiæ cum fuerit, non ſecus, ac ſi à miniſtro non ſuſpenſo præſtitũ fuiſſet, quo ad illum apparentem cultum; miniſterij ſtipendium aſciſcere ſibi poterit; nam vt probè *Sanchez laudatus* poſſeſſor malæ fidei mercedem laboris in vtilitatem Reipublicæ impenſi percipit; allatum igitur argumentum ſolum probat, Suſpenſum non miniſtrantem percipere diſtributiones non poſſe, ſecus verò miniſtrantem, cùm validè (quamuis illicitè) choro interſit.

Ad ſecundum nego, eam doctrinam; etenim diſtributiones non ob licitam, ſed ob validam, atq; vtilem aſſiſtentiam dantur.

28 Obijcies tertiò, vbi vnum accedit alteri, ſi quis à principali amouetur, amotus cenſetur ab acceſſorio, quippe ſequitur acceſſorium principale; *ex reg. Acceſſorium de reg. iur. in 6.* & cenſetur vnum, atque idem cum principali *cap. Eos diſt. 81.* Cum ergo beneficium ſit acceſſorium ipſi officio, propter quod datur, *cap. cum ſecundum de præbend. cap. finali de reſcript. in 6.* Suſpenſus quis ab officio, cenſebitur ſane ſuſpenſus etiam à beneficio. Reſpondeo allatam regulam veram eſſe, quando prorſus amouetur à principali; at verò ſuſpenſus ab officio multa poteſt beneficij miniſteria ſi non licitè, validè ſaltem obire, vt in re noſtra ſæpe dictum eſt. Nec aliud voluit *Alexander ſecundus in Can. Eos, citato, diſt. 81. Eos* (dum ait) *qui officium diuinum derelinquunt, ſicut ſe ab officio alienos faciunt: ita beneficio Eccleſiarum priuatos eſſe iudicamus*; quem etiam ſenſum damus *cap. ſi quis ſacerdotum, eadem diſt.*

29 Obijcies quartò ex *cap. Præter hoc diſt. 32. quod eſt Alexandri Secundi modo laudati,* qui quidem poſt quam concubinarium clericũ ab officio declarauerit ſuſpenſum, ſubijcit, *neq; partem ab Eccleſia ſuſcipiat;* ergo ſuſpenſus ab officio, conſequitur ſuſpenſus etiam eſſe à beneficio; ſic *Gloſſa cap. Latores verb. ab officio de cler. excom. miniſt. & ibi Hoſtienſ. verb. ab officio. Bernard. Diaz. pract. crimin. noua editione cap. 73. num. 8.* Reſpondeo in eo textu rem aliter ſe habere, quòd clarè ille

rem

rem exprimit;ſecus in noſtra quæſtione,in qua quærimus, num neceſſaria ſequela,quin aliud exprimatur,ad ſuſpenſionem ab officio,ſuſpenſio ſequatur à beneficio, *vt probè Gregor.Lopez lib.17.verb. Eldereccbo tit.9. part.1.*

CAPVT IV.

Qua ratione, minori deuinctus excommunicatione, ſit ad Epiſcopatum ineptus:

SVMMA.

Quæſtionis occaſio.num.1.
Variæ ſententiæ.nu.2.& 3.
Minori ligatus excommunicatione ſcienter in promotionem ad Epiſcopatum conſentiens peccat mortaliter.num.4.
Etiam conſentiens in præſentationem. num. 5.
Idem aliquando de poſtulatione dicendum.nu.6.
Peccant etiam lethaliter eligentes, præſentantes, & nonnunquam poſtulantes. nu.7.
Minori ligatus excommunicatione, ignoranter promotus ignorantia antecedenti ſiue iuris, ſiue facti non peccat mortaliter.nu.8.& 10.
Idem dicendum,ſi naturali laborabat inaduertentia.num.9.
Etiamſi tali eſſet animo,vt non intercedente ignorantia,vel aduertentia adhuc conſentiret,ex vi conſenſus in electionem non peccaret, etſi alias peccaret,& cur.num.11.& 12.
Idem cum proportione dicendum de eligentibus, præſentantibus,&c.num.13.
Quomodo ignorantia concomitans,quo ad hoc,ſe habeat ad peccatum.num.14.& 15.
Ignorantia inuincibilis pene non excuſat à peccato excommunicatum conſentientem in ſui electionem.num.16.
Ab hac culpa vrgens poterit excuſari neceſſitas. num.17.
Minori ligatus excommunicatione Epiſcopalem ſuſcipit ordinem validè,& illicitè,quin irregularitatem contrahat.num.18.
Electio in Epiſcopum ſcienter habita talis excommunicati eſt irritanda.num.19.
In pœnalibus interpretatio debet eſſe benigna. num.20.
Propria verborum forma non eſt deſerenda,numer.21.
Electio, & omnis actus promotionem præcedens excommunicati excõmunicatione minori ignoranter habitus,nec eſt irritandus in foro externo.num:22.& 24.
Reijcitur obiectio contra datam doctrinam.nu. 23.
Excuſatur ab irritatione aſſerta ob ignorantiam iuris imponentis.num. 25. & 27.
Ob veniale peccatum hac pœna non poteſt incurri. num.26.
Excuſatur per vim,vel metum.num. 28.
Etiam litterarum impetratio erit annullanda,vbi electio erit irritanda.num.29.
Quomodo amplianda,ac limitanda aſſerta doctrina.nu.30.& 31.
Promouentes excommunicatum excommunicatione minori non ſunt ſuſpenſi.num.32.
Quid de promoto à Papa.num.33.
Quid de fratribus huius excommunicati.nu. 34.
Collatio Epiſcopatus tali excommunicato facta ſæpe conualeſcit.num.35.
Non poteſt Epiſcopatus acceptari à tali excommunicato,etiam electo:dum non erat excommunicatus.num. 36.
Quid de fructuum perceptione ab hoc excommunicato 37.

1 A Beneficijs, ac dignitatibus ſacri Canones cùm arceant minori excommunicatione ligatum,ſpecialemque in eum legem ſanciant, diſtincto capite hoc ad expediendum impedimentum nos obligant.

2 De quo duæ præcipuæ ſunt opiniones: prima irritam docet ipſo iure electionem excommunicati minori excommunicatione ad dignitatem. Citari ſolet *Gloſſa ſi celebrat de cler.non ordin.miniſt.* quæ ſane hoc expreſsè non habet;defenditur tamen hæc ſententia à *Couarr.cap.Alma mater part.1.§.8.num.3. Abbat.in dictum cap.ſi celebrat num. 3. Angelo verb.excommunicatio,num.5. Syluest.pariter excommunicatio 4.num.4. Henriq.lib.13. de excomm.cap.3.num.3. Ex quibus Couarr.& Armil.*idem tenent de electione ignoranter facta;ſecus *Sylueſt. & Henriq.* neque fundamentum alicuius momenti afferunt.

3 Secunda ſententia docet,non irritam, ſed irritandam talem electionem eſſe, cuius auctores,& rationes *num.18.& nu.19.* infra referemus.

Nos vero, quæ de alijs cenſuris innodatis *præcedenti cap* agitauimus,de hac pariter diſputabimus.

4 Prima concluſio. Minori ligatus excommunicatione ſcienter conſentiens in electionem ſui ad beneficium Epiſcopatus, peccat mortaliter; ita ſentio cum communi apud *Aulam 2.part.diſp.12.cap.6.dub.4.aſſert.1.& diſp.3.part.1.ſect.6. num. 1.* idemq; iudicium ferendum promotoribus,vel electoribus: ſũmum ſemper excludo Pontificem,qui ſi ſciẽter id faceret,cenſeretur diſpenſaſſe, vt *cap.2. num.24.* dictum eſt, Et ratio eſt,quia prohibitio expreſſa *cap.ſi celebrat de cler. excom. miniſ.* eſt in materia graui ſub graui pœna electionis irritandæ,vt infra; igitur arguit grauem

uem materiam præcepti.

5 Secunda concluſio. Non ſolùm qui in electionem, ſed etiam qui in præſentationem ſcienter conſentit taliter excommunicati, peccat mortaliter. Eſt concluſio contra nònnullos Thomiſtas, apud Auilam citatum. defenditur tamen à *Nauarro* quo ad omne beneficium in *ſum. hiſpan. cap. 27. num. 44. Henriq. lib. 13. de excomm. cap. 3. num. 3. Pedraz. in ſum. lib. 2. cap. 1. Couarr. Cap. Alma mater part. 1. §. 7. num. 1. Auil. de cenſur. 2. part. cap. 6. diſp. 12. dub. 4. concl. 2. Suar. diſp. 24. ſect. 2. num. 22. ConincK. diſp. 14. dub. 17. num. 262. apud quos alij*. Probatur quòd ab electione ad præſentationem eſt optimum argumentum ſecundùm *Gloſſam* communiter receptam *in Cap. vltim. de elect. in 6.*

6 Immò & de poſtulatione idem dicendum eſſe videtur, vt ibidem *Gloſſ. verb. electione, & confirmatione*, dummodo ab alio, quàm à Papa haberetur, quæ confirmanda eſſet electio, vt diximus *cap. 2 citato nu. 17.* vel alteri præſentaretur, vel ab altero poſtularetur. Quòd ſi Papa eo animo, vt diſpenſaret, rogaretur, in eo impedimento, perſonamque habilem abſolutè redderet, peccatum profectò excuſaretur. Fauet *Riccius in deciſ. 166. numer. 3.* Hinc infero eodem pacto peccare mortaliter eligentes, & præſentantes, ſic *Auil. 2. part. cap. 6. diſp. 12. dub. 4. concl. 1.* & eodem excuſari, vt *num præcedenti* diximus de electo, vel præſentato.

8 Tertia concluſio. Minori ligatus excommunicatione, ignoranter promotus ignorantia antecedenti inuincibili ſiue iuris, ſiue facti, non peccat mortaliter (promotionis nomine conſenſum in electionem præſentationem &c. cõprehendo) Eſt manifeſta concluſio; nam ignorantiam probabilem antecedentem, atque inuincibilem excuſare à peccato exploratum eſt, ac docuere *Diuus Auguſt. lib. 1. retract. cap. 18. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. Diuus Thom. 1. 2. quæſt. 76. art. 3. & alij*, quorum veſtigijs inhærentes, rationem aſſignamus. Quia quicquid omninò eſt inuoluntarium, culpa vacat, ſed huiuſmodi eſt, quod per ignorantiam inuincibilem eſt volitum, ergo &c. Confirmatur, quia vel eſt ignorantia facti, & actum omninò reddit inuoluntarium, cùm non ſit à perpendente ſingula: vel eſt iuris, & inuoluntarium cauſat actum, quatenùs malum, & prohibitum, quippe ignorantia inuincibilis, atque antecedens vt *lib. 2. diſp. 3. cap. 4. num. 2. ac deinceps* diximus, eſt qua quis ſine vlla culpa opus, aut eius malitiam ignorat.

9 Nomine autem ignorantiæ non habitualem ſimpliciter modo, ſed actualem etiam inconſiderationem, inaduertentiam, ſeu obliuionem amplector, quæ ſi fuerit inuincibilis, etiam ſi perfectiſſima ſcientia habitualis adeſſet, tum prohibitionis, tum pœnæ Eccleſiaſticæ, nè quis excommunicatus minori excommunicatione ſcienter aliquo beneficio, dignitateque donaretur, excuſabit ſimiliter à culpa; quòd eadem ratione inuoluntarium cauſet, vt tradunt *Azor. tom. 1. lib. 1. inſtitut. moral. cap. 16. quæſt. 3. Suar. 5. tom. in 3. part. diſp. 4. ſect. 8. num. 5. & 8. Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 17. num. 8.* & ratio eſt, quòd cum habituali ſcientia minimè ſufficienti ad mouendam voluntatem cohærere poteſt defectus notitiæ actualis, requiſitæ ad motum voluntarium ipſius voluntatis.

10 Illud autem ſilentio minimè prætereundum eſt, concluſionem intelligendam eſſe, quando tota inuincibiliter ignoratur actus malitia; nam ſi pars malitiæ cognita ſit, aut vincibiliter non cognita, ea culpæ vertetur: ſic in noſtro caſu, ſi quis electionem noſceret ſuæ perſonæ excommunicatæ non eſſe peccaminoſam; eſſe verò præſentationem; cùm ſe præſentari voluntariè permitteret, ſanè peccaret; ſecus ſi tantum eligi ſineret: quod de alijs voluntarijs conſenſibus, ex parte promoti, dictum etiam, ſeruata proportione, volo; immo & promouentis, eligentis, &c. vno ſemper excluſo Papa.

11 Ex his infero primò, quòd ſi quis minori excommunicatione ligatus ita conſentiret in ſui electionem, vel aliqualem promotionem, vt ignoraret inuincibiliter, atque antecedenter, ſe non poſſe licitè in electionem conſentire; tali tamen eſſet animo, & ſic diſpoſitus, vt ſi è contra cognoſceret eſſe ei hoc prohibitum, etiam in eam conſentiret electionem, nec etiam peccaret ex vi conſenſus in illam electionem præſtiti. Ratio autem eſt, quia hic in tali caſu ignorantia inuincibili concomitante laboraret, quæ quidem à malitia obiecti ſic inuincibiliter ignorata prorſus excuſat. Secundò, quòd actus imperatus præſertim externus eatenus eſt culpabilis, quatenus voluntatis imperantis iuſſu admittitur, at in hoc euentu voluntas non imperaret conſenſum in electionem perſonæ excommunicatæ, vel prohibitæ, vtpote omnino taliter ignoratæ; ergo cùm ignorantia concomitans nullo pacto ſit ignorati excitatiua conſenſus, ad eum ſe habebit tantùm, vt reddẽs inuoluntarium & culpa vacantem: quod colligo ex generali doctrina de ignorantia concomitante, tradita à Cord. *in quæſtion. lib. 2. quæſt. 29. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 14. quæſt. 4. Vazq. 1. 2. diſp. 125. cap. 2. Suarez. 5. tom. in 3. part. diſp. 4 ſect. 8. num. 8. Salaſ. 1. 2. q. 6. art. 8. tract. 3. diſp. 4 ſect. 2. num. 16. Sanch. lib. 9. de mat. diſp. 32. & 27. nec non lib. 1. oper. mor. cap. 16. num. 17. apud quos alij, & nos loco laudato proſequuti ſumus.*

Con-

12 Conſulto dixi, ex vi conſenſus in illam electionem præſtiti; nam aliàs eſſet peccaminoſus ille conſenſus; & quidem tripliciter in electionẽ illicitã, qui conſentit, poteſt ſe habere. Primò, ſi voluntatem ſolam habitualem haberet conſenſum præſtandi eam in electionem, etiam ſi cognitam, vt prohibitam; quem tamen conſenſum actu elicitum in eam, vt ſic prohibitam, non elicit; & hæc diſpoſitio, ſiue habitualis voluntas ita Conſentientem minimè peccati reum facit, excuſatque tum ab interna, tum ab externa culpa; quia per diſpoſitionem habitualem, formaliter non peccatur, donec in actum ea prodeat; ſic ſermonem habentes de eo, qui in voluntate habituali perimendi hoſtem exiſtens, eaque actuali carens, dum ſagittam emittit, putans occidere feram, illum ipſum hoſtem inuincibiliter, ignoranter occidit, *Soarius modo laudatus num. 9. Zumel. 1. 2. q. 76. art. 3. diſp. 1. in probatione tertia cõcluſionis Sanch. lib. 1. oper. mor. ac alij*. Secundò, vt, dum conſentit electioni, voluntatem actualem habeat in eam conſentiendi, etiamſi eſſet illicita, cùm tamen inuincibiliter tunc exiſtimat, eam electionem licitam eſſe, ac legitimam: quam vt ſic amplectitur, ita vt cognitio illa, prauuſque animi affectus conſenſum tantum præſentem comitetur, quo penè abſtracto à conditionibus hìc, & nunc taliter indiuiduantibus, & abſolutis de facto electionem illegitimam, & vetitam, etſi non ita cognitam voluit; cum qua per accidens prorſus coniungitur, quatenus in indiuiduo hìc, & nunc elicita, ad quam minimè mouit; & tunc ille conſenſus hìc, & nunc in indiuiduo elicitus culpa prorſus vacat, ſoluſq; voluntatis actus, ſiue affectus circa eam, etiamſi vt illegitima fuiſſet cognita, quo vt ſic, tametſi innoteſceret, admitteretur erit peccaminoſus, quippe qui in cõſenſum electiuum, ſiue internum, ſiue externè probatum non influit; neque hic ex illo prauo voluntatis imperio, ſiue dictamine traxit originem, ſed è ſola voluntate conſentiendi in electionem præcognitam, vt licitam: ſic de eodem, de quo ſupra, feram putante occidere, inimicum tamen necante diſputantes *Soar. laudatus nu. 9. Salas, Azor. modo citati, Vazq. diſp. illa 125. cap. 2. num. 5. Zumel poſt 3. concl. Sanch. num. 14. & nos lib. 2. diſp. 3. cap. 4. num. 9.* proſecuti ſumus; quicquid in contrarium ſcribat *Cordub. in quæſtion. lib. 2. q. 19.* Tertio modo quando is ignorans conſentiret electioni voluntatem actualem habens in eam quomodolibet conſentiendi, ſiuè licitè, ſiuè illicitè factam, ac tunc eſſet conſenſus peccaminoſi in eam de facto tendentis illicitam, quia cum actualis voluntas illi ſit conſentiendi, ſiuè liciti, ſiuè illiciti, quamuis inuincibiliter iudicet illam electionem eſſe licitam, eandem etiam ſufficienter agnoſcit tanquam illicitam, in qua pariter tendit, ita *Corduba modo citatus ad finem Soar. eadem ſect. 8. num. 10. Azor. et Sanch. ibidem* quicquid in contrarium minus rectè docuerit *Zumel citatus verſ. moueor vlterius*. Ratio autem eſt, quod ille æquè in licitam, atque in illicitam ſibi repræſentatam tendat electionem, à qua vt ſic ſpecificatur, & malitiam ſibi vendicat conſenſus.

13 Infero ſecundò idem cum proportione dicendum eſſe de eligentibus, præſentantibus &c. de quibus eadem eſt ratio.

14 Verum è *Durando in 2. diſt. 12. q. 4. num. 5. Sayro in claui regia lib. 2. cap. 9. nu. 35. & 36. ac alijs apud Sanch. loco citato de matr. lib. 9. diſp. 32. & 27.* quibus fauet *Diuus Thomas 1. 2. q. 6. art. 8. & q. 16. art. 3.* vbi dicit hãc ignorantiã non excuſare. Obijcies; hæc ignorantia auctore *Ariſtotele 3. ethicor. cap. 5.* cui ſubſcribit *Diuus Thomas 1. 2. q. 6. art. 8. modo citatus*, non facit inuoluntarium contrariè, cùm cauſa non ſit alicuius rei voluntati diſplicentis, ſed potiùs conformis, & amatæ, ſed ſolum inuoluntarium facit negatiuè, ideſt non voluntarium: tum quia in caſu noſtro conſenſus in electionem prohibitam, vel illicitam, vt talem non tendit; cùm prohibitio, vel illius malitia ignorata ſupponitur, & conſequẽter non eſt effectus proprius ab illa voluntate ortum ducens: tum quia vt ſic neque etiam obiectiuè volita eſt electio prohibita; ergo non excuſat hæc ignorantia à culpa. Secundò, circumſtantia culpam augens, vel minuens, aut excuſans per ſe debet ad actionem pertinere: ſed ignorantia concomitans per accidens ſe habet; ergo excuſat à culpa, & à pœnis adnexis actui prohibito.

15 Reſpondeo, non modo inuoluntarium contrariè opponi peccato, quod voluntariũ prorſus eſſe debet, ſed etiam voluntarium negatiuè: immo, vt in argumento expoſitum eſt, propriam repugnantiam hoc negatiuum habet inuoluntarium cum voluntario peccati, quod eſſe debet à noſcente ſingula. Ad ſecundum aio, de qua loquimur, ignorantiã per accidens quidem ſe habere cum entitate actus, quippe quæ eſſet etiam ponenda abſq; ea; immo cum ſcientia, vel notitia contraria, cuius cauſa non eſt, ſed cum eodem, vt voluntario, vel inuoluntario benè compati; & quamuis concomitans dicatur, quia ſcilicet idem conſenſus futurus eſſet, etiam ſi ipſa non interfuiſſet; immo contraria notitia operanti fuiſſet, nil obſtat, quò minùs ipſamet ad inuoluntarium concurrerit: ad cuius dilucidationem aduotaſſe operæ pretium eſt, in conſenſum iam dictum primò notitiam concurrere electionis: ſecundò igno-

ignorantiam eiuſdem, vt prohibitæ: tertiò impropriam conditionem quãdam ſcientiæ prohibitionis non actu exiſtentis, ſed quæ ſi ſponeretur, ſimilis etiam conſenſus eliceretur; quæ etiam poſſet dici ſcientia ſub conditione. Quo adnotato abſoluta notitia electionis, vt licitæ, abſolutè etiam concurrit, veluti cauſa illius conſenſus: deinde ignorãtia prohibitionis in cauſa eſt, cur conſenſus in electionem, vt prohibitam, non ſit volũtarius, vel ſit inuoluntarius negatiuè; ſcientia vero ſub conditione, ſeu conditio notitiæ prohibitionis, & multò minus voluntas, quæ ponenda eſſet, non influunt in ſubſtantiam actus: nec refert quod futurum eſſet, vt influerent in eundem, vel ſimilem actum conſenſus, quippe conditio nihil ponit in eſſe, nec Diuus Thomas contrarium docuit, qui tantum hanc intendit ignorantiam, ab illa, quam *nu.* 12. explicaui, malitia actus concomitante non excuſare, Vazquez optimo interprete, quẽ paulo ante laudaui *cap.* 3. *nu.* 8.

16 Infero tertiò, ignorantiã inuincibilẽ pœnę impoſitę per *cap. citatũ ſi celebrat de cler. excom. miniſt.* non excuſare conſentientẽ excõmunicatum in ſui electionẽ, quò minus culpam incurreret. Ratio eſt, quia ignorãtia ſolum, vt minuẽs, vel auferens voluntariũ excuſat; at ignorantia pœnæ formaliter, & per ſe non reddit culpam minus voluntariam, igitur &c. Non tamẽ inficior indirectè, ac quaſi per accidens, culpam non nihil minui, cuius grauitas, ignorata pœna, nõ ita clarior innoteſcit; quo circa re penitius perpenſa ignorantia pœnæ non eſt, quæ minuit immediatè culpã, ſed potius ignorãtia malitiæ qua illud obiectum, vel actus laborat; quæ quidẽ, ignorantia ortum quaſi habet ex ignorãtia pœnę.

17 Infero quartò, ab hac culpa excuſare etiã poſſe vrgentẽ neceſſitatem effugiendi graue damnũ infamiæ, vel ſimile, iuxta dicta *cap.* 1. *n.* 4. quamuis faciliori negotio poſſet, quis à cõſenſu interno in hoc caſu ſe abſtinere, ſaltẽ vſq; ad abſolutionẽ, vt loco cit. *n.* 14. ſcripſi.

18 Quarta concluſio. Excõmunicatus minori excommunicatione ſuſcipiens Epiſcopalem Ordinem, & Sacramentum, illicitè, ſed validè ſuſcipit; nec fit irregularis. Prima pars probatur à fortiori per ea, quæ diximus *concluſ.* 1. quibus etiam lethaliter peccare probatur: ſecunda per ea, quæ tradidimus *cap.* 1. *n.* 4. & quidem potiori iure: tertia verò de excommunicato quocumq; ordines etiam maiores ſuſcipiente, eſt *Nauarr. in ſum. cap.* 27. *nu.* 241. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 6. *nu.* 4. *Auil.* 7. *part. diſp.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 6. & aliorum paſſim, deduciturq; ex *cap. ſæpe citato ſi celebrat*, vbi decernitur celebrantẽ quempiã minori ligatũ excõmunicatione, grauiter quidem peccare, irregularitatem tamen non contrahere, ergo à fortiori, neq; ordinis Sacramentum ſuſcipiens.

19 Quinta concluſio. Electio ſcienter habita
excommunicati minori excommunicatione
in Epiſcopum eſt irritanda. ſic ſentio cum
ſecunda ſententia *nu* 3. relata, quæ quidẽ eſt
Toleti in ſumm. lib. 1. *cap.* 16. *Auil.* 2. *part. cap.*
6. *dub.* 4. *concl.* 3. *Leſsu de benef. lib.* 2. *cap.* 34.
dub. 22. *nu.* 116. *ConinecK. diſp.* 14. *de excomm.*
dub. 37. *nu.* 263. *Felin. cap. Dilectè de except. n.*
4 *à medio, & aliorum.* Clarè probatur ex textu
cap. citati ſi celebrat ibi, *ſi tamen ſcienter talis
electus fuerit, eius electio eſt irritanda*: nec
ſatisfacit *Couarr.* pro contraria citatus opinione,
exponens *Tò irritãda pro irrita declaranda*: tum quia expoſitio hæc germana non
videtur, quando præſertim de pœna tractatur,
in qua benignior vſui eſſe debet inter-
20 pretatio *l. ſi præſes, & l. interpretatione ff. de
pæn.* tum quia cũ expoſitio allata, ſit impropria,
non eſt, cur textui accomodetur, cuius
forma verborum propria deſerenda non eſt;
21 vt notat *Gloſſ. cap. Ad audientiam de decim.
verb. intelligeremus*, & ſicut Pontifex in ſimili
ibidem ait, *ſi intelligeremus tantũmodo de
noualibus, vbi ponimus de laboribus, de noualibus
poneremus*: ſic nos etiam argumẽtamur,
nam ſi Papa in citato *cap. ſi celebrat* irritam
decreuiſſet electionem excommunicati, irritam
profectò, & non irritandam dixiſſet; argumento
etiam, *à forma verborum ſine certa
ſcientia non eſt recedendum* 31. *diſt. Omnino, ff.
de lege* 3. *Non aliter, ac de conſecrat. diſt.* 4. *ſi
quis Presbyter, nec non de translat. inter corporalia,
& C. de procurat. eius qui libertatem meruit
l. vnica Demum* 28. *q.* 1. *ſi enim, verb. eum
vero dicit ego dico*: Nec video, qua neceſſitate
ducti contrarij Auctores illam adduxerint
interpretationem; cum abſq; neceſſitate è
proprio ſignificato verba non ſint educenda,
vt diximus, & probè *Abbas* monet in *cap.
Ad audientiam de decim. nu.* 2. addens *ſi princeps
aliud intellexiſſet, benè aliud ſciuiſſet ponere
verbum accomodatius*: vel qua coniectura,
vel conſuetudine, moti ex quibus verba
nonnunquam extenſionem aliquam, aut limitationem
patiuntur; vt ibidem docet Abbas.

22 Sexta concluſio. Electio excommunicati excommunicatione minori, præſentatio, cæteriq; ad promotionem præcedentes actus, ignoranter ſi fuerint facti, nec etiam ſunt irritandi, ſed validi habendi. Hæc cõcluſio tametſi ab extrinſeco contra communem videatur ſententiam, me tamẽ iudice, in textu ſæpè adducto liquidò expreſſa, cui Auctores cõtrarij vim vidẽtur inferre manifeſtã, nã aie ibi Pontifex, *ſi tamen ſciẽter talis electus fuerit, eius electio eſt irritanda*; cum igitur *Tò ſcienter* ad electum præcipuè referant *cum Gloſſa Canoniſtæ.* Quæro num ſit ſuperflua ta-

lis clauſula, ſiue particula, vel aliquid operari debeat? non poteſt aſſeri ſuperflua ob ea, quæ *præcedenti cap.* ſcripſimus *nu.* 24. igitur aliquid operatura eſt; ſed nihil poteſt præſtare circa irritationem ipſo iure, quia talis pœna in eo canone non eſt impoſita, vt *nu. præcedenti* vidimus, neque irrita decernitur ibi electio ſcienter facta, ſed irritanda; igitur quando ſcienter non fuerit facta, nec etiam erit irritanda, etenim ſi ſcientia talis canonis prohibentis, talemq; pœnam ſtatuentis eam habet efficaciam, vt electionem ex eadem factam deſtinet irritandam; conſequenter fit, vt remota hac ſcientia, effectus irritationis habendæ etiam remoueatur. Subſcribunt multi Magiſtri, quos ſequitur *Auila 2. part. diſp. 12. dub. 4. ad finem*, ac *Tolet. in ſum. lib. 1. cap. 17. num. 2.*

23 Reſpondebis cum *ConincK ſupra laudato* ea de cauſa *Tò ſcienter* eſſe appoſitum, vt ſignificaret Pontifex, etſi ſcienter quiſpiam taliter electus eſſet, eius adhuc electionem eſſe irritandam. Verùm quàm vehementer à vero hæc ſolutio aberret, non eſt, qui non videat: nam ſi ſcienter aliquid facere, conditio eſſet minuens malitiam, poſſet ſanè citatus ſenſus textui aliquo pacto dari, quaſi verò animus fuiſſet Papæ, pœnam imponendi excommunicato etiam ignoranter electo, ſicut in *Cap. Cum illorum de ſent. excom.* imponitur contra excommunicatos, qui in excommunicatione maiori ordinantur; at verò cũ meridiana luce ſit clarius, cõditionẽ ſciẽtiæ faciẽtis cõtra aliquid prohibitũ, vt certè requiſitam ad rationem voluntarij eſſe, illudq; augere, & conſequenter ad augumentum malitiæ conferre; cęcutire prorſus eſſet, ſi Pontificis fuiſſe mentem dixerimus irritandi electionem excommunicati excommunicatione minori, etiam ſcienter factam; cum hæc conditio non minuat, ſed aggrauet, neq; excuſet, ſed magis culpabilem reddat. Et ſane ridiculus eſſet ſenſus à ConincK allatus; nõ aliter, ac ſi fingeremus legem pręſcribentem turpiſſimam mortem homicidij, in qua hæc ſubiungeretur clauſula, etiam ſi parricidę eſſent; cum parricidium homicidio peccatum ſit grauius, maioriq; pœna luendum. Confirmari demum poteſt à paritate allata *cap. 2. num.* 14. de ignoranter ordinato ab excommunicato Epiſcopo.

24 Infero ex his primò, etiam in foro externo excuſari ob ignorantiam minori excommunicatione ligatum, & in Epiſcopum electũ ob contrariam rationem, quam iudicauimus *cap. 2. citato nu.* 4. cũ textus hic ſciẽter tantũ habitã electionẽ prohibeat, ac puniat.

25 Infero ſecundò, excuſari ab hac irritatione quemuis, ob ignorantiam iuris eam imponentis. probauimus id *lib. 2. diſp. 3. c. 4. n. 6.*

26 Infero tertiò, non poſſe hanc pœnam incurri ob peccatum tantum veniale (diximus loco citato *num.* 14.) ſed requiri peccatum mortale; de quo *nu.* 1. hic egimus.

27 Infero quartò, ignorantiam vincibilem, & peccaminoſam, immo craſſam, & ſupinam, tàm facti, quàm iuris imponentis hanc pœnam irritationis etiam excuſare (demonſtrauimus *cap. 4. citato nu.* 15. 16. *&* 17.) non autem excuſare craſſiſſimam, quæ dolo æquiualet per ea ibi dicta.

28 Infero quintò, ab hac pœna excommunicatum excommunicatione minori conſentientem in ſui electionem per vim, vel metũ grauem excuſandum eſſe, ex doctrina *cap. 1. nu.* 14. *&* 15. tradita; quamuis poſſit interiùs non conſentire; ex quo, ſi procederetur ad conſecrationem, non ſequeretur abſurdum indicatum *num.* 15.

29 Infero ſextò, caſu, quo irritanda eſſet electio excommunicati excommunicatione minori, ampliandã eſſe noſtrã doctrinã ad impetrationẽ litterarũ, vt probatũ eſt *c. 2. n.* 21.

30 Infero ſeptimò, ampliandam pariter ad quamcumque Eccleſiaſticam dignitatem, vt *cap. 2. num. 17. ac deinceps.*

31 Infero octauò, limitandam eſſe hanc pœnam, vbi collatio, vel electio facta eſſet, cum clauſula abſolutionis, vt ibi *num.* 22.

32 Infero nonò, non audiendos eſſe quoſdam apud Auilam citatum, aſſerentes, quòd taliter promouẽtes excommunicatũ minori excõmunicatione, ſuſpenſi ſint per trienniũ ab eligendi actiua poteſtate per *Cap. Cum in cunctis de elect.* cũ hoc Capitulum ex eodẽ Auila, & alijs, vt legenti patet, non comprehendat alios, quàm eligentes illum, qui nec ſciẽtia, nec morum honeſtate exornatus eſt, neque ætatem habet canonicè præſcriptam.

33 Infero decimò, quid ſentiendum de excõmunicato à Summo Pontifice ſcienter promoto, docuiſſe nos *nu. 24. cap. 3. laudato.*

34 Infero vndecimò, fructus ab hoc excommunicato tunc reſtituendos, quãdo reddita ſit irrita ipſius electio; iuxta ea, quæ attulimus *cap. 5. huius diſp. num.* 1. 2. *&* 3. excuſari verò ob bonam fidem, vt ibidem; ac partem ſaltem recipere poſſe; ſic reliqua ad fructus ſpectantia ibidem dicta ſunt *nu.* 5. 6. *&* 7.

35 Infero duodecimò, collationẽ Epiſcopalis beneficij, vel cuiuſcumq; alterius factam minori excommunicatione ligato, adueniente diſpenſatione ſępe conualeſcere ob eandem rationem, qua de electione ſuſpenſi, atq; interdicti docuimus *nu. 8 ac deinceps*, cũ eadẽ de his ſit ratio; vbi q.d ſentiẽdũ de electione, ſeu collatione à Pontifice facta, diſſeruimus.

36 Infero decimo tertio, ꝓbabilius eſſe, neq; acceptari poſſe Epiſcopatũ ab excõmunicato excõmunicatione minori, ſiquis ad eũ electus fuerit,

fuerit, dum adhuc excommunicatione non erat ligatus; fundamento, quod tradidimus ibidem *num.* 15.

97 Infero vltimo, percipere poſſe, præſtito officio, fructus, cùm potiori iure ab illo non impediat excommunicatio minor, quippe quæ à Sacramentorum receptione, ac paſſiua communione, nec non electione beneficij, dignitatiſque ſeparat, ſecus à collatione actiua, neque à functionibus iuriſdictionis: neque priuat, quo minus poſſit quis intereſſe diuinis horis canonicis in choro, ac cœteris huiuſmodi, communicando cum fidelibus; quare meritò monet *Couarr. cap. Alma mater part. 1. §. 8. num. 3.* cautè legendam eſſe neſcio, quam in contrarium inclinantem ab eo citatam legem Partitarum. Noſtri autem corollarij ratio deſumenda à loco citato *cap. 3. num. 14. & 15.*

Hactenus de his impedimentis; de reliquis vero beneficiorum Eccleſiaſticorum ſigillatim agere conſilium mihi non eſt; quæ ad tractatum de beneficijs propriè ſpectant; & ex iam dictis, quę ad Epiſcopatum faciũt facillimo negotio ſolui poterunt. Breui, qui volet, ea legat apud *Leſſiũ lib. 2. cap. 34. dub. 22.* Nec ſimoniam tacitus omnino præteribo, de qua *tom. 2.* agens de electione nonnulla, Deo dante, dicemus, *lib. 5. diſp. 3.*

DISPVTATIO V.

De monogamia, ſacrique Præſulis continentia:

Cenſurarum impedimento, ſuperiori diſputatione, declarato, alterum, quod ex incontinentia ortum ducit, ſupereſt explicandum. De bigamiæ igitur irregularitate ex profeſſo diſputare huius noſtri tractatus haud eſſe arbitror; quia nihil peculiare in Epiſcopum faciens de illa ſancitum inuenio, quod ceteris Sacris Ordinibus non ſit commune: eam luculenter tractatam qui velit, legat apud Canoniſtas, quos citant *Nauarr. in ſum. cap. 27. num. 195. Couarr. Clem. ſi furioſus part. 1. S. 2.* & apud Theologos allegatos à *Soto diſt. 25. q 3. Henriq lib. 1. cap. 4 ac de mat. à diſp. 83. vſq; ad 86. Soar. de cenſ. diſp. 49. et alios* Mea igitur intererit primo perpẽdere germanum, & catholicum ſenſum ſententiæ *Diui Pauli ad Timoth.* 3. dicentis *Vnius vxoris virum Epiſcopum*. Secundò hæreſes reijcere: Tertiò cuius iuris ſit continentia Epiſcopalis, atque Ordinum Sacrorum: Quartò morem Græcorum expendere: Quintò ex qua radice, voti ne, vel præcepti hæc obligatio continentię oriatur: Sextò, pœnas, atque Eccleſiaſticas cenſuras contra incontinentes. Tria prima hac diſputatione compræhendam; cœtera deinceps.

CAPVT PRIMVM.

Monogamia Præſulis ſecundum Apoſtoli ſenſum expenditur.

S V M M A.

Hæreſis Lutheri. num. 1.
Magdeburgentium error. num. 2.
Senſus Pauli eſt negatiuus, vt ſaltem monogamum deſideret Epiſcopum. num. 3.
Vſu Eccleſiæ nunquam bigami ordinati ſunt. n. 4.
Reijcitur Lutheri hæreſis. num. 5.
Non prohibet tantum Paulus multarum vxorum ſimul coniugium. nu. 6.
Poligamia chriſtianis vetita. num. 7.
Nec non olim Iudæis. num 8.
Quo iure prohibita. nu. 9.
Vſus poligamiæ licitus Iudæis per internam tantum reuelationem non fuit nu. 10.
Quæ sũt traditiones Iudæorũ, nõ Phariſaicæ. n. 11
Etiam gentilibus prohibita poligamia. nu. 12.
Apud barbaras nationes plures vxores vni viro, vel plures vni vxori viros fuiſſe. nu. 13.
Satisfacit argumentis hæreticorum. nu: 14. & 15.

1 LVtherus allatam Diui Pauli ſententiam ſic explicat; vt velit Epiſcopum non eſſe debere ſcortatorem, ſed vnam, cui adhæreat, vxorem habeat: huic adiungitur *Beza apud Corneliũ à Lapide in locum citatum num. 98.* probantque hæretici datam expoſitionem. Ibi Apoſtolus eundem Epiſcopum deſiderat irreprehenſibilem, quod quid ſignificat, explicat, ſubdens vnius vxoris virum; igitur per hoc innuit, ne ſimul duas habeat vxores, quod ſanè crimen reprehenſibile eſt.

2 Secunda ſententia, Magdeburgentium, Caluini, aliorumque Nouatorum, Paulum explicantium, quaſi prohiberet, nè Præſul plures ſimul vxores habeat, quemadmodum Iudæis à Deo permiſſæ erant, ſed vna ſit contentus; qua deperdita aliam, & aliam ſucceſ-

ſiuè

ſiuè ſibi aſſumat. Probant; quia ſcortatores, atque adulteri, ſi vitam correxerint, à ſacerdotio non arcentur; igitur neq; bigami, vel poligami modo iam dicto.

3 Sit prima concluſio, ſenſus Apoſtolicæ ſententiæ eſt negatiuus, vt monogamum ſaltem deſideret Epiſcopum, qui ſecundas non inierit nuptias. probatur, quia *cap. 5. einſdem epiſtolæ verſ. 9.* ſimili phraſi *vidua* (inquit) *eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor*, atq; ibi vnius uiri vxorē eam intelligit, quæ poſt mariti mortem ſecundas non contraxerit nuptias, alterūq; nō habuerit maritum; cum vſus licitè nunquam obtinuerit (vt infra) quod vna fuerit ſimul vxor plurium virorum, ad quem nempe abolendum, præcepto opus fuiſſet apoſtolico, quo vnam eligendam eſſe præciperetur mulierem vnius tantum vxorem viri; ergo pariter per ea vnius vxoris virum illum indicat Apoſtolus, qui vnam tantum habuit vxorem, qua defuncta cum altera non contraxerit. Nec ſignificare poterit Paulus viduam, quæ ſcortum non fuerit, vel adultera; cum ſcortum, vel adultera vxor non dicatur, ſed po-
4 tius vulgato corpore meretrix. Secundò probatur ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, quo nunquam ſacris initiati ſunt ordinibus bigami, qui duas ſucceſſiue vxores habuerint, & vno Theodoreto dempto, conſenſu veterum Patrum id conſtat, quorum vnam, vel alteram ad rem noſtram hic afferam ſententiam.

Prima ſit *Tertulliani lib. 1. ad vxorē Quātum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum bigamos non ſinit præſidere: cum viduam allegi in ordinationem vniuiram non concedit, & lib. 1. de Monog. cap. 11. & 12.* atq; in fine varia Gentilium eruditione hoc idem proſequitur, ex quo *Hieronymus epiſt. 11. ad Eugen.*

Secunda *Sancti Ioannis Chryſoſtomi homil. 2. in Epiſt. ad Titum*: Caſtigat (inquit) *hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos permittit per ſecundas nuptias ad Eccleſiæ regimen, dignitatemq; paſtoris aſſumi; nam qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam ſeruaſſe deprehenditur, quo pacto hic Eccleſiæ præceptor eſſe optimus poterit? noſtis enim profecto omnes, quod etſi per leges, ſecundæ nuptiæ permittantur, multis tamen ea res accuſationibus patet; nullam ergo occaſionem præbere ſubiectis Præſulem vult.*

Tertio ad rē *Aecumenius* Apoſtoli ſenſum bellè declarat, *Non ſtatuit* (ait), *vt ab vxore pendeat Epiſcopus, aut vxorem neceſſario habeat, ſed ſi fiat* (inquit) *è mundanis, non ſit ſaltem bigamus, ita tamen, vt vocatus ad Epiſcopi munus illud cōpleat, quod qui habent vxores, ſint tanquam non habentes.*

Iterum hic idem vſus ab *Innocent. epiſt. 2. cap. 1. & 2.* è traditione Apoſtolica demonſtratur, & comprobatur, à *Syricio epiſt. 1. ad Hemerichū cap. 11. Leone Primo epiſt. 85. alias 88. ad Epiſcopos Africanos cap. 1. Gelaſio, ac alijs, quos eruditè referunt Bellarm. de cleric. cap. 13. ad finem verſic. Soario tom. 3. de relig. lib. 9. cap. 13. n. 17.* Nec mirū hoc in Eccleſia catholica & ſeruatum, & ſeruandum, quandoquidem, & ipſos Arianos idem ſeruaſſe ſcribit *Epiph. hæreſ. 30.*

5 Ex hac aſſertione funditus euertitur Lutheri error, quem *nn. 1.* retulimus.

6 Secunda aſſertio, Apoſtolicæ ſententiæ ſēſus non eſt, quaſi voluiſſet Epiſcopis Paulus prohibere poligamiā, ac multarū tantū vxorum ſimul coniugia. Probatur eadem viduæ paritate, qua prima concluſio probata eſt; ſicut igitur eadē phraſi vtens Apoſtolus, non ita voluit vnius viri vxorē viduam, ideſt non ſcortatricem, ſed eā, quæ duos ſucceſſiuè nō habuerit maritos, ita pariter, dū vult Epiſcopū vnius eſſe vxoris virum. Quorsū. n. prohibuiſſet Apoſtolus, nè aſſumeretur vidua, quæ multos cōplexa eſſet viros, ſi ferè nūquā hęc peſtis, ni per abuſū, in mortales graſſata eſt? qui aliquo pacto ductū ſectarētur rationis, vt vxor vna plures ſimul haberet maritos, neq; apud Iudęos quidē, neq; apud Turcas in pręſētia; tametſi multas vnus vir vxores ducat: nam, vt probè *S. Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 12.* cur vni viro plures ſint vxores, ratio dari poteſt, vt plures nimirū filij naſcerētur: at verò cur vna fœmina vxor pluriū ſit virorū, nec quidem apparens rationis momentū dari poterit, & contrarius vſus, vt infra, fœda conſuetudo dicenda eſt, rationali naturæ repugnans: ex qua incertitudo prolis ortū habet. Demum ridiculū prorſus eſſet aſſerere, Apoſtolū, eam in Epiſcopo, & deſideraſſe, & præcepiſſe virtutē, quę omnibus tūc tēporis ita erat cōmunis, vt contraria incontinentia non iā chriſtianis modo, verùm etiā à Iudæis, & Gentilibus odio, ac legibus vetita habeba-
7 tur. Et quidē à Chriſtianis; nam præter quam quod incontinentiæ ſignū ſi arguit bigamia, à fortiori, ac potiori iure poligamia eā inducet, quæ à chriſtiana lege longe amandanda eſt; eſſet ſanè contra rationē Sacramenti, quā in Eccleſia chriſtiana matrimoniū importat, ſignificans vnius Chriſti ſpōſi coniunctionē cum ipſamet Eccleſia vna, quā rationē *Celeſtinus Tertius cap. Debitū de bigam.* irregularitatē bigamiæ perpēdens, indicat. Quamobrem ſemper in Euāgelijs, ſcripturiſq; canonicis vnius ſingularis vxoris mentio habetur *Matth. 5. & 19. Luca 14. 1. ad Corint. 7. ad Epheſ. 5. & alibi.* A Iudæis vero prohibita etiā erat poligamia; nam vt apud *Lucam 1.* legimus Zachariam, vxori ſterili vſq; ad ſenectā permanenti, alterā nō ſuperadduxiſſe; quod

abſque dubio præſtitiſſet, ſi tunc fieri licuiſſet; & quamuis Abrahæ, alijſq; illo æuo permiſſa legatur, vel per diſpenſationem in lege poſitiua, qua prohibitam illam volunt *Durand. in 4. diſt. 33. atque Abulenſ. in cap. 19. Matth.* vel indirectè diſpenſando in iure naturali, à quo vetitam eam communiter docent cęteri, vt communi bono conſuleretur, propagationi nempe veræ fidei; nihilo tamen minus in illam abſolutè malam, vtpotè paci familiæ pugnātem, & bonę prolis æducationi omnes meritò inuehuntur, ſic *Malachias 2. & 14. & 15.* quam *Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 4.* vocat adulterium.

9 Nec, quod ſubijciam habeo, præter illud curſim indicare, poligamiam non eſſe contra ius diuinum, vt quid intrinſecè malum, omnino repugnās rationali naturæ, vel matrimonio, ſecluſa inſtitutione diuina, quòd optimè probat poſt multos *Coninck diſp. 26. de mat. dub. 3. à nu. 25.* ſed ratione abſurdorum, quorum ingens periculum infert poligamia; & etiam ratione adiuncti, quia nimirum eſſet vſus rei alienæ, corporum ſcilicet, inuito domino, nempe Deo, quorum vſus non omnino, ſed nonnullis cum conditionibus conceſſus eſt; è quibus vna, vt vnius vni tantum indiſſolubiter cōcederetur, alias inualida eſſet conceſſio, non ſecus, ac venditio rei alienæ, non annuente Domino; conceſſiſſe autem olim Iudæis Deum poligamiam, ex fine, quem indicauimus, exploratū
10 eſt; At vero id per internam tantum aſſerere reuelationē factum priſcis patribus, quod ad poſteros exemplo, & conſuetudine tantū deriuatum eſt, quippequi poligamiam licitè inibant, non facile concederem, vtcum multis præſtat *Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 80. nu. 12.* ſed fuiſſe quidē interna reuelatione Patriarchis conceſſam poligamiam, quod nobis ſatis, virtute ſaltem per ſcripturam conſtat, per quam ſanctiſſimos quoſque habemus, eam inijſſe, vt Abrahamum, Iacobū, & alios, quos viros ſanctos ipſa ſcriptura nos docet fuiſſe, & ex conſequenti eos licitè id præſtitiſſe; ad poſteros autem hanc conceſſionem, non ſolum exemplo, & cōſuetudine; ſed traditione dixerim fuiſſe deriuatam, quæ quidem ius continet non ſcriptum, neque eſt ex phariſaicis, quas Chriſtus in Euangelio re-
11 prehendit *Matth. 15. 1. Marc. 7. 3. & 4. Luc. 7. 59.* & in quas *Epiphan. hæreſ. 42. & Hieronym. in Iſaiam 8. & quæſt. 151.* ſed Moſaica ad inſtar aliarum trium præcipuarum, quam ex multis refert optimè *Becanus de fide cap. 4. num. 5.*

12 A Gentilibus verò vetita etiam erat præſertim Romanis, quorum legibus quondam totus fere regebatur orbis, vt in edicto Diocletiani, & Maximiniani videre eſt *l. Neminem C. de incert. nupt. & in edicto Valeriani, & Galieni l. cum C. ad leg. iul. de adult. Eum* (inquiunt Imperatores) *qui ſimul duas habuerit vxores, ſine dubitatione comitatur infamia.* Ex quibus iam pridem vſu gentium receptis, Paulo non ignotis, ſuperuacaneum ſanè fuiſſet, quę laicis hominibus erat communis, in Epiſcopo tantopere deſiderare virtutem.

13 Duo autem relata rationum momenta, non eò tēdunt, vt velim, neque vni viro plures vxores, neque plures vni vxori maritos apud omnes fere nationes vnquam licuiſſe, quod videntur indicare *Bellarm. de cleric. lib. 1. cap. 23. Baron. anno Chriſti 58. num. 7.* à quo tantum excipiuntur Athenienſes occaſione exhauſtæ belli cladibus iuuentutis, & poſt alios *Cornel. à lapide in locum citatum Timothei cap. 3. num. 99.* quum nouerim *Parthos libidinis titillatu* (vt *Cęlius loquitur Rhodiginus lect. antiq. cap. 15.*) *vario, rationis præfocante vim, vxores ſingulos habere plures; et Cicerone auctore apud eundem* ſolere barbaros Perſarum Reges, ac Aſſyriorum plures vxores habere; & in ſuperiori Libia mulieres eſſe communes, ita tamen, vt inde ſuſceptos liberos, ſimilitudinis ratione diſtribuerent; & ex græca hiſtoria narrat, Thracas, qui ſupra Chreſtones ſunt, ita eſſe inſtitutos, vt ſingulis vxores adſint plures, *Cæſar etiam in comment. lib. 5 belli Gallici*, de Brittānis, ait *Vxorem habent deni, duo denique inter ſe communes, & maximè fratres cum fratribus, & parentes cum liberis, ſed qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, à quibus primum virgines quæque ductæ ſunt.* Idem de Garamantis *Solinus aſſerit in lib. de mirabil. cap. 43.* qui ſolum matres, non certos tamen agnoſcunt patres; idque in more poſitum apud Scotos olim gentiles ſcripſit *Hierony. lib. 2. contra Iouinian.* immo è Platonis inſtitutione, omnia fuiſſe communia, nę mulieribus quidem exceptis docent *Hierony. citatus, & Lactant. lib. 3. diuinar. inſtitut. cap. 22. & 23.* Solum igitur roboris eſſe non parum illis argumentis aio, quatenus virum vnum plures ſimul non habuiſſe vxores, è trinio quandam ita fuiſſe virtutem demonſtrant, vt tantopere in Epiſcopo non fuiſſet deſideranda, quippe alijs mortalibus, vel mediocriter ad bonos mores inſtructis fuiſſet adeo communis, cui contrarius abuſus à nobis indicatus à varijs legibus prohibitus, naturæ rationali, ac dictamini omnino oppoſitus, ea ſaltem, quam *num. 9.* diximus, ratione.

14 Ad primum Lutheri dicimus cùm varias Epiſcopi dotes, ac virtutes Apoſtolus loco citato deſcribat, non eſt, cur eas, vt connexas dixerit. Deinde etiamſi concedamus

Tò

Tò irreprehenſibilem ab Apoſtolo generatim ſumptum eſſe, quod ſequentia complectatur membra, non modo tamen vt ſic vſurpatum ſe extendere dicimus ad carentiam criminum, ſed cuiuſcumque etiam notæ apud homines vitium indicantis, vt eſt bigamia; quæ incontinentiæ ſuſpitionem præbet, & propenſionis in libidinem, à ſacro ſancto Præſule longè arcendam.

15 Ad ſecundam, negamus conſequentiam, quia non modo ratione indicatæ incontinentiæ Præſul eſſe non debet bigamus, ſed ratione myſterij, quod repræſentat nuptiarum Chriſti cum vnica ſponſa eaque virgine Eccleſia. Ratio autem cur ad Titum ſcribens Paulus, vnius vxoris virum dixit Epiſcopum, fuit, quòd in Creta, de cuius agebat Eccleſia, operoſum ſanè, nè dicam impoſſibile fuiſſet, cælibem inuenire, tum ob repugnantes, quæ præcipiebant leges auctore *Strabone lib.* 10. vt omnes à puero vno res ducerent, tum ob fœdiſſimos, venereoſque Cretenſium mores, eodem auctore; Cur autem ad Timoth; quia non facile apud Gentiles; Iudęoſque erat inuenire cęlibem.

CAPVT II.

An continentia ordini ſacro adnexa ſit iuris diuini, vel Eccleſiaſtici.

SVMMA.

Non eſt iuris diuini continentia ordini ſacro adnexa. num. 1.
Diuino iuri maximè conſona eſt Eccleſiaſticorum continentia. num. 2.
Continentia Sacerdotum veteris legis. numer. 3.
Quomodo caſtitas cum ſtatu religioſo, & Epiſcopali ſe habet num. 4.
Non obſtant prærogatiuæ Præſulis, nè caſtitatem iure diuino habeat adnexam. nu. 5.
Ab Apoſtolorum memoria Præſulibus, ac Presbyteris matrimonium contrahendum ſemper prohibitum fuit: num. 6.
Oſtenditur exemplo Ioannis Apoſtoli. nu. 7.
Deinde Iacobi. num. 8.
Tertio Iacobi fratris Domini. num. 9.
Quarto Sancti Andreæ. num. 10.
Iterum Pauli. num. 11.
Quid de Petro. num. 12.
Accedunt etiam alij Apoſtoli. num. 13.
Aliorum fauent exempla Præſulum. nu. 14.
Sancti quique Antiſtites à mille, ac ducentis annis fuere cælibes. num. 15.
Immo omnes ſanctitate inſignes ibidem.
Non obſtat contrarius nonnullorum abuſus. num. 16.
Quàm rationi conſonum ſit præceptum Eccleſiaſticum caſtitatis ſeruandæ omnibus ſacris inſignitis ordinibus. num. 17.
Quicquid in contrarium dixerit Abbas. numero 18.
Prohibitio contrahendi matrimonium clericis, iuris eſt Eccleſiaſtici. num. 19.
Vxorati, ni emiſſo caſtitatis voto, infula nõ ſunt donãdi, neque diuino tamen, neque apoſtolico iure conſtat, requiri nunquam antea fuiſſe coniugatos. num. 20.
Latinæ Eccleſiæ Præſules, ac Sacerdotes, qui poſt matrimonium conſecrarentur, etiam à proprijs vxoribus tenerentur ſe continere. num. 21.
Continentia Eccleſiaſtica non à matrimonio ſolum, ſed à quocumque venereo vſu arcet clericos. num. 22.

1 PRima concluſio. Probabilius iudico iuris non eſſe diuini continentiam adnexam ordini ſacro. Huius ſententiæ eſt *Diuus Thomas 2.2. quæſt.* 88. *in fine corpor. art.* 11. *Caiet. opuſc. tom.* 1. *tract.* 27. *de diſpenſat. mat. in occident. Eccleſ. quæſt. vnica* §. *videtur autem hic*, *Sotus lib.* 7. *de iuſt. qu.* 4. *art.* 2. *col.* 4. *Henriq. lib.* 10. *de ſacram. ordin. cap.* 14. *num.* 17. *Bellarm. in ſuis controu. lib.* 1. *de cleri. cap.* 18. *Vazquez. à diſp.* 248. *Sanch. lib.* 7. *de mat. diſp.* 27. *Soar. tom.* 3. *in* 3. *par. cap.* 13. *à num.* 7. *et alij apud hos*. ſubſcribunt etiã ex Iuris peritis *Innoc. Cap. Placet. nu. vnic. de cõuerſ. coniug. et ibi Io: Andr. n.* 4. *ibidem Hoſtien. ad finem*, Anton. num. 9. *Abbas num.* 7. *Couarr.* 4. *decret.* 2. *part. cap.* 6. §. 3. *num.* 2. *ac demum Rota in nouiſſ. deciſion.* 561. à quibus petenda eſt pro cęteris ordinibus probatio; mihi vero tantum comprobanda eſt aſſertio de Epiſcopis, de quibus agimus, & maior eſſe poſſet difficultas. Probatur igitur primo, quia nullum eſt principium, ex quo diuinum deduci poſſit ius, quod neque ex ſcriptura ſacra, neque ex traditione, vt citati perpendunt auctores, habetur. Secundo ſtatus coniugalis nullam habet repugnantiam cum functionibus epiſcopalibus; ſed ex quadam ſolum decentia, & congruentia à matrimonio non nihil diſcrepat; quæ quidem non ex ſe parit vim præcepti; vt eo ipſo, quod Chriſtus ordinem, dignitatem, atque officium epiſcopale conſtituerit, ei omnimodam præſcripſerit continentiam ex præcepto diuino ſeruandam; ſed tantum ex Eccleſiaſtico, vt infra. Probatur antecedens, quia vinculum matrimonij neque gratiam excludit, neque aliquam circumſtantiam omnino miniſterio Præſulis oppoſitam poſtulat, nam

dicet

licèt illud miniſterium ſanctiſſimum, atque omnium perfectiſſimum ſit, omnemq; turpitudinem cuiuſcumque, præſertim mortiferę noxæ prorſus reſpuat; cùm matrimonium tamen, de quo maius poſſet eſſe dubium, inhoneſtam, vel illicitam nullam inclúdat fœditatem, nihil profectò continebit Epiſcopali miniſterio intrinſecè repugnans. Tertiò, quia *Diuus Paulus*, vt modò dicebam ad *Timoth.* 3. *& ad Titum* 1. vnius vxoris virum ab Epiſcopatu non arcet, atque Areopagitam elegit Epiſcopum Athenienſium, vt in eius habetur vita, quem coniugatum fuiſſe conſtat ex *cap.* 17. *Actuum Apoſtol.* accedit *Turonica ſynodus* 2. *can.* 8. *&* 9. vbi vxor Epiſcopi appellatur Epiſcopa.

a Secunda concluſio. Diuino iuri maximè conſona eſt continentia tum Epiſcoporum, tum aliorum ſacris initiatorum òrdinibus; conſtat ex catholica doctrina tum in communi per *Cap. Rurſus, qui clericus de conſanguin. & Can. ſi quis eorum è Synodo ſexta can.* 6. *Cap.* Erubeſcant *diſt.* 32. *ac Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 9. ſpeciatim; deinde comprobatur de Epiſcopo, quòd eò tendit Præſulis ordinatio, vt in ſupremo Eccleſiæ ordine, ſtatuque perfectiori eum conſtituat, à quo maximoperè retardat venereus vſus, tum ex vehementi delectatione hominem dementante; tum ex hebetatione mentis, quam Venus inducit; tum ex nimia familiari cura, filioſque procreandi ſollicitudine; tum ex innumeris, quæ ſtatum matrimonij ſequuntur, curis. Hinc probè *Apoſtolus* 1. *ad Corinth.* 7. *Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus*; &, vt benè *Capi Diuerſis de clericis coniug. plenam ſui non habet poteſtatem, vt ei, à quo ſtipendium recipit, pleniùs famuletur.* Quod argumentum maius ſibi vendicat robur, ex his quæ *lib.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 5. *&* 6. diximus. Secundò Epiſcopus eſt Eccleſiæ ſponſus, cui, vt *lib.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 1. docuimus, electione, confirmatione, & conſecratione perfectè copulatur, & conſulere in ſpiritualibus, ac temporalibus tenetur, igitur quò à curis matrimonij, ac venereis remotior fuerit voluptatibus, eò quippe (minor eſt ad ſingula ſenſus) erit aptior ad proptium, quo deuinctus eſt ſuæ ſponſę Eccleſiæ, nempe ſtudium, nam qui ſine vxore eſt (*auctore Paulo* 1. *ad Corinth.* 7.) *ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo*; *& dum ad vtrumque feſtinat* (*ait Gloſſa Cap. Diuerſi de cler. coniug. verb. Diuiſus*) neutrum bene perficit 26. *q.* 1. *Presbyteros. & C. de acceſſor. leg. Nemo.* Accedit, quod indicatur, rationis momentum in *Cap. Diuerſis de cleric. coniug. præſertim cùm rerum Eccleſiaſticarum ſubſtantia per*
b *tales* (vxoratos ſcilicet) *ſoleat deperire.* Præterea in figura hoc idem Iudęis contingebat ex Paulo, quorum Eccleſia noſtram adumbrabat perfectiorem; nam vt notauit *Abulenſ.* 1. *Paralip.* 9. *quæſt* 17. & *Leuitici* 15. quo tempore in templo rei diuinæ Sacerdotes operam dabant, ab vxoribus abſtinebant, ex quarum acceſſu aliquam contrahere quodammodo maculam arbitrabantur, quam à veſpertinis horis luſtrali abluebant aqua. Quamobrem noctes etiam per vices octo dierum in templo caſti tranſigebant, vt conſtat ex 1. *Paralip.* 9. *eodem Abulenſ. interprete quæſt.* 16. *& in cap.* 28. *Exod. quæſt.* 21. *& ex cap.* 25. *Matth. quæſt.* 4. *&* ex *Luc.* 1. vbi de Zaccharia ſcribitur, *Et factum eſt, vt impleti ſunt dies officij eius, abijt in domum ſuã.* Fauet *cap.* 11. 4. *Regũ* 6. *&* 7. *&* 9. *verſ* & habetur 31. *diſt Tenere, & in Gloſſa cap. Quòd ad te de cleric. coniug. verb. immunditia*: quod quidem argumentum in noſtro Epiſcopo maioris eſt ſanè roboris, ſi cum *Ambroſ. Beda, Strabon. ac Theophilact. in commentar. in hunc, Diuo Auguſt. tract in Ioann.* 49. *& alijs*, Zachariam dixerimus non ſimplicem, ſed ſummum fuiſſe Sacerdotem. Demum venereus vſus etiam in matrimonio, aliquo pacto, licèt non abſolutè impedimento eſt omnibus ferè functionibus Antiſtitis, & primũ faciendi rem ſacram, Auctore *Hieronym. lib.* 1. *in Iouinian.* quòd ſumma puritatis ſanctitas in eo requiritur è *Chryſoſt. libr.* 6. *de Sacerd.* qua vſus coniugij priuat, vt optimè *Siriacus Papa* ſupra citatus: impedit ſtudium orationis, & ſacræ lectionis, quamobrem *Paul.* 1. *ad Corinth.* 7. è mutuo conſenſu ſeparari, atque abſtinere ad tempus à coniugali actu, vt orationi vacent vxorati, indicat. Tertiò efficaciam prædicationis eneruat ex *Ambroſio lib.* 1. *de offic. cap. vlt. Quomodo enim efficaciter exhortabitur viduas, & virgines, qui liberis perpetuò operã dat?* Paſtoralem, quartò, impedit curã, quia totus in amorẽ vxoris, & filiorum effunditur, cum tamen ex *Ambroſ. lib.* 1. *de offic. cap.* 7. *Plus diligendi ſint filij ſpirituales, quàm carnales.* Eſt, quintò, impedimẽto libertati, caritati, atque hoſpitalitati erga pauperes, quã propriã diximus Præſulis virtutẽ *diſp.* 3 *cap.* 1. *num. vlt.* cùm enim vxorati filijs conſulere deberent, ex nimio affectu, experientia magiſtra, quod in pauperes, quod in peregrinos erogarent, haud facilè inuenirent. Sextò ſimoniarum occaſio eſſet, quæ moraliter vix euitari poſſet, quippe beneficia hæreditario iure in filios tranſmittere nefas cùm ſit, vt eis tamen benè proſpectum cuperent, ſacramenta, cæteraſque ſpirituales functiones, poteſtateſq; tum ordinis, tum iuriſdictionis Epiſcopi facili negotio venderent. Demum obſtaret matrimonium Sacramentorum adminiſtra-

tioni

tioni, etenim tunc eſſet, ſicut populus, ſic Sacerdos & quum vix Eccleſiaſtici à ſecularibus diſcreparent, per ſummam impudentiam, omnibus fas videretur eſſe, ſanctã tractandi, ſicut tempore Gregorij ſeptimi in Germania eueniſſe fertur: meritò itaque *Epiphan. hæreſ. 59. Propter honorem* (ſcripſit) *ſacerdotij neceſſariam eſſe continentiam*.

4 Obijcies, Epiſcopalis ſtatus religioſo pſtar, vt docuimus *lib. 1. diſp. 2. cap. 6.* atqui religionis eſſentiæ, iure diuino, caſtitas eſt adnexa; ergo & Præſulatui. Minor huius argumenti docetur *à Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 186. art. 2. & lib. 3. contra gentes cap. 130. opuſc. 19.* & in Doctorum conſenſu probatur *à Soar. tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 2. num. 3. Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 25. num. 8.*

Reſpondeo, quicquid de maiori ſit propropoſitione, cõcedenda, in ſenſu à nobis allato, *loco citato ſolut. ad 3.* Præſulatui eſſẽ propria, ac ſibi proportionata media, & quædam præſtantiora medijs ſtatus religioſorum, vt loco ſæpe citato diximus *ſolut. præſertim ad 3. & 4. argum. & cap. 2. ibidem concl. 3.* caſtitatis verò votum, & alia huiuſmodi inſtrumenta sũt quædam perfectionis, & caritatis, neque omnino neceſſaria vt *lib. 1. diſp. 2. cap. 1.* dictum eſt; deinde ſatis eſſe reor, Epiſcopatum caſtitatem habere adnexam iure Eccleſiaſtico, vt infra, & iure diuino, quantam *num. 2.* expreſſimus cum eã habere congruentiam.

5 Obijcies ſecundò. Epiſcopus virtutum eſt exemplar, ſal terræ & lux mundi, quæ omnia coniugali ſtatui repugnare videntur. Reſpõdeo, indicatæ perfectionis abſq; dubio Præſulatum eſſe exemplar; verùm cum caſtitatis, & huiuſmodi vota, eius in ſola charitate ſitæ, inſtrumenta ſint, neceſſario neutiquam adhibenda, ſed cum proportione ad finem, qua ſeruata, ſtatus à ſua præſtantia deficere non cenſetur.

6 Tertia concluſio. Ab Apoſtolorum memoria Eccleſiaſtico vſu conſtat, Epiſcopis, ac Presbyteris matrimonium contrahendum prohibitum ſemper fuiſſe. Ad rem enim noſtram facere arbitramur his de duobus gradibus, atque ordinibus agere, qui quidem etſi, vt *lib. 1. diſp. 1. cap. 1. & diſp. 1. cap. 4.* vidimus, in Eccleſia diſtincti ſemper fuerint, ac priſcis eiuſdem temporibus, etiã Apoſtolorum ſæpe coniuncti erant, ita ut quæ de præsbyteris dicuntur, vel propriè, vel à fortiori conuenire Præſulibus exploratum ſit; & quidem in hæreticos Apoſtolorum exemplo poſt Apoſtolatum concluſio probanda eſt.

7 Ac primò de Ioanne nemo, vel exfrons mihi ibit inficias, quin aſſerat, eum virginem fuiſſe, neque ab aliquo negatum id inuenio ſanæ mentis compote, & non ſycophanta.

8 Huic virginitatem colens ſuccedit Iacobus ipſius frater, ac de vtroque hæc apud *Epiphanium hæreſ. 58.* legimus *Ioannes, et Iacobus filij Zebedæi, qui manſerunt in virginitate, neque tamen proprijs manibus membra reſecuerunt, neque nuptias contraxerunt, ſed proprio corde decertarunt, & mirabiliter gloriam coronæ huius certaminis abſtulerunt.*

9 De Iacobo autem Domini fratre hiſce idemmet teſtatur *Epiphan. hæreſ. 78. fratrem Domini nonaginta ſex virgo exiſtens mortuus eſt:* & infra, *Ioannes, atq; Iacobus hi tres hanc vitæ conuerſationẽ habuerunt;* conſonat *Chryſoſt. homil. 5. in Matth. Atque vita, quam colebat, auſteritas perſuadet;* de qua *Hieronym. in catalo. auctor. Eccleſiaſtic.*

10 Hoc ipſum de Sancto Andrea refert *Metaphraſtes in vita Petri.*

11 Ad Paulum venio; cuius vnico eiuſdem teſtimonio meridiana luce clarior liquet caſtitas: *de virg. ait ad Corinth. 7. Præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquã miſericordiam conſequutus à Domino, ut ſim fidelis; exiſtimo enim, hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem omnes homines eſſe, ſicut me ipſum;* & hic eſt pactum conſenſus, vt videre eſt apud *Auguſt. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 4. Ambroſ. in 1. ad Corinth. 7. citatũ Cæſar Baron. 1. tom. anno Chriſti 57. num. 19. Soar. 3. tom. de relig. lib. 9. cap. 16. num. 4.*

12 Petrum verò vxorem habuiſſe æquè certum eſt, ac eam ante Apoſtolatum duxiſſe cùm *Luca 4.* ſocrum habuiſſe dicatur, quam Dominus ſanitati reſtituit ipſo ferè initio dominicæ prædicationis, atque Apoſtolorum vocationis; neque aliam duxiſſe probatur, cum ex his, quæ *cap. 1. conc. 1. num. 3.* tum ſub *concluſ. 2. huius capitis num. 2.* dicta ſunt; & liquet ex Tertulliano mox citando.

13 De cæteris vero, quam ex *Tertulliano* afferam ſententiam habeo *lib. de monog. cap. 8. Petrum* (ait) *ſolum inuenio maritum per ſocrum, monogam præſumo per Eccleſiam, quæ ſuper illum ædificata omnem gradum ordinis ſui de monogamia erat collocatura, cæteros autem maritos non inuenio, aut ſpadones, ideſt, virgines intelligam; aut continentes;* huic ſubſcribit *Hieronym. Epiſt. 22. & lib. 1. contra Iouinianum.*

14 Apoſtolorum exemplum Sanctiſſimi, ac Doctiſſimi Præſules omnes ſectati, qui ad Epiſcopatum ante nuptias aſſumpti ſunt; inter quos Timotheum, Titum, Euodium, & Clementem enumerat *Ignatius Epiſt. 9. ad Philadelp.* qui cælibem ſemper vitam traduxere, & ſanè omnibus videtur eſſe inconfeſſo, quotquot Antiſtites fama, immo & Eccleſia in Concilio cælitum collocatos igno-

15 uit cælibem, atque angelicam duxiſſe vitam. Itaque ſanctiſſimos quoſque, ac doctiſſimos Epiſcopos, qui à mille ducentis annis vixerunt fuiſſe cælibes, auctor eſt *Cornel. a lapide in 1. ad Timoth. cap. 3, num. 104.* immò addit *Bellarm. lib. 1. de cleric. cap. 19. mihi col. 1158. verſ. his teſtimonijs* ab Apoſtolorum tempore, quotquot Epiſcopi, ac Presbyteri, ſeu Eccleſiaſtici, Sanctitate fuerunt inſignes, omnes continentiam ſeruaſſe, neque vllum in contrarium verum afferri poteſt exemplum; quicquid muſſitent, blaterizent, mentiantur, ac figmenta componant hæretici, quos idem Eminentiſſimus, doctiſſimus, pariterque Sanctiſſimus Cardinalis pereruditè reijcit.

16 *At dices* (inquit Epiphanius) *in quibuſdam locis Presbyteros, & Diaconos adhuc liberos gignere: ſed hoc non eſt iuxta Canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* In eandem accedit ſententiam rectè Hieronymus. *Quid facient* (ait) *Orientis Eccleſiæ, quid Aegiptij, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt aut continentes, aut, ſi vxores habuerint, deſinent eſſe mariti.*

Quibus in hunc modum ſtabilitis non eſt, cur de canone quinto Apoſtolorum rurſum aliquis moueat quæſtionem, ſtatuente, ne Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus vxorem, prætextu religionis, abijciat; quippe non ad liberos procreandos, ſed vt antea vxorati illorum curam gererent, quemadmodum maiores noſtros dictum canonem interpretatos eſſe demonſtrat *Cardin. Baronius, quam pereruditè anno Chriſti 58. num. 10.*

17 Ex his patet iuſtiſſimè catholicam Eccleſiam ſuis præcipere Eccleſiaſticis, quam modò explicauimus, continentiam, neque abſolutè, ſed ſi ſacros velint ſuſcipere ordines,
18 ob puritatem, quæ tanto debetur Sacramento. Quicquid in contrarium dixerit *Abbas Cap. Cum olim de cleric. coniug. num. 5. & 6.* ob emergentia in dies corruptorum morum Eccleſiaſticorum abſurda; quem tamen reliqui reprehendunt Auctores.

19 Quarta concluſio. Prohibitio contrahendi matrimonium, ſuperiori concluſione aſſecta, iuris eſt Eccleſiaſtici; ita quotquot *cõcluſ. 1. num. 1.* laudati ſunt Auctores. Probatur ex vſu iam aſſerto, ex quo Apoſtolica traditione ad nos hęc obligatio promanauit, quæ quamuis ab immemorabili conſuetudine ſemper in Eccleſia viguerit, vt probè *Soarius lib. 9. cap. 14. num. 12.* nè quis Presbyter, vel Epiſcopus poſt ordinationem matrimonium ineat. Quando tamen hic vſus, neminem ordinandi in ſacerdotem, aut Epiſcopum cœperit, quin hoc ſubiret continentiæ onus, vel acceptatione præcepti Eccleſiaſtici, vel voto, vt infra; demonſtrari euidenter non poteſt; nec mirum cùm hoc in antiquam, immemorabilemque ab Apoſtolorum tempore referatur conſuetudinem; ex qua obligatio ortum habens, per actus ſæpe incipit ſpontaneos, quorum vſus ſenſim, ac ſine ſenſu iudicium, atque animum immutans operantium eam paulatim inducit; idque ſatis veroſimilius eſt in re noſtra contigiſſe, vt Apoſtolorum exemplo, ac doctrina primi Sacerdotes, atque Epiſcopi charitate Dei æſtuantes, ni ſub onere cælibatus, non ordinarentur, ac deinceps neque alij ſacris initiarentur ordinibus, ni ſpontè hoc idem ſubirent onus; ex quibus quaſi traduce ad poſteros vim deinde obligandi habẽs, mos promanauit. De hoc itaque, vt prætercam canonem *27. Apoſtolor. à Turriano lib. 1. pro canone Apoſtolor. cap. 2.* expoſitum, nec non *Ancyranum Concilium* ante annos mille, & ducentos celebratum *can. 10.* præcipiens, *Diaconos, qui in ipſa ordinatione non proteſtantur ſe velle vxorem habere, non poſſe poſt ordinem vxorem ducere*: ſi autem proteſtantur, poſſe per diſpenſationem, quam eis illo tunc faciebat Epiſcopus. *Neocaſarienſe* paulò poſt celebratum affero pro Eccleſia orientali ad rem noſtram clariùs ſtatuens *cap. 1.* vt *Presbyter, ſi vxorem duxerit, ordine ſuo moueatur.* Pro Eccleſia autem Africana *Carthaginenſe Concilium 2. can. 2.* infra ſequenti concluſione referendum, *Carthaginenſe etiam 5. can. 3. & African. can. 37.* Italiæ teſtimonium ſit *Romanum ſub Syluestro I.* quod *can. 8.* ne Subdiaconi vxores ducere audeant, expreſſè prohibet; idque de Epiſcopis potiori ratione concludit. Pro Eccleſia verò Hyſpanica, Gallica, & Germanica Concilia ſequenti concluſione afferenda. Poſſem hanc ipſam, Sanctorum Patrum auctoritate concluſionem firmare, quod eruditè præſtitit *Card. Bellarm. lib. 1. de cleric. cap. 19.* vnum non omittam *Hieronymum in fine apologiæ contra Iouinianum. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut etiam poſt Sacerdotium pudici.* Proſequitur hæc fuſius *Vazquez 3. tom. in 3. part. diſp. 249. cap. 2.* præſertim de Diaconis, ac Subdiaconis, de quibus noſtra non intereſt.

20 Sexta cõcluſio. Licèt vxorati ad Eccleſiaſticas admittendi non ſint dignitates in Eccleſia Latina, ni poſt ſolemne caſtitatis votum; neque ex diuino tamen, neque Apoſtolico iure neceſſe eſt, non fuiſſe matrimonio antea ligatos. Prima pars probatur ex *Cap. Cum decorem de cleric. coniugat.* eiſdemque corroborari argumentis poterit, quibus
1 præcedens aſſertio, & ex *Cap. Sanè il 1. de cle-*

clcric.coniug. & clariùs patebit ex infra dicendis. Secunda pars probatur, quia *Diuus Paulus 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1.* vnius vxoris virum docet in Epiſcopum eligi poſſe, vt *praecedenti cap.* declaratum eſt; quum enim ea tempeſtate ferè omnes vxorati eſſent, quamuis longè caſtiſſimum Epiſcopum deſideraret Apoſtolus, pro conditione tamen temporum eum ſaltem, qui maritali vnius vxoris continentia contentus eſſet, ab Epiſcopali non arcebat dignitate, & nos ex *Oecumenio cap. 1. num. 4. in fine* probauimus, atque ex multis rectè proſequitur *Azor. lib. 13. cap. 12. quaeſt. 7.* cui ſubſcribunt *Sanchez lib. 7. de mat. diſp. 27. num. 6. & alij*; neque Sanctus obſtat *Clemens epiſt. 2.* aſſerens ad dominica myſteria eos eligendos non eſſe, qui ante ordines aſſumptos vxorem agnouerint, quippe qui ſolum vxoratis clericis vſum coniugij prohibet, vt mox dicemus.

21 Septima concluſio. Latinæ Eccleſiæ Præſules, ac Sacerdotes, qui poſt matrimonium conſecrantur, à proprijs etiam vxoribus cõtinere tenentur. Eſt communis Catholicorũ ſententia; cuius præcipuum fundamentum in traditione ſitum eſt, vti paulò ante in quinta concluſione dicebam; probatur præterea ex *Matth. 9. Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te*, &c. Cum per *Tò omnia* etiam vxores comprehendiſſe ſubſequẽs Chriſti Domini reſponſio, ac promiſſio demonſtrant, *Omnis* (inquit) *qui reliquerit domum, &c. aut vxorem, &c.* & eum, qui erat ex Apoſtolis coniugatus, vxori alio modo nuntium dare non poſſet, quo ad thorum ſaltem reliquiſſe dicendus erit: ſic à *Carthag. Concil. 2.* textus euangelicus videtur explicatus. *Omnibus placet* (inquit) *vt Epiſcopi Presbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus abſtineant*; cuius ratio redditur, *vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus*; refertur in *Cap. Cum præſertim 84.* quod Concilj teſtimonium non modò Lutheranorum euertit ſententiam, ſed contra illorum catholicorum etiam eſt opinionem; qui non rectè ſentiunt, aſſerentes decretum de ſeruanda continentia Eccleſiaſticorũ à Siricio Pontifice incepiſſe; etenim ab hinc mille, ac ducentis annis Carthaginenſe modo relatum Concilium fuit celebratum; à quo cùm decretum, de quo loquimur, in antiquitatem referatur, prioribus quidem quadringentis circiter annis indicatur fuiſſe ſeruatum, & non à Siricio conditum, qui eodem ferè tempore, paucis ſcilicet antea annis vixit, Pontifex creatus anno 385. à quo tamen pœnas, & cenſuras in illud decretum tranſgredientes ſancitas potiùs crediderim. Accedit Concilium *Arelatenſe 2.* ante annos pariter mille ac ducentos coactum; in quo *Can. 2.* cauetur, nè vllus coniugatus ad Sacerdotium aſſumatur, ni continentiam ab vxore promiſerit. idem decernit *Turonenſe 1. can. 1. & 2.* Contarcinari varia ſolent locorum Concilia præter relata, ſed falsò, pace Recentiorum, citata: ſic apud *Soarium* multa *lib 9. cap 14. num. 16.* Probatur præterea concluſio ſummorum auctoritate Pontificum *Clementis I. can. 27. citato Apoſtolorum. Caliſti 1. diſt. 27. can. Presbyteris. Siriaci in epiſt. ad Himericum* Epiſcopum *Tarraconenſem cap. 27. & aliorum apud Bellarm. lib. 1. de cleric. cap. 19. mihi colum. 1123. §. 3.* Demum auctoritate firmatur Sanctorum Doctorum, ex quibus vnus pro cunctis Græcis ſit *Epiphanius ad finem operis contra hæreſes. Sacrum* (inquit) *Sacerdotium ex virginibus, vt plurimum, aut ex ſolitarijs, aut ſi hi ad miniſterium non ſuffecerint de his, qui ſe à proprijs vxoribus continent, & ſi quis ab initio continens viduus fuerit, habere poſſit locum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi &c.* idem ferè *hæreſi 59.* repetit, vbi præſentem Græcorum damnat vſum. Pro cunctis autem latinis ſit *Sanctus Beda lib. 3. de tabern. cap. 9. Nemo poteſt* (ait) *vel ſacerdotium ſuſcipere, vel ad altaris miniſterium conſecrari, niſi, aut virgo permãſerit, aut cõtracta in vxore matrimonij fœdera ſoluerit*, vt quo ad thorũ poteſt; idque potiori iure de Epiſcopis conuincit, de quibus *Arator ſubdiaconus Vigilij Papa*, mille ante annos *libro in acta Apoſtolorum* concinnè cecinit.

Eccleſiæ nunc alma fides ſine fine pudicos
Pontifices iubet eſſe tuos, &c.

22 Vltima concluſio. Clericorum ſacris initiatorum ordinibus, ac præcipuè Epiſcoporum continentia non à nuptijs modò debet eſſe, verùm à venereo quouis actu. Eſt communis Doctorum ſententia; quia cum rerum ſacrarum functionibus addicti ſint puri, ac ac ſine ſorde debeant eſſe, vtpote templa, & vaſa Spiritus ſancti ex *Apoſtolo ad Roman. 13. atque Iſaia 52. cap. Mundamini qui fertis vaſa Domini.* Et quidem hæc Epiſcopis neceſſaria caſtitas omni ex parte perfecta, oculorum etiam aciem Ethnicorum Auctorum perſtrinxit; etenim *Demoſthenes in oratione contra Timacritem. Ego enim arbitror* (ait) *qui ſacras ædes ingrediuntur, qui ad curam diuinarum rerum præſunt, eum non modò ad certum aliquod dictum tempus caſtum eſſe debere, ſed per omne ſpatium ætatis ab huiuſmodi ſtudijs fuiſſe purum oportere.* Multa breuitatis ergo miſſa facio, quæ hac de re haberem dicere: Præterea probatur de omnibus ex *Can. 1. diſt. 28. & 1. diſt. 21. & capit. Diaconi diſt. 28. cap. de his eodem*, quod ex *Concil. Tolet. 2. Carthag. 2.* habetur *cap. Cum in præterito*

diſt.

diſt.84. ibi; *Gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitati per conſecrationes annexi ſunt; Epiſcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos, &c. qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus.* Confirmatur. Qui conſtituti in ſacris fornicantur ſacrilegi ſunt, vt patet ex *Concil. Toletan.* 2. vbi cùm omnimodam continentiam in his omnibus ſacris initiatis ordinibus præſumpſiſſet, addit; *Quod ſi fortè fecerint, vt ſacrilegij rei ab Eccleſia habeantur extranei*; & conſtat ex communi Doctorum ſententia apud *Nauar. ſum. cap. 25. num. 108. Tolet. libr. 4. ſum. cap. 17. num. 21. Azor. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. ad finem. Sanch. libr. 7. de Matr. diſput. 27. num. 19. & num. 22. & 23. & nos infra ſequenti diſput. cap 3. corollar. 7. dicemus.* Item ſi coniugatus pariter ad ſacros ordines, viuente vxore, promoueretur, debitum petere non poſſet, Doctorum conſenſu apud *Sanchez lib. 7. de matrim. diſput. 38. num. 21.* vtrumque autem verum non eſſet, ſi caſtitas, ad quam tenerentur, ſolùm ad abſtinendum à nuptijs eſſet. Plura proſequitur *Valentia in ſuis controuerſijs lib. vnico de cælibatu cap. 2. & in ſua 4. par. tract. de ſacram. ordin. diſp. 9. quæſt. 5. punct. 5. §. 1.*

CAPVT III.

De continentia orientalis Eccleſiæ.

SVMMA.

Quæſtiones enodandæ, num. 1.

Primus error ante quàm ordinentur clerici, vt vxorem ducere debeant, num. 2.

Quando mos Græcorum cæperit, num. 3.

Quisnam ſit Græcorum mos, num. 4.

Opinio Caietani, & Soti aſſerentium nonnunquam in Eccleſia Græca Diaconis ſaltem licuiſſe vxorem ducere, num. 5.

Nunquam in Eccleſia licuit ſacro initiatos ordine ad nuptias tranſire, num. 6.

Caietani, & Soti fundamentum euertitur, num. 7.

Græcus poſt coniugium ordine ſacro inſignitus, vxore tamen orbatus, non poteſt ad alias tranſire nuptias num. 8.

Opinio nonnullorum aſſerentium, numquam licuiſſe Sacerdotibus, ab vxoribus, quas antea duxerunt, recedere, n. 9.

Socratem, & Sozomenum multa protuliſſe mendacia, num. 10.

Nonnullorum ſententia aſſerentium ſexcentis prioribus annis, quem Eccleſia Occidentalis morem colit, ſeruaſſe Orientalem, n. 11.

Continentia etiam ab vxoribus ante ſacros Ordines ductis, in Eccleſia & approbata, & ſemper laudata eſt, num. 12.

Continentia in Ordinibus profeſſa ab omnibus ſeruanda, num. 13.

Probabilius eſt priſcis Eccleſiæ naſcentis temporibus, nullum coniugatum non conſentientem in caſtitatem deinceps ſeruandam, ordinari, n. 14.

Cauſa, quibus id decebat, numer. 15. remiſſiuè.

Qui reliquis Clericis concedunt vxoris ante ordinis ſuſcepta vſum, Epiſcopis negant, n. 16. & 25.

Neque hæc lex abrogata fuit à Concilio Nicæno, num. 17.

In contrarium refertur Soarius, n. 18.

Reiicitur doctrina Soarij, num. 19.

Sacerdotes Græci de facto per vſum matrimonij ante ordinis contracti non peccant. numero 20.

Differentia inter caſtitatem Eccleſiæ græcæ, & latinæ, num. 21.

Satisfit primæ contrariorum rationi, numero 22.

Satisfit ſecundo argumento, nullaque Compilatoris Græculi acta cenſentur, num. 23.

Vt falſa reijcitur Paphnutij hiſtoria, n. 24.

Decreti auctoritas tanta eſt, quanta auctoris; ex quo deſumitur, ibid.

Explicatur Canon 4. vel 6. Apoſtolorum, *num. 25.*

Expenditur Gangenſe Concilium, *n. 26.*

Vt figmentum habetur hiſtoria ſpuriorum uceatorum, num. 27.

Satisfit vltimo argumento, n. 28.

1 DE exacta Eccleſiæ Latinæ caſtitate hactenus diſputatum eſt, mox Orientalis, & Græcę Eccleſię morem, atque inſtitutum expendere ſupereſt, ad quod quatuor nobis præſtanda ſunt: Primum, qua ratione Eccleſia Catholica in Græca non exactam coleret continentiam: Secundum, an aliquando Græcis licitum fuerit, ordinibus iam ſacris initiatis matrimonia poſtmodum inire: Tertium, an coniugati licitè ſacros ſuſcipere ordines poſſint: Quartum, an ſacris initiatis Ordinibus matrimonio antea contracto liceat vti.

2 Circa primum, error olim fuit, cuius auctorem nonnulli apud *Bellarm. tom. 1. libr. 1. de Cleric. cap. 19.* ſub initium, Nicolaum faciunt, vnum ex ſeptem primis Diaconis: & fortaſſe immeritò, vt videre licet apud *Baron anno Chriſti 68. à num. 101* Alij Vigilantium, à quo ſine dubio expreſſiùs traditus eſt; in quam infelicem noctuam acriter *Hieronym. agit integro libro, ſub cuius principio*

Prob

Pròh nefas(inquit)*Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes, ſi tamen Epiſcopi nominãdi ſunt, qui nõ ordinant Diaconos, niſi prius uxores duxerint, nulli cælibi credẽtes pudicitiã.* Ex quibus huius erroris vis clarè nobis innoteſcit, quo docebant hæretici, oportere clericos antequam ordines ſacros ſuſciperẽt, vxorem ducere; eo nimirũ rationis momento, quod cum iam ordinibus initiatis, omnium calculis, non licere matrimonium, exploratum ſit, nimio ſanè fornicandi periculo cælibes ſine vxore ſe ipſos arbitrabãtur, exponere. Hunc autem errorem obuijs amplexi ſunt vlnis Trullani Concilij homines circa annum Domini ſeptigenteſimum, vt patet *ex can.* 13. vbi *Conciliabolum illud*, attrita fronte Romanę damnat Eccleſię Canones, contra quos, vt clerici ante ſubdiaconatum vxores ducant, quibus cum uiuant, poſtea etiam in ſacris conſtituti, imprudenter ſtatuit. 3. Huius vero prophanæ ſynodi tempore Græcorum mos, vſque ad præſens perſeuerans ortum habuit; auctus tamen, & confirmatus ſub Leone Nuno Pontifice Maximo, ſub quo, anno milleſimo circiter quinquageſimo, apertiſſime per ſummum nefas, ab Eccleſia Romana deſciuere; quamuis antea cæperãt quidem Græci tẽpore Nicolai Primi, *auctore Photio*, ſchiſma facere, in quos eruditè ſub Leone librum edidit *Humbertus Cardinalis* contra Nicetam Abbatem pro Græcorum, quem retulimus, more acriter pugnantem 4. Eſt autem hic ritus quemadmodum habetur *Cap. Cum olim de cleric. coniug.* vt in minoribus ordinibus conſtituti vel antea vxores ſuſcipiãt, quibus poſtea ſacris ordinibus donati vtantur, eſtq; permiſſus in orientali Eccleſia, quin ibi Eccleſiaſticè peccent, vel quia Papa tolleret, vel quia, cum hæc lex politiua ſit, ab orientali Eccleſia vſu recepta non fuit ac pro inde non obligans, vt probat *Abbas Cap. ſupra citato Olim. n.* 3. *&* 4.

5 Circa ſecundum *Caiet. in opuſc. tom.* 1. *tract.* 27. *de diſpenſ. mat. in Eccleſia Occidentali q. vnica*, ait, in Eccleſia græca, Diaconos olim potuiſſe matrimonium inire, quem *Sotus in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *art.* 1. *col. penult. verſ. colligito. & lib.* 7. *de iuſt. q* 7. *art.* 2. *concl.* 1. eã cum limitatione ſequutus eſt, quando nimirum in ipſa promotione Diaconi proteſtati eſſent, ſe nolle continere, immò, ſi Soto credimus, non de Diaconis modo, ſed de ſacerdotibus etiam *Caietanus* docuit hoc ipsũ *q.* 12. *primi quodlibeti* fundamento deducto *ex Cap. Aliter diſt.* 31. ibi *Aliter ſe orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius Sancta Romanæ Eccleſiæ, nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque ſubdiaconi matrimonio copulantur, iſtius autem Eccleſiæ occidentalium nullus ſacerdotum à Subdiacono vſque ad Epiſcopum licentiam habet coniugium ſortiendi*, & licet *Gloſſa* Tò *copulantur* exponat *copulato vtantur*, quæ expoſitio defenditur *à Soto*; irridetur tamen à Caietano. Verum Sotus auctoritati Aneyranæ, ſiue Aneyritanæ Synodi 28 *diſt. can. Diaconi* innititur.

6 Et ſane certius eſt nunquam in Eccleſia licuiſſe, ſiue latina, ſiue græca ſacro inſignitos ordine matrimonium inire, ſententiamque Caietani à plerisq; reprobatã eſſe Doctoribus indicat *Couarr. in* 4. *part.* 2. *cap.* 6. §. 3. *Palat. in* 4. *diſt.* 25. *diſp.* 2. *Soar. tom.* 3. *de relig. lib.* 9. *cap.* 15. *n.* 2. Auctoreſque infra citandi, nec non Sotus paulò ante laudatus, & probatur ex more naſcentis Eccleſiæ, atque ab eius incunabulis *ſuperiori cap. concluſ.* 3. *n.* 6. relato. Præterea *ex Cap. Si quis eorum diſt.* 38. *&* 6. *Synodo generali*, vbi de Eccleſia Græca dicitur. *Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem ſubdiaconatus faciat.* iuxta *can.* 27. *Apoſtolorum ſuperiori capite citatum*, Accedit *Gloſſa Cap. Diaconi* 28. *diſt*. Hæc autem veritas etiam Canonum Trullanorum Conditores ita perſtrinxit, vt ab ea diſcedere auſi non ſint, quippe qui *can.* 6. prohibent, ne Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi iam ordinati matrimonium contrahant Probatur præterea multis tum à *Cardinali Bellarm. lib.* 1. *de cleric. cap.* 16. tum de ſubdiacono, quando id inceperit, *à Vazq. de ſacram. ord. ab Azor. lib.* 13. *cap.* 12. *q.* 3. Et præterquam quod fauent verba Paphnutij infra referenda, & ſi illam hiſtoriam admitteremus, nos tamen vnico rationis momẽto firmamus. Sacri ordinis natura munus ac dignitas coniugali ſtatu prę̃ſtãtiora sũt; meritò igitur vetuit Eccleſia, ne ab his, præſertim ſacerdotio ad cõiugium retrocederetur. Fieret inſuper tum ſacris functionibus, tum Eccleſiæ iniuria, cum qua nuptias inijt Sacerdos; neq; vim eis infert Eccleſia nolens, niſi ſub hac con, ditione inſignire libere volentes ſubire tale onus, vt ſupra indicauimus, & ſequenti diſputatione fuſius dicemus.

7 Fundamentum autem Caietani, à Soto meritò reprehenſi euertitur per *Gloſſam citatam Cap. Aliter reuertitur*, adiunctis alijs, quæ ibi Gratianus in confirmatione eruditè affert. *Soti* vero momentum nullius eſſe roboris colligitur *Ex Gloſſa eiuſdem Cap. Diaconi*, ex quo deductum eſt. Demum dicimus non diu poſt maximam, ac ſanctiſſimam Oecumeniã *Synodũ Nicenam can.* 3. omnibus indiſtinctè ſacris miniſtris quemcũq; vxorũ

vſum prohibitum eſſe, vt probè aduertit *Cardin. Baron. anno 58. num. 9.*

8 Hinc deducitur, Græcum hominem ſacro initiatum ordine poſt coniugium non poſſe orbatum vxore ad alias tranſire nuptias; quòd irritum ſit etiam apud ipſos matrimonium poſt ſacros Ordines cõtractum, *ſequenti cap* abſolutè dicturi ſumus, atque expreſsè habet *Gloſſa cap. Diaconi 28. diſt. ſic Azor. ex alijs lib. 13. inſtit. moral. cap. 14. quæſt. 7. & Sanch. libr. 7. de matrim. diſput. 28. num. 4.*

9 Circa tertium duæ ſunt ſententiæ. Prima docet, numquam in Græca Eccleſia conſuetudinem fuiſſe, vt Sacerdotes à proprijs, quas ante duxerant vxoribus abſtinerent, ita *Clotouces lib. de contin. ſacerd. cap. 4.* cuius fundamentum ſumptum eſt ex hiſtoria Nicæni Concilij, quippequod cum Sacerdoribus prohibere vſum matrimonij contenderet, Paphnutius vir ſanè probus dicitur interueniſſe, ac perſuaſiſſe, vt ijs vsũ vxorum permitterent Patres: quam hiſtoriam refert *Sozomenus libr. 1. cap. 22. & Socrat. libr. 1. capit. 8.* Verba autem Paphnutij hæc fuiſſe ibi referuntur. *Illud ſatis eſſe, vt, qui in Clerum antea adſcripti erant, quam duxiſſent vxores, hi ſecundum veterem Eccleſię traditionem deinceps à nuptijs ſe abſtinerent, non tamen quemquam ab illa, quam jam priùs, cùm laicus erat, vxorem duxiſſet, ſeiungi debere.* Hęc hiſtoria, quam probat auctoritate *Socratis libr. 1. cap. 5. & Sozom. libr. cap. 22. Soar. tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 15 num. 4. & 8.* non modò ſuperiorem confirmat iam traditam doctrinam in ſacro, ſcilicet donatos ordine, vel Græcos vxorem ducere non poſſe; verùm indicat, neque Nicænæ Synodi tempore conſuetudinem fuiſſe, vel legem, non vtendi vxore, quam ante ſacros quis acceperat ordines; immò neque antea fuiſſe vſu receptam talẽ legem, neque deinceps, addit *Soarius*, quam Concilium vſum non ſit inducere.

10 Quòd ſi obijcias & *Socratem*, & *Sozomenum* multa clarè mentitos fuiſſe, vt de *Socrate* benè probat *Card. Bellarm. lib. 1. de cleric. cap. 20.* vbi eius palmaria etiam, in rebus luce clarioribus affert mendacia: de *Sozomeno* autem teſtatur *Diuus Greg. lib. 6. epiſt. 31.* Reſpondet *Soarius* hinc non ſequi, eos in narratione huius hiſtoriæ fuiſſe mentitos, quæ quidem non eos tantùm, ſed *Caſſiodorum lib. 2. Tripart cap. 14. & Nicephorum lib. 8 cap. 19.* habet Auctores. Adde & eandem reperiri in actis Concilij Nicæni nuper repertis, & è Græco Auctore, Imperatore Baſilio collecta fuerunt ex membranis Dalmatij Epiſcopi Cyziceni, & ab *Alphonſo Piſano edita lib. 3. in fine*, atque in decreto recepta *cap. Nicæna diſt. 31.* Tertiò dicetur vetus fuiſſe inſtitutum *can. 6. Apoſt.* quod quidem vetat, nè Epiſcopi vxores prætextu religionis abijciant. Quartò, auctoritate *Concilij Grãgbenſis can. 4.* ibi; *Si quis diſcernit Presbyterum coniugatum, tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo abſtinet, anathema ſit.* Quintò *Vualiti* afferunt *epiſtolam ad Nicolaum I.* in qua narratur tempore Gregorij Pontificis à piſcatoribus in eius piſcina fuiſſe reperta ſex millia capitum infantium occiſorum, quod cùm Diuus Gregorius intellexiſſet ex occultis tantum facinus prouenniſſe fornicationibus Clericorum, quibus connubia interdixerat, exhorrens, valdè ſe id feciſſe doluit, legemque reuocauit. Sextò probatur è *Socrate lib. 5. cap. 21.* referente in Theſſalia conſuetudinem inualuiſſe, vt ſi cum vxore, quam, quando laicus erat, duxit, Clericus quis poſtea factus, dormiſſet, clericatu priuaretur, ſubditque; *Cùm omnes Illuſtres Preſbyteri in Oriente, & Epiſcopi etiam, modo ipſi voluerint, nulla lege coacti ab vxoribus abſtineant: nam non pauci illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant.* Demum probant ex *l. Eum qui C. de Epiſcop. & Cleric.* quæ Sacerdotibus vxores, quas priùs habebant, vetat relinquere quoad thorum, quod colligitur ex ratione ibi relata, *Illas etiam non relinquere caſtitatis affectio.* Hæc eruditè proſequitur *Vaſquez* hanc Paphnutij hiſtoriam pariter defendens *3. tom. in 3. part. diſputat. 246. capite 4.*

11 Secunda ſententia ſexcentis docet prioribus annis Orientalem Eccleſiam, eandem, quam Occidentalis amplexa eſt, ſeruaſſe integram conſuetudinem Sacerdotum, à proprijs etiã antea acceptis abſtinendi vxoribus, quem poſtea vſum remiſſum ſenſim, ac ſibe ſenſu fuiſſe, ac demum abrogatum, ita *Bellarm. lib. 1. de cleric. cap. 19. Cæſar Baron. tom. 1. anno Chriſti 58. num. 18. ac deinceps Turrecr. in lib. de 6. & 7. Synodo Piſan. in annotat. ad finem 3. lib, Conc. Nicæni, Aegid. ConincK de Sacram. ord. diſp. 20. dub. 12. nu. 120. ac deinceps.*

12 Ego verò primùm ſentio hanc abſtinendi etiam ab vxoribus, quas antea habebant, ſiue Sacerdotes, ſiue Epiſcopi, de quibus agimus, conſuetudinem ſemper in vniuerſali Eccleſia, & approbatam, & ſummopere laudatam fuiſſe; idque conſenſu Doctorum iudico certum, & à fortiori probabunt afferenda ad concluſionem tertiam argumenta. Probatur præterea auctoritate ſanctorũ Patrum Græcorum, qui eodem, quo coacta eſt, tempore Nicæna Synodus floruere *Cyrill; Catecheſi 12. Qui apud Ieſũ (inquit) benè fũ-*

gitur

gitur Sacerdotio, abſtinet à muliere. Epiphanij in comp. doct. habetur *ad finem hæreſ.* 70. cuius verba *præcedenti cap. concluſ. 7. num.* 13 attulimus, ſignificantque de omnibus ſacris ordinibus inſignitis; cùm inferiores his ordines doceat aſſumi poſſe ab ijs, qui adhuc ſunt in venerando concubitu; *hæreſ.* verò 59. cùm idem ferè dixiſſet, addit. *At dices mihi omninò in quibuſdam locis adhuc liberos gignere, & Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos; at hoc non eſt iuxta canonem, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem cùm non inueniretur miniſterium; nam quod decentiùs eſt, id ſemper Eccleſia per Spiritum ſanctum benè diſpoſita videns ſtatuit apparere.* Accedat *Chryſoſtomus. Oportet ſacerdotem omni prorſus caſtitate ornatum eſſe ita, vt nec vnam habeat vxorem*, ad proprium, ſcilicet, vxoris munus. Idemque docent omnes, quos laudauimus in hac diſputatione, Patres Græci.

13 Secunda concluſio. Vbi in ordinibus ſuſcipiendis continentiam hanc profeſſi fuerint, omnes poſtmodum ad eam teneri, certo certius eſt omnium Doctorum votis firmatum: patet ex *Concilio Ancyrano diſtinct. 28. can. Diaconi.* Sumitur etiam ex *Concilio Arelatenſi 4. eadem diſtinct. can. præterea.* Deinde quia vel voto, vel ſpontanea acceptatione continentiæ, vt infra, quis tunc obligatus cenſetur ita, vt nec debitum ab vxore petere poſſet, vt *ſuperiori cap. conc. 7. num.* 21. dictum eſt, etiamſi de licentia ad minimum ipſiuſmet vxoris, cum cæteris, quas *Sanch. lib. 7. de matrim.* probè refert, conditionibus ſacros ſuſcepiſſet ordines.

14 Tertia concluſio: licet probabilis ſit prima ſententia *num* 9. relata, probabiliorem tamen cenſeo ſecundam, itaut per conſuetudinem, per generalem Apoſtolorum traditionem, Concilijs etiam prouincialibus, aut nationalibus confirmatam primis naſcentis Eccleſiæ ſeculis id ſeruatum fuerit, vt Epiſcopi neminem, qui prius in continentiam deinceps integrè ſeruandam non conſentiret, ordinibus ſacris initiarent; prima pars patet ex argumentis pro prima aſſertione adductis *num.* 21. Secunda vero probatur tum ex *concluſ. 7. præcedentis cap. num.* 21. vbi vniuerſalem Eccleſiæ traditionem hanc eſſe probauimus, quam græca etiam olim amplexa eſt Eccleſia; vt patet ex *Concilio Carthaginenſe citato*. Secundo confirmatur ex *epiſt. 2. Diui Clementis ad Fratrem Domini Iacobum, vel potius, Symeonem*, qui quidem Clemens Sacerdotes alloquens ait, *Quod ſi poſt ordinationem miniſtro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, ſacrarij non intret limina, nec ſacrificij portitor fiat.* Idque ad calcem epiſtolæ ab Apoſtolo Petro ſe teſtatur accepiſſe. Nec me latet, certum haud eſſe hanc Epiſtolam fuiſſe Clementis; verum enim vero ſi Symeoni Fratri Iacobi data fuerit, vt probabile admodum à viris doctis iudicatur, ſcrupulo res magis caret; cuiuſcumque tamen illa ſit, inficias ibit mihi nullus, illam eſſe per antiquam, atque vniuerſalis Eccleſiæ vſu comprobatam, vt eruditio antiquorum Conciliorum teſtimonio probat *Bellar. lib. 1. de cler. cap.* 19. Hinc *Concilium Arelatenſe 2. cap. 3.* priuat communione Sacerdotem, ac Diaconum, qui vxorem ſuam conuerſam ſe habere præſumpſerit: conuerſam autem appellat, quia in viri ordinatione (vt nunc in Eccleſia fit latina) continentiam vouerat. Hinc etiam *Concilium Carthaginenſe concluſ. 7. præced. cap. num. 21. relatum*, ſtatutum hoc ex apoſtolica doctrina didiciſſe, quod tota ſeruauit antiquitas, teſtatur. Hinc demum *Epiphanius* ſermonem etiam de Subdiaconis habens præter ea, quæ loco citato tradidimus, *hæreſ.* 59. *Reuera enim* (inquit) *non ſuſcipit ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti aduentum eos, qui mortua eorum vxore, ſecundis nuptijs coniuncti ſunt propter excellentem Sacerdotij honorem, ac dignitatem; & hæc certe ſancta Dei Eccleſia cum ſinceritate obſeruat; ſed & adhuc viuentis, & liberos gignentem vnius vxoris virum non ſuſcipit.*

15 Quam iuſtis vero de cauſis id ſemper in Eccleſia ſeruatum ſit, ex his, quæ præcedenti capite docuimus, colligi facile poteſt: neque credendum eſt legem à Concilio Nicæno fuiſſe abrogatam, immo hiſtoriam Paphnutij *num.* 9. relatam commentitiam fuiſſe, videtur ſanè vero ſimilius; cum ſola *Socratis, & Sozomeni* nitatur auctoritate, quorum fidem, alia plurima eorum mendacia, vt paulò ante dicebam, meritò ſuſpectam reddunt; & quamuis hinc neceſſario minimè ſequatur, eos in omnibus alijs mentitos eſſe, probe tamen infertur, vitioſam, minimèque ſinceram eorum eſſe auctoritatem, nec ſufficientem, vt aliquod ab ipſis primo ſcriptum, tanquam certum, & humana fide dignum, prudenter ſine alio fundamento credatur; quando præſertim vehementes ſunt coniecturæ efficti mendacij; vt in præſenti referuntur apud citatos pro ſecunda ſententia Doctores. Adde (quod creditu difficile ſit) quotquot illius temporis Auctores, qui etiam de caſtitate ab Eccleſiaſticis ſeruanda ſcripſerunt, hunc ita præterijſſe

caſum, vt nullus, vel leuem eius fecerit mentionem, cum debuiſſent, ni ſtolidi cenſeri voluiſſent, eius tam nobilis meminiſſe; neque probabilis apparetratio, cur ab Apoſtolis ad Occidentalem Eccleſiam hanc manaſſe, ſiue traditionem, ſiue legem dicamus, ſecus vero ad Orientalem, quum contrarium teſtentur *Epiphanius laudatur, Origenes hom. 23. Gregor. Nicęn. libro de virg. cap. vlt. Diui Chriſt. hom. 2. de patient. Iob. & alij*; & quamuis *Socrates*, cuius fidem conſtantem non eſſe dictum eſt, *lib. 5. cap. 21.* hæc habeat, vt ſupra etiam retulimus, *Cum omnes illuſtres Præsbyteri in oriente, & Epiſcopi etiam modo ipſi voluerint nulla lege coacti ab vxoribus abſtineant, nam non pauci illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant.* Nihilominus tamen vel eò tunc ſerperat conſuetudo contraria per græcas prouincias, vel ille Auctor è Nouatianorum, ſeu Catharorum grege cum fuerit, vti teſtantur communiter Doctores, vt veram ſuorum gregalium turpitudinem ſub coniugalis, vſus pallio, munditiam ſuperbe affectans abſconderet, huiuſcemodi commentum excogitauit, licet illud vigere auſus non ſit aſſerere in Theſſalia, Macedonia, & Acaia, vbi conſuetudo inualuit, vt qui clericus, quam ante clericatum exceperat, vxore inueniretur vſus fuiſſe clericatu priuaretur.

16 Immo Trullani Patres, qui *can. 13.* permittunt Sacerdotibus, Diaconi, & Subdiaconis vti matrimonio ante ordines contracto, præcipiunt, vt & eo tempore quo miniſterio funguntur ſuo, ab vxoribus ſe continerent in *can. 12.* Et nè Epiſcopus cum vxore, quam ante ordinationem habuit, commoretur. Idem, vel ipſi ſeculares Imperatores agnouere, nam in *Auth. quom. oport. epiſc. §. hac autem collat. final.* dicitur *Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur, ſed ſi habere probetur ab Epiſcopatu deijciatur, quo ſe fecit indignum*: & in *Auth. de ſanctiſſ. Epiſc. collat. 9. §. Presbyter. Epiſcopum vero* (ait Imperator) *nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare, ipſe enim ſe oſtendit indignum ſacerdotio.*

17 Dicet aliquis, fuiſſe quidem illam legem olim in vigore, ſed paulò ante Concilium Nicænum per contrariam conſuetudinem in coniugatis Sacerdotibus elanguiſſe, eam approbante Concilio, quam tamen conſuetudinem iterum paulò poſt contrario caſtorum hominum vſu abrogatam fuiſſe, itaut tempore Epiphanij, aliorumque, quos ſupra laudauimus, Auctorum non vigeret. Verum quis non videat, quam hæc ſint parum vero conſona, nulloque ſtabili teſtimonio firmata? Quis eſt enim omnium, qui modo in luce non cæcutiat, qui in animum inducere poſſit tam breui temporis ſpatio, bis contrariam ſubijſſe mutationem legem, ſeu morem Eccleſiaſticum tanti momenti, quin nullus peritiſſimorum, quos citauimus, Sanctorum Auctorum eius mentionem fecerit? cum Nicæna præſertim ſynodus ſub Syluestro Primo, electo anno 314. habita ſit, Epiphanius autem viguiſſet anno 370. &, vt cæteros taceam, Sanctus Gregorius Nyſſenus anno 380: & quidem mirum profectò eſſet, legem hanc à tali, tantoq. Concilio reuocatam, Iouinianum, ac Vigilantium non obieciſſe Sancto Hieronymo, cum quo hac de materia quæſtionem habebant, quo ſolo Concilij ſtatuto ſilentium Hieronymo indicere poterant: qua præterea ratione Euſebius, qui illi Concilio interfuit *lib. 1. demonſtr. Euang. cap. 9.* abſolutè dicere auſus eſſet, initiatos ſacris ab omni vxoris continere commercio debere, nulla huius abrogationis facta mentione? Demum confirmatur hoc idem ex eodem *Concilio Nicæno can. 3.* vbi hæc leguntur. *Interdixit magna Synodus non Epiſcopo, non Preſbytero, non Diacono, neque alicui omnino, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut Amitam, vel eas tantum perſonas, quæ ſuſpitiones effugiant.* quod ſi per idem Concilium his Eccleſiaſticis licuiſſet proprijs cum vxoribus agere, cur ab eodem vetitum eſſet, eas ſecum domi non habere, vel quo pacto enumeratis tot, quos domi habere poſſent ſecum clerici, mulieribus, vnam vxorem, cæteris alioquin præferendam, & primo loco nominandam prætermiſerit Concilium?

18 Reſpondent nonnulli, ex quibus eſt citatus *Soarius 3. tom. de relig. lib. 9. cap. 15. num. 6.* nullum ex hoc canone firmum poſſe deduci rationis momentum; tum quòd idem ad omnem clericum extendat præceptum, cum abſque dubio minoribus initiati ordinibus habere ad libitum vxores potuiſſent: tum quod *à Baſilio* hic canon, hac ratione expoſitus videtur *epiſt. 17.* quaſi à Concilio editus propter honeſtatem cælibatus; conſtat autem ex vi ſignificatus eum ſolummodo cælibem dici, qui vxore caret, quam qui habet, nec vtitur continens, non tamen cælebs appellatur: tum quia hanc eandem diſpoſitionem *Patres Trullani canon. 5. & 13.* complexi ſunt: nec non *Iuſtinian. Imperator. in Authentic. de ſanctis Epiſcop. §. Presbyteris collat. 9. Presbyteris* (ait) *& Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus in clero praſcriptis, non habentibus vxores, ſecundùm ſacros canones, interdicimus etiam nos, ſecundum ſanctarum regularum virtutem, mulierem aliquam in*

pro-

propria domo ſuper inductam habere, tam citra matrem, aut ſororem, aut filiam, & alias perſonas, quæ omnes ſuſpeciones effugiant. His ſubſcribit *Photius* apud citatum Soarium in 9. *can. tit. 8. cap. 14.*

19 Verùm eſto probabilitate adducta non careant; probabiliùs tamen ducimus contrarium, vel ex hoc eodem canone; quippe qui hic ſolo nomine præcepiſſe videtur omnibus Clericis, nè præter ibi notatas, vllam domi mulierem haberent, nulla vxoris propriæ mentione facta, quia nimirum cum plerumque omnes intenderent Clerici paulatim ad ſacros Ordines promoueri, ſeque diſponere, ad quos ſoli tunc temporis, vt contendimus, continentes admittebantur, & communiter omnes cælibes viuebant, nè vxor promotioni obſtaret, id erit eis præcipiendum. Quamobrem ex ſolutione à *Soario* data illud ſequi videtur, tunc ſicut etiam in præſentia, Clericos vixiſſe cælibes, nec alia de cauſa, quàm tunc ſacris initiati ad hoc cogebantur. Miror autem pro ſe à *Soario* adductum eſſe *Baſilium*, quippe qui cælibatum ait eſſe, quo quis à propria vxore ſe continet, & quo à nexu mulierculæ, quis eſt liber, cùm enim Baſilius canonem adductum in Paregorium presbyterum attuliſſet addit, *cælibatus autem honeſtatem ſuam in eo habet, ſi quis à nexu mulieris receſſerit*. Itaque potiori ratione cælebs apud Baſilium dicitur is, qui non modo à nexu mulierculæ, verùm etiam à propriæ coniugis amplexibus receſſerit, immo à Baſilio ibidem cælibatui coniugalis opponitur vſus per ea, quæ ſubijcit. *Itaq. ſi quis cælibatum nomine tenus profeſſus, vt ipſa faciat ea, quæ à coniugatis fiunt, &c.* certo igitur certius videtur Baſilium non adeò ſcrupuloſo ſenſu cælibatus vocabulo vſum fuiſſe, vt vult *Soarius*. De Patribus verò Trullanis, vt ſupra indicaui, catholico Doctori curandum non eſt; locus autem à Soario primò citatus ex Iuſtiniano Imperatore, neſcio qua ratione pro eius ſententia adductus ſit, cùm non de clericis habentibus vxorem, vt prima fronte indicant verba, ſed de omnibus in ſacris abſolutè ſumptis loquatur, quibus interdicit Imperator, nè præter exceptas ibi mulieres nullam aliam domi retineant, quare *Rub.* Non habentibus (inquit) *id eſt non debentibus habere, vt omnes in ſacris ordinibus conſtituti.* Patet hoc idem ex *Auth. quem. oport. Epiſc. &c. §. neq. autem il 2.* ibi *Nihil enim* (ait Imperator) *ſic in ſacris ordinationibus diligimus, quàm cum caſtitate viuentes, aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui vel fuerit, vel ſit, & ipſam caſtitatem eligentem primum, principium, & fundamentum manifeſtum, ſecundum diuinas regulas, & reſidua virtutis conſtitutum.* Huic addo alterum locum in noſtræ ſententiæ confirmationem *leg. Eum qui C. de Epiſc. & cleric.* ibi. *Eum, qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet: quicumque igitur cuiuſcumque gradus ſacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore cenſentur extranearum ſibi mulierum interdicta conſortia cognoſcant: attamen eis facultate conceſſa; vt matres, filias, atque germanas inter domorum ſepta contineant: in his enim nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui caſtitatis hortatur affectio, quæ ante ſacerdotium maritorum legitimum meruerunt coniugium, neque enim clericis incompetenter adiuncta ſunt, quæ digno ſacerdotio viros ſua conuerſatione fecerunt.* In qua lege primum perpendo exceptionem filiarum, quæ domi dicuntur retineri poſſe, vbi *Rub.* eas intelligit filias, quas habuerunt ſacerdotes, vel clerici ante clericatum, quaſi non habituri poſt ſacerdotium, vel clericatum, vt medium ad ſacerdotium aſſumptum. Deinde, quas lex permittit ſacerdotibus habere ſecum, vxores non modò ſunt ante ſacerdotium ductæ, verùm, vt habet Rubrica, quæ tales fuerunt conuerſationis, vt voto vna cum viris ſe obligauerint caſtitatis, vel eis eſſe ſacerdotes ſuaſerint: has itaque præcipit Imperator, non eſſe domo excludendas, quæ vel voto caſtitatis munitæ, vel firmo, ac diuturnæ continentiæ propoſito, periculo non cenſebantur expoſitæ. Confirmo, ac declaro hoc idem ex *cap. Omninò diſt. 21. Huberti apalog. ad libellum Nicetæ Presbyteri, & Monachi aduerſus latinos editum.* quem cum nomine Leonis Noni, cuius erat Legatus *Hubertus* ſcripſerit, potius ipſius Leoni nomine citandum eſſe varijs argumentis in præludio canonis citati demonſtratur. *Igitur omninò* (ait Pontifex) *confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam vxorem, cauſa Religionis, abijcere cura ſua, ſcilicet, vt ei victum, & veſtitum largiatur, non vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & ſanctos Apoſtolos legimus egiſſe, Beato Paulo Apoſtolo dicente, Numquid non habemus poteſtatem mulierem, ſororem circumducendi, ſicut fratres Domini, & Cephas. Vide inſipiens, quia non dixit, numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem amplectendi? ſed circumducendi, ſcilicet, vt de mercede prædicationis ſuſtentaretur ab eis: nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium.* Hunc profectò ſi legiſſent canonem, legi citatæ, contrarium ſenſum non dediſſent Recentiores

apud *Soar.lib.9.citatum cap.15.num.3.*

20 Quarta concluſio. De facto ſacerdotes Græci per vſum matrimonij, ante ordines initi, non peccant, ita *Gloſſ.cap. de libellis in fine diſt.20. Abbas cap. cùm olim num.2. & 3. de Cler.coniug. & ibi Imola num.4. Anton. num.4. Ioan. Andreas num. 1. in fine. Cord. num.1. Diuus Anton.3.part.tit.1.cap.8. poſt 2. concluſ. Sylueſt. matrimonium 8. quæſt.12. in fine. Sot.in 4.diſt.38. quæſt.1. art. 2. in fine. Azor.libr.3.inſtit.moral.cap.12.quæſt.1. Sanc. libr.7. de matrim. diſput.28. num.6: & alij.* Colligitur ex *cap. Cum olim de Cleric. coniug. & Clem.3. cap. Quæſitum de pœnit. & remiſſ.* qui clarè Græcorum vſum ſupponit licitum; & clariùs *Concil. Later. ſub Innoc. 3.* ſic habens: *Qui autem ſecundùm regionis ſuæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, ſi lapſi fuerint grauiùs puniantur, cùm legitimo matrimonio vti poſſint, &c.* vbi Gloſſa id propter Græcos dici declarat; & ratio eſt, quia cùm lex de Sacerdotum cælibatu ſit eccleſiaſtica, vt *præcedenti cap. à num.16.* dictum eſt, cuius radicem ſequenti expendemus, neque à Græcis aliter recepta, quam modo prædicto, eos haud obligabit: quæ quidē ratio pro prima facit opinione, quã probabilem duximus. Addo tolerantiam, & conniuentiam Papæ ſcientis, & permittentis. Legenda præterea ſunt, quæ diximus *libr.2.diſput.1.num.4.* Dices cum nonnullis iudicantibus apud *Azorium* ex Decreto Nicolai *I. Ad conſulta Bulgar. cap. 70.* habeturque *cap. finali diſt. 28.* vbi conſultus à Bulgaris, num Præsbyteri habentes vxores ſuſtentandi eſſent? Reſpondet, *Licèt ipſi valdè ſint reprehenſibiles, vos tamen Deum conuenit imitari, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.* At Bulgari ſemper, quem etiam in præſentia retinent, Græcorum ſeruarunt morem. Reſpondet *Sanch. in fine num. 6.* intelligendum eſſe textum fortaſſe deducentibus vxores poſt ordinem ſacrum, quod nunquam licuiſſe probauimus ſupra *num. 3.* vel fortaſſe Papam Bulgaris adhuc non permiſiſſe græcum morem. Epiſcopis autem Græcis non eſſe talem vſum conceſſum, & ſupra diximus *num.16.* & tertiò facientes ſatis argumento docebimus.

21 Deducitur ex his differentia inter Græcos, & Latinos ſacris Ordinibus initiatos, quòd illis licet poſt coniugium ad ſacros Ordines aſcendere: Latinis autem nonniſi magna cum cautela, & caſtitate aliquo pacto profeſſa, vt patet ex ſupradictis, & ex *cap. Olim de Cleric.coniug. & cap. de Syracuſana 28. diſt.* Græcis quidē conceditur vſus matrimonij ante ordinem initi, præter id tempus, quo Altaris miniſterio deſeruire ex conſuetudine, vel lege debent, ſecus Latinis.

22 Ad primum rationis momentum à *num. 9.* adductum *Socratis, & Sozomeni* fidem tanti non eſſe faciendam ſupra à *num. 5.* ac deinceps demonſtrauimus; reliqui verò Auctores, cùm eorum nitantur hiſtoriæ, eiuſdē ſunt auctoritatis ac *Socrates, & Sozomenus,* quos ſequuntur.

23 Ad ſecundum reſpondeo, ſi conſtaret illa acta eſſe omninò germana, nemini fas eſſet, citatam in dubium reuocare hiſtoriam; verùm enim verò cùm ab ignoto Græculo, vt probè *Aegid. ConincK diſput.10. de Sacram. Ordin.dub.12.nu.114.* compilata ſint, eo ſanè tempore, quo ſub hæretico Imperatore, totus penè Oriens ingemiſcens, aut ſchiſmati, aut hæreſi ſuccubuerat, quis aſſeret ea ex omni parte eſſe ſincera; nihilque illis additum, aut detractum? quando non ſolùm vnus aliquis è grege, vel è triuio, ſed integra Epiſcoporum Cõciliabula prò arbitrio hæreſis, ac perturbati animi tenebris offuſo portentoſa confringebant mendacia; vt doctè proſequitur *Card. Baron. ad annum 475. & 476. ac deinceps.* Hinc *Sanctus Gregorius in dialog. lib.4. cap. 1.* memorabile virtuoſi Presbyteri exemplo rem noſtram cõfirmat, & habetur *Can. Presbyteri diſt.32.* Adde cum de quo agimus, Compilator poſt Socratem vixerit, bona potuiſſet fide, quæ in eo legerat, Nicænæ Synodo adſcripſiſſe; nam etſi dicat, ex membranis ea ſe collegiſſe acta Dalmatij, haud tamen aſſerit, ſe nihil omninò aliunde accepiſſe.

24 Ad id autē, quod ex Canone Nicænæ Syn. additur, dico locum ablatum, *ex Tripartita hiſtoria lib.2. cap.14. relatum eſſe*; quamobrem Paphnutij caſum ſupra diximus *num. 15* eſſe figmentum; cum autem, quæ in decretis habentur, maiorem non habeant auctoritatem, quàm Doctorum, aut Sanctorum, à quibus deſumuntur, nec vim canonis, niſi ex Pontificis, aut Concilij generalis, & à Papa confirmati decretis excerpta ſint, vt probatur in *cap. De libellis 20.diſt. ex Leone 4. & docent Ripa lect.1.num.69. ff. ſi certum petatur. apud quem alij Iuris conſulti. Maior. 4. diſt.27.quæſt.vlt.§.dubitatur an is. Caiet.2.2. quæſt.88 art.8.dub.vlt.§.ad primum Sot. lib. 7.de iuſtit.quæſt.3.art.1.ſub princip. verſ. aut ergo deſunt. Valent.2.2.diſp. 6. q. 6. de vot. punct.6. fere ſub initio §. hinc ſequitur, & Sanch.lib.9.de mat.diſp.12.num.5.circa medium*; non eſt cur maior apud nos ſit illius decreti fides, ac tripartitæ hiſtoriæ; quam in Paphnutij relatione minimè ſinceram adſtruimus. Et quidem clarius decretum, & ad nos conuincendos aptius poterat obijcere *Soarius* ſubſequens, nimirum ad obiectum, cu-

ius

ius initium eſt, *Quoniam in Romanis diſt.* 31. quod deſumptum eſt ex canonibus, qui falsò ſextę Synodo, ſiue quinto ſextæ adſcribuntur in Trullo editi, de quibus *Numbertus Leonis Noni Legatus*, quem *num.* 19. laudaui, *Non autem miror* (inquit) *ſi Agathoni Papæ, & Sanctis Patribus ſextæ* Synodi *veſtra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis, aut finxiſtis capitula, cùm & ipſi Domino Ieſu, & Apoſtolis eius imputetis figmenta eoi* Legantur quæ à *Gloſſa Cap. Habeo librum diſt.* 16. ad rem afferuntur.

25 Ad tertium, quid præter ea, quæ ex *Can. Omnino diſt.* 31. *num.* 19. attuli, non habeo; ſolùm addo potiori nomine *Apoſtolorum canonem ſiue* 4. *ſiue* 6. haud præcipere, vt Epiſcopus adhuc vtatur vxore, quam antea duxerat, cum hoc, & apud Latinos, & apud Græcos ſemper illicitum fuerit, vt nos ſupra indicauimus, quicquid *Socrates Nouatianus* in contrarium dixerit. Iubent itaque ſolùm Apoſtoli, nè vxorem Epiſcopus, ſi habebat, è domo abijciat, denegando neceſſaria contra doctrinam 1. *ad Thimot.* 4. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior eſt.*

26 Ad quartum reſpondeo, Gangrenſe Concilium ibi non agere de ſacerdotibus adhuc coniugio vtentibus; ſed, vt patet ex prima verſione illius canonis apud *Soar. tom.* 1. *concilior.* quæ quidem eſt *Dyoniſij* ſolo nomine *Exigui*, magni tamen atque eruditiſſimi viri, cæterarumque antiquiſſima: & ex præfatione etiam eiuſdem Concilij, vbi, quos damnat, hæretici dicuntur omnino nuptias contempſiſſe; tanquam malas: Quamobrem eos, qui aliquando nuptias inierant, quantumuis, deinceps continenter viuerent, indignos tamen omninò illo munere putabant, non ſecus ac in præſentia à catholica Eccleſia ducuntur homicidæ, & ſi pœnitentes, indigni Sacerdotio, contra quos hæreticos agit Concilium.

27 Ad quintum dico, citatam Sancti Vdalrici hiſtoriam confectam per ſummam impudentiam fuiſſe, & quidem ab imperito, & ſtolido Nugiuenda, qui etiam ignorauit Nicolaum Primum aliquot annis fuiſſe mortuum ante quàm Sanctus Vdalricus naſceretur; vt deducitur ex chronologia, & temporũ ratione *à Bellarm.* diligenter, & eruditè perpenſa *Libr.* 1. *de clericis capite vigeſimoſecundo*. Quid igitur mirum ſi homuncio, qui adeo palmare retulit mendacium, vel leuiſſimi hominis fidem excedens, ſibi etiam ſimilis portentoſam fabulam in re noſtra pro vera hiſtoria mendaciter exprimere auſus ſit?

28 Ad vltimum tandem, præter quàm quòd fidem *Socratis* dubiam eſſe ſæpe diximus, addimus in ea Prouincia fortaſſis pœnam priuationis clericatus conſuetudine introductam fuiſſe.

DISPVTATIO VI.

An ſacris initiatis Ordinibus ad continentiam in Eccleſia Latina per Eccleſiaſticum obligentur præceptum, an verò per votum.

Declaratam hactenus, Eccleſiaſticorum præſertim Epiſcoporum continentiam, præſens excipit Diſputatio, eiuſdem radicem expenſura, quæ quidem cùm multa ſint ſcitu digna, vſuque frequentia inuoluat, vnico ſolùm capite circumſcribenda non eſt.

CAPVT PRIMVM.

Variæ referuntur opiniones.

SVMMA.

Prima refertur ſententia aſſerens ex lege Eccleſiaſtica quaſi per votum implicitum caſtitatem Eccleſiaſticorum promanare, numero 1.

Ex hac opinione ſequitur, & à ſuis docetur Auctoribus, incontinentiam Eccleſiaſtici eſſe tantum ſimplicem fornicationem, nu. 2.

Secunda ſententia continentiæ obligationem oriri affirmat ex voto ſaltem implicitè emittendo, quod per legem Eccleſia coniunxit ordini ſacro, num. 3.

Tertia ſententia docet, caſtitatis obligationem tum ex voto, tum immediatè ex lege Eccleſiaſtica promanare, num. 4.

Ex hac opinione infertur à ſuo Auctore, Religioſum fornicantem committere diſtinctum ſpecie peccatum ab eo, quod committit fornicans voto ſolum caſtitatis obſtrictus, numero 5.

Infertur etiam, Religioſum Sacris initiatum, ſi fornicetur vtramque circumſtantiam religionis, & voti aperire debere, num. 6.

1 TRes de hac difficultate ſententias inuenio. Primam aſſerentium, non eſſe ex formali voto, ſed ex Eccleſiæ ſtatuto, ex quo promanantem omnimodę continentiæ obligationem votum appellant ſaltem implicitum, quod impoſita illa ſit ijs, qui ſacris initiantur, ob maiorem Dei cultum; qui finis in votis emittendis ſolet intendi. Quamobrem tum ob cauſam ſubiectiuam, perſonam nimirum Eccleſiaſticam, cui lex imponitur, tum ob cauſam finalem, vt modò dicebam, voti nomine legem Eccleſiaſticam hi Auctores donant; & quidem ſolemnis, quippequod ad inſtar ſolemnis dirimit matrimonium ſubſequens; ſic Scot. *in 4. diſt.* 37. *quæſt. vnica* §. *dico igitur. Maior pars Doctorum Pariſienſium apud Maiorem in 4. diſt. 24. quæſt. 2. in princip. alijque, quos refert Caiet. in opuſcul. tract.* 27. §. *quoad ſecundum quibus accedit Valent. 4. tom. tract. de ſacram. ordin. diſp. 9. quæſt. 5.* §. 1. *paulò poſt principium, Card. Clem. Ad noſtram verſ. Ex 7. num. 3. de hæret. & ibi Imola num. vlt. Innocent. Cap. Placet num. vnic. verſ. Ex hoc apparet de conuerſ. coniug. Archid. cap. Cum in præterito ad verbum annexi num. 2. diſt. 84. apud quos alij*; quorum illud eſt fundamentum, quia cùm votum lex ſit priuata, quam quis ſua ſibimet ſponte imponit, non videtur qua ratione poſſit ab Eccleſia ad hoc cælibatus votum obligari: à qua tamen per propriam

eius

eius legem quis pòſſit deuinciri, igitur ab hac Eccleſiaſticæ caſtitatis lege obligatio dicenda eſt deriuari. Secundò quia ad ſacros ordines promotus, etiamſi ignoret ſe continentia obligari, vel ad eam ſe deuincire per votum expreſſe tenuat, obligatur tamen, & non ex voto; ergo ex præcepto Eccleſiaſtico,

2 Hinc multi ex laudatis Auctoribus docēt, acceſſum clerici ad ſolutam, ſimplicem tantum eſſe fornicationem, qui quidem referuntur à *Sanchez mox citando*, quos inter eſt *Cardinal Imola citatus*, *Iulius Clarus lib. 5. receptarum §. fornicatio num. 18. & §. incertus num. 1. verſ. ſed numquid committitur*. Deducunt ex *Cap. Quia circa de bigam.* vbi loquens textus de presbyteris concubinatijs ait: *Cum eis tanquam ſimplici fornicatione notatis. & Cap. Presbyter diſt. 28. Presbyter ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, &c.*

3 Secunda ſententia docet, immediatè non oriri continentiæ obligationem ex Eccleſiaſtica lege in ſacro initiatis ordine, ſed ex voto ſaltem implicitè emittendo, quod Eccleſia ſuo præcepto adiunxit ordini ſacro, eſt *Diui Thomæ 4. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. in corpor. Riccard. ibidem art. 1. quæſt. 1. in copor. Capriol. ibi diſt. 37. quæſt. vnic. art. 1. in fine, & ibi Reza quæſt vnic. art. 4. ad finem Caiet. opuſc. tom. 1. tract. 27. de diſpenſat. mat. in occid. Eccleſ. quæſt. vnic. §. quod ſecundum Tolet. lib. 4. ſum. cap. 17. num. 21. & lib. 7. cap. 8. num. 3. Bellarm. in ſuis controu. lib. 1. de mat. cap. 21. §. impedimenta, & lib. 1. de cleri. cap. 18. §. at beatus Azor. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. & cap. 14. quæſt. 10. Vazq. 3. tom. in. 3. part. diſp. 246. cap. 3. & diſp. 147. cap. 7. Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 22. num. 10. Suarez 3. tom. de relig. lib. nono. capit. 17.* Ex iuris autem peritis *Gloſſa cap. Coniugatus verb. continentiam de conuerſ. coniug. & Extrauag. Antiquæ Ioann. 22. de vot. in fine, & cap. vnic. de vot. in 6. in caſus poſitione notab. 3. & verb. ſacri. & ibi Dominic. num. 5. & alij Gloſſa cap. Cum olim. verb. votum. de cler. coniug. ibi Hoſtien. num. 1. in fine. Anton. num. 8. Abbas num. 4. alijque apud hos.* Huius autem opinionis duplex oſtendendum eſt fundamentum. Primum, quòd Eccleſia hoc poſſit præcipere votum volentibus ſacris initiari ordinibus. Secundum quòd reuera iuſſerit. Prima ratio eſt, quia quamuis Eccleſia neminem poſſit abſolutè ad continentiam cogere, quippe quæ mere conſilij *cap. Integritas 32. quæſt. 7.* at verò in ordine ſacro, quem confert, conditiones apponere, legeſque condere, & iuſtas, & illi ſtatui conſentaneas vtique poteſt, vt eſt, quod modò tractamus, continentiæ votum; non ſecus, ac quilibet in propriæ rei traditione legem poteſt apponere *l. In traditionibus ff. de pact.* Hac itaque ſuppoſita lege, eo vel ipſo, quòd quis ſacros ordines velit ſuſcipere, ex conſequenti cenſetur vouere, non ſecus atque ad canonicum officium cenſetur velle obligari, quod onus eſt ordini ſacro adnexum. Quamobrem hoc votum initum non eſt, ni voluntariè, quemadmodum qui officium Iudicis, Prætoris, Medici init, aut ad Epiſcopatum eligitur, eo vel ipſo illius ſtatus ſubit obligationes, atque annexa onera. Probatur deinde ſecundum punctum quod probandum eſſe ad veritatem concluſionis ſupra indicauimus, ex *Diuo Greg. lib. 1. Epiſt. 42. in fine*, & refert *cap. 1. diſt. 28.* ibi *Nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi, qui ſe victurum caſtè promiſerit.* vbi Gloſſa *Promiſerit*, exponit, *Tacitè, vel Expreſſè, & cap. Diaconi eadem diſtinct. ex Ancyrana Synodo can. 10.* ibi. *Quicumque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam.* Cùm ergo Epiſcopi non ſint huius præcepti tranſgreſſores, ſed illud obſeruent, vt ex formula conſtat ordinationis in Pontificali adnotata. *Conſiderare debetis attentè quod onus hodie vltro appetitis: hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſecularia vota tranſire, quòd ſi hunc ordinem ſuſceperitis, ampliùs non licebit à propoſito reſilire; ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatem ſeruare oportebit.* Suſcipientes igitur Ordines ſacros cenſendi ſunt caſtitatis votum expreſſè facere, quod magis indicant verba formulæ citatæ. Confirmatur *ex cap. Cùm olim de cler. coniug. Nos igitur attendentes, quod omne talis Eccleſia votum continentiæ non admiſit*, ergo manifeſtò ſupponit in Eccleſia occidentali latina continentiæ votum ſacris eſſe coniunctum ordinibus, vt in *Cap. Vnico de vot. lib 6. & in Extrauag. Antiquæ Ioann. 22. de vot. & in Concil. Tolet. 2.*

4 Tertia ſententia docet, ſuſcipientes ſacros ordines præter voti obligationem ſuperiori ſententia declaratam, ex Eccleſiaſtica lege immediatè etiam obligari: eſt *Aegid. Coninck. diſp. 20. de ſacram. ordin. dub. 13. num. 130.* nullum pro ſe adducentis Auctorem, cui videtur fauere *Concil. Toletanum 11. can. 10.* & refertur *can. quamquam 23. diſt.* probatur, quia vel tenerentur ex voto implicito tantùm, vel explicito, non implicito, quia quamuis ſimulando quis votum peccet contra virtutem religionis; ſicut is, qui fictè ſine neceſſitate falſum iurat, illo tamen voto, quod verè nullum eſt, poſtea non obligatur, ſicut is, qui gratis alicui, addito iuramento fictè promiſiſſet, peccaſſet quidem id iurando, poſtea tamen non teneretur promiſſis ſtare, niſi fortè ratione ſcandali, nè videretur re-

ligio·

ligionem contemnere tantummodo; ſic in caſu noſtro non obligaretur voto explicito, quia multi non vouent explicitè, vel ex ignorãtia, vel ex malitia. Quòd ſi dicamus immediatè teneri ex ſola Eccleſiaſtica lege, vt prima docebat opinio, non facilè probare poterimus volentes vouere aliqua lege immediatè ad continentiam obligare; cum nulla prorſus ſit pro his lata peculiaris lex. Quod ſi dicas, ideo hos obligari, quòd, vt ſupra ſecundam exponentes opinionẽ diximus, qui aliquod ſuſcepit officium neceſſariò velit, nolit, ſuſcipit onus illi adnexum. Inſtat *Aegid. num.* 129 quia ſuſcipiens ſacrum ordinem, penes ſecundam, quam retulimus opinionem, immediatum non habet onus ſeruandi continentiam, ſed emittendi votum continentiæ; quamobrem coniugatus tali cum intentione ſuſcipens ordines, peccaret quidem non vouendo, non tamen peccaret per vſum coniugij: ſicut ſi duo coniuges mutuò vouerent conſenſu profiteri in religione, peccarent quidem poſtea ſine iuſta cauſa ingreſſum differendo religionis, non tamen peccarent interim ſi vterentur matrimonio; modò per hunc vſum ineptos ad religionis ingreſſum ſe nõ redderent; vt probè docet *Sanchez lib. 9. de mat. diſp. 37. num.* 5. Secundò probat *ConincK* quoties Eccleſia eo ſpeciali alicuius virtutis motiuo aliquas reddit perſonas inhabiles ad mutuum contractum matrimonij, ijſdem etiam ſpecialiter prohibet quemcumque actum venereum inter ſe habendum, in quem incidentes duplici ſe inquinant peccato, vt videre eſt in ijs, qui in tertio, & quarto gradu ſibi affinem, vel ſpiritualem cognatam agnoſcunt; quique idcirco duplici peccant culpa, ex tali impedimento promanante; ſed Eccleſia omnes ſacris initiatos reddit immediatè inhabiles ad matrimonium, quauis cum perſona contrahendum, idque ob motiuum ſiue reuerentiam virtutis, religionis, ſiue propter excellentiam ſacri ſtatus, quem ineunt; ergo ſpecialiter his immediate omnem actum prohibet venereum cum quauis fœmina. Hoc argumentum tanti facit *ConincK*, vt fateatur illo coniunctus à communi Doctorum ſententia diſcedere, quod ſi ab aliquo ſolueretur, daret manum ſecundæ ſententiæ, ſic ille *num.* 131.

5 Deducit ex hac ſua opinione, Religioſum fornicantem diſtinctum committere ſpecie peccatum, ab eo quod committit fornicans ſolo voto caſtitatis obſtrictus, quia ſicut religioſo ſpecialis ineptitudo impoſita eſt ad matrimonium, ita ex ſpeciali prohibitione talis actus.

6 Infert ſecundò, fornicantem Religioſum initiatum vtramque circumſtantiam neceſſariò aperire in cõfeſſione teneri; nam cùm vtraque ſpeciale contineat impedimentum matrimonij ſpecialem etiam neceſſariò caſtitatis inducit obligationem, quod contra conſenſum Auctorum eſſe, citatus Auctor vltrò fatetur.

CAPVT II.

Vera ſententia, ex qua cæteræ reijciuntur aſſeritur:

SVMMA.

Status quæſtionis, num. 1. & 2.

Non modò continentiam optat, ſed præcipit Eccleſia Latina, num. 3.

Votum continentiæ ab ordinandis expreſſè ex præcepto non eſt emittendum, n. 4.

Qui bona fide vult ordinari, implicitum votum cenſetur emittere, n. 5.

Impliciti voti ratio expenditur. num. 6.

Initiandus expreſſè nolens vouere voto non tenetur caſtitatis. num. 7.

Non abſolutè, ſed ſub conditione voti non emiſſi ab initiato, legem eum obligantem ſanciuit Eccleſia. num. 8.

Hæc lex materiam habet ſpectantem ad religionem, cuius tranſgreſſores ſunt ſacrilegi. num. 9.

Explicatur culpa initiati nolentis vouere caſtitatem. num. 10. 11. & 12.

Pene ex iuſtitia tenetur quis emittere votum tempore ordinis. num. 13.

Obligabitur igitur vel diuino præcepto ad votum caſtitatis obſeruandum, ſi emiſſum fuerit, vel in huius defectum præcepto Eccleſiaſtico. num. 14.

Si quis ignorans quid ſuſciperet initiaretur ſacris, non teneretur ad caſtitatem. numero 15.

1 MEam priuſquam explicem ſententiam. Noto poſſe quempiam ſcire ſe ordinem ſacrum quidem ſuſcipere, dum ab Epiſcopo initiatur, ignorare tamen huic ordini onus continentiæ eſſe adnexum, vel ex voto, vel ex lege.

2 Noto ſecundò ſcientem onus continentiæ ordini adnexum tripliciter haberi poſſe; primò, vt nolit eam vouere, neque in eam conſentire legem; ſecundò conſentire in ordines ſuſcipiendos, expreſsè tamen votum non emittere; Tertio expreſsè votum emittere.

3 His prælibatis, prima concluſio ſit, non optat modò Eccleſia latina (de qua in hac diſputatione loquimur) ſacris initiatos ordinibus voto ſe obſtringere cælibatus, verùm præ-

præcipit. Facit ad rem *Innocent.3:in Concil.*
gener. & refertur *Cap.vt clericorum de vit.&*
honeſt cleric. Et quidem meritò, vt habet *Bo-*
nau. apud Turrecrem. diſt. 27. cap. 1. Quod
Eccleſia,& potuit id quod decebat; & quod
expediens erat potuit. Potuit,inquam,tum
ob poteſtatem eiuſdem, tum ob conſenſum
ſubditorũ. Decuit tum ob dicta,tum ob eas
cauſas,quæ ſubijcientur,relatę etiam à Tur-
recrem,citato,& in *cap. Cauſa 31. diſt. cap.*
Presbyteris 27. diſt. cap. Nullum 28. & alijs
paſsim. In hanc abire ſententiam ſecundæ
opinionis Auctores, quorum rationes vtrã-
que probant conclusionis partem, nullum
eſt dubium. Secunda autem,in qua neruus
difficultatis ſitus eſt, præterea confirmatur,
quia quamuis potuiſſet Eccleſia lege non
quidem abſoluta caſtitatis,obligare nonnul-
los, ſed conditionata ad continentiam; eos
nimirum, qui ſub conditione ordinis aſſu-
mendi vellent ſe Deo addicere; nihilò ta-
men ſecius expendere potiùs cenſuit, medio
voto, quàm aliàs hoc exequi, tum vt mate-
riæ caſtitatis,quæ conſilij potiùs eſt, quàm
præcepti, ſeſe magis accomodaret: tum vt
obligationi nempe religionis maius eſſet ro-
bur,firmitas,& conſtantia, quàm ſi ex ſola
lege manaret; quippequæ faciliori negotio
illo tunc, immo ſine cauſa diſpenſare validè
potuiſſet: ſecus autem intercedente voto,
ad ius ſpectante diuinum; quod indirectè
tantùm,maxima vrgente cauſa,ſolùm poteſt
Pontifex diſpenſare,vt *lib.2.diſp.1.cap.3.* do-
cuimus;& in hoc maximè voto caſtitatis id
verum habet, potiori quidem iure in maius
bonum commutando *ex cap. 1. de vot.* quod
inuentu eſt profectò difficile. *Si quidem nup-*
tiæ replent terram: virginitas paradiſum 22.
4 *quæſt. 1. Nuptiæ.* Hoc autem votum expreſsè
non eſt emittẽdum ex præcepto,vt ex cano-
nibus citatis,& vſu Eccleſiæ patet; alioquin
peccarent omnes,qui ſacris donantur ordi-
nibus,ni expreſsè vouerent caſtitatem; quod
contra Doctorum prudentiam, ac timoratę
conſcientiæ virorum vſum, & conſenſum
eſſet: neque præceptum de expreſſo voto
aſſignare facile eſt, quòd expreſſis eſſet fa-
ciendum verbis. Qua verò ratione implici-
tè emittatur,ac ſufficiens ſit, ſequens doce-
bit aſſertio. Quo autem pacto peccaret, qui
illud emitteret, *concl.6.* docetur.

5 Secunda aſſertio. Licèt qui ſacris initia-
tur,explicitè votum caſtitatis, liquidis ver-
bis,non emittat,vbi tamen,bona fide,quo ab
Eccleſia conferantur modo, ſacris vult im-
bui ordinibus, implicitè vouiſſe cenſendus
eſt. Non diſcrepat hæc aſſertio ab Auctori-
bus ſecundæ ſententiæ, & apertè docetur à
Vazq. 3.tom.in 3.part.diſp 247.cap7.num.98.
& a Suar. 3.tom. de relig.lib.9. cap. 17. num.

6. Probaturque ratione pro eadem ſecundæ
ſententia facta. Deinde quod ad voti valo-
rem quinque deſiderantur conditiones *ex*
Diuo Thoma 2.2.quæſt.88.art.1.& 2. ab om-
nibus receptæ. Prima eſt deliberatio: Se-
cunda propoſitum: Tertia promiſſio: Quar-
ta,vt ſit Deo facta: Quinta,vt de meliori ſit
bono: Atqui in ſuſcipiente,præſcripta ratio-
ne, ordines ſacros,hæ profectò reperiuntur;
ergo,&c. Minor de vltima conditione non
habet dubium. Quo ad reliquas autem præ-
miſſa,quam præcedenti aſſertione probaui-
mus,lege,atque Eccleſiæ conſtitutione, or-
dini ſacro votum caſtitatis annectente, eoſ-
que cogente, qui illo imbuuntur ad votum
caſtitatis emittendum, ſaltem implicitè de-
claretur; quia deliberatio,atque iudicium,
ſeu actus rationis,quo quis decernit, num
ſibi ſacros ſuſcipere ordines expediat,ipſum-
que propoſitum,quo illis initiari ſtatuit,non
ad ordines quomodolibet conſideratos ten-
dunt,verum ad eos,vt ab Eccleſia præſcrip-
tos,cum onere ſcilicet, eis adiuncto caſtita-
tis: ergo non ſolùm, vt obiectum reſpiciunt
nudos ordines, ſed vt promiſſione affectos
Deo facienda continentiæ, ab Eccleſia ordi-
ni adiuncta; ergo qui vult ordines inire ſa-
cros, vult conſequenter ex eadem deter-
minatione, & propoſito Deo vouere ca-
ſtitatem.

6 Dicet quis,velle promittere, vel velle vo-
uere diſtinctum quid eſſe à promiſſione,& vo-
to; ſicut propoſitum, & ipſum votum, quod
obligationem inducit, quam illud non in-
fert,vt communiter antiqui Doctores citati
à *Valentia 2.2.diſp.9.quæſt.6 punc.4.Sanch.in*
oper.mor.lib.4.cap.1.num.19. 20. & 21. Igi-
tur quamuis voluntas ſuſcipiendi ordines ſa-
cros ſit implicita voluntas promittendi Deo
continentiam,vel eam inuoluat, non tamen
erit promiſſio continentiæ. Verùm quam-
uis, vt rectè probat argumentum, voluntas
ſuſcipiendi ordines non ſit actus formalis,
& expreſſus promiſſionis,vel voti,eſt tamen
implicitus; ſicut enim voluntas expreſſa ſu-
ſceptionis ordinum ſacrorum eſt implicita
promiſſionis faciendæ caſtitatis,ſic expreſſa
ſuſceptio ordinis,eſt implicita promiſſio ca-
ſtitatis,non quidem voce,vel verbis, ſed ipſo
facto explicata, non ſecus ac geſtatione ha-
bitus profeſſorum, atque actuum exercitio,
profeſſis tantùm in approbata religione
competentium,tacita,& ſolemnis inducitur
profeſsio *cap.Vidua de reg.iur.* de qua probè
Sanch.in oper.mor.lib.3.cap.3. & ibi remiſsi-
uè; Itaque ſicut ſolemne religionis votum,
interdum implicitè factum, robur, & con-
ſtantiam habet, quando tacita profeſsione,
vt paulò ante diximus, factum cenſetur; ſic
etiam,& votum caſtitatis ordini connexum.

Et

Et quamuis infra *num.* 15. dicturi ſimus; quid in caſu ſentiendum ignorantiæ; nihilotamen minus poſt quàm lex (modò declarata) ab Eccleſia præſcripta, & intimata per ſe ipſam admonet, difficile ſanè erit, ne dicam, impoſsibile, ignorantiam dare obligationis voti, ſaltem implicitè emittendi. Quare probè *Vazq. citandus num.* 98. nullum ignorantię caſum excuſantis à tali voto implicito, & obligatione admittit in Eccleſia Latina.

7 Tertia concluſio. Expreſsè nolens vouere caſtitatem, etſi ſacro initiaretur ordine, cenſendus tamen non eſſet voto caſtitatis obſtrictus, ſic *Scot. in 4. diſt. 37. quæſt. vnic. §. hac eſt, Palud. ibidem q. 1. num. 19. ſupplementum Gabliel. 4. diſt. 38. quæſt. vnica art. 2. ad finem poſt 2. concl. Silueſt. mat. 8. quæſt. 12. dicto 2. Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 27. numero 12. Vazq. 3. tom. in 3. part. diſp. 246. cap. 3. & de hac materia cap. 7. num 95. Suar. 3. tom. de relig. cap. 17. num. 9.* Ratio quidem eſt, quia votum cum voluntaria ſit promiſsio, impoſſibile prorſus eſt iniri ſine voluntario vouentis conſenſu, quem hic abeſſe ſupponemus, non modò negatiuè, ſed contrariè per diſſenſum, & voluntatem non vouendi. Confirmatur, quia ſacer ordo, & obligatio ad caſtitatem varia habet obiecta, neque intrinſecè, aut neceſſario ſe includentia; cum *cap. 2. præcedentis diſputationis* demonſtrauerim ex poſitiua lege Eccleſiaſtica caſtitatem ordini ſacro ſolùm adnexam eſſe; ergo poterit quis velle ſacrum ordinem, quin neceſſariò velit caſtitatem extrinſecè ei adiunctam, quam poſſet etiam expreſsè nolle.

8 Quarta aſſertio. Non abſolutè, ſed ſub conditione, quando votum ſaltem implicitè, quauis ex cauſa non emiſerit Initiatus, legem & præceptum tulit Eccleſia, qua ille teneatur totalem obſeruare caſtitatem. Videor hanc mihi ſententiam collegiſſe ex *Gloſſ. cap. Cum olim. ver. votum continentiæ*, vbi ſacro initiatum ordine, nec votum explicitè emittentem, ſi iuris peritus ſit, dicitur teneri ad cælibatum, ex voto nimirum implicito iuxta aſſertionem ſecundam, *ſi autem iuris inſcius ſit, non teneri ex voto ſed ex conſtitutione;* quę in hoc caſu, & ſub hac conditione ab Eccleſia ſancita videtur; diſtincta quidem ab ea, qua tenentur ordinandi vouere ſaltem implicitè hæc enim, de qua in hac aſſertione loquimur, ſub conditione eſt; illa abſoluta: hæc ipſum cælibatum tanquam materiam reſpicit. illa votum emittendum. Neque quòd abs re fecerunt nonnulli Recentiores, ſub obſcurè, ac diminuti hanc opinionem indicantes *Vazq. tom. 3. in 3. part. diſp. 267. cap. 6. num. 100. Can. 9 Concil. Trident. ſeſſ. 24.* ad hanc meam formandam ſententiam aſſero, quia vel Concilium, quem ei dat Vazquez ſenſum intendit: vel quem ipſe probabiliorem exiſtimo, dum ait. *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, &c. anathema ſit.* referens minirum ad ordinibus initiatos, obligationem ex lege ſaltem conditionata, vt nos contendimus, vel abſoluta emittendi votum implicitum; obligationem verò ex voto ad Regulares, Nam clauſula poſterior ad præcedentia cum proportione referenda eſt, ſeruata diuerſa ſingulorum ratione, quæ inter perſonas intercedit, de quibus ſermo eſt, vt in caſu noſtro probè docet *Menoc. lib. 4. præſump. 121. num. 7.* & ſæpe proſequuti ſumus. Ratio autem eſt, qua, me quidem iudice, ducta Eccleſia hanc legem ſanciuit, quia cum interiores actus Deo tantum ſint cogniti cui omne cor patet, Eccleſięque notitiam, & iudicium fugiant, nè fraus, vel malus dolus alicui ſuffragaretur; ferenda erat lex, qua huic obuiam iretur abſurdo, & qui propria voluntate non eſſet ad cælibatum deuinctus, Lege quidem eſſet non modò conditionata, & eo vel ipſo obligante quod ordinibus aliquis imbui ſponte voluerit, ſed etiam eo in euentu, & ſub conditione voti vel explicitè, vel implicitè non emiſſi. Quamobrem licèt *Sanch.* ſupra citatus pro ſecunda opinione, eam ſimpliciter amplecti videatur, probè tamen in gratiam noſtræ ſententiæ *lib. 7. de mat. diſp. 27. num. 32.* ait hanc Eccleſiæ conſtitutionem omnes ſponte promotos, velint, nolint obligare ad caſtitatem, atque ad abſtinendum à matrimonio, quod huic legi minimè repugnat, ſicut voto prorſus repugnaret cuius obligatio ex libera, & ſpontanea voluntate prodire neceſſariò debet, vt pote per legem priuatam ſibimet voluntariè impoſitam. Confirmatur primò quòd qui ſua ſponte ordinatur, ac priuilegijs clericalibus frui eligit; rationi conſentaneum etiam eſt, vt mera ſubeat illi ordini annexa, *vt qui ſentit commodum ſentiat, & onus Reg. Qui ſentit 55. de reg. iur. in 6.* Confirmatur ſecundò, quia bono Eccleſiæ regimine non expediebat, vt in facultate, ac poteſtate perſonæ initiãdæ eſſet ſingere votum, ad quòd ſine illius voluntate minimè poterat efficaciter, & cum effectu adſtringi. Quamobrem, vt alias deuinceretur opus erat ſpeciali lege Eccleſiaſtica inſtar illius, qui fictè profeſſus eſt in Religione. Et quamuis nullum habeam Auctorem hanc meam ſententiam clarè docentem, eam tamen, vt paulò ante dicebam, ex parte, & ſuboſcurè indicatam poſtmodum reperi à nonnullis Recentioribus apud Vaz-

quez

quez citatum, diuinum tamen cum in eo ſolum loquatur caſu, quo quis inuitus ordinaretur, quando voluntariè illum obligatum lege eccleſiaſtica, ab eis tamen titè neque explicata, neque probata: quin omnes ferè Doctores varijs difficultatibus è proprijs ſententijs emergētibus preſſi, ad hanc, quam amplexi ſumus, ſententiam tandem clanculum ſubter fugiunt, ſic *Sanchez modo laudatus*, ſic etiam *Vincent. Cap. Cum olim de cler. coniug. Abbas ibid. num.4. Roſell. verb. impedimentum imped. 11. num. vlt. & alij*, cum dixerint conſcium voti adnexi, dum ad ordines ſacros promouetur, ex voto ad caſtitatem teneri: ignorantem vero ignorantia probabili ex Eccleſię teneri pręcepto per Gloſſam initio huius concluſionis citatam: ſic etiam *Azor. lib.3. inſtit. cap. 14. quæſt.* 10. non habentem docuit contrariam voluntatem ex voto teneri: habentem autem ex Eccleſiæ præcepto.

9 Quinta aſſertio. Hæc lex eccleſiaſtica ſub conditione voti non emiſſi lata, tum ob ſacrorum reuerentiam miniſteriorum, quibus vacant ſacris initiati ordinibus: tum ob ſtatum Deo dicatum ſancita ad Religionem pertinet, cuius violatio conſequenter eſt ſacrilega: quod videtur eſſe contra Auctores primæ ſententiæ aſſerentes incontinentiam initiatorum non eſſe ſacrilegam. Ratio autem deſumitur è materia talis legis incontinentiam prohibentis, vt puritati, & candori ſacrorum miniſteriorum oppoſitam, quibus imbuti ſacris ordinibus addicti ſunt, vti colligi facile poteſt ex his quæ *cap. 2. præcedentis diſputat.* dicta ſunt, quo circa non prohibetur talis incontinentia, vt ſic; ſed vt oppoſita cultui, atque eccleſiaſtico ſtatui, diuino Numini dicato; ergo conſtituitur talis actus in ſpecie ſacrilegij. Secundo deſumitur ex conditione perſonæ per ſacram ordinationem Deo ſpecialiter dicatæ, atque ad ſacrum miniſterium conſecratæ, huic addita Eccleſiæ prohibitio, vel ſub grauibus cenſuris, vel ſub ea, quæ ſufficiat, ratione ad grauem prohibitionem declārandam, culpam inducit mortalem tranſgreſſoris; ſicut enim, quod ex ſe intrinſecè malum non eſt, poteſt ſuppoſita prohibitione malum eſſe, quia prohibitum: ita aliquod malum, quod ex ſe adeò non erat graue, & mortale, adiuncta prohibitione malitiam ſubire grauem poterit; quia igitur talis materia, & ratione miniſterij, & ſtatus, & conditionis perſonæ grauis ab Eccleſia cēſetur, & qua poteſt ſeueritate prohibetur, idcirco culpa ex his circumſtantijs contra religionis virtutem ſacrilegè grauis per ſe cēſenda eſt.

10 Hinc fit, hanc culpam non ea ſacrilega ratione affectam eſſe, quæ ſpecialiter oritur è fractione voti, vt probe *Suarius lib.9. citatus cap.17. dub.1 num.15.* quòd hæc non eſt, vbi votum emiſſum non fuerit, nec ſatis quidem eſt, debitum vrgere vouendi, ſi votum reuera explicitè vel implicitè non ſit emiſſum, quod abſque dubio perfringi non poteſt, dum eo modo, quo valet non ſubſiſtit, vti probe indicat etiam *Vazquez citatus*; ſicut enim, qui vouit ſacrum ſuſcipere ordinem, etiamſi in mora fuerit culpabili ordinationis, fornicans non idcirco ſacrilegus eſt, quia tametſi debitum habeat vouendi, cum non vouerit, contra votum non peccat; & quamuis in re noſtra hic adeo violenter pręſumatur vouiſſe, vt nulla probatio admittatur in contrarium (quod probe notauit *Turrecrem cap.1. num.1. diſt.28.* verum, vt rectè *Sanch. lib.7 de mat. diſp.27. num.12.* hoc ad forum contentioſum ſpectat, in quo præſumitur receſſus à quacumque contraria voluntate huius Ordinati, neque admittitur oppoſiti animi probatio.

11 Sexta concluſio. Qui ſacros ſuſciperet ordines, & voto ſe obſtringere omnimodæ caſtitatis nollet, mortaliter peccaret. Sequitur hæc aſſertio ex prima ſententia, cuius Auctores ibi laudauimus. Accedunt *Palat. in 4. diſtinct. 37. diſput. vnic. concl. 3. ad finem Vazq. citatus, Sanchez, & Suarez laudati num. 8.* & ratio eſt, quod in re grauiſſima Eccleſię eiuſdem ſtatuto, concluſione prima, expenſo non pareat; de quo præter ibi tradita ait *Innoc. Cap. Nullum facere. Nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi, qui ſe victurum caſte promiſerit*; vbi *Gloſſa* expreſsè, vel tacitè probe perpendit per *Cap. Quamquam 23. diſt. & nos num.6. in fine* indicauimus.

12 Septima concluſio. Præter generales malitias inobedientiæ materialis, offenſæ Dei; ac ſimiles, quæ ſingulis peccatis inſunt, ſpeciales habet hoc nolle vouere; alteram ſacrilegam omiſſiuam: alteram ſacrilegij commiſſiuam, quibus accedit tertia mendacij, nec nō aliquando infidelitatis. Ratio primę partis eſt, quia non paret Ordinandus poſitiuo præcepto, quo votum emitti iubet Eccleſia; per emiſſionem enim fit contra præceptū poſitiuum; nam ſicut nō audire ſacrum præceptū in die feſto, eſt omiſſio cōtra Religionem, ſic & non emittere votum caſtitatis ab Eccleſia pręſcriptū Ratio ſecundę partis eſt, quia cū indiſpoſitione animi, atq; indigna pręparatione, volūtateq; peccaminoſa ad ſacramētum accedit ordinis, cuius gratiæ ponit obicem: ſic *Soarius citatus cap. 17. n.3.* qui tamen non placet aſſerens hunc pręterea peccare peccato commiſſionis ſacri-

legij nolentē vouere caſtitatē, quòd recipiat Sacramētū abſq; diſpoſitione ab Eccleſia requiſitâ. Nā primo hæc continentia Deo promiſſa, ex inſtitutione diuina nō eſt diſpoſitio ad Sacramentum ordinis ſuſcipiendum neceſſaria: alioquin illud Græci non reciperent, & falſa eſſet doctrina *præcedenti diſputatione cap. 2.* tradita: neque eſt, neceſſaria diſpoſitio ab Eccleſia impoſita: quia valor Sacramenti non fundatur in huiuſmodi humana lege, quod nec negat ipſemet *Soar. num.* 2. Denique ſi penitius res inſpiciatur continentia potius ab Eccleſia requiritur ad functiones ſacras, & miniſteria Eccleſiaſtica, ordine ſuſcepto, peragenda, quibus addicitur initiatus; quàm ad ipſum ordinem ſuſcipiendum, qui iam receptus, & poteſt perſeuerare independenter à voto, & poteſt votum poſt illum emitti; & non emitti: quod idemmet *Soarius in fine num.* 8. expreſsè fatetur, cùm docet promiſſionē continentiæ non eſſe propter ordinationem in fieri, ſed propter permanentem ordinem, eiuſque ſtatum. Quo circa non exiſtimarem quempiam ordine ſacro donatum, nec votum volentem emittere, peccato commiſſionis ſacrilegij hac de cauſa peccare, ſed potius omiſſionis, vt modò dixi; & ſolius commiſſionis, cum indignè, atque cum obice accedat ad Sacramentum; quod ex formula, qua Præſul vtitur, etiam deducitur ibi, *Quod ſi hunc ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit à propoſito reſilire,* & cauſam afferens ſubdit, *ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatē ſeruare oportebit.* Quaſi diceret idcirco oportebit caſtitatem ſeruare, quia diuino dicari eſſe debetis obſequio, vt *num.* 13. vberius dicetur. Addo, ſi votum eſſet diſpoſitio requiſita ad Sacramentum ordinis, peccaret illud non emittens, omiſſione potius, quàm commiſſione. Tertiò peccaret hic peccato mendacij cum ſine verbis, ſiue alijs externis ſignis contra mentem ſignificaret voluntatem vouendi ſe habere, ac votum ipſum nuncupatum; & quidem pernicioſum hoc eſſet mendacium, tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, tum bono communi, quod non abs re, fictionis peccatum appellauit *Caiet. opuſc. 1. tract. 27 §. quoad ſecundum, nec non Vazq. nu. 99.* ſecundum ipſius principia docet, accedentem, vel ad vxorem, quam ante ordines habebat, vel ad aliam, peccaturum peccato ſacrilegij ex hoc etiam capite, quia fecit contra id, quod externè viſus eſt vouiſſe, & ad quod tenebatur; non ſecus ac, qui iuraret falſum ſine intentione iurandi, qui tamen id, quod iurauit non adimplens, peccatum periurij ſanè cōmitteret. At penes noſtram doctrinam dicendus eſt Primus peccare contra legem Eccleſiaſticā, vt deduco è *Sanchez lib. 4. ſum. cap. 1. num. 29.* Secundus non peccare contra iuramentum peccato periurij propriè, cum iuramento, ni in foro externo, non obligetur, ſed mēdacio pernicioſiori in materia Religionis, vt è *Sanch.* deduco *de matrim. libr. 1. diſput. 9. num. 8. & in ſum. lib. 3. cap. 4. à num.* 17. Cæterum à *Soario citato* non poſſum non recedere, nec non à *Vazquez* tum alibi, tum in præſenti materia *diſp. 246. cap. 4. num* 27. docentibus, fidelitatem quandam eſſe veritatem nimirum in promiſſis, ac de futuro, & hūc, de quo loquimur, ait *Soarius* peccare contra fidelitatem ob mendacium, quod profert. Etenim mendacium non opponi fidelitati exploratum habeo, etiam contra *Caietanum 2. 2. quæſt. 113. art* 1. ſed eſſe potius contra veritatem, ſeu veracitatem; nam etſi veritatis ſit, ad duo nos obligare: primum vt noſtra confirmemus dicta menti: ſecundò, vt facta conformemus dictis (quod, nec aliud voluit *Sanctus Thomas 2. 2. quæſt 88 art. 3.* (verùm hæc duo a promiſſione, ad quam è fidelitate, vel iuſtitia tenemur, valde diſtincta ſunt; alioquin aſſerens aliquid ſe facturū, quin formaliter promitteret, è fidelitate, vel iuſtitia teneretur; cū tantùm affirmatiua ſit illa præſentis voluntatis aſſertio, & declaratio propoſiti toto cœlo à fidelitate diſtincta, vt probè docet idemmet *Vazquez de mat. diſp. 6. cap. 2. num.* 14. fidelitas igitur inuoluit obligationem non mutandi propoſitum, vt facta dictis reſpondeant: ni ad quæſtionem de nomine reuocare controuerſiam velimus. Verùm hæc hactenus, cùm alterius ſint Inſtituti: Illud habeo certum, per hoc mendacium vt ſic perſonam ordine ſacro initiatam non facere contra fidelitatem, contra quam fateor illam tunc facturam, ſi cum Eccleſia, & ſuo Prælato, vel formaliter, atque explicitè, vel re ipſa, & facto implicite, vt ſolet, ſpoponderit votum ſe nuncupaturum caſtitatis, ſi ordine ſacro initiatus fuerit, è qua promiſſione ab Eccleſia, Prælatoue acceptata promanaret obligatio fidelitatis, vel iuſtitiæ, quam ſimplex etiam promiſſio acceptata parit; quippe quæ veram pacti rationem habet, cùm duorum ſit in idem placitum à pollicitatione diſtinctum, & iuſtitiæ obligationem parere videtur certius, quando aliquid oneris continet, vt hæc, de qua loquimur, ſacri nimirum collatio ordinis, vt conſenſu Doctorum de iure, & iuſtitia diſputantium, liquet. Hoc idem aſſero verum, ſi ſacris imbutus ordinibus promiſſorijs vſus eſſet verbis, licèt non animo ſe obligandi; nam cum, ad modū contractus, promiſſio tunc facta eſſet inter duas conuenientes perſonas, quarum altera Prælatus videlicet onus

imple-

impleuerit, ſeu conditionem appoſitam cõferendi ſacrum ordinem, teneretur profectò altera nimirũ Initiatus implere promiſſum, licèt animo non ſe obligandi, ſed decipiendi promiſiſſet, quod conſonat doctrinæ nuper è Vazquez allatæ, & probè docetur à *Leſſio lib 2.cap.18.dub.9.num.28.*

13 Hinc eſt deducere primò, ex iuſtitia pene (his quæ modò diximus poſitis) & non ex vi ſolius mendacij, ſed promiſſionis, ſufficientibus ſignis expreſſæ, Ordinatum obligari ad prauam, quam habuit, intentionem mutandam, & votum emittendum; quæ quidem obligatio, facta ordinatione, non modò extincta non eſt, ipſa transgreſſione, ſed perſeuerans magis, magiſque vrget, vltra ordinationis tempus; ad quod non ita erat addicta, vt extra illud non vrgeret, ſed nè vltra eius differretur ſolutio; nam quando temporis circumſtantia hæc præſcripta eſt ratione, per omiſſionem rei iniunctæ non ceſſat obligatio; hæc autem voti caſtitatis cùm, vt paulo ante contra *Soarium* dicebam, non deſideraretur propter ordinationem, quaſi diſpoſitio ad illam, ſed propter permanentem ordinem, ſtatum, & officium Initiati, ideo à principio faciendum eſt perpetuum votum, vel ſi initio omiſſum, vt emittatur vrgebit ſemper eius debitum, atque obligatio.

14 Colligitur ex his ſecundò, præter votum caſtitatis, quod tenetur ſemper efferre ſacris Initiatus ordinibus, tenetur etiam matrimonium non contrahere, atque ab omni turpi inhoneſtatis actu ſe cohibere, vel naturali, diuinoque præcepto ſi votum ad omnia illa ſe extendens emiſerit, vel eo non emiſſo, Eccleſiaſtico præcepto *concluſ.* 41 *num.*8.declarato.

15 Octaua concluſio, ſi penitus quis ignoraret, ſe ſacrum ſuſcipere ordinem, non teneretur ad caſtitatem, aut matrimonium non ineundum in foro conſcientiæ, ſecus in externo; ſic *Sanch.lib.7.de mat.diſp.27.num.*13. Prima pars probatur, quia vel teneretur voto explicito; At hoc dici non poteſt; nam ſi ordinis ſacri ſupponitur hic ignarus, ſupponitur etiam ignarus obligationis, ordini connexæ, voti nimirum emittendi: vel teneretur ex vi voti implicitè emiſſi, & à nobis *concluſ.* 2. declarati: nec etiam, quòd cum ſpontaneè, ac voluntariè ordinem ſacrum, quem ignorat, hic non ſuſcipit, nec conſequenter implicitè onus ſubire poterit eum ſubſequens: vel demum obligaretur lege conditionata à nobis *concluſ.* 4. declarata: nec quidem, quia lex ſuper expenſa in eo caſu ſancita cenſetur, quando quis libens, & volens ſacro imbutus ordine voto caſtitatis, & matrimonij non ineundi, non ſe obſtrinxiſſet; ſecus verò dum ignorat quid ſuſcipit; & ita ſentiunt *infra citandi Doctores*; alioquin nimis rigorosè impoſuiſſet legem Eccleſia, quæ idcirco directè, & per ſe hanc non duxit obligationem, niſi per modum promiſſionis, quia vult hanc obligationem eſſe ſpontaneam, cum alioquin nimis oneroſa, nec ſatis aliàs impoſita, tuta eſſet; ideòq; per ſe caſtitas, materia eſt promiſſionis liberæ, & non abſolutæ legis *cap. Integritas* 22.*q.*1. ergo probabile non eſt, neq; verò ſimile Eccleſiam velle ad caſtitatem eum obligare, qui inuoluntariè ſuſcipit ordinem. Secũda pars oſtenditur, quòd ea ignorantia non præſumeretur probabilis, vt probè *Azor. lib.* 13. *cap.*14 *q.*10.*& Sanchez laudatus.*

CAPVT III.

Corollaria deducuntur ſuperioris ſententiæ.

SVMMA

*Inualidè ordinatus ob ſubſtantialem defectum non tenetur ad caſtitatem.num.*1.

*Nec tenebitur ante vſum rationis ordinatus. num.*2.

*Cur infans validè ordinari poſsit etiam in Epiſcopum, & tamen caſtitatem ſeruare non tenetur.num.*3.

*Infanti ordinato danda eſſet optio ad vſum ordinis vel matrimonij.num.*4.

*Idem dicendum de eo, qui per metum ordinatus eſt.num.*5.

*Idem de amente.num.*6.

*Idem probabiliter de ordinato ante pubertatem.num.*7.

*Ignorans votum adnexum ſacro ordini ſi ſimpliciter tamen velit ordinari, ad caſtitatem tenebitur.num.*8.

*Sciens, & volens ordinatus, & conſcius voti caſtitatis, neque duplici tenetur obligatione poſitiua, altera legis, altera voti, neque duplici malitia contra legem, & votum peccat. num.*9.

Ordinatus fornicans tenebitur circumſtantiam ordinis, vel voti aperire in cõfeſsione.n. 10.

*Profeſſus religioſus fornicans alterutram pariter circumſtantiam exprimere tenebitur vel voti, vel ordinis.num.*11.

*Sacerdos fornicans ſatis eſt ſi aperiat votum caſtitatis, vel ordinis ſacri.num.*12.

*Religioſus, vel in ſacris conſtitutus ſpecialiter vouens non peccare mollitie, non tenebitur hoc ſpeciale votum aperire. ſed ſatis erit dicere ſe profeſſum vel ordinatum.nn.*13.

Epiſcopus fornicans per ſe loquendo, ſi ordinem ſacrum exprimat, Epiſcopatus conditionem

non tenetur patefacere in confeſsione num. 14. ni eſſet publica, & ſcādaloſa fornicatio, qua peculiarem tunc aſciſceret ſibi malitiā è ſtatus circumſtantia. num. 15.

1 Hinc infertur primò, inualidè ordinatum ob aliquem eſſentialem defectum non teneri ad caſtitatem, neque ad matrimonium non ineundum. Ratio eſt, quia hic non tenetur ad caſtitatem, ſiue ex lege per ſe, ac directè, ſed ſecundariò. & conſequenter ad ordinem ſacrum, cum igitur hic ordo, qui eſt principalis, non ſubſiſtat, neque obligatio ad caſtitatem ſubſiſtet. Quod eſt diſcrimen inter inualidè ordinatum, & inualidè profeſſum ob defectum acceptationis, quia cùm caſtitas ſit eſſentialiter annexa ſtatui religioſo, vt poſt multos probè *Sanch. dub. 7. de mat. diſp. 25. num. 8. & in ſum. lib. 5. cap. 1. num. 8.* non autem ordini ſacro, vt nos *præcedenti diſput. cap. 2.* decreuimus, ſed tanquam acceſſorium ſtatui, ac tacitè in eius ſuſceptione promiſſa, vel ex lege debita in caſu, quo non eſſet promiſſa, hinc eſt vt in profeſſione emiſſa in religione, cum emittatur per ſe, & principaliter votum caſtitatis, quamuis non valeat, vt ſolemne dictum votum, ob acceptationis defectum, valebit tamen eo modo, quo valere poteſt, nempe vt ſimplex; at ſacrum ſuſcipiens ordinem cùm non emittat per ſe, & principaliter votum caſtitatis, ſed acceſſoriè, ac ſubſequens ſtatum Eccleſiaſticum, vt quid eius ſtatui adiunctum, vbi non vult principale, vel principali inualidè ſuſcepto, neque velle cenſetur acceſſorium, neque hoc ſubſiſtere poterit, vt probè *Barboſa. Robuff. ff. ſoluto mat. 2. part. numero 100. & ex multis Sanchez. libr. de mat. diſput. 27. num. 13. ConincK. diſput. 20. de ſacr. ord. dub. 15. num. 114.*

2 Infertur hinc ſecundò, ſacro imbutum ordine etiam Præſulatus, ante vſum rationis, vt docuimus *lib. 2. diſput. 1. capit. 2.* non teneri ad caſtitatem, neque ad matrimonium non ineundum. Eſt communis doctrina *Diui Bonau. diſt. 25. art. 2. quæſt. 2. in corp. & ad vltim. Riccard. ibidem quæſt. 2. ad 2. Almai. quæſt. 2. §. ſed tunc quæritur Vazq. tom. 3. in 3 part. diſput. 146. num. 25. & diſput. 24. num. 28. Azor. libr. 13. capit. 22. quæſt. 9. Sanch. lib. 7. de mat. diſput. 30. num. 5. Suar. citatus num. 2. Calder. tit. Qui clerici, vel vouent conſ. vnico ad finem Innotent. Cap. Vel non eſt compos num. 1. de temp. ordinat. & ibi Hoſtienſ. in verb. vſque ad ætatem num. 6. Io: And. cap. vlt. num. 1. de cleric. per ſaltum promoto. ibi Abba. num. 5. Nauarr. lib. 1. conſil. tit. de his, quæ vi in priori addit conſ. 2. num. 4. in poſteriori conſ. 4. num. 4. Couarr. in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 3. num. 1.* qui refert, è Conſilio Card. Alexandrini Romæ dato factam fuiſſe facultatem cuidam diacono matrimonium contrahendi, qui antequam doli capax eſſet ſacris erat initiatus: ſubſcribit *Rota in nouiſsimis part. 1. deciſ. 561. num. 6.* Neque dubium ſubrepere poteſt, quòd hic voto neque explicito, neque implicito teneatur; cum autem probauerimus neque lege Eccleſiaſtica eum teneri, vt expreſsè *laudati Auctores*, vllo conſequenter ligatus vinculo cenſebitur, vel quia talis lex aliàs dicenda eſſet impoſita omnino independenter à voluntate pueri, eam neque agnoſcentis, neque caſtitatis votum emittentis, neque ordinem voluntariè ſubeuntis; quod excedere poteſtatem Eccleſiæ docent, nec improbabiliter multi; vel ad hoc etiam ſi concederemus, ſe ad illam extendere, quod vult *Suarius citatus num. 19.* (quodque non decido) illud ſane abſque nulla controuerſia eſt, numquam Eccleſiam hac vſam eſſe poteſtate, vt probè *laudatus Auctor*.

3 Obijcies *lib. 2. diſp 3. cap. 3. num. 4.* dictum eſt, Epiſcopatum infanti collatum eſſe validum, quamuis ad alium transferatur vitæ ſtatum per illum ordinem infans: poteſtatem ſuſcipiat in corpus myſticum ſuæ Eccleſiæ; onuſque ſubeat ætna grauius, quæ omnia expliciram profectò, vel aliquo pacto implicitam ſubeuntis requirunt voluntatem; ergo tenebitur pariter infans ad caſtitatem, quamuis ſpontaneam aliquo pacto voluntatem hæc ſibi vendicet, per quam in alio ſtatu collocatur. Reſpondeo, cuncta in argumento enumerata, atque in radice, ſeu eſſentia accepta, eſſe de neceſſaria ratione præſulatus; ſecus autem caſtitatem, vt præcedenti numero dicebam; cum itaq; ad ordinem Epiſcopatus neceſſariò non requiratur vſus rationis, neque voluntaria, liberaq; ſuſceptio ordinati, nec etiam requiretur ad enumerata, quæ cum ordine præſulatus ſunt connexa, *per regulam. acceſſorij, & principalis ſæpe citatam, & per Reg. Qui ſentit commodum &c. 55. de reg. iur. in 6.* At verò aliter iu dicandum eſt de continentia quippe quæ neceſſariò cum adiūcta non ſit ordini ſacro, cui nec alias ab Eccleſia coniungitur, quàm ſpontè ab ordinato in ordine ſaltem implicitè volita, infantem non obligabit, à quo neque implicitè, neq; explicitè volita neque per dolum, aut ignorantiam, ſed ob impoſſibilitatem ætatis.

4 Itaque danda eſſet optio infanti, in hoc caſu iam adulto, num vſum malie ordinis habere, quàm libertatis ad coniugium, & ad caſtitatem ſeruandam, atque altero ex his ſibi electo, perpetuo excludendus erit ab altero: ſic ad euitandum damnum tertij,

in

in alijs caſibus, cogitur ſacris initiatus matrimonium conſumare; cum igitur in præſentia per iniuriam abſq; proprio conſenſu, ad quem ius habebat, hic, fuerit ordinatus, nil mirum ſi ex iuſtitia permittatur inire coniugium, per quod ab ordinis vſu in perpetuum excluſus erit, ſic Soar. citatus, & Sanch. diſp. 50. num. 4.

5 Deducitur tertiò, idem eadem de cauſa de illo dicendum, qui graui metu ordinatus eſt; quia licet voluntas adfuerit, non tamen fuit libera, qua ſatis inuoluntariè illum ſubijt ordinem, vt probè Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 29. num. 5. & in ſum. lib. 4. cap. 3. num. 18. ac Soarius de quouis ob metum iniuſtè, non tamen ob fidei, vel religionis odium illatum ſacris ordinato, qui dub. 4. à n. 23. poſt multa non ad praxim, ſed ſpeculatiuè potius diſputata, idem tandem omnino concludit vno excepto caſu metaphiſico. Neque corollarium verum ſolum eſt, quando nulla fuerit voluntas ob metum, nec etiam ſuſcipiendi ordinem, ſine qua nullus ordo, neque character receptus eſſet, ſed etiam, quando ſufficiens ad ordinem recipiendum fuit voluntas, coacta tamen timore cadente in conſtantem virum; ex qua diximus ad caſtitatem ſeruandam non teneri taliter ordinatum, tum quia caſtitas non debetur, niſi voluntariè ſuſcepta, Canone Ante triennium diſt. 31. & Cap. Præſens 29. q. 3. tum quia caſtitas, vt ſæpe dictum eſt, non neceſſario eſt annexa ordini ſacro, ſecluſo voto, vel lege eccleſiaſtica in eius defectum; votum autem expreſſum, nè dum tacitum, quale ordini ineſt, irritum quidem eſt, emiſſum ob metum cadentem in conſtantem virum Cap. Cum dilectus de his quæ vi. Reſpondet Vazquez nec omnino improbabiliter contrarium ſentiens diſput. 246. cap. 3. ad finem, textum allatum non habere vim à contrario ſenſu à nobis allato; quia non erat certum, ſed ſub controuerſia, num metus, de quo diſputabatur, fuiſſet cadens in conſtantem virum, ideoque textum addidiſſe Cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non deberet cadere in conſtantes viros: argumentum igitur optimum eſſet à contrario, ſi de metu non cadente in conſtantem virum fuiſſet certum, quem tamen idcirco non inualidaſſe votum Canonicorum Inſularum decernit Pontifex, quod alioquin irritum reddidiſſet ſi fuiſſet conſtantis viri. At non ſatisfacit quod textus eſt ſole clarior, minimè in dubium reuocans timorem illum prudentis non fuiſſe viri, ideoque inualidum non reddidiſſe votum, ſic ipſe præterea diſputo, ſi metus, de quo dubium eſt, an ſit cadens in prudentem virum, nec nè, votum non reddit nullum, cuius obligatio certa erat, metus certus prudentis viri eius debet obligationem reddere nullam. Cæterum legenti textum nullitatem ſolutionis Vazquez ad oculum patebit: qui quidem neque illi prudenter acquieſcens ibidem reſpondet ſecundo, votum, de quo textus agit, fuiſſe profeſſionis religioſæ, quam metu initam docet nullam, tum ex hoc eodem capite, tum ex Cap. Per latum. Verum nihilò ſufficientius, et quia votum Canonicorum in textu non idcirco cenſetur ratum, quod fuerit profeſſionis, ſed quod emiſſum metu non cadente in conſtantes viros; & quia gratis aſſeritur votum horum Canonicorum iuramento firmatum fuiſſe profeſſorum, immo ſolum obſeruandi regulam Ciſtercientium, quin ad eorum ordinem tranſirent, eos vouiſſe tanquam certum habet Abbas ibi num. 2. Deinde cum è verbis textus conſtet hanc obſeruantiam regulæ ſine tranſitu vel non eſſe impedimentum, quominus Eccleſia propria transferretur ad Ciſtercienſes, hoc ſecundum vouiſſe inutilè ſanè fuiſſet, ſi ſemel dicatur, eos quidem profeſſos fuiſſe per primum votum in Ciſtercienſi Religione, ad quam abſque alio Canonicorum voto Eccleſia procul dubio deinceps ſpectaret, ſiue ipſi vellent, ſiue nollent. Addo à pari, cum parium eadem ſit natura, ſi metus cadens in conſtantem virum votum irritat profeſſionis; igitur & irritat votum continentiæ ordini ſacro adnexum; cum vtrumque ſolemne perpetuum, & certo ſtatui Eccleſiaſtico competens ſit. Quod ſi mauis argumentum à ſimili hic magis vrgere; cum, vbi eadem eſt ratio idem debeat eſſe ius eademque iuris diſpoſitio l. Illud ff. ad leg. aquilia. & l. A Titio ff. de verb. ſignif. etiam in re noſtra militabit hæc ratiocinatio, quod ea, quæ in radice conueniunt, in effectu etiam conuenire debeant, vt nimirum hæc duo vota ceterum paria, metu prudentis viri inita nulla reddantur. Immo à minori, quod argumentum vix fallit in l. 1. C. de iur. emphiteut. quod minor ſit ratio concedendi tantum roboris metui prudentis viri ad religionem, ex eo profeſſam, inualidandam, quippe quæ tria continet vota, quam ad annullandum votum continentiæ ordinis ſacri; ſi enim id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt, & id, de quo magis per textũ in l. Finali iuncta Gloſſa alioſque allatos à Nicol. Euerardo de locis legal. demum à maiori etiam efformari poterit argumentum, cum maior videatur eſſe ratio irritãdi hoc ſolum vnicum ſacri ordinis votum, quam profeſſionis: ſed huius votum metus prudentis irritat, ergo & illud.

6 Idem quartò dicendum de amente in eo

etiam caſu, quo ordinaretur, *vt lib. 2. diſp. 7. cap. 2. num. 9, dictum eſt.*

7 Idem quintò iudicat ſatis ſuperque probabile *Sanchez diſp. 30. num. 8. ex multis*, de ordinato poſt rationis vſum ante pubertatem, niſi pubertatem adeptus ratificaret: quia ſolemne votum expreſſum in Religione approbata ante pubertatem emiſſum, ni poſt pubertatem ratificetur non obligat ex *cap. 1. & cap. Illud 20. quæſt. 1 & cap. Ad noſtram de regul.* ergo nec votum ſolemne tacitè probatum in ſacri ordinis ſuſceptione, atque in ſtatu Eccleſiaſtico hominem conſtituens de facto incompatibile cum matrimonio. Quare credendum non eſt Eccleſiam velle voto tanti momenti puerum alligari, licèt ſimplicibus votis facili negotio ligari permittatur, quòd ea à parentibus, vel tutoribus pēdentia aliquo pacto ſint, ſecus autem res ſe habet in voto hoc ordini ſacro annexo, in quo ſolus Pontifex ex grauiſſima cauſa diſpenſare poteſt. Scio; contrariæ opinioni ſubſcribi ab alijs, quos *Suarez citatus num. 3.* ſequitur, nec non *Coninck. diſp. 20. de ſacram. ord. num. 136.* nos verò cenſemus operæ pretium non eſſe fuſius hæc diſputare.

8 Infertur ſextò, ſi ſacris initiatus ignoret ordini ſacro coniunctum eſſe caſtitatis votum, eo nihilominus tenebitur, vt etiam ad matrimonium non ineundum. Probant Doctores, quòd iuſtam Eccleſia de hoc ſanciuit legem, ita *Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 27. num. 11.* apud quem alij. Verùm enim verò cum hi omnes Doctores ſentiant immediatam Eccleſiæ legem non eſſe de caſtitate ſeruanda, ſed de voto emittendo, non video, qua ratione in hoc caſu, qui nullo modo conſcius erat obligationis hoc votum emittendi per hos Auctores obligetur: & declaratur amplius, quia votum, cùm lex priuata ſit, ſponte à quocumque ſibi impoſita, non poteſt ab eam ignorante imponi, nam ſi neſcit, quid facturus ſit, quidque ſibi impoſiturus ſit, quomodo illud ſibi imponet? quòd ſi in hoc caſu lex emittendi tale votum hunc non obligare videtur, neque hoc idem votum implicitè ex præſcripto illius emiſſum dici poterit; cùm enim ignorantiam omnimodam ſupponamus huic ineſſe, & voti, & obligationis caſtitatis eſto ſciente, & volente, ordinem ſuſcepiſſe concedamus, non tamen in eum, vt coniunctum cum caſtitate, neque vt ab Eccleſia præſumptum dicendus eſt conſenſiſſe, vt *ſecunda concluſione præcedentis capitis* dictum eſt, ſed quatenus non habentem connexionem cum voto, ab eo ignorato, ordinem voluiſſe; igitur vt ſic implicitè hic non vouet. Quamobrem tripliciter, me quidem iudice, poterit ſe habere: primo ignorans votum eſſe connexum cum ordine, expreſsè tamen volens ordinem, & volens votum caſtitatis, & tunc non tenebitur, ex his quæ diximus *præcedente cap. num. 7.* Secundo neque expreſsè cognoſcens connexionem habere ordinem cum voto caſtitatis, neque expreſsè non cognoſcens, ſed intendens ordines ſuſcipere, vt ab Eccleſia præſcriptos, & hac ratione obligabitur ex voto implicito ob rationes *2. concl.* traditas *præcedentis cap. num. 3.* Tertiò (qui videtur caſus proprius huius corollarij) quando expreſsè cognoſcens ordinem ſacrum, quo eſt imbuendus, expreſsè formaret ex ignorantia vel errore iudicium, quo iudicaret, nullum eſſe ab Eccleſia votum caſtitatis adiunctum ordini ſacro: & in hoc caſu puto hunc teneri ex lege Eccleſiaſtica, ſub hac etiam ignorantiæ conditionem ſancita, vt *aſſert. 4. præcedentis cap.* diximus & *Vincent. Goffred.* ſentire videtur *cap. Cum olim de cleric. coniug.* cuius opinioni ſubſcribit *Abbas ibidem num. 4.* Probatur etiam, quia hanc legem expedire patet ex rationibus *concl. 4.* factis: Potuiſſet verò Eccleſia illam ſancire, omneſque ſcire illam ſciuerint, ſiue ignorauerint etiam inuitos ligare, dummodo ſpontè voluerint ordines ſuſcipere, patet, quòd lex ſemel legitimè promulgata omnes ligat, etiā ignorantes, quamuis hi à culpa tranſgreſſionis ipſius excuſentur, vt communiter Doctores de legibus agentes tradunt: fauent præterea citati Auctores *Io. And. cap. Ioannes num. 17. quæſt. 2. & ibi Anton. num. 13. Anchar. num. 8. quæſt. 2. Card. num. 6. 1. Imol. num. 15. de cler. coniug. Gloſſ. cap. presbyter verſ. ignorantia.* Hanc autem Eccleſiæ mentem de facto eſſe comprobat ipſius conſuetudo.

9 Infero ſeptimò, ſacris ſpontè imbutum ordinibus, & conſciū voti caſtitatis adnexi, neque duplici obligatione poſitiua, altera voti, altera legis Eccleſiaſticæ teneri, vt contra communem perperam cenſuit *Aegidius Coninck dub. 13. num. 131.* neque duplici malitia, vltra ſimplicis fornicationis turpitudinem, duplici ſpecie diuerſa, vt eſſet Iudicis culpa reum extrahentis iniuſtè ab Eccleſia, qui aſtrictus etiam voto illum non extrahēdi, altera contra Eccleſiæ præceptum, altera contra votum explicitè, vel implicitè prolatum, iuxta *cōcluſionem ſuperioris capitis primam, & ſecundam*: vel ex lege ſub conditionè ſancita, iuxta quartam, quando non ligaretur voto ipſe initiatus, quod explicatu facilius mihi eſt; qui duas merito diſtinxi ab Eccleſia leges latas, alteram abſolutam, cuius obligatio ex voto proximè, remotè tamen ab ipſa lege promanat: alteram ſub cōditione non emiſſi voti latam, qua tenebi-

tur

fur quanto tempore per votum non emiſſum non obligabitur initiatus, cuius materia eſt quidem caſtitas omninò ſeruanda, nec quomodolibet, ſed non vota; & qua quidem lege non tenentur Græci ſacris initiati, *vt ſuperiore diſputatione* dictum eſt, quicquid ſentiant in contrarium *Auctores primæ ſententiæ*: ſubſcribit *Soar. libr. 10. cap. 17. dub. 1. num. 13.* quamuis deinceps abſolutè contrariam opinionē amplecti videatur. Quicquid etiam in oppoſitum docuerit *Gerſon in reg. moral. tractat. de mat. Alphab. 25. litt. d. & ſupplementum Gabriel. in 4. diſt. 24. quæſt. vnic. art. 3. poſt dub. 3. verſ. Hinc oritur dubiū*, aliíque aſſerentes, diuerſam non addere malitiam fornicationem Sacerdotis, vel Profeſſi, quorum opinionem *Caſtr. libr. 1. de leg. pœn. cap. 10. col. 5.* erroneam, & longè à veritate meritò alienam appellat.

10 Infero octauò, ſacro donatum ordine fornicantem teneri ad hanc in confeſſione circumſtantiam aperiendam, quòd vltra fornicationem virtuti temperātiæ contrariam, delinquit violans votum caſtitatis, quod implicitè, vel explicitè emiſit: vel ſi nullo pacto vouit, fecit contra legem Eccleſiaſticam eo in euentu obligantem, cuius tranſgreſſio eſt ſacrilega, vt conſtat ex *aſſert. 4.* cui fauet *Concil. Tolet. 2.* quòd refertur *can. De his 28.* & expreſsè clericos fornicantes tanquam ſacrilegij reos ab Eccleſia reijciendos eſſe decernit, ſubſcribit *Abulenſ. cap. 5. in Matth. 9. pag. mihi 240. col. 2. verſ. de primo patet Gutier. quæſt. canonicar. lib. 2. cap. 7. num. 3. Toled. lib. 4. ſum. cap. 17 num. 21. Azor. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. ad finem*, & reliqui, quos laudat, ac ſequitur *Sanch. diſp. 27. num. 19.*

11 Infertur nonò, profeſſum in ſacris conſtitutum in confeſſione tantum teneri aperire vel ſe eſſe profeſſum, tacito ordine ſacro, vel ſacro eſſe initiatum ordine, tacita profeſſione, vel votum tantùm emiſiſſe caſtitatis nulla ordinis ſacri, vel profeſsionis facta mentione, ſic ex multis probè *Sanch. citatus à num. 25. ac deinceps, ac de religioſis Societatis Ieſu non profeſſis num. 34. & 35* Ratio autem eſt, quia ſolenne votum à ſimplici ſpecie non differt, ſed accidentaliter, neque diuerſę rationis vinculum inducit, vt probè citatus *Auctor diſp. 25. num. 27.* ſic votum ab ordinato nuncupatum à voto profeſsi minimè diſcriminantur eſſentialiter, neque obligatio à varijs vinculis eiuſdem ſpeciei repetitis inducta, maior eſt. Quòd ſi hæc obligatio promanauerit à lege, vt ſupra dictum eſt, illa ſanè lex cum eandem materiam ſub eodem Religionis motiuo caſtitatem iniungat ſpectantem vt ſic ad religionem, nouum non videtur vinculum inducere diſtinctum; tametſi certius id ſit; cum ſacro inſignitus ordine, voto ſe obſtrinxerit, atque in caſu contrario vbi non vouerit, quando, vt modo dicebam, tenebitur lege Eccleſiaſtica ex vna parte, atque ex altera voto in profeſsione imbibito, in quo caſu non inficior, maiorem præſeferre probabilitatem ſententiam aſſerentem, circumſtantiam tum profeſsi, tum ordinati declarandam eſſe, quam abſolutè aſſerunt *Medina lib. 1. ſum. cap. 14. §. 12. fol. 119. à tergo Henriq lib. 5. de pœnit. cap. 5. nu. 2. in comment. litt. G. & alijs*

12 Infero decimò, Sacerdotem fornicantem ob eandem rationem non teneri in confeſſione dicere, ſe Sacerdotem eſſe, ſed indicare ſe voto caſtitatis eſſe obſtrictum, vel ſacrum habere ordinem, vt probè *Sanc. citatur num. 31. & 32.*

13 Infero vndecimò, ſacris donatum ordinibus, vel profeſſum, vel religioſū Societatis Ieſu, qui vouerit ſe non habiturum mollitiem, & voluntariè votum tranſgreſſus eſt, ſatisfacere, ſi ſe profeſſum vel religioſum, vel ſacris ordinatum in confeſſione aperiat, quin ſpeciale votum non procurandæ pollutionis dicat; vel ſi hoc palàm faciat, alia vota aperire opus non eſt, quod ex eo patet, quia voto profeſsionis, vel religionis, vel ordinē ſacro adiuncto etiam ad fugiendam pollutionem ipſe tenebatur, neque multiplicata vota partialis obligationem, vel malitiam adduntnouam, vt probè *Llamas in methodo curat. animar. part. 3. §. 29. Sanchez numer. 29.* qui benè addit, ſi is vltra mollitiem aliud in ea committeret peccatum, caſtitati contrarium, delectationis nimirum moroſæ in fœminæ cogitatione, aut eiuſdem concupiſcentia, ſine tactus cum tertia perſona, ſatis non eſſet explicare tantùm votum abſtinendi à pollutione, ſed aut ſimul votum aperiendum caſtitatis, aut hoc ſolùm explicandum, quòd aliàs ob peccatum adiunctum circumſtantia non explicaretur violationis voti. Addo ſi vouiſſet aliquis Religioſus, vel Sacerdos, ſe non habiturum aſpectus, nutus, verba inhoneſta, tactus turpes ex ſe graues in Eccleſia, etiam ſecundum opinionem docentem hæc peccata non habere circumſtantiam ſacrilegij, aperiendam neceſſariò in confeſſione, præciſo pollutionis periculo, vti docet *Sanchez lib 9. de mat. diſp. 55. à num. 20.* teneri eum illis aperire, quia huiuſmodi circumſtantia cum materia ſine voti ſpecialis etiamſi generali loci circumſtantia, vel voto caſtitatis non comprehendantur, ſpeciali tamen comprehenduntur voto, vt diximus.

14 Demum ad rem noſtram deduco, Epiſcopum conſecratum fornicantem non teneri circumſtantiam Epiſcopatus in confeſsione proferre. Ratio eſt, quia nulla alia tenetur obli-

caſum, vt nullus, vel leuem eius fecerit mentionem, cum debuiſſent, ni ſtolidi cenſeri voluiſſent, eius tam nobilis meminiſſe; neque probabilis appareret ratio, cur ab Apoſtolis ad Occidentalem Eccleſiam hanc manaſſe, ſiue traditionem, ſiue legem dicamus, ſecus vero ad Orientalem, quum contrarium teſtentur *Epiphanius laudatur, Origenes hom. 23. Gregor. Niſſen. libro de virg. cap. vlt. Diui Chriſ. hom. 2. de patient. Iob. & alij*; & quamuis *Socrates*, cuius fidem conſtantem non eſſe dictum eſt, *lib. 5. cap. 21.* hæc habeat, vt ſupra etiam retulimus, *Cum omnes illuſtres Præsbyteri in oriente, & Epiſcopi etiam modo ipſi voluerint nulla lege coacti ab vxoribus abſtineant, nam non pauci illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant.* Nihilominus tamen vel eò tunc ſerperat conſuetudo contraria per græcas prouincias, vel ille Auctor è Nouatianorum, ſeu Catharorum grege cum fuerit, vti teſtantur communiter Doctores, vt veram ſuorum gregalium turpitudinem ſub coniugalis, vſus pallio, munditiam ſuperbe affectans abſconderet, huiuſcemodi commentum excogitauit, licet illud vigere auſus non ſit aſſerere in Theſſalia, Macedonia, & Acaia, vbi conſuetudo inualuit, vt qui clericus, quam ante clericatum exceperat, vxore inueniretur vſus fuiſſe clericatu priuaretur.

16 Immo Trullani Patres, qui *can. 13.* permittunt Sacerdotibus, Diaconi, & Subdiaconis vti matrimonio ante ordines contracto, præcipiunt, vt & eo tempore quo miniſterio funguntur ſuo, ab vxoribus ſe contineren in *can. 12.* Et nè Epiſcopus cum vxore, quam ante ordinationem habuit, commoretur. Idem, vel ipſi ſeculares Imperatores agnouere, nam in *Auth. quom. oport. epiſc. §. hac autem collat. final.* dicitur *Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur, ſed ſi habere probetur ab Epiſcopatu deijciatur, quo ſe fecit indignum*: & in *Auth. de ſanctiſſ. Epiſc. collat. 9. §. Præsbyter. Epiſcopum vero* (ait Imperator) *nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare, ipſe enim ſe oſtendit indignum ſacerdotio.*

17 Dicet aliquis, fuiſſe quidem illam legem olim in vigore, ſed paulò ante Concilium Nicænum per contrariam conſuetudinem in coniugatis Sacerdotibus elanguiſſe, eam approbante Concilio, quam tamen conſuetudinem iterum paulò poſt contrario caſtorum hominum vſu abrogatam fuiſſe, itant tempore Epiphanij, aliorumque, quos ſupra laudauimus, Auctorum non vigeret. Verum quis non videat, quam hæc ſint parum vero conſona, nulloque ſtabili teſtimonio firmata? Quis eſt enim omnium, qui modo in luce non cæcutiat, qui in animum inducere poſſit tam breui temporis ſpatio, bis contrariam ſubijſſe mutationem legem, ſeu morem Eccleſiaſticum tanti momenti, quin nullus peritiſſimorum, quos citauimus, Sanctorum Auctorum eius mentionem fecerit? cum Nicæna præſertim ſynodus ſub Syluestro Primo, electo anno 314. habita ſit, Epiphanius autem viguiſſet anno 370. &, vt cæteros taceam, Sanctus Gregorius Nyſſenus anno 380: & quidem mirum profectò eſſet, legem hanc à tali, tantoq. Concilio reuocatam, Iouinianum, ac Vigilantium non obieciſſe Sancto Hieronymo, cum quo hac de materia quæſtionem habebant, quo ſolo Concilij ſtatuto ſilentium Hieronymo indicere poterant: qua præterea ratione Euſebius, qui illi Concilio interfuit *lib. 1. demonſtr. Euang. cap. 9.* abſolutè dicere auſus eſſet, initiatos ſacris ab omni vxoris continere commercio debere, nulla huius abrogationis facta mentione? Demum confirmatur hoc idem ex eodem *Concilio Nicæno can. 3.* vbi hæc leguntur. *Interdixit magna Synodus non Epiſcopo, non Preſbytero, non Diacono, neque alicui omnino, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut Amitam, vel eas tantum perſonas, quæ ſuſpitiones effugiant.* quod ſi per idem Concilium his Eccleſiaſticis licuiſſet proprijs cum vxoribus agere, cur ab eodem vetitum eſſet, eas ſecum domi non habere, vel quo pacto enumeratis tot, quos domi habere poſſent ſecum clerici, mulieribus, vnam vxorem, cæteris alioquin præferendam, & primo loco nominandam prætermiſerit Concilium?

18 Reſpondent nonnulli, ex quibus eſt citatus *Soarius 3. tom. de relig. lib. 9. cap. 15. num. 6.* nullum ex hoc canone firmum poſſe deduci rationis momentum; tum quòd idem ad omnem clericum extendat præceptum, cum abſque dubio minoribus initiati ordinibus habere ad libitum vxores potuiſſent: tum quod *à Baſilio* hic canon, hac ratione expoſitus videtur *epiſt. 17.* quaſi à Concilio editus propter honeſtatem cælibatus; conſtat autem ex vi ſignificatus eum ſolummodo cælibem dici, qui vxore caret, quam qui habet, nec vtitur continens, non tamen cælebs appellatur: tum quia hanc eandem diſpoſitionem *Patres Trullani canon. 5. & 13.* complexi ſunt: nec non *Iuſtinian. Imperator. in Authentic. de ſanctis Epiſcop. §. Presbyteris collat. 9. Presbyteris* (ait) *& Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus in clero praſcriptis, non habentibus vxores, ſecundùm ſacros canones, interdicimus etiam nos, ſecundum ſanctarũ regularum virtutem, mulierem aliquam in*

pro-

propria domo ſuper inductam habere, tam extra matrem, aut ſororem, aut filiam, & alias perſonas, quæ omnes ſuſpeciones effugiant. His ſubſcribit *Photius apud citatum* Soarium *in 9. can. tit. 8. cap. 14.*

19 Verùm eſto probabilitate adducta non careant; probabiliùs tamen ducimus contrarium, vel ex hoc eodem canone; quippe qui hic ſolo nomine præcepiſſe videtur omnibus Clericis, nè prætee ibi notatas, vllam domi mulierem haberent, nulla vxoris propriæ mentione facta, quia nimirum cum plerumque omnes intenderent Clerici paulatim ad ſacros Ordines promoueri, ſeque diſponere, ad quos ſoli tunc temporis, vt contendimus, continentes admittebantur, & communiter omnes cælibes viuebant, nè vxor promotioni obſtaret, id erit eis præcipiendum. Quamobrem ex ſolutione à *Soario* data illud ſequi videtur, tunc ſicut etiam in præſentia, Clericos vixiſſe cælibes, nec alia de cauſa, quàm tunc ſacris initiati ad hoc cogebantur. Miror autem pro ſe à *Soario* adductum eſſe *Baſilium*. quippequi cælibatum ait eſſe, quo quis à propria vxore ſe cootinet, & quo à nexu muliercula, quis eſt liber, cùm enim Baſilius canonem adductum in Paregorium presbyterum attuliſſet addit, *cælibatus autem honeſtatem ſuam in eo habet ſi quis à nexu mulieris ſeceſſerit*. Itaque potiori ratione cælebs apud Baſilium dicitur is, qui non modo à nexu mulierculæ, verùm etiam à propriæ coniugis amplexibus receſſerit, immo à Baſilio ibidem cælibatui coniugalis opponitur vſus per ea, quæ ſubijcit. *Itaq. ſi quis cælibatum nomine tenus profeſſus, re ipſa faciat ea, quæ à coniugatis fiunt, &c.* certo igitur certius videtur Baſilium non adeò ſcrupuloſo ſenſu cælibatus vocabulo vſum fuiſſe, vt vult *Soarius*. De Patribus verò Trullanis, vt ſupra indicaui, catholico Doctori curandum non eſt; locus autem à Soario primò citatus ex Iuſtiniano Imperatore, neſcio qua ratione pro eius ſententia adductus ſit, cùm non de clericis habentibus vxorem, vt prima fronte indicant verba, ſed de omnibus in ſacris abſolutè ſumptis loquatur, quibus interdicit Imperator, nè prætee exceptas ibi mulieres nullam aliam domi retineant, quare *Rub.* Non habentibus (inquit) *id eſt non debentibus habere, vt omnes in ſacris ordinibus conſtituti*. Patet hoc idem *ex Auth. quem. oport. Epiſc. &c. §. neq. autem* il 2. ibi *Nihil enim* (ait Imperator) *ſic in ſacris ordinationibus diligimus, quàm cum caſtitate viuentes, aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui vel fuerit, vel ſit, & ipſam caſtitatem eligentem primum principium, & fundamentum manifeſtum, ſecundum diuinas regulas, & reſiduæ virtutis conſtitutum*. Huic addo alterum locum in noſtræ ſententiæ confirmationem *leg. Eum qui C. de Epiſc. & cleric.* ibi. *Eum, qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet: quicumque igitur cuiuſcumque gradus ſacerdotio fulciuntur, vt clericatus honore cenſentur extranearum ſibi mulierum interdicta conſortia cognoſcant: attamen eis facultate conceſſa; vt matres, filias, atque germanas inter domorum ſepta contineant: in his enim nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui caſtitatis hortatur affectio, quæ ante ſacerdotium maritorum legitimum meruerunt coniugium, neque enim clericis incompetenter adiunctæ ſunt, quæ digno ſacerdotio viros ſua conuerſatione fecerunt*. In qua lege primum perpendo exceptionem filiarum, quæ domi dicuntur retineri poſſe, vbi *Rub.* eas intelligit filias, quas habuerunt ſacerdotes, vel clerici ante clericatum, quaſi non habituri poſt ſacerdotium, vel clericatum, vt medium ad ſacerdotium aſſumptum. Deinde, quas lex permittit ſacerdotibus habere ſecum, vxores non modò ſunt ante ſacerdotium ductæ, verùm, vt habet Rubrica, quæ tales fuerunt conuerſationis, vt voto vna cum viris ſe obligauerint caſtitatis, vel eis eſſe ſacerdotes ſuaſerint: has itaque præcipit Imperator, non eſſe domo excludendas, quæ vel voto caſtitatis mundatæ, vel firmo, ac diuturnæ continentiæ propoſito, periculo non cenſebantur expoſitæ. Confirmo, ac declaro hoc idem *ex cap. Omnino diſt. 21. Huberti apolog. ad libellum Nicetæ Presbyteri, & Monachi aduerſus latinos editum*. quem cum nomine Leonis Noni, cuius erat Legatus *Hubertus* ſcripſerit, potius ipſius Leoni nomine citandum eſſe, varijs argumentis in præludio canonis citati demonſtratur. *Igitur omnino* (ait Pontifex) *confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam vxorem, cauſa Religionis, abijcere cura ſua, ſcilicet, vt ei victum, & veſtitum largiatur, non vt cum illa ex more carnaliter iaceat. Sic & ſanctos Apoſtolos legimus egiſſe, Beato Paulo Apoſtolo dicente, Numquid non habemus poteſtatem mulierem, ſororem circumducendi, ſicut fratres Domini, & Cephas. Vide inſipiens, quia non dixit, numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem amplectendi? ſed circumducendi, ſcilicet, vt de mercede prædicationis ſuſtentaretur ab eis: nec tamen foret deinceps inter eos carnale coniugium*. Hunc profectò ſi legiſſent canonem, legi citatæ, contrarium ſenſum non dediſſent Recentiores

apud *Soar. lib. 9. citatum cap. 15. num. 3.*

20 Quarta concluſio. De facto ſacerdotes Græci per vſum matrimonij, ante ordines initi, non peccant, ita *Gloſſ. cap. de libellis in fine diſt. 20. Abbas cap. cùm olim num. 2. & 3. de Cler. coniug. & ibi Imola num. 4. Anton. num. 4. Ioan. Andreas num. 1. in fine. Cord. num. 1. Diuus Anton. 3. part. tit. 1. cap. 8. poſt 2. concluſ. Syluest. matrimonium 8. quæſt. 12. in fine. Sot. in 4. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. in fine. Azor. libr. 3. inſtit. moral. cap. 12. quæſt. 1. Sanc. libr. 7. de matrim. diſput. 28. num. 6: & alij.* Colligitur ex *cap. Cum olim de Cleric. coniug. & Clem. 3. cap. Quæſitum de pœnit. & remiſſ.* qui clarè Græcorum vſum ſupponit licitum; & clariùs *Concil. Later. ſub Innoc. 3.* ſic habens: *Qui autem ſecundùm regionis ſuæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, ſi lapſi fuerint grauiùs puniantur, cùm legitimo matrimonio vti poſſint, &c.* vbi Gloſſa id propter Græcos dici declarat; & ratio eſt, quia cùm lex de Sacerdotum cælibatu ſit eccleſiaſtica, vt *præcedenti cap. à num. 16.* dictum eſt, cuius radicem ſequenti expendemus, neque à Græcis aliter recepta, quam modo prædicto, eos haud obligabit: quæ quidē ratio pro prima facit opinione, quā probabilem duximus. Addo tolerantiam, & conniuentiam Papæ ſcientis, & permittentis. Legenda prætetea ſunt, quæ diximus *libr. 2. diſput. 1. num. 4.* Dices cum nonnullis indicantibus apud *Azorium* ex Decreto Nicolai *I. Ad conſulta Bulgar. cap. 70.* habeturque *cap. finali diſt. 28.* vbi conſultus à Bulgaris, num Præsbyteri habentes vxores ſuſtentandi eſſent? Reſpondet, *Licèt ipſi valdè ſint reprehenſibiles, vos tamen Deum conuenit imitari, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.* At Bulgari ſemper, quem etiam in præſentia retinent, Græcorum ſeruarunt morem. Reſpondet *Sanch. in fine num. 6.* intelligendum eſſe textum fortaſſe deducentibus vxores poſt ordinem ſacrum, quod nunquam licuiſſe probauimus ſupra *num. 3.* vel fortaſſe Papam Bulgaris adhuc non permiſiſſe græcum morem. Epiſcopis autem Græcis non eſſe talem vſum conceſſum, & ſupra diximus *num. 16.* & tertiò facientes ſatis argumento docebimus.

21 Deducitur ex his differentia inter Græcos, & Latinos ſacris Ordinibus initiatos, quòd illis licet poſt coniugium ad ſacros Ordines aſcendere: Latinis autem nonniſi magna cum cautela, & caſtitate aliquo pacto profeſſa, vt patet ex ſupradictis, & ex *cap. Olim de Cleric. coniug. & cap. de Syracuſana 28. diſt.* Græcis quidē conceditur vſus matrimonij ante ordinem initi, præter id tempus, quo Altaris miniſterio deſeruire ex conſuetudine, vel lege debent, ſecus Latinis.

22 Ad primum rationis momentum à *num. 9.* adductum *Socratis, & Sozomeni* fidem tanti non eſſe faciendam ſupra à *num. 5.* ac deinceps demonſtrauimus; reliqui verò Auctores, cùm eorum nitantur hiſtoriæ, eiuſdē ſunt auctoritatis ac *Socrates, & Sozomenus,* quos ſequuntur.

23 Ad ſecundum reſpondeo, ſi conſtaret illa acta eſſe omninò germana, nemini fas eſſet, citatam in dubium reuocare hiſtoriam; verùm enim verò cùm ab ignoto Græculo, vt probè *Aegid. ConincK diſput. 10. de Sacram. Ordin. dub. 12. nu. 114.* compilata ſint, eo ſanè tempore, quo ſub hæretico Imperatore, totus penè Oriens ingemiſcens, aut ſchiſmati, aut hæreſi ſuccubuerat, quis aſſeret ea ex omni parte eſſe ſincera; nihilque illis additum, aut detractum? quando non ſolùm vnus aliquis è grege, vel è triuio, ſed integra Epiſcoporum Cōciliabula prò arbitrio hæreſis, ac perturbati animi tenebris offuſo portentoſa confringebant mendacia; vt doctè proſequitur *Card. Baron. ad annum 475. & 476. ac deinceps.* Hinc *Sanctus Gregorius in dialog. lib. 4. cap. 1.* memorabile virtuoſi Presbyteri exemplo rem noſtram cōfirmat, & habetur *Can. Presbyteri diſt. 32.* Adde cum de quo agimus, Compilator poſt Socratem vixerit, bona potuiſſet fide, quæ in eo legerat, Nicænæ Synodo adſcripſiſſe; nam etſi dicat, ex membranis ea ſe collegiſſe acta Dalmatij, haud tamen aſſerit, ſe nihil omninò aliunde accepiſſe.

24 Ad id autē, quod ex Canone Nicænæ Syn. additur, dico locum ablatum, ex *Tripartita hiſtoria lib. 2. cap. 14. relatum eſſe*; quamobrem Paphnutij caſum ſupra diximus *num. 15* eſſe figmentum; cum autem, quæ in decretis habentur, maiorem non habeant auctoritatem, quàm Doctorum, aut Sanctorum, à quibus deſumuntur, nec vim canonis, niſi ex Pontificis, aut Concilij generalis, & à Papa confirmati decretis excerpta ſint, vt probatur in *cap. De libellis 20. diſt. ex Leone 4. & docent Ripa lect. 1. num. 69. ff. ſi certum petatur. apud quem alij Iuris conſulti. Maior. 4. diſt. 27. quæſt. vlt. §. dubitatur an is. Caiet. 2. 2. quæſt. 88 art. 8. dub. vlt. §. ad primum Sot. lib. 7. de iuſtit. quæſt. 3. art. 1. ſub princip. verſ. aut ergo deſunt. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 6. de vot. punct. 6. fere ſub initio §. hinc ſequitur, & Sanch. lib. 9. de mat. diſp. 12. num. 5. circa medium*; non eſt cur maior apud nos ſit illius decreti fides, ac tripartitæ hiſtoriæ; quam in Paphnutij relatione minimè ſinceram adſtruimus. Et quidem clarius decretum, & ad nos conuincendos aptius poterat obijcere *Soarius* ſubſequens, nimirum ad obiectum, cu-

ius

ius initium eſt, *Quoniam in Romanis diſt.* 31. quod deſumptum eſt ex canonibus, qui falsò ſextę Synodo, ſiue quinto ſextæ adſcribuntur in Trullo editi, de quibus *Numbertus Leonis Noni Legatus*, quem num. 19. laudaui, *Non autem miror* (inquit) *ſi Agathoni Papæ, & Sanctis Patribus ſextæ* Synodi *veſtra imputatis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis, aut finxiſtis capitula, cùm & ipſi Domino Ieſu, & Apoſtolis eius imputetis figmenta etc.* Legantur quæ à *Gloſſa Cap. Habeo librum diſt.* 16. ad rem afferuntur.

25 Ad tertium, quid præter ea, quæ ex *Can. Omnino diſt.* 31. *num.* 19. attuli, non habeo; ſolùm addo potiori nomine *Apoſtolorum canonem ſiue 4. ſiue* 6. haud præcipere, vt Epiſcopus adhuc vtatur vxore, quam antea duxerat, cum hoc, & apud Latinos, & apud Græcos ſemper illicitum fuerit, vt nos ſupra indicauimus, quicquid *Socrates Nouatianus* in contrarium dixerit. Iubent itaque ſolùm Apoſtoli, nè vxorem Epiſcopus, ſi habebat, è domo abijciat, denegando neceſſaria contra doctrinam 1. *ad Thimot.* 4. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli deterior eſt.*

26 Ad quartum reſpondeo, Gangrenſe Concilium ibi non agere de ſacerdotibus adhuc coniugio vtentibus; ſed, vt patet ex prima verſione illius canonis apud *Soar. tom. 1. concilior.* quæ quidem eſt *Dyoniſij* ſolo nomine *Exigui*, magni tamen atque eruditiſſimi viri, cæterarumque antiquiſſima: & ex præfatione etiam eiuſdem Concilij, vbi, quos damnat, hæretici dicuntur omnino nuptias contempſiiſſe; tanquam malas: Quamobrem eos, qui aliquando nuptias inierant, quantumuis, deinceps continenter viuerent, indignos tamen omninò illo munere putabant, non ſecus ac in præſentia à catholica Eccleſia ducuntur homicidæ, & ſi pœnitentes, indigni Sacerdotio, contra quos hæreticos agit Concilium.

27 Ad quintum dico, citatam Sancti Vdalrici hiſtoriam confectam per ſummam impudentiam fuiſſe, & quidem ab imperito, & ſtolido Nugiuenda, qui etiam ignorauit Nicolaum Primum aliquot annis fuiſſe mortuum ante quàm Sanctus Vdalricus naſceretur; vt deducitur ex chronologia, & temporũ ratione à *Bellarm.* diligenter, & eruditè perpenſa *libr. 1. de clericis capite vigeſimoſecundo.* Quid igitur mirum ſi homuncio, qui adeo palmare retulit mendacium, vel leuiſſimi hominis fidem excedens, ſibi etiam ſimilis portentoſam fabulam in re noſtra pro vera hiſtoria mendaciter exprimere auſus ſit?

28 Ad vltimum tandem, præter quàm quòd fidem *Socratis* dubiam eſſe ſæpe diximus, addimus in ea Prouincia fortaſſis pœnam priuationis clericatus conſuetudine introductam fuiſſe.

DE

DISPVTATIO VI.

An ſacris initiatis Ord nibus ad continentiam in Eccleſia Latina per Eccleſiaſticum obligentur præceptum, an verò per votum :

Declaratam hactenus, Eccleſiaſticorum præſertim Epiſcoporum continentiam, præſens excipit Diſputatio, eiuſdem radicem expenſura, quæ quidem cùm multa ſint ſcitu digna, vſuque frequentia inuoluat, vnico ſolùm capite circumſcribenda non eſt.

CAPVT PRIMVM.

Variæ referuntur opiniones.

S V M M A.

Prima refertur ſententia aſſerens ex lege Eccleſiaſtica quaſi per votum implicitum caſtitatem Eccleſiaſticorum promanare, numero 1.

Ex hac opinione ſequitur, & à ſuis docetur Auctoribus, incontinentiam Eccleſiaſtici eſſe tantum ſimplicem fornicationem, nu. 2.

Secunda ſententia continentiæ obligationem oriri affirmat ex voto ſaltem implicitè emittendo, quod per legem Eccleſia coniunxit ordini ſacro, num. 3.

Tertia ſententia docet, caſtitatis obligationem tum ex voto, tum immediatè ex lege Eccleſiaſtica promanare, num. 4.

Ex hac opinione infertur à ſuo Auctore, Religioſum fornicantem committere diſtinctum ſpecie peccatum ab eo, quod committit fornicans voto ſolum caſtitatis obſtrictus, numero 5.

Infertur etiam, Religioſum Sacris initiatum, ſi fornicetur vtramque circumſtantiam religionis, & voti aperire debere, num. 6.

1 TRes de hac difficultate ſententias inuenio. Primam aſſerentium, non eſſe ex formali voto, ſed ex Eccleſiæ ſtatuto, ex quo promanantem omnimodę continentiæ obligationem votum appellant ſaltem implicitum, quod impoſita illa ſit ijs, qui ſacris initiantur, ob maiorem Dei cultum; qui finis in votis emittendis ſolet intendi. Quamobrem tum ob cauſam ſubiectiuam, perſonam nimirum Eccleſiaſticam, cui lex imponitur, tum ob cauſam finalem, vt modò dicebam, voti nomine legem Eccleſiaſticam hi Auctores donant; & quidem ſolemnis, quippequod ad inſtar ſolemnis dirimit matrimonium ſubſequens; ſic Scot. in 4. diſt. 37. quæſt. vnica §. dico igitur. *Maior pars Doctorum Pariſienſium apud Maiorem in 4. diſt. 24. quæſt. 2. in princip. alijque, quos refert Caiet. in opuſcul. tract. 27. §. quoad ſecundum quibus accedit Valent. 4. tom. tract. de ſacram. ordin. diſp. 9. quæſt. 5. §. 1. paulò poſt principium, Card. Clem. Ad noſtram verſ. Ex 7. num. 3. de heret. & ibi Imola num. vlt. Innocent.* Cap. Placet *num. vnic. verſ. Ex hoc apparet de conuerſ. coniug. Archid. cap.* Cum in prę terito *ad verbum annexi num. 2. diſt. 84. apud quos alij*; quorum illud eſt fundamentum, quia cùm votum lex ſit priuata, quam quis ſua ſibimet ſponte impouit, non videtur qua ratione poſſit ab Eccleſia ad hoc cælibatus votum obligari: à qua tamen per propriam

eius

eius legem quis poſſit deuinciri, igitur ab hac Eccleſiaſticæ caſtitatis lege obligatio dicenda eſt deriuari. Secundo quia ad ſacros ordines promotus, etiamſi ignoret ſe continentia obligari, vel ad eam ſe deuincire per votum expreſſe renuat, obligatur tamen, & non ex voto; ergo ex præcepto Eccleſiaſtico,

2 Hinc multi ex laudatis Auctoribus docēt, acceſſum clerici ad ſolutam, ſimplicem tantum eſſe fornicationem, qui quidem referuntur à *Sanchez mox citando*, quos inter eſt *Cardinal Imola citatus*, *Iulius Clarus lib. 5. receptarum §. fornicatio num. 18. & §. incertus num. 1. verſ. ſed numquid committitur*. Deducunt *ex Cap. Quia circa de bigam.* vbi loquens textus de presbyteris concubinarijs ait: *Cum eis tanquam ſimplici fornicatione notatis. & Cap. Presbyter diſt. 28. Presbyter ſi fornicatus fuerit, vel adulterium commiſerit, &c.*

3 Secunda ſententia docet, immediatè non oriri continentiæ obligationem ex Eccleſiaſtica lege in ſacro initiatis ordine, ſed ex voto ſaltem implicitè emittendo, quod Eccleſia ſuo præcepto adiunxit ordini ſacro, eſt *Diui Thomæ 4. diſt. 37. quæſt. 1. art. 1. in corpor. Riccard. ibidem art. 1. quæſt. 1. in copor. Capriol. ibi diſt. 37. quæſt. vnic. art. 1. in fine, & ibi Reza quæſt vnic. art. 4. ad finem Caiet. opuſc. tom. 1. tract. 27. de diſpenſat. mat. in occid. Eccleſ. quæſt. vnic. §. quod ſecundum Tolet. lib. 4. ſum. cap. 17. num. 21. & lib. 7. cap. 8. num. 3. Bellarm. in ſuis controu. lib. 1. de mat. cap. 21. §. impedimenta, & lib. 1. de cleric. cap. 18. §. at beatus Azor. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. & cap. 14. quæſt. 10. Vazq. 3. tom. in 3. part. diſp. 246. cap. 3. & diſp. 147. cap. 7. Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 22. num. 10. Suarez 3. tom. de relig. lib. nono. capit. 17.* Ex Iuris autem peritis *Gloſſa cap. Coniugatus verb. continentiam de conuerſ. coniug. & Extrauag. Antiquæ Ioann. 22. de vot. in fine, & cap. vnic. de vot. in 6. in caſus poſitione notab. 3. & verb. ſacri. & ibi Dominic. num. 5. & alij Gloſſa cap. Cum olim. verb. votum. de cler. coniug. ibi Hoſtien. num. 1. in fine. Anton. num. 8. Abbas num. 4. alijque apud hos.* Huius autem opinionis duplex oſtendendum eſt fundamentum. Primum, quòd Eccleſia hoc poſſit præcipere votum volentibus ſacris initiari ordinibus. Secundum quòd reuera iuſſerit. Prima ratio eſt, quia quamuis Eccleſia neminem poſſit abſolutè ad continentiam cogere, quippequæ mere conſilij *cap. Integritas 32. quæſt. 7.* at verò in ordine ſacro, quem confert, conditiones apponere, legeſque condere, & iuſtas, & illi ſtatui conſentaneas vtique poteſt, vt eſt, quod modò tractamus, continentiæ votum; non ſecus, ac quilibet in propriæ rei traditione legem poteſt apponere *l. In traditionibus ff. de pact.* Hac itaque ſuppoſita lege, eo, vel ipſo, quòd quis ſacros ordines velit ſuſcipere, ex conſequenti cenſetur vouere, non ſecus atque ad canonicum officium cenſetur velle obligari, quod onus eſt ordini ſacro adnexum. Quamobrem hoc votum initum non eſt, ni voluntariè, quemadmodum qui officium Iudicis, Prætoris, Medici init, aut ad Epiſcopatum eligitur, eo vel ipſo illius ſtatus ſubit obligationes, atque annexa onera. Probatur deinde ſecundum punctum quod probandum eſſe ad veritatem concluſionis ſupra indicauimus, ex *Diuo Greg. lib. 1. Epiſt. 42. in fine*, & refert *cap. 1. diſt. 28.* ibi *Nullum facere Diaconum præſumant Epiſcopi, niſi, qui ſe victurum caſtè promiſerit.* vbi Gloſſa *Promiſerit*, exponit, *Tacitè, vel Expreſsè, & cap. Diaconi eadem diſtint. ex Ancyrana* Synodo *can. 10.* ibi. *Quicumque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem profeſſi continentiam.* Cùm ergo Epiſcopi non ſint huius præcepti tranſgreſſores, ſed illud obſeruent, vt ex formula conſtat ordinationis in Pontificali adnotata. *Conſiderare debetis attentè quod onus hodie vltro appetitis: hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſecularia vota tranſire, quòd ſi hunc ordinem ſuſceperitis, ampliùs non licebit à propoſito reſilire; ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatem ſeruare oportebit.* Suſcipientes igitur Ordines ſacros cenſendi ſunt caſtitatis votum expreſsè facere, quod magis indicant verba formulæ citatæ. Confirmatur *ex cap. Cùm olim de cler. coniug. Nos igitur attendentes, quod omne talis Eccleſia votum continentiæ non admiſit.* ergo manifeſtò ſupponit in Eccleſia occidentali lactiua continentiæ votum ſacris eſſe coniunctum ordinibus, vt in *Cap. Vnico de vot. lib 6. & in Extrauag. Antiquæ Ioann. 22. de vot. & in Concil. Tolet. 2.*

4 Tertia ſententia docet, ſuſcipientes ſacros ordines præter voti obligationem ſuperiori ſententia declaratam, ex Eccleſiaſtica lege immediatè etiam obligari: eſt *Aegid. Coninck. diſp. 20. de ſacram. ordin. dub. 13. num. 130.* nullum pro ſe adducentis Auctorem, cui videtur fauere *Concil. Toletanum 11. can. 10.* & refertur *can. quamquam 23. diſt.* probatur, quia vel tenerentur ex voto implicito tantùm, vel explicito, non implicito, quia quamuis ſimulando quis votum peccet contra virtutem religionis; ſicut is, qui fictè ſine neceſſitate falſum iurat, illo tamen voto, quod verè nullum eſt, poſtea non obligatur, ſicut is, qui gratis alicui, addito iuramento fictè promiſiſſet, peccaſſet quidem id iurando, poſtea tamen non teneretur promiſſis ſtare, niſi fortè ratione ſcandali, nè videretur re-

ligio·

ligionem contemnere iuramenti; ſic in caſu noſtro non obligaretur voto explicito, quia multi non vouent explicitè, vel ex ignorãtia, vel ex malitia. Quòd ſi dicamus immediatè teneri ex ſola Eccleſiaſtica lege, vt prima docebat opinio, non facilè probare poterimus volentes vouere aliqua lege immediatè ad continentiam obligare; cum nulla prorſus ſit pro his lata peculiaris lex. Quod ſi dicas, ideo hos obligari, quòd, vt ſupra ſecundam exponentes opinionẽ diximus, qui aliquod ſuſcepit officium neceſſariò velit, nolit, ſuſcipit onus illi adnexum. Inſtat *Aegid. num.* 129 quia ſuſcipiens ſactum ordinem, penes ſecundam, quam retulimus opinionem, immediatum non habet onus ſeruandi continentiam, ſed emittendi votum continentiæ; quamobrem coniugatus tali cum intentione ſuſcipens ordines, peccaret quidem non vouendo, non tamen peccaret per vſum coniugij: ſicut ſi duo coniuges mutuò vouerent conſenſu profiteri in religione, peccarent quidem poſtea ſine iuſta cauſa ingreſſum differendo religionis, non tamen peccarent interim ſi vterentur matrimonio; modò per hunc vſum ineptos ad religionis ingreſſum ſe nõ redderent; vt probè docet *Sanchez lib. 9. de mat. diſp. 37. num.* 5. Secundò probat *ConincK* quoties Eccleſia eo ſpeciali alicuius virtutis motiuo aliquas reddit perſonas inhabiles ad mutuum contractum matrimonij, iiſdem etiam ſpecialiter prohibet quemcumque actum venereum inter ſe habendum, in quem incidentes duplici ſe inquinant peccato, vt videre eſt in iis, qui in tertio, & quarto gradu ſibi affinem, vel ſpiritualẽm cognatam agnoſcunt; quique idcirco duplici peccant culpa, ex tali impedimento promanante; ſed Eccleſia omnes ſacris initiatos reddit immediatè inhabiles ad matrimonium, quauis cum perſona contrahendum, idque ob motiuum ſiue reuerentiam virtutis, religionis, ſiue propter excellentiam ſacri ſtatus, quem ineunt; ergo ſpecialiter his immediate omnem actum prohibet venereum cum quauis fœmina. Hoc argumentum tanti facit *ConincK*, vt fateatur illo coniunctus à communi Doctorum ſententia diſcedere, quod ſi ab aliquo ſolueretur, daret manum ſecundæ ſententiæ, ſic ille *num.* 131.

5 Deducit ex hac ſua opinione, Religioſum fornicantem diſtinctum committere ſpecie peccatum, ab eo quod committit fornicans ſolo voto caſtitatis obſtrictus, quia ſicut religioſo ſpecialis ineptitudo impoſita eſt ad matrimonium, ita ex ſpeciali prohibitione talis actus.

6 Infert ſecundò, fornicantem Religioſum initiatum vtramque circumſtantiam neceſſariò aperire in cõfeſſione teneri; nam cùm vtraque ſpeciale contineat impedimentum matrimonij ſpecialem etiam neceſſariò caſtitatis inducit obligationem, quod contra conſenſum Auctorum eſſe, citatus Auctor vltrò fatetur.

CAPVT II.

Vera ſententia, ex qua cæteræ reijciuntur aſſeritur.

SVMMA.

Status quæſtionis, num. 1. & 2.
Non modò continentiam optat, ſed præcipit Eccleſia Latina, num. 3.
Votum continentiæ ab ordinandis expreſsè ex præcepto non eſt emittendum, n. 4.
Qui bona fide vult ordinari, implicitum votum cenſetur emittere, n. 5.
Impliciti voti ratio expenditur. num. 6.
Initiandus expreſſè nolens vouere voto non tenetur caſtitatis. num. 7.
Non abſolutè, ſed ſub conditione voti non emiſſi ab initiato, legem eum obligantem ſanciuit Eccleſia. num. 8.
Hac lex materiam habet ſpectantem ad religionem, cuius tranſgreſſores ſunt ſacrilegi. num. 9.
Explicatur culpa initiati nolentis vouere caſtitatem. num. 10. 11. & 12.
Pene ex iuſtitia tenetur quis emittere votum tempore ordinis. num. 13.
Obligabitur igitur vel diuino præcepto ad votum caſtitatis obſeruandum, ſi emiſſum fuerit, vel in huius defectum præcepto Eccleſiaſtico. num. 14.
Si quis ignorans quid ſuſciperet initiaretur ſacris, non teneretur ad caſtitatem. numero 15.

1 MEam priuſquam explicem ſententiam. Noto poſſe quempiam ſcite ſe ordinem ſacrum quidem ſuſcipere, dum ab Epiſcopo initiatur, ignorare tamen huic ordini onus continentiæ eſſe adnexum, vel ex voto, vel ex lege.

2 Noto ſecundò ſcientem onus continentiæ ordini adnexum tripliciter haberi poſſe; primò, vt nolit eam vouere, neque in eam conſentire legem; ſecundò conſentire in ordines ſuſcipiendos, expreſsè tamen votum non emittere; Tertio expreſsè votum emittere.

3 His prælibatis, prima concluſio ſit, non optat modò Eccleſia latina (de qua in hac diſputatione loquimur) ſactis initiatos ordinibus voto ſe obſtringere cælibatus, verùm præ-

præcipit. Facit ad rem *Innocent.3. in Concil. gener.* & refertur *Cap. vt clericorum de vit. & honeſt. cleric.* Et quidem meritò, vt habet *Bonau. apud Turrecrem. diſt. 27. cap. 1.* Quod Eccleſia, & potuit id quod decebat; & quod expediens erat potuit. Potuit, inquam, tum ob poteſtatem eiuſdem, tum ob conſenſum ſubditorũ. Decuit tum ob dicta, tum ob eas cauſas, quæ ſubijcientur, relatę etiam à Turrecrem. citato, & in *cap. Cauſa 31. diſt. cap. Presbyteris 27. diſt. cap. Nullum 28. & alijs paſſim*. In hanc abire ſententiam ſecundæ opinionis Auctores, quorum rationes vtrãque probant concluſionis partem, nullum eſt dubium. Secunda autem, in qua neruus difficultatis ſitus eſt, præterea confirmatur, quia quamuis potuiſſet Eccleſia lege non quidem abſoluta caſtitatis, obligare nonnullos, ſed conditionata ad continentiam; eos nimirum, qui ſub conditione ordinis aſſumendi vellent ſe Deo addicere; nihilò tamen ſecius expedire potiùs cenſuit, medio voto, quàm aliàs hoc exequi, tum vt materiæ caſtitatis, quæ conſilij potiùs eſt, quàm præcepti, ſeſe magis accomodaret: tum vt obligationi nempe religionis maius eſſet robur, firmitas, & conſtantia, quàm ſi ex ſola lege manaret; quippe quæ faciliori negotio illo tunc, immo ſine cauſa diſpenſare validè potuiſſet: ſecus autem intercedente voto, ad ius ſpectante diuinum; quod indirectè tantùm, maxima vrgente cauſa, ſolùm poteſt Pontifex diſpenſare, vt *lib. 2. diſp. 1. cap. 3.* docuimus; & in hoc maximè voto caſtitatis id verum habet, potiori quidem iure in maius bonum commutando *ex cap. 1. de vot.* quod inuentu eſt profectò difficile. *Siquidem nuptiæ replent terram: virginitas paradiſum 32. quæſt. 1. Nuptiæ.*

4 Hoc autem votum expreſsè non eſt emittẽdum ex præcepto, vt ex canonibus citatis, & vſu Eccleſiæ patet; alioquin peccarent omnes, qui ſacris donantur ordinibus, ni expreſsè vouerent caſtitatem; quod contra Doctorum prudentium, ac timoratę conſcientiæ virorum vſum, & conſenſum eſſet: neque præceptum de expreſſo voto aſſignare facilè eſt, quód expreſſis eſſet faciendum verbis. Qua verò ratione implicitè emittatur, ac ſufficiens ſit, ſequens docebit aſſertio. Quo autem pacto peccaret, qui illud emitteret, *concl. 6.* docetur.

5 Secunda aſſertio. Licèt qui ſacris initiatur, explicitè votum caſtitatis, liquidis verbis, non emittat, vbi tamen, bona fide, quo ab Eccleſia conferantur modo, ſacris vult imbui ordinibus, implicitè vouiſſe cenſendus eſt. Non diſcrepat hæc aſſertio ab Auctoribus ſecundæ ſententiæ, & apertè docetur à *Vazq. 1. tom. in 3. part. diſp. 247. cap. 7. num. 98. & à Suar. 3. tom. de relig. lib. 9. cap. 17. num. 6.* Probaturque ratione pro eadem ſecunda ſententia facta. Deinde quod ad voti valorem quinque deſiderantur conditiones *ex Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 88. art. 1. & 2.* ab omnibus receptæ. Prima eſt deliberatio: Secunda propoſitum: Tertia promiſſio: Quarta, vt ſit Deo facta: Quinta, vt de meliori ſit bono: Atqui in ſuſcipiente, præſcripta ratione, ordines ſacros, hæ profectò reperiuntur; ergo, &c. Minor de vltima conditione non habet dubium. Quo ad reliquas autem præmiſſa, quam præcedenti aſſertione probanimus, lege, atque Eccleſiæ conſtitutione, ordini ſacro votum caſtitatis annectente, eoſque cogente, qui illo imbuuntur ad votum caſtitatis emittendum, ſaltem implicitè declaretur; quia deliberatio, atque iudicium, ſeu actus rationis, quo quis decernit, num ſibi ſacros ſuſcipere ordines expediat, ipſumque propoſitum, quo illis initiari ſtatuit, non ad ordines quomodolibet conſideratos tendunt, verum ad eos, vt ab Eccleſia præſcriptos, cum onere ſcilicet, eis adiuncto caſtitatis: ergo non ſolùm, vt obiectum reſpiciunt nudos ordines, ſed vt promiſſione affectos Deo facienda continentiæ, ab Eccleſia ordini adiuncta; ergo qui vult ordines inire ſacros, vult conſequenter ex eadem determinatione, & propoſito Deo vouere caſtitatem.

6 Dicet quis, velle promittere, vel velle vouere diſtinctum quid eſt à promiſſione, & voto; ſicut propoſitum, & ipſum votum, quod obligationem inducit, quam illud non infert, vt communiter antiqui Doctores citati à *Valentia 2. 2. diſp. 9. quæſt. 6 punc. 1. Sanch. in oper. mor. lib. 4. cap. 1. num. 19. 20. & 21.* Igitur quamuis voluntas ſuſcipiendi ordines ſacros ſit implicita voluntas promittendi Deo continentiam, vel eam inuoluat, non tamen erit promiſſio continentiæ. Verùm quamuis, vt rectè probat argumentum, voluntas ſuſcipiendi ordines non ſit actus formalis, & expreſſus promiſſionis, vel voti, eſt tamen implicitus; ſicut enim voluntas expreſſa ſuſceptionis ordinum ſacrorum eſt implicita promiſſionis faciendæ caſtitatis, ſic expreſſa ſuſceptio ordinis, eſt implicita promiſſio caſtitatis, non quidem voce, vel verbis, ſed ipſo facto explicata, non ſecus ac geſtatione habitus profeſſorum, atque actuum exercitio, profeſſis tantùm in approbata religione competentium, tacita, & ſolemnis inducitur profeſsio *cap. Vidua de reg. iur.* de qua probè *Sanch. in oper. mor. lib. 3. cap. 3.* & ibi remiſsiuè; Itaque ſicut ſolemne religionis votum, interdum implicitè factum, robur, & conſtantiam habet, quando tacita profeſsione, vt paulò ante diximus, factum cenſetur; ſic etiam, & votum caſtitatis ordini connexum.

Et

quez citatum, diuinum tamen cum in eo ſolum loquatur caſu, quo quis inuitus ordinaretur, quando voluntarium obligatum lege eccleſiaſtica, ab eis tamen tirè neque explicata, neque probata: quin omnes ferè Doctores varijs difficultatibus è proprijs ſententijs emergẽtibus preſſi, ad hanc, quam amplexi ſumus, ſententiam tandem clanculum ſubter fugiunt, ſic *Sanchez modo laudatus*, ſic etiam *Vincent. Cap. Cum olim de cler. coniug. Abbas ibid. num.4. Roſell. verb. impedimentum imped. 11. num. vlt. & alij*, cum dixerint conſcium voti adnexi, dum ad ordines ſacros promouetur, ex voto ad caſtitatem teneri: ignorantem vero ignorantia probabili ex Eccleſię teneri pręcepto per Gloſſam initio huius concluſionis citatam: ſic etiam *Azor. lib.3. inſtit. cap.14. quæſt.10.* non habentem docuit contrariam voluntatem ex voto teneri: habentem autem ex Eccleſiæ præcepto.

9 Quinta aſſertio. Hæc lex eccleſiaſtica ſub conditione voti non emiſſi lata, tum ob ſacrorum reuerentiam miniſteriorum, quibus vacant ſacris initiati ordinibus: tum ob ſtatum Deo dicatum ſancita ad Religionem pertinet, cuius violatio conſequenter eſt ſacrilega: quod videtur eſſe contra Auctores primæ ſententiæ aſſerentes incontinentiam initiatorum non eſſe ſacrilegam. Ratio autem deſumitur è materia talis legis incontinentiam prohibentis, vt puritati, & candori ſacrorum miniſteriorum oppoſitam, quibus imbuti ſacris ordinibus addicti ſunt, vti colligi facile poteſt ex his quæ *cap. 2. præcedentis diſputat.* dicta ſunt, quo circa non prohibetur talis incontinentia, vt ſic; ſed vt oppoſita cultui, atque eccleſiaſtico ſtatui, diuino Numini dicato; ergo conſtituitur talis actus in ſpecie ſacrilegij. Secundo deſumitur ex conditione perſonæ per ſacram ordinationem Deo ſpecialiter dicatæ, atque ad ſacrum miniſterium conſecratæ, huic addita Eccleſiæ prohibitio, vel ſub grauibus cenſuris, vel ſub ea, quæ ſufficiat, ratione ad grauem prohibitionem declarandam, culpam inducit mortalem tranſgreſſoris; ſicut enim, quod ex ſe intrinſecè malum non eſt, poteſt ſuppoſita prohibitione malum eſſe, quia prohibitum: ita aliquod malum, quod ex ſe adeò non erat graue, & mortale, adiuncta prohibitione malitiam ſubire grauem poterit; quia igitur talis materia, & ratione miniſterij, & ſtatus, & conditionis perſonæ grauis ab Eccleſia cẽſetur, & qua poteſt ſeueritate prohibetur, idcirco culpa ex his circumſtantijs contra religionis virtutem ſacrilegè grauis per ſe cẽſenda eſt.

10 Hinc fit, hanc culpam non ea ſacrilega ratione affectam eſſe, quæ ſpecialiter oritur è fractione voti, vt probe *Suarius lib.9. citatus cap.17. dub.1 num.15.* quòd hæc non eſt, vbi votum emiſſum non fuerit, nec ſatis quidem eſt, debitum vrgere vouendi, ſi votum tenera explicitè vel implicitè non ſit emiſſum, quod abſque dubio perfringi non poteſt, dum eo modo, quo valet non ſubſiſtit, vti probe indicat etiam *Vazquez citatus*; ſicut enim, qui vouit ſacrum ſuſcipere ordinem, etiamſi in mora fuerit culpabili ordinationis, fornicans non idcirco ſacrilegus eſt, quia tametſi debitum habeat vouendi, cum non vouerit, contra votum non peccat; & quamuis in re noſtra hic adeo violenter pręſumatur vouiſſe, vt nulla probatio admittatur in contrarium (quod probe notauit *Turrecrem cap.1. num.1. diſt.28.* verum, vt rectè *Sanch. lib.7 de mat. diſp.27. num.12.* hoc ad forum contentioſum ſpectat, in quo præſumitur receſſus à quacumque contraria voluntate huius Ordinati, neque admittitur oppoſiti animi probatio.

11 Sexta concluſio. Qui ſacros ſuſciperet ordines, & voto ſe obſtringere omnimodæ caſtitatis nollet, mortaliter peccaret. Sequitur hæc aſſertio ex prima ſententia, cuius Auctores ibi laudauimus. Accedunt *Palat. in 4. diſtinct. 37. diſput. vnic. concl. 3. ad finem Vazq. citatus, Sanchez, & Suarez laudati num. 8.* & ratio eſt, quod in re grauiſſima Eccleſię eiuſdem ſtatuto, concluſione prima, expenſo non pareat; de quo præter ibi tradita ait *Innoc. Cap. Nullum facere. Nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi, qui ſe victurum caſte promiſerit*; vbi *Gloſſa* expreſsè, vel tacitè probe perpendit per *Cap. Quamquam 23. diſt. & nos num.6. in fine* indicauimus.

12 Septima concluſio. Præter generales malitias inobedientiæ materialis, offenſæ Dei; ac ſimiles, quæ ſingulis peccatis inſunt, ſpeciales habet hoc nolle vouere; alteram ſacrilegam omiſſiuam: alteram ſacrilegij commiſſiuam, quibus accedit tertia mendacij, nec nõ aliquando infidelitatis. Ratio primę partis eſt, quia non paret Ordinandus poſitiuo præcepto, quo votum emitti iubet Eccleſia; per emiſſionem enim fit contra præceptũ poſitiuum; nam ſicut nõ audire ſacrum præceptũ in die feſto, eſt omiſſio cõtra Religionem, ſic & non emittere votum caſtitatis ab Eccleſia pręſcriptũ. Ratio ſecundę partis eſt, quia cũ indiſpoſitione animi, atq; indigna pręparatione, volũtateq; peccaminoſa ad ſacramẽtum accedit ordinis, cuius gratiæ ponit obicem: ſic *Suarius citatus cap. 17. n.8.* qui tamen non placet aſſerens hunc pręterea peccare peccato commiſſionis ſacri-

legij nolentē vouere caſtitatē, quòd recipiat Sacramētū abſq; diſpoſitione ab Eccleſia requiſitá. Nā primo hæc continentia Deo promiſſa, ex inſtitutione diuina nō eſt diſpoſitio ad Sacramentum ordinis ſuſcipiendum neceſſaria: alioquin illud Græci non reciperent, & falſa eſſet doctrina *præcedenti diſputatione cap. 2.* tradita: neque eſt, neceſſaria diſpoſitio ab Eccleſia impoſita: quia valor Sacramenti non fundatur in huiuſmodi humana lege, quod nec negat ipſemet *Soar. num.* 2. Demum ſi penitius res inſpiciatur continentia potius ab Eccleſia requiritur ad functiones ſacras, & miniſteria Eccleſiaſtica, ordine ſuſcepto, peragenda, quibus addicitur initiatus; quàm ad ipſum ordinem ſuſcipiendum, qui iam receptus, & poteſt perſeuerare independenter à voto, & poteſt votum poſt illum emitti; & non emitti: quod idemmet *Soarius in fine num.* 8. expreſsè fatetur, cùm docet promiſſionē continentiæ non eſſe propter ordinationem in fieri, ſed propter permanentem ordinem, eiuſque ſtatum. Quo circa non exiſtimarem quempiam ordine ſacro donatum, nec votum volentem emittere, peccato commiſſionis ſacrilegij hac de cauſa peccare, ſed potius omiſſionis, vt modò dixi; & ſolius commiſſionis, cum indignè, atque cum obice accedat ad Sacramentum; quod ex formula, qua Præſul vtitur, etiam deducitur ibi, *Quod ſi hunc ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit à propoſito reſilire*, & cauſam afferens ſubdit, *ſed Deo, cui ſeruire regnare eſt, perpetuò famulari, & caſtitatē ſeruare oportebit*. Quaſi diceret idcirco oportebit caſtitatem ſeruare, quia diuino dicati eſſe debetis obſequio, vt *num.* 13. vberius dicetur. Addo, ſi votum eſſet diſpoſitio requiſita ad Sacramentum ordinis, peccaret illud non emittens, omiſſione potius, quàm comiſſione. Tertiò peccaret hic peccato mendacij cum ſiue verbis, ſiue alijs externis ſignis contra mentem ſignificaret voluntatem vouendi ſe habere, ac votum ipſum nuncupatum; & quidem perniciosum hoc eſſet mendacium, tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, tum bono communi, quod non abs te, fictionis peccatum appellauit *Caiet. opuſc. 1. tract.* 27 *§. quo ad ſecundum, nec non Vazq. nu.* 99. ſecundum ipſius principia docet, accedentem, vel ad vxorem, quam ante ordines habebat, vel ad aliam, peccaturum peccato ſacrilegij ex hoc etiam capite, quia fecit contra id, quod externè viſus eſt vouiſſe, & ad quod tenebatur; non ſecus ac, qui iuraret falſum ſine intentione iurandi, qui tamen id, quod iurauit non adimplens, peccatum periurij ſanè cōmitteret. At penes noſtram doctrinam dicendus eſt Primus peccare contra legem Eccleſiaſticā, vt deduco è *Sanchez lib. 4. ſum. cap. 1. num.* 29. Secundus non peccare contra iuramentum peccato periurij propriè, cum iuramento, ni in foro externo, non obligetur, ſed mēdacio pernicioſiori in materia Religionis, vt è *Sanch.* deduco *de matrim. libr. 1. diſput. 9. num. 8. & in ſum. lib. 3. cap. 4. à num.* 17. Cæterum à *Soario citato* non poſſum non recedere, nec non à *Vazquez* tum alibi, tum in præſenti materia *diſp. 246. cap. 4. num* 27. docentibus, fidelitatem quandam eſſe veritatem nimirum in promiſſis, ac de futuro, & hāc, de quo loquimur, ait *Soarius* peccare contra fidelitatem ob mendacium, quod profert. Etenim mendacium non opponi fidelitati exploratum habeo, etiam contra *Caietanum* 2. 2. *quæſt.* 113. *art* 1. ſed eſſe potius contra veritatem, ſeu veracitatem; nam etſi veritatis ſit, ad duo nos obligare: primum vt noſtra confirmemus dicta menti: ſecundò, vt facta conformemus dictis (quod, nec aliud voluit *Sanctus Thomas 2. 2. quæſt* 83 *art. 3.*) verùm hæc duo à promiſſione, ad quam è fidelitate, vel iuſtitia tenemur, valde diſtincta ſunt; alioquin aſſerens aliquid ſe facturū, quin formaliter promitteret, è fidelitate, vel iuſtitia teneretur; cū tantùm affirmatiua ſit illa præſentis voluntatis aſſertio, & declaratio propoſiti toto cœlo à fidelitate diſtincta, vt probè docet idemmet *Vazquez de mat. diſp.* 6. *cap.* 2. *num.* 14. fidelitas igitur inuoluit obligationem non mutandi propoſitum, vt facta dictis reſpondeant: ni ad quæſtionem de nomine reuocare controuerſiam velimus. Verùm hæc hactenus, cùm alterius ſint inſtituti: Illud habeo certum, per hoc mendacium vt ſic perſonam ordine ſacro initiatam non facere contra fidelitatem, contra quam fateor illam tunc facturam, ſi cum Eccleſia, & ſuo Prælato, vel formaliter, atque explicitè, vel re ipſa, & facto implicite, vt ſolet, ſpoponderit votum ſe nuncupaturum caſtitatis, ſi ordine ſacro initiatus fuerit, e qua promiſſione ab Eccleſia, Prælatoue acceptata promanaret obligatio fidelitatis, vel iuſtitiæ, quam ſimplex etiam promiſſio acceptata parit; quippe quæ veram pacti rationem habet, cùm duorum ſit in idem placitum à pollicitatione diſtinctum, & iuſtitiæ obligationem parere videtur certius, quando aliquid oneris continet, vt hæc, de qua loquimur, ſacri nimirum collatio ordinis, vt conſenſu Doctorum de iure, & iuſtitia diſputantium, liquet. Hoc idem aſſero verum, ſi ſacris imbutus ordinibus promiſſoriis vſus eſſet verbis, licèt non animo ſe obligandi; nam cum, ad modū contractus, promiſſio tunc facta eſſet inter duas conuenientes perſonas, quarum altera Prælatus videlicet onus imple-

impleuerit, ſeu conditionem appoſitam cõferendi ſacrum ordinem, teneretur profectò altera nimirũ Initiatus implere promiſſum, licèt animo non ſe obligandi, ſed decipiendi promiſiſſet, quod conſonat doctrinæ nuper è Vazquez allatæ, & probè docetur à *Leſsio lib 2.cap.18.dub.9.num.28.*

13 Hinc eſt deducere primò, ex iuſtitia pene (his quæ modò diximus poſitis) & non ex vi ſolius mendacij, ſed promiſſionis, ſufficientibus ſignis expreſſæ, Ordinatum obligari ad prauam, quam habuit, intentionem mutandam, & votum emittendum; quæ quidem obligatio, facta ordinatione, non modò extincta non eſt, ipſa transgreſſione, ſed perſeuerans magis, magiſque vrget, vltra ordinationis tempus; ad quod non ita erat addicta, vt extra illud non vrgeret, ſed nè vltra eius differretur ſolutio; nam quando temporis circumſtantia hac præſcripta eſt ratione, per omiſſionem rei iniunctæ non ceſſat obligatio; hæc autem voti caſtitatis cùm, vt paulo ante contra *Soarium* dicebam, non deſideraretur propter ordinationem, quaſi diſpoſitio ad illam, ſed propter permanentem ordinem, ſtatum, & officium Iniciati, ideo à principio faciendum eſt perpetuum votum, vel ſi initio omiſſum, vt emittatur vrgebit ſemper eius debitum, atque obligatio.

14 Colligitur ex his ſecundò, præter votum caſtitatis, quod tenetur ſemper efferre ſacris Initiatus ordinibus, tenetur etiam matrimonium non contrahere, atque ab omni turpi inhoneſtatis actu ſe cohibere, vel naturali, diuinoque præcepto ſi votum ad omnia ilia ſe extendens emiſerit, vel eo non emiſſo, Eccleſiaſtico præcepto *concluſ. 4. num.8.* declarato.

15 Octaua concluſio, ſi penitus quis ignoraret, ſe ſacrum ſuſcipere ordinem, non teneretur ad caſtitatem, aut matrimonium non ineundum in foro conſcientiæ, ſecus in externo; ſic *Sanch.lib.7.de mat.diſp.27.num.13.* Prima pars probatur, quia vel teneretur voto explicito; At hoc dici non poteſt; nam ſi ordinis ſacri ſupponitur hic ignarus, ſupponitur etiam ignarus obligationis, ordini connexæ, voti nimirum emittendi: vel teneretur ex vi voti implicitè emiſſi, & à nobis *concluſ. 2.* declarati: nec etiam, quòd cum ſpontaneè, ac voluntariè ordinem ſacrum, quem ignorat, hic non ſuſcipit, nec conſequenter implicitè onus ſubire poterit eum ſubſequens: vel demum obligaretur lege conditionata à nobis *concluſ. 4.* declarata: nec quidem, quia lex ſuper expenſa in eo caſu ſancita cenſetur, quando quis libens, & volens ſacro imbutus ordine voto caſtitatis, & matrimonij non ineundi, non ſe obſtrinxiſſet; ſecus verò dum ignorat quid ſuſcipit; & ita ſentiunt *infra citandi Doctores*; alioquin nimis rigorosè impoſuiſſet legem Eccleſia, quæ idcirco directè, & per ſe hanc non duxit obligationem, niſi per modum promiſſionis, quia vult hanc obligationem eſſe ſpontaneam, cum alioquin nimis oneroſa, nec ſatis aliàs impoſita, tuta eſſet; ideóq; per ſe caſtitas, materia eſt promiſſionis liberę, & non abſolutæ legis *cap. Integritas 22.q.1.* ergo probabile non eſt, neq; verò ſimile Eccleſiam velle ad caſtitatem eum obligare, qui inuoluntariè ſuſcipit ordinem. Secuda pars oſtenditur, quòd ea ignorantia non præſumeretur probabilis, vt probè *Azor. lib. 13. cap.14 q.10. & Sanchez laudatus.*

CAPVT III.

Corollaria deducuntur ſuperioris ſententiæ.

SVMMA

Inualidè ordinatus ob ſubſtantialem defectum non tenetur ad caſtitatem. num. 1.

Nec tenebitur ante vſum rationis ordinatus. num. 2.

Cur infans validè ordinari poſsit etiam in Epiſcopum, & tamen caſtitatem ſeruare non tenetur. num. 3.

Infanti ordinato danda eſſet op.io ad vſum ordinis vel matrimonij. num. 4.

Idem dicendum de eo, qui per metum ordinatus eſt. num. 5.

Idem de amente. num. 6.

Idem probabiliter de ordinato ante pubertatem. num. 7.

Ignorans votum adnexum ſacro ordini ſi ſimpliciter tamen velit ordinari, ad caſtitatem tenebitur. num. 8.

Sciens, & volens ordinatus, & conſcius voti caſtitatis, neque duplici tenetur obligatione poſitiua, altera legis, altera voti, neque duplici malitia contra legem, & votum peccat. num. 9.

Ordinatus fornicans tenebitur circumſtantiam ordinis, vel voti aperire in cõfeſsione. n. 10.

Profeſſus religioſus fornicans alterutram pariter circumſtantiam exprimere tenebitur vel voti, vel ordinis. num. 11.

Sacerdos fornicans ſatis eſt ſi aperiat votum caſtitatis, vel ordinis ſacri. num. 12.

Religioſus, vel in ſacris conſtitutus ſpecialiter vouens non peccare mollitie, non tenebitur hoc ſpeciale votum aperire, ſed ſatis erit dicere ſe profeſſum vel ordinatum. nn. 13.

Epiſcopus fornicans per ſe loquendo, ſi ordinem ſacrum exprimat, Epiſcopatus conditionem

non tenetur patefacere in confeſsione num. 14. *ubi eſſet publica, & ſcãdaloſa fornicatio, qua peculiarem tunc aſciſceret ſibi malitiã è ſtatus circumſtantia. num.* 15.

1 Hinc infertur primò, inualidè ordinatum ob aliquem eſſentialem defectum non teneri ad caſtitatem, neque ad matrimonium non ineundum. Ratio eſt, quia hic non tenetur ad caſtitatem, ſiue ex lege per ſe, ac directè, ſed ſecundariò, & conſequenter ad ordinem ſacrum, cum igitur hic ordo, qui eſt principalis, non ſubſiſtat, neque obligatio ad caſtitatem ſubſiſtet. Quod eſt diſcrimen inter inualidè ordinatum, & inualidè profeſſum ob defectum acceptationis, quia cùm caſtitas ſit eſſentialiter annexa ſtatui religioſo, vt poſt multos probè *Sanch. dub.* 7. *de mat. diſp.* 25. *num.* 8. *& in ſum. lib.* 5: *cap.* 1. *num.* 8. non autem ordini ſacro, vt nos *praecedenti diſput. cap.* 2. decreuimus, ſed tanquam acceſſorium ſtatui, ac tacitè in eius ſuſceptione promiſſa, vel ex lege debita in caſu, quo non eſſet promiſſa, hinc eſt vt in profeſſione emiſſa in religione, cum emittatur per ſe, & principaliter votum caſtitatis, quamuis non valeat, vt ſolemne dictum votum, ob acceptationis defectum, valebit tamen eo modo, quo valere poteſt, nempe vt ſimplex; at ſacrum ſuſcipiens ordinem cùm non emittat per ſe, & principaliter votum caſtitatis, ſed acceſſoriè, ac ſubſequens ſtatum Eccleſiaſticum, vt quid eius ſtatui adiunctum, vbi non vult principale, vel principali inualidè ſuſcepto, neque vellè cenſetur acceſſorium, neque hoc ſubſiſtere poterit, vt probè *Barboſa. Robuff. ff. ſoluto mat.* 2. *part. numero* 100. *& ex multis Sanchez. libr. de mat. diſput.* 27. *num.* 13. *ConincK. diſput.* 20. *de ſacr. ord. dub.* 15. *num.* 114.

2 Infertur hinc ſecundò, facto imbutum ordine etiam Praeſulatus, ante vſum rationis, vt docuimus *lib.* 2. *diſput.* 1. *capit.* 2. non teneri ad caſtitatem, neque ad matrimonium non ineundum. Eſt communis doctrina *Diui Bonau. diſt.* 25. *art.* 2. *quaeſt.* 2. *in corp. & ad vltim. Riccard. ibidem quaeſt.* 2. *ad* 2. *Almai. quaeſt.* 2. *§. ſed tunc quaeritur Vazq. tom.* 3. *in* 3. *part. diſput.* 146. *num.* 25. *& diſput.* 24. *num.* 28. *Azor. libr.* 13. *capit.* 22. *quaeſt.* 9. *Sanch. lib.* 7. *de mat. diſput.* 30. *num.* 3. *Suar. citatus num.* 2. *Calder. tit. Qui clerici, vel vouent conſ. vnico ad finem Innocent. Cap. Vel non eſt compos num.* 1. *de temp. ordinat. & ibi Hoſtienſ. in verb. vſque ad aetatem num.* 6. *Io: And. cap. vlt. num.* 1. *de cleric. per ſaltum promoto. ibi Abba. num.* 5. *Nauarr. lib.* 1. *conſil. tit. de his, quae vi in priori addit conſ.* 2. *num.* 4. *in poſteriori conſ.* 4. *num.* 4. *Couarr. in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. *§.* 3. *num.* 1. qui refert, è Conſilio Card. Alexandrini Romae dato factam fuiſſe facultatem cuidam diacono matrimonium contrahendi, qui antequam doli capax eſſet ſacris erat initiatus: ſubſcribit *Rota in nouiſsimis part.* 1. *deciſ.* 561. *num.* 6. Neque dubium ſubrepere poteſt, quòd hic voto neque explicito, neque implicito teneatur; cum autem probauerimus neque lege Eccleſiaſtica eum teneri, vt expreſsè *laudati Auctores*, vllo conſequenter ligatus vinculo cenſebitur, vel quia talis lex aliàs dicenda eſſet impoſita omnino independenter à voluntate pueri, eam neque agnoſcentis, neque caſtitatis votum emittentis, neque ordinem voluntariè ſubeuntis; quod ex cedere poteſtatem Eccleſiae docent, nec improbabiliter multi; vel ad hoc etiam ſi concederemus, ſe ad illam extendere, quod vult *Soarius citatus num.* 19. (quodque non decido) illud ſane abſque ulla controuerſia eſt, numquam Eccleſiam hac vlam eſſe poteſtate, vt probè *laudatus Auctor*.

3 Obijcies *lib.* 2. *diſp* 3. *cap.* 3. *num.* 4. dictum eſt, Epiſcopatum infanti collatum eſſe validum, quamuis ad alium transferatur vitae ſtatum per illum ordinem infans: poteſtatem ſuſcipiat in corpus myſticum ſuae Eccleſiae; onuſque ſubeat aetna grauius, quae omnia explicitam profectò, vel aliquo pacto implicitam ſubeuntis requirunt voluntatem; ergo tenebitur pariter infans ad caſtitatem, quamuis ſpontaneam aliquo pacto voluntatem haec ſibi vendicet, per quam in alio ſtatu collocatur. Reſpondeo, cuncta in argumento enumerata, atque in radice, ſeu eſſentia accepta, eſſe de neceſſaria ratione praeſulatus; ſecus autem caſtitatem, vt praecedenti numero dicebam; cum itaq; ad ordinem Epiſcopatus neceſſariò non requiratur vſus rationis, neque voluntaria, liberaq; ſuſceptio ordinati, nec etiam requiretur ad enumerata, quae cum ordine praeſulatus ſunt connexa, *per regulam. acceſſoriũ, & principalis ſape citatam, & per Reg. Qui ſentit commodum &c.* 55. *de reg. iur. in* 6. At verò aliter iu dicandum eſt de continentia quippe quae neceſſariò cum adiũcta non ſit ordini ſacro, cui nec alias ab Eccleſia coniungitur, quàm ſpontè ab ordinato in ordine ſaltem implicitè volita, infantem non obligabit, à quo neque implicitè, neq; explicitè volita neque per dolum, aut ignorantiam, ſed ob impoſſibilitatem aetatis.

4 Itaque danda eſſet optio infanti, in hoc caſu iam adulto, num vſum malit ordinis habere, quàm libertatis ad coniugium, & ad caſtitatem ſeruandam, atque altero ex his ſibi electo, perpetuo excludendus erit ab altero: ſic ad euitandum damnum tertij,

in

in alijs caſibus, cogitur ſacris initiatus matrimonium conſumare; eum igitur in præſentia per ininriam abſq; proprio conſenſu, ad quem ius habebat, hic, fuerit ordinatus, nil mirum ſi ex iuſtitia permittatur inire coniugium, per quod ab ordinis vſu in perperunm exelnſus erit, ſic Soar. citatus, & Sanch. diſp. 50. num. 4.

5 Deducitur tertiò, idem eadem de cauſa de illo dicendum, qui graui metu ordinatus eſt; quia licet voluntas adſuerit, non tamen fuit libera, qua ſatis inuoluntariè illum ſubijt ordinem, vt probè Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 29. num. 5. & in ſum. lib. 4. cap. 3. num. 18. ac Soarius de quouis ob metum iniuſtè, non tamen ob fidei, vel religionis odium illatum ſacris ordinato, qui dub. 4. à n. 23. poſt multa non ad praxim, ſed ſpeculatiuè potius diſputata, idem tandem omnino concludit vno excepto caſu metaphiſico. Neque corollarium verum ſolum eſt, quando nulla fuerit voluntas ob metum, nec etiam ſuſcipiendi ordinem, ſine qua nullus ordo, neque character receptus eſſet, ſed etiam, quando ſufficiens ad ordinem recipiendum fuit voluntas, coacta tamen timore cadente in conſtantem virum; ex quæ diximus ad caſtitatem ſeruandam non teneri taliter ordinatum, tum quia caſtitas non debetur, niſi voluntariè ſuſcepta, Canone Ante triennium diſt. 31. & Cap. Præſens 29. q. 3. tum quia caſtitas, vt ſæpe dictum eſt, non neceſſario eſt annexa ordini ſacro, ſecluſo voto, vel lege eccleſiaſtica in eius defectum; votum autem expreſſum, nè dum tacitum, quale ordini ineſt, irritum quidem eſt, emiſſum ob metum cadentem in conſtantem virum Cap. Cum dilectus de his quæ vi. Reſpondet Vazquez nec omnino improbabiliter contrarium ſentiens diſput. 246. cap. 3. ad finem, textum allatum non habere vim à contrario ſenſo à nobis allato; quia non erat certum, ſed ſub controuerſia, num metus, de quo diſputabatur, fuiſſet cadens in conſtantem virum, ideoque textum addidiſſe Cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non deberet cadere in conſtantes viros: argumentum igitur optimum eſſet à contrario, ſi de metu non cadente in conſtantem virum fuiſſet certum, quem tamen idcirco non inualidaſſe votum Canonicorum Inſularum decernit Pontifex, quod alioquin irritum reddidiſſet ſi fuiſſet conſtantis viri. At non ſatisfacit quod textus eſt ſole clarior, minimè in dubium reuocans timorem illum prudentis non fuiſſe viri, ideoque inualidum non reddidiſſe votum, ſic ipſe præterea diſputo, ſi metus, de quo dubium eſt, an ſit cadens in prudentem virum, nec nè, votum non reddit nullum, cuius obligatio certa erat, metus certus prudentis viri eius debet obligationem reddere nullam. Cæterum legenti textum nullitatem ſolutionis Vazquez ad oculum patebit: qui quidem neque illi prudenter acquieſcens ibidem reſpondet ſecundo, votum, de quo textus agit, fuiſſe profeſſionis religioſæ, quam metu initam docet nullam, tum ex hoc eodem capite, tum ex Cap. Per latum. Verum nihilò ſufficientius, et quia votum Canonicorum in textu non idcirco cenſetur ratum, quod fuerit profeſſionis, ſed quod emiſſum metu non cadente in conſtantes viros; & quia gratis aſſeritur votum horum Canonicorum iuramento firmatum fuiſſe profeſſorum, immo ſolum obſeruandi regulam Ciſtercienſium, quin ad eorum ordinem tranſirent, eos vouiſſe tanquam certum habet Abbas ibi num. 2. Deinde cum è verbis textus conſtet hanc obſeruantiam regulæ ſine tranſitu vel non eſſe impedimentum, quominus Eccleſia propria transferretur ad Ciſtercienſes, hoc ſecundum vouiſſe inutilè ſanè fuiſſet, ſi ſemel dicatur, eos quidem profeſſos fuiſſe per primum votum in Ciſtercienſi Religione, ad quam abſque alio Canonicorum voto Eccleſia procul dubio deinceps ſpectaret, ſiue ipſi vellent, ſiue nollent. Addo à pari, cum parium eadem ſit natura, ſi metus cadens in conſtantem virum votum irritat profeſſionis; igitur & irritat votum continentiæ ordini ſacro adnexum; cum vtrumque ſolemne perpetuum, & certo ſtatui Eccleſiaſtico competens ſit. Quod ſi mauis argumentum à ſimili hic magis vrgere; cum, vbi eadem eſt ratio idem debeat eſſe ius eademque iuris diſpoſitio l. Illud ff. ad leg. aquilia. & l. A Titio ff. de verb. ſignif. etiam in re noſtra militabit hæc ratiocinatio, quod ea, quæ in radice conueniunt, in effectu etiam conuenire debeant, vt nimirum hæc duo vota ceterum paria, metu prudentis viri inita nulla reddantur. Immo à minori, quod argumentum vix fallit in l. 1. C. de iur. emphiteut. quod minor ſit ratio concedendi tantum roboris metui prudentis viri ad religionem, ex eo profeſſam, inualidandam, quippe quæ tria continet vota, quam ad annullandum votum continentiæ ordinis ſacri; ſi enim id, de quo minus videtur ineſſe, ineſt, & id, de quo magis per textũ in l. Finali iuncta Gloſſa alioſque allatos à Nicol. Euerardo de locis legal. demum à maiori etiam efformari poterit argumentum, cum maior videatur eſſe ratio irritãdi hoc ſolum vnicum ſacri ordinis votum, quam profeſſionis: ſed huius votum metus prudentis irritat, ergo & illud.

6 Idem quartò dicendum de amore in eo

etiam caſu, quo ordinaretur, *vt lib. 2. diſp. 7. cap. 2. num. 9. dictum eſt*.

7 Idem quintò iudicat ſatis ſuperque probabile *Sanchez diſp. 50. num. 8. ex multis*, de ordinato poſt rationis vſum ante pubertatem, niſi pubertatem adeptus ratificaret: quia ſolemne votum expreſſum in Religione approbata ante pubertatem emiſſum, ni poſt pubertatem ratificetur non obligat ex *cap. 1. & cap. Illud 20. quæſt. 1. & cap. Ad noſtram de regul.* ergo nec votum ſolemne tacitè probatum in ſacri ordinis ſuſceptione, atque in ſtatu Eccleſiaſtico hominem conſtituens de facto incompatibile cum matrimonio. Quare credendum non eſt Eccleſiam velle voto tanti momenti puerum alligari, licèt ſimplicibus votis facili negotio ligari permittatur, quòd ea à parentibus, vel tutoribus pẽdentia aliquo pacto ſint, ſecus autem res ſe habet in voto hoc ordini ſacro annexo, in quo ſolus Pontifex ex grauiſſima cauſa diſpenſare poteſt. Scio, contrariæ opinioni ſubſcribi ab alijs, quos *Suarez citatus num. 3.* ſequitur, nec non *Coninck. diſp. 20 de ſacram. ord. num. 136.* nos verò cenſemus operæ pretium non eſſe ſuſius hæc diſputare.

8 Infertur ſextò, ſi ſacris initiatus ignoret ordini ſacro coniunctum eſſe caſtitatis votum, eo nihilominus tenebitur, vt etiam ad matrimonium non ineundum. Probant Doctores, quòd iuſtam Eccleſia de hoc ſanciuit legem, ita *Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 27. num. 11.* apud quem alij. Verùm enim verò cum hi omnes Doctores ſentiant immediatam Eccleſiæ legem non eſſe de caſtitate ſeruanda, ſed de voto emittendo, non video, qua ratione in hoc caſu, qui nullo modo conſcius erat obligationis hoc votum emittendi per hos Auctores obligetur: & declaratur amplius, quia votum, cùm lex priuata ſit, ſponte à quocumque ſibi impoſita, non poteſt ab eam ignorante imponi, nam ſi neſcit, quid facturus ſit, quidque ſibi impoſiturus ſit, quomodo illud ſibi imponet? quòd ſi in hoc caſu lex emittendi tale votum hunc non obligare videtur, neque hoc idem votum implicitè ex præſcripto illius emiſſum dici poterit; cùm enim ignorantiam omnimodam ſupponamus huic ineſſe, & voti, & obligationis caſtitatis eſto ſciente, & volente, ordinem ſuſcepiſſe concedamus, non tamen in eum, vt coniunctum cum caſtitate, neque vt ab Eccleſia præſumptum dicendus eſt conſenſiſſe, *vt ſecunda concluſione præcedentis capitis* dictum eſt, ſed quatenus non habentem connexionem cum voto, ab eo ignorato, ordinem voluiſſe; igitur vt ſic implicitè hic non vouet. Quamobrem tripliciter, me quidem iudice, poterit ſe habere: primo ignorans votum eſſe connexum cum ordine, expreſsè tamen volens ordinem, & volens votum caſtitatis, & tunc non tenebitur, ex his quæ diximus *præcedente cap. num. 7.* Secundo neque expreſsè cognoſcens connexionem habere ordinem cum voto caſtitatis, neque expreſsè non cognoſcens, ſed intendens ordines ſuſcipere, vt ab Eccleſia præſcriptos, & hac ratione obligabitur ex voto implicito ob rationes *2. concl.* traditas *præcedentis cap. num. 3.* Tertiò (qui videtur caſus proprius huius corollarij) quando expreſsè cognoſcens ordinem ſacrum, quo eſt imbuendus, expreſsè formaret ex ignorantia vel errore iudicium, quo iudicaret, nullum eſſe ab Eccleſia votum caſtitatis adiunctum ordini ſacro: & in hoc caſu puto hunc teneri ex lege Eccleſiaſtica, ſub hac etiam ignorantiæ conditionem ſancita, vt *aſſert. 4. præcedentis cap.* diximus & *Vincent. Goffred.* ſentire videtur *cap. Cum olim de cleric. coniug.* cuius opinioni ſubſcribit *Abbas ibidem num. 4.* Probatur etiam, quia hanc legem expedire patet ex rationibus *concl. 4.* factis: Potuiſſet verò Eccleſia illam ſancire, omneſque ſcire illam ſciuerint, ſiue ignorauerint etiam initos ligare, dummodo ſponte voluerint ordines ſuſcipere, patet, quòd lex ſemel legitimè promulgata omnes ligat, etiã ignorantes, quamuis hi à culpa tranſgreſſionis ipſius excuſentur, vt communiter Doctores de legibus agentes tradunt: fauent præterea citati Auctores *Io. And. cap. Ioannes num. 17. quæſt. 2. & ibi Anton. num. 13. Anchar. num. 8. quæſt. 2. Card. num. 6. 1. Imol. num. 15. de cler. coniug. Gloſſ. cap. presbyter verſ. ignorantia*. Hanc autem Eccleſiæ mentem de facto eſſe comprobat ipſius conſuetudo.

9 Infero ſeptimò, ſacris ſponte imbutum ordinibus, & conſciũ voti caſtitatis adnexi, neque duplici obligatione poſitiua, altera voti, altera legis Eccleſiaſticæ teneri, vt contra communem perperam cenſuit *Aegidus Coninck dub. 13. num. 131.* neque duplici malitia, vltra ſimplicis fornicationis turpitudinem, duplici ſpecie diuerſa, vt eſſet Iudicis culpa reum extrahentis iniuſtè ab Eccleſia, qui aſtrictus etiam voto illum non extrahẽdi, altera contra Eccleſiæ præceptum, altera contra votum explicitè, vel implicitè prolatum, iuxta *cõcluſionem ſuperioris capitis primam, & ſecundam*: vel ex lege ſub conditione ſancita, iuxta quartam, quando non ligaretur voto ipſe initiatus, quod explicatu facilius mihi eſt; qui duas merito diſtinxi ab Eccleſia leges latas, alteram abſolutam, cuius obligatio ex voto proximè, remotè tamen ab ipſa lege promanat: alteram ſub cõditione non emiſſi voti latam, qua tenebi-

tur

ſur quanto tempore per votum non emiſſum non obligabitur initiatus, cuius materia eſt quidem caſtitas omninò ſeruanda, nec quomodolibet, ſed non vota; & qua quidem lege non tenentur Græci ſacris initiati, *vt ſuperiore diſputatione* dictum eſt, quicquid ſentiant in contrarium *Auctores primæ ſententiæ*: ſubſcribit *Suar. libr. 10. cap. 17. dub. 1. num. 13.* quamuis deinceps abſolutè contrariam opinionẽ amplecti videatur. Quicquid etiam in oppoſitum docuerit *Gerſon in reg. moral. tractat. de mat. Alphab. 25. litt. d. & ſupplementum Gabriel. in 4. diſt. 24. quæſt. vnic. art. 3. poſt dub. 3. verſ. Hinc oritur dubiũ,* alijque aſſerentes, diuerſam non addere malitiam fornicationem Sacerdotis, vel Profeſſi, quorum opinionem *Caſtr. libr. 1. de leg. pæn. cap. 10. col. 5.* erroneam, & longè à veritate meritò alienam appellat.

10 Infero octauò, ſacro donatum ordine fornicantem teneri ad hanc in confeſſione circumſtantiam aperiendam, quòd vltra fornicationem virtuti temperãtiæ contrariam, delinquit violans votum caſtitatis, quod implicitè, vel explicitè emiſit: vel ſi nullo pacto vouit, fecit contra legem Eccleſiaſticam eo in euentu obligantem, cuius tranſgreſſio eſt ſacrilega, vt conſtat ex *aſſert. 4.* cui fauet *Concil. Tolet. 2.* quòd refertur *can. De hic 28.* & expreſsè clericos fornicantes tanquam ſacrilegij reos ab Eccleſia reijciendos eſſe decernit, ſubſcribit *Abulenſ. cap. 5. in Matth. 9. pag. mihi 240. col. 2. verſ. de primo patet Gutier. quæſt. canonicar. lib 2. cap 7. num. 3. Toled. lib. 4. ſum. cap. 17 num. 21. Azor. lib. 13. cap. 12. quæſt. 6. ad finem*, & reliqui, quos laudat, ac ſequitur *Sanch. diſp. 27. num. 19.*

11 Infertur nonò, profeſſum in ſacris conſtitutum in confeſſione tantum teneri aperire vel ſe eſſe profeſſum, tacito ordine ſacro, vel ſacro eſſe initiatum ordine, tacita profeſſione, vel votum tantùm emiſiſſe caſtitatis nulla ordinis ſacri, vel profeſsionis facta mentione, ſic ex multis probè *Sanch. citatus à num. 25. ac deinceps, ac de religioſis Societatis Ieſu non perfectis num. 34. & 35* Ratio autem eſt, quia ſolenne votum à ſimplici ſpecie non differt, ſed accidentaliter, neque diuerſę rationis vinculum inducit, vt probè citatus *Auctor diſp. 25. num. 27.* ſic votum ab ordinato nuncupatum à voto profeſsi minimè diſcriminantur eſſentialiter, neque obligatio à varijs vinculis eiuſdem ſpeciei repetitis inducta, maior eſt. Quòd ſi hæc obligatio promanauerit à lege, vt ſupra dictum eſt, illa ſanè lex cum eandem materiam ſub eodem Religionis motiuo caſtitatem iniungat ſpectantem vt ſic ad religionem, nouum non videtur vinculum inducere diſtinctum; tametſi certius id ſit; cum ſacro inſignitus ordine, voto ſe obſtrinxerit, atque in caſu contrario vbi non vouerit, quando, vt modo dicebam, tenebitur lege Eccleſiaſtica ex vna parte, atque ex altera voto in profeſsione imbibito, in quo caſu non inficior, maiorem præſeferre probabilitatem ſententiam aſſerentem, circumſtantiam tum profeſsi, tum ordinati declarandam eſſe, quam abſolutè aſſerunt *Medina lib. 1. ſum. cap. 14. §. 12. fol. 119. à tergo Henriq lib. 5. de pænit. cap. 5. nu. 2. in comment. litt. G. & alij.*

12 Infero decimò, Sacerdotem fornicantem ob eandem rationem non teneri in confeſſione dicere, ſe Sacerdotem eſſe, ſed indicare ſe voto caſtitatis eſſe obſtrictum, vel ſacrum habere ordinem, vt probè *Sanc. citatus num. 31. & 32.*

13 Infero vndecimò, ſacris donatum ordinibus, vel profeſſum, vel religioſũ Societatis Ieſu, qui vouerit ſe non habiturum mollitiem, & voluntariè votum tranſgreſſus eſt, ſatisfacere, ſi ſe profeſſum vel religioſum, vel ſacris ordinatum in confeſſione aperiat, quin ſpeciale votum non procurandæ pollutionis dicat; vel ſi hoc palàm faciat, alia vota aperire opus non eſt, quod ex eo patet, quia voto profeſsionis, vel religionis, vel ordinè ſacro adiuncto etiam ad fugiendam pollutionem ipſe tenebatur, neque multiplicata vota partialia obligationem, vel malitiam addunt nouam, vt probè *Llamas in methodo curat. animar. part. 1. §. 29. Sanchez numer. 29.* qui benè addit, ſi is vltra mollitiem aliud in ea committeret peccatum, caſtitati contrarium, delectationis nimirum moroſæ in fœminæ cogitatione, aut eiuſdem concupiſcentia, ſine tactus cum tertia perſona, ſatis non eſſet explicare tantùm votum abſtinendi à pollutione, ſed aut ſimul votum aperiendum caſtitatis, aut hoc ſolùm explicandum, quòd aliàs ob peccatum adiunctum circumſtantia non explicaretur violationis voti. Addo ſi vouiſſet aliquis Religioſus, vel Sacerdos, ſe non habiturum aſpectus, nutus, verba inhoneſta, tactus turpes ex ſe graues in Eccleſia, etiam ſecundum opinionem docentem hæc peccata non habere circumſtantiam ſacrilegij, aperiendam neceſſariò in confeſſione, præciſo pollutionis periculo, vti docet *Sanchez lib 9. de mat. diſp. 55. à num. 20.* teneri eum illis aperire, quia huiuſmodi circumſtantia cum materia ſine voti ſpecialis etiamſi generali loci circumſtantia, vel voto caſtitatis non comprehendantur, ſpeciali tamen comprehenduntur voto, vt diximus.

14 Demum ad rem noſtram deduco, Epiſcopum conſecratum fornicantem non teneri circumſtantiam Epiſcopatus in confeſsione proferre. Ratio eſt, quia nulla alia tenetur obli-

obligatione ad caſtitatem ſeruandam, quam voti ſacro ordine adiuncti, vt quiuis alius in ſacris conſtitutus. Eſt contra *Petrum de Ledeſma de ſacramentis*, vbi de ſacramento pœnitentiæ *cap.* 19. *dub.* 1. de circumſtantia perſonæ, docetur tamen ab *Henriq. lib.* 5. *de pœnit. cap.* 5. *num.* 6. *in commentario litt. G. ad finem* Sanch. *laudatus diſp.* 27. *num.* 33. apud quem docet idem *Palatios de Prælato Relig.* ſatis igitur erit proferre, ſe voto caſtitatis ligatum eſſe, vel profeſſum, vel ſacerdotem, vel in ſacris, vt ſupra, quia vt *præcedenti diſp. cap.* 2. demonſtrauimus iure diuino adiuncta non eſt caſtitas Epiſcopatui, ſed ſolum eccleſiaſtico, ratione voti ſeu legis, quemadmodum de reliquis diximus in ſacris conſtitutis. Itaque ſatis ſanè faceret Epiſcopus, ſi contra votum caſtitatis ſe peccauiſſe, vel in ſacris eſſe ſe fateatur.

15 Hinc demum fit fornicationem Epiſcopi nondum conſecrati, ſed tantum electi, & confirmati, nec ſacro donati ordine, aut profeſſione religioſa, vel voto in ſocietate Ieſu poſt biennium ligati non excedere ſimplicem fornicationem, nec neceſſario aperiendam in confeſſione continere circumſtantiam Epiſcopatus, quia nulla ſpeciali ad caſtitatem tenetur obligatione, cui fornicatio aduerſetur. Verum enim vero, quod probè notauit *Sanchez num.* 33. hæc per ſe vera cum ſint, in eo tamen caſu à veritate deficerent, quando Epiſcopi; vel religioſi Prælati fornicatio publica, & ſcandalum patens eſſet; tunc enim contra ſpecialem officij rationem delinquerent, qua ſubditos tenentur, non verbis modo, verum etiam vitæ exemplo paſcere, atque adeo ſpecialis malitia è ſtatus atque officij circumſtãtia cõtraheretur talis fornicatio, quę quidem neceſſario aperienda eſſet, etiam vt à ſcandalo diſtincta, quod quiuis priuatus publicè peccans daret.

CAPVT IV.

An & quo iure ordo ſacer ſubſequens irritet matrimonium.

SVMMA.

Per ordinem ſacrum ſubſequens dirimitur matrimonium num. 1.

Explicatur Cap. Vnicum 35. quęſt. 1. *num.* 2.

Matrimonium ſubſequens dirimitur per ordinem ſacrum ratione voti, vel extrinſecæ legis abſolutæ vel conditionatæ num. 3.

Epiſcopatus dirimit matrimonium ſubſequens num. 4.

Poteſt cum his votis Pontifex diſpenſare n. 5.

Immo vt etiam in ordine ſimul miniſtret vxoratus ibidem.

1 Catholica docet veritas per ordinem ſacrum ſubſequẽs dirimi matrimonium ex *Can.* 1. *&* 2. *Qui clerici, vel vouentes &c. & Cap. vnico de vot. in* 6. *Cap. Vt lex* 27. *quæſt.* 1. *quod eſt Innoc.* 2. *idemque definiere Nicolaus Pontifex & Alexand.* 2. *quorum decreta habentur Cap. nullus miſſam & Cap. Præter hoc diſtinct.* 32. idem definiunt *Ioann.* 22. *in Extrauag. Antiquæ de vot. ex Tridentin. ſeſſ.* 24. *de matr. can.* 9. Huius autem decreti conuenientia petenda eſt ex dictis *cap.* 1. *&* 2. *ſuperioris diſputationis*, vbi obiectiones in contrarium ſolutæ ſunt.

2 Inſtabit præterea, *lib.* 15. *de ciuit. cap.* 16. *Auguſtinum relatum* Cap. *vnico* 35. *quæſt.* 1. *ad finem*, ſic loqui, *Eccleſia poſt apoſtolica inſtituta quædam conſilia perfectionis addit, vt petendæ continentiæ miniſtrorum*. Verum nego hæc eſſe *Auguſtini* verba, *ſed Gratiani*, qui continentiam noluit, quæ abſolutè erat conſilij, ex lege eccleſiaſtica fieri neceſſariam volentibus tamen ſacris initiari.

3 Secunda aſſertio. Matrimonium ſubſequens dirimitur per ordinem ſacrum ratione voti caſtitatis, quod tametſi per accidens ſit ei adnexum ex præcepto Eccleſiæ, dirimendi tamen matrimonium habet vim; vel iure diuinò naturali, quia ſolemne eſt; vel quia Eccleſia extrinſecè talem vim illi voto dedit per ſuam inſtitutionem; deficiente autem voto immediate ſua lege id præſtat Eccleſia. Prima pars probatur ex *ſecundo capite*, quo probauimus ordini ſacro caſtitatem adiunctam eſſe ſolo iure Eccleſiaſtico; Secunda pars eſt *Diui Thomæ in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 1. *articul.* 2. *& quæſt.* 3. *in corpore. Baſolis in* 4. *diſt* 37. *quæſt. vnica artic.* 1. *Petri de ſoto lect.* 5. *de matrim.* §. *rationem huius Valent.* 4. *tom. diſp.* 10. *quæſt.* 5. *punct.* 3. *Soar. tom.* 3. *de relig. lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 2. *immò & Sanch.* qui quidem cum amplectatur abſolute tertiam noſtræ concluſionis partem *lib.* 7. *diſput.* 29. *num.* 11. *diſput. tamen* 27. *in fine.* ait ſolemnè hoc eſſe votum ordini ſacro adnexum per ſe, & ſimpliciter, inſtar voti profeſſorum vt appellatur à *Bonifacio* 8. *cap. vnic. de vot. in* 6. Confirmatur præterea hæc pars per *Extrau. Antiquæ Ioann.* 22. *de vot.* cui ex Canoniſtis ſubſcribunt *Io. And. Cap. vnic. de vot. in* 6. *num.* 1. *& ibi Archid. num.* 1. *Anchar. num.* 2. *not.* 3. *alijſque apud hos*. Tertia pars eſt Auctorum aſſerentium, ſolo eccleſiaſtico ſtatuto ſubſequens dirimi matrimonium per ordinem ſacrum, Quos Auctores ſequitur *Sanchez diſp.* 28. *num.* 11.

*num.*11. non modo quia votum caſtitatis per accidens ordini ſacro ſit adnexum, ſed quia votum illud ſolemnitatem habet è ſtatuto eccleſiaſtico, vt ſe explicat *Sanchez diſput.*27.*num.*17 *in fine verſ. cæterum*. Cum igitur dolo vel ignorantiæ tanta res ſubijcienda non fuerit, ideirco per legem Eccleſiaſticam conditionatam, quam diſtinctam à voto, & loco voti aſſeruimus *cap.* 2. *aſſert.*4. id etiam poſſe habere Ordinem ſacrum dicimus. Neque hoc diſcrepat, immò maximè à modo loquendi Doctorum commendatur, aſſerētium ordinem ſacrum ex ſolo iure Eccleſiaſtico dirimere matrimonium. Quæ autem horum opinionum, an prima parte primæ noſtræ concluſionis comprehenſa, an altera tertiæ inſerta probabilior ſit, non eſt noſtri inſtituti. Illud, vt certum habendum, vel ex voto dirimi matrimonium, vel ex lege Eccleſiaſtica, voto tribuente vim, vel voti ſupplente defectū. Ex quo autem deducatur huiuſmodi inſtitutum Eccleſiaſticum aſſertur probè à *Vazquez* 3.*tom.in* 1.*part.citato num.* 37.

4 Deduco ex his. Primùm, Epiſcopatum dirimere eodem pacto matrimonium, ac diximus ſupra de ordine ſacro, quia nulla alia ratione caſtitatem habet adnexam, vt *cap.*3.*corollar.vltim. num.*14. & ibi remiſſiuè diximus, atque expreſsè docet *Petrus de Ledeſma de matrimon.quæſt.*53. *artic.*3. *in dub.quod mouet circa ſolutionem ad* 3. *& poſt* 3.*concluſ. optimè infert* §. *Sed vt hac concluſio*. Epiſcopo autem confirmato, nondum tamen ad ſacrum ordinem promoto, & per conſequens neque conſecrato, nullo iure interdici reſilire, atque ad nuptias tranſire; impedite autem ſubſequens matrimonium ratione voti caſtitatis adnexi ſacro ordini; vel ratione legis iuxta doctrinam modò datam, à fortiori certior erit in opinione Auctorum primo capite relatorum pro prima ſententia aſſerentium ad caſtitatem teneri ordinatum in ſacris ſola lege Eccleſiaſtica.

5 Hinc deducitur ſecundò cùm ſacri homines vel ex voto, vel ex Eccleſiaſtica lege teneantur ad caſtitatem, poſſe graui de cauſa à Summo Pontifice Sacerdotem, atque Epiſcopum diſpenſari vti de facto nonnunquā præſtitum eſt, remittendo ius compactum Deo per votum, vt nos *libr.*2. *diſput.*1. diximus, & probè tradit contra Maiorem *Vazquez in hac materia* 3.*tom. in* 3. *part. diſputat.*229.*cap.*3.*num.*21. Nec modò diſpēſare valet Pontifex, vt matrimonium ineat ſacer homo, ſed vt etiam in ordine ſimul miniſtret, etſi nulla videatur de facto ſubeſſe cauſa, rationi conſona, ex qua id contra Eccleſiæ conſuetudinem præſtaret, licèt exercitium ordinis iure diuino cum vſu matrimonij non pugnet, vt nos ſæpe indicauimus ſupra, & benè probat *Vazquez citatus contra Medinam*.

CAPVT VLTIMVM.

Soluuntur contrariæ rationes primo capite adductæ.

SVMMA.

Satiſfit argumentis primæ opinionis, num. 1.
*Diluuntur argumenta ſecundæ ſententiæ, numer.*2.
Deÿcitur omninò tertia ſententia, num. 2.
Argumentum ſoluitur Recentioris, numero 4. *&* 5.

1 Facere ſatis contrariorum ſententijs *cap.* 1. relatis haud erit difficile. Primò igitur primæ reſpondemus, vel loqui de lege abſoluta, vel de conditionata: ſi de prima illam concedimus, cuius materia non eſt caſtitas, ſed votum caſtitatis emittendum, ob quas *ſecundo cap.* diximus rationes, *concluſ* præſertim 1.2.*&* 4. Quòd ſi de conditionata ſermo ſit, hanc in defectum voti eſſe ſancitam, non abſolutè ibidem *concluſ.* 3. docuimus, ex qua non vouens ex ignorantia, vel malitia tenetur, iuxta eandem concluſionem. Quo diluitur ſecundum argumentum. Qua autem ratione falſum ſit, actum incontinentiæ viri ſacris donati ordinibus eſſe ſimplicem fornicationē *cap.*3.*coroll.*6.*&* 7. docuimus.

2 Secundæ ſententiæ damus manum, quatenus ex voto explicito, vel implicito ad cōtinentiam teneri ſacris imbutum ordinibus eius Auctores docent, ad quod votum emittendum obligatur ex lege Eccleſiaſtica. Addimus huic abſolutæ legi alteram conditionatam adnecti obligantem ſacris initiatum in eo euentu, quo ex malitia, vel ignorantia, vel aliter voto ſe non obſtrinxerit, quam legem cùm relati Auctores non aſſeruerint, neque à tricis contrariorum argumentorū ſe poſſunt expedire, neque veritatem, me iudice, attigerunt.

3 Tertiam ſententiam omninò reijcimus; & quia iiſdem argumentis, quibus alias ipſa impugnat, euerti poteſt, & quia ſpecialem legem non probat; & quia caſum, in quo quis ex ignorantia, vel malitia non voueret, non explicat; ſed neque explicare poteſt,

teſt, qua ratione Ordinatus ex voto, quod non emiſit, tenebitur ad caſtitatem: & quia contra communem Doctorum ſententiam obligationes fruſtra multiplicat.

4 Primò autem *Aegid. ConincK* argumento, quam reiecimus ſententiam firmanti, operoſum ſanè non erit reſpondere. Itaque nonnunquam voto quis explicito deuincitur, quando volens, & lubens ſacris initiatus, vouet omnimodam caſtitatem: nonnunquã (ad quod ſaltem abſoluta tenetur Eccleſiaſtica lege) voto implicito, ſicut *concluſion.* 2 *cap.* 2. demonſtrauimus. Quòd ſi quis nec vouere velit, nec voueat, ſentimus cum ipſo *ConincK* ex voto non teneri, vt *concluſ.* 3. docuimus; negamus tamen eum altera Eccleſiaſtica lege non teneri, vt *concluſ.* 4. dictum eſt. Coniugatus autem ſi ordinaretur præter morem Eccleſiaſticam, ita vt neque ipſe voueret, neque vxor aliquo pacto ad caſtitatem obligaretur: tunc ex lege Eccleſiaſtica ſaltem teneretur, non petere debitum; quo pacto teneretur etiam non petere, ſi vouiſſet in Ordine ſacro, cùm tantùm illa lex virium habeat, ac votum. Immò nec poſſet talis ordinatus ad vxorem, non repetentem redire quicquid ſit de profeſſo, de quo vide *Sanch. libr.* 7. *de matrim. diſput.* 34. *num.* 14. & 18. *numer.* 16. tenebitur tamen redire ad petentem vxorem, eique debitum reddere, vt probè idem Auctor ibidem, quin etiam poterit ab vxore reuocari, cui tenebitur; etſi ad ſummum Pontificatum euectus, morem gerere, ac regredi ex eodem Auctore *num.* 21. & 12.

5 Ad ſecundum ex ſeptima aſſertione patete, & quamuis fateamur robur contra *Sanchez* illud argumentum habere & contra Auctores, quos ille ſequitur, ſecus autem contra nos, qui vel ex voto irritari matrimonium ſentimus, quatenus vt ſolemne eſt, hanc iure diuino habet vim, aut ex Eccleſiaſtico inſtituto, ſi ex eo quodcumque votum ſolẽne ſolemnitatem habeat: vel defectu voti per ignorantiam, vel malitiam nonnuncupati ex lege Eccleſiaſtica *concluſion.* 4. *precedentis cap.* aſſerta, ex quo ſequitur ſpecialem malitiam, quemuis actum contrarium habere, & quidem ſacrilegam non tamen duas, quas malè deduxit *ConincK* citatus.

DISPVTATIO VII.

De Eccleſiaſticis Cenſuris contra incontinentes Ordine ſacro donatos.

Quas contra incontinentiam tulit cenſuras, ſuo conſulens candori, Sancta Romana Eccleſia hæc explicabit diſputatio. Primò igitur de cenſuris in communi prò noſtro inſtituto; deinde de excommunicatione; demum de ſuſpenſione diſputabimus, neque abs re, nè Præſulem electum, & conſecratum 2.tom.inſpecturi, quæ ad eius ſpectant caſtitatem repetere ad faſtigium cogamur.

CAPVT PRIMVM.

De cenſuris in communi latis contra incontinentes Eccleſiaſticos.

SVMMA.

Sacri hominis incontinentia ab Eccleſia Latina punitur, num.1.
Variæ cenſuræ, num.2.
Concilium Mariſcotenſe *perperam à nonnullis citatum, ibidem.*
Malè citatur à quampluribus Turonenſe, numer.3.
Nulla generaliter in alios data ſuſpenſio Epiſcopos afficit, num.4.

1 Breui hoc expediam caput, cætera proſequuturus vtiliora.

Prima concluſio nō modò lethaliter peccaret ſacris ordinibus Initiatus, qui matrimoniū contrahere contenderet poſt ordines ſuſceptos, vel matrimonio prius inito vteretur, ſuſceptis iam ordinibus de licentia vxoris, ſed varijs Eccleſiaſticis pœnis ab Eccleſia ſaltē Latina etiam puniretur. Prima pars conſtat ex re graui,& graui prohibitione, vt *ſuperiori diſputatione* ex-
2 plicata eſt. Secunda patet ex *Concilio Tertio Aurelianenſi*, quod habet, *vt nullus Clericorum à Subdiacono & ſupra, & quibus vxores in propoſito ſuo accipere inhibetur; propria, ſi fortè iam habeat, miſceatur vxori, quod ſi fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum canonum ſtatuta deponatur.* Alia ſolent afferri à nonnullis Concilia Vuormacenſe, & Matiſconenſe, quæ ab eiſdem aſſeruntur mentionem de Epiſcopis fieri, ſed perperam ni me mea fefellerit induſtria. Cæterum *Primum Turonenſe Concilium canon.1.* tantum clericos hortatur ad caſtitatem *ſecūdum* autem *can. 11.* contra Regulares vxorem ſumentes excommunicationem profert. Suſpenſionis autem, & excommunicationis pœnam imponit *cap ſi qui clericorum de cleric.cōiug.*& cōfirmat *cap. ſane.il 2.eodem* ita ut *Abbate interprete n. 2.* Clericus in ſacris contrahens matrimoniū executionem amittat officij ſui,& ipſo facto ſuſpenſus ſit,ſicut quilibet notorius criminoſus *cap. finali tit. 1.& de tempore ordinandor. pariter cap.finali;* quamuis velit hic Auctor hanc ſuſpenſionē non inducere irregularitatem in celebrante. Confirmatur autem hæc ſuſpenſio tum ab ordine ſuſcepto,tum ab officio, & dignitate, tum ab ordine ſuperiore recipiendo per

extrau.

extrau. Antiqua de voto, & reſeruatur Papæ contra eum, qui poſt matrimonium, etiam non conſumatum ad ſacros aſcendit ordines niſi fortè religioſam vitam tale poſt delictum, profeſſione legitima emiſſa inierit, quando per Dioceſanum poterit diſpenſari. De hac autem noſtra non intereſt, cum ad Epiſcopos, quorum mentio facienda erat, non ſe extendat. Præterea *Clem. Vnica de conſang. & affinit.* Sancit excommunicationem contra eos, qui poſt ſacros ordines matrimonium ineunt; defectu tamen expreſſæ mentionis, neque ad Epiſcopos latè patet, quamobrem ſoli Tridentino ſtandum eſſe arbitror, vt infra *cap.* 3. dicemus; certum eſt enim, vt docuimus *lib.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 1. *nu.* 13. & deinceps non comprehendi Epiſcopum cuius, expreſſa mentio non fit, ſuſpenſionibus contra cæteros latis: neque improbabile id eſſe de cęteris cenſuris, vt dictum eſt loco citato *num.* 15. *cap. primi*.

CAPVT II.

Expenditur excõmunicatio Clementinæ Vnicæ de affinitate, & conſanguinitate.

SVMMA.

Affertur ſententia Soarij. num. 1.

Reijcitur. num. 2.

Ordine ſacro inſignitus, nec ſcienter contrabens matrimonium, Eccleſiaſticas non ſubit cenſuras in foro interno. num. 3.

Clauſula ad omnia diſpoſitionis membra refertur, vbi eadem eſt ratio ibibem. numero 4. *&* 5.

Conditiones neceſſariæ vt clauſula ad omnia ſe extendat membra. num. 5.

Immediata membrorum conſequutio diſpoſitionis maximè ad hanc vniuerſalem relationem conducit. num. 6.

Quid ſi alter coniux fuerit prædicti impedimenti ignarus. num. 7.

In foro autem externo cenſeretur cotrahere cenſuras eas ignorans, ſi ordinatus contraheret matrimonium. num. 8.

Excommunicatio Clement. Vnicæ *neque directè, neque indirectè incurritur à fœmina, etiam ſcienter contrahente cum religioſo, vel clerico ordinato. num.* 9.

Neque contrahitur à conſulentibus mandantibus opem ferentibus ad contractum huius matrimonij. num. 10.

Neque à procuratore, per quem dictum matrimonium iniretur, neque à parentibus, nomine filiorum, conſenſum explicantibus. numero 11.

Participatio in crimine criminoſo non intercedit niſi cum nominatim excommunicato, nec ſufficit publicum eſſe percuſſorem clerici. num. 12.

In foro externo ſubire cenſuras exiſtimabitur ordinatus, vel Religioſus contrahens ſine intentione contrahendi, ſecus in interno. num. 13.

Non poteſt quis verè velle promittere, & nolle ſe obligare, non tamen ex fundamento Vazquez. *num.* 14.

Sed ex proprio. num. 15.

Reijcitur præterea definitio Vazquez. *numero* 16.

Quando Eccleſia actus internos vt externos informantes probibere, atque excommunicatione plectere poteſt. num. 17.

Soluitur obiectio perdifficilis contra noſtram doctrinam. num. 18.

Conſtitutus in ſacris, contrahens ſub conditione, ſi Papa diſpenſauerit, cenſuram non incurret. num. 19.

Contrahitur cenſura huius Clementinæ *per matrimonium etiam non conſumatum, non tamen per ſponſalia, etiam ſequuta copula; neque per clandeſtinum. num.* 20.

Altero diſſentiente non contrahitur cenſura hac in foro interno neque à conſentiente in matrimonium. num. 21.

Ab hac cenſura excuſat metus cadens in conſtantem virum. num. 22.

Excuſaretur etiam qui, cum non eſſet in ſacris, falsò putaret eſſe. num. 23. *&* 24.

Reliqua ſpectantia ad hanc Clementinam. nu. 28. *remiſſiuè.*

Excommunicatio huius Clementinæ non eſt reſeruata. num. 26.

1 SOarius de cenſuris *diſp.* 23. *ſect.* 5. *num,* 15, *in cuius verba, vt iurauit Filliucius, de more ſubſcribit tract.* 14. *cap.* 5. *num.* 77. Quoſcumque docent ordine ſacro inſignitos, & matrimonium contrahentes incurrere excommunicationem *Clem. Vnicæ* etiamſi non ſcienter fecerint; fundamentum deſumptum eſt à *Gloſſa eiuſdem Clementinæ verb. contrahentes*; quæ quidem diuerſam dicendi rationem textus perpendit, etenim vbi de alijs illicitè atque inceſtuosè contrahentibus loquitur, particula, ſcienter, vtitur; at vbi de poſtremis modis turpibus contrahendi ſermonem habet, eam reticet. Nec *non* (inquit textus) *Religioſos, & moniales, ac clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes*. Ex hoc igitur dubio, à Gloſſa indicato, ratio-

rationem c huius diuerſitatis *Soarius*;
quia nimir in tribus primis caſibus con-
trahendi rimonium cum conſanguinea,
vel affine gradibus prohibitis, vel cum
moniali, ilè poteſt ignorantia intercede-
re, quę impedimentum ex conditione
pronenit alterius perſonæ, cum qua contra-
hitur; alijs verò caſibus nimirum matri-
monij, à Religioſo vel clerico, qui ex
communicatur, impedimentum eſt ex par-
te ipſius contrahentis, cuius conditio nequit
à ſe ipſ ignorari.

2 Verum, eſto probabile id eſſe non inficiat,
quod in hanc opinionem habeo dicere, con-
trariumq; mihi probabilius facit, primum
eſt, quod loco primæ meæ concluſionis ſit.
Vniuerſalem *Soarij*, non eſſe doctrinam; cum
locum habere poſſit ignorantia probabilis
in Ordinato ſacris ordinibus; in amentia,
vel ſomno Ligato, vel ante pubertatē; quod
poſſe fieri docuimus *lib. 2. diſp. 3. cap. 2. &*
Gloſſa citata indicat hanc noſtram appro-
bans inſtantiam; ergo tunc non incurrent
dictam excommunicationem. Deinde *Soa-*
rius cum doceat *loco citato num. 13. Tò ſcien-*
ter excludere non modo ignorantiam fa-
cti, ſed iuris, itaut hæc dummodo affectata
non ſit, à cenſura ſaltem excuſat; quis non
videt illo etiam auctore, poſſe ſubdiaconum
ver. grat. aliquo pacto dicta ignorantia la-
borare atque inuincibiliter ignoraſſe has
cenſuras contra ineuntem matrimonium
latas? Ex quibus manifeſto conſtat quamuis
minorem anſam ignorandi poſſe nonnun-
quam eſſe in primis illis caſibus, quo ad fa-
ctum; verum in his etiam, & facti ignoran-
tiam intercedere poſſe, vt initio dicebam,
atq; iuris: præterea non æqualem modo ra-
tionem ignorantiæ interuenire poſſe, in om-
nibus illis caſibus; verum etiam maiorem
apparere, in his duobus vltimis relatis; cum
non ita facili negotio eueniat caſus, vt quis
Religioſus, vel Clericus ordine ſacto inſi-
gnitus matrimoniũ cõtrahat; ac paſſim con-
ſanguinei, vel affines in gradu prohibito id
præſtare audent, qui quotidie de hoc male
audiunt; ex quo abuſu ſane fit, vt cenſurarum
pœna in eos lata magis nota ſit, ac minus
probabiliter ignorata, quam pœna con-
tra Clericum matrimonium ineuntem: ſal-
tem probabilis poterit faciliori ratione in-
tercedere in hoc caſu iuris has pœnas ſtatuē-
tis ignorantia, atque eadem erit ratio conſe-
quenter, vt hæc ignorantia in hoc eadem ca-
ſu excuſet potiori nomine, atque in altero,
per ſe loquendo.

3 Secunda aſſertio. Hinc contra dictam opi-
nionem probabilius indico ordini ſacro In-
ſignitum, qui ſcienter non contraxit ma-
trimonium, in prænotatas haud incur-
rere cenſuras. Ratio eſt quia clauſula ſiue
ponatur in principio, ſiue in medio, ſiue in
fine diſpoſitionis, cenſenda eſt referri ad om-
nia in ea diſpoſitione contenta, quando om-
nium eſt eadem ratio, ſic *Bart. in l. vlt. num.*
2. ff. de liber. legat. Rom. in conſil. 480. num.
7. Alexand. in conſil. 48. num. 1. lib. 2. & in
conſil. 158. numer. 7. lib. 6. Iaſon. in leg.
Talis ſcriptura in principio num 36. de leg.
1. & alijs quos citat, ac ſequitur Menoch. de
præſump. præſ. 181. & è Theologis Sanch. lib.
6. de matrim. diſput. 22. num 19. 5. ad quar-
tum.

4 Et licet aſſertæ regula maius profecto ro-
bur habeat quando omnia ſub ea diſpoſitione
contenta vnico verbo regerentur, vt probe
Socin. Iunior in conſil. 26. n. 3. lib. 3. non tamē
ſua caret vi, tametſi diſtincto regātur verbo,
vt ex eodem *Menoch. ibid n. 3.* deduco; Dein-
de, cum ſimus in auertendis odioſis, exten-
denda eſt ſine dubio hæc regula per textum
leg. 3. §. Filius inter medias ff. de liber. & poſt-
hum. & leg. 1. C. de lib. præter. Sic ſentit *Iaſon.*
citatus in leg. Talis ſcriptura in principio n. 36
verſ. amplia, poſt Alexandrum in conſ. 102. lib.
3. confert *Bald. in l. Quiſquis in princ. C. ſi*
cert. pet.

5 Confirmatur quia tunc ad omnia diſpo-
ſitionis membra latè patet clauſula, cum
primo, nulli eorum ſpecialiter eſt prouiſum;
deinde quando eadem illorum eſt ratio;
tertio cum nec iuris correctio ex amplia-
tione ſequitur; quarto nec diſpoſitio redde-
retur inutilis; quinto nec aliquid noſcere-
tur abſurdum, ſexto ſi immediate mem-
bra cohæreant, ſeptimo ſi innitatur diſpo-
ſitio æquitati; quæ omnia hic reperire facile
admodum eſt. Et primo quidem non poteſt
dici, ſpecialiter tribus primis caſibus matri-
monij contrahēdi, iam eſſe prouiſum, quam
ob cauſam referenda non ſit clauſula illa
ſcienter ad poſteriores, vt in ſimili de-
clarat *Iaſon de clauſ. ſubſeq. loco citato*
num. 37. dictæ leg. 1. poſt Bald. Caſtrenſ.
Imol. Cardin. & alij, quos citat, cum nulla
in noſtro textu *Clementinæ* pœna fuiſſet
illis caſibus impoſita, ſed vnico con-
textu conctis quinque ſtatuitur eadem,
quorum penè ipſiſſima ratio erat, abſque
vlla repugnantia, ſeu legis correctione qua
interueniente allata regula pateretur ex-
ceptionem ex *Iaſone citato num. 39. poſt*
Gloſſ. nec non ex Bartol. in leg. Si idem cum
eadem §. vlt. ff de iuriſd. omniu. iud. Bald. conſ.
353. & eadem Iaſon num. 39. de legat. Ab-
bate in Cap. Cũ Eccleſia noſtra Socin. ſenior
conſil. 150. numer. 37. Neque ex tali rela-
tione diſpoſitio fieret inutilis quando non
eſſet profectò habenda ex doctrina *Bald. in*
conſ. 153. Quidam teſtator colum. vlt. verſ.

Z item

*item,quia tacitè repetitio Iaſonis, & aliorum apud Menoch.nu.*11. cum naturis rerum, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ pietati maxime conſentaneum ſit, vt pœnas cenſurarum adeo graues non iubeat, qui aliqua excuſante laborans ignorantia quid prohibitum commiſerit; vt ipſummet rationis lumen dictat, ex quo confirmatur regula pro noſtro caſu: Auctore *Pelino in cap. Cauſam quæ col.*4. *verſ.limita ſecundò: de reſcript. Alexand. in conſil.*128. *Socin Senior conſ.*156. *lib.* 2. quæ ratio cum non ſit diuerſa, ſed eadem maximè ad intentum confert ex *Gozad. in conſ.* 2.*num.*30.*Socin.Iunior.conſ.*1.*num.*28.*lib.* 1. *& conſ.*158.*num.* 49. *lib.* 2. ex hoc autem nullum reſultare abſurdum certo certius eſt, ob quod aliàs regula iam dicta limitanda eſſet ex *Iaſon. citato num.*40.*verſ.*5.*notabili, & alijs apud Menoch. num.* 13. neque facilè aſſignari poſſet ratio, cur contrahens in gradu prohibito cum ignorantia vel facti, vel iuris pœnas ſtatuentis eas non incurrat, & contrahens clericus in ſacris cum eodem vel facti, vel iuris, vt *num.*2. dictum eſt, eaſdem ſubeat; ob quod rationis momentum noſtræ doctrinæ fauet *Rubeus in conſ.*49.*n.*4.

6 Accedit immediata membrorum conſequutio eiuſdem diſpoſitionis, quæ maximè ad noſtræ doctrinæ veritatem conducit, vt deduco ex *Bartol.in leg.vnic.in fine de rebus dubijs. & conſ.*39.*Colat. in fine lib.* 1. *Socin. Senior conſ.*63.*num.*9.*verſ.præterea lib.*3.*Ruin.in conſ.*121.*num* 3.*lib.*2.*& conſ.*111.*num.* 12.*lib*5. Demum quia lex illa Pontificis manifeſta nititur æquitate, quæ vltima erat conditio ex ſuperiore numero, allatis ad huius clauſulæ relationem per omnia membra faciendam requiſita; idcirco enim ait textus *Nec non Religioſis, & Moniales, & Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonium contrahentes refrenare metu pænæ ab huiuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes.* Vbi *Tò temeritatis audacia* ponderare libet, quæ verba ſuperflua minimè cenſenda ſunt ex his quæ *diſput.*5.*capit.* 3. *numero* 24. diximus; quando autem contra temerè, vel audacter facientem reliqua ſancitur pœna, tunc ſanè ſcienter illud, quod prohibetur, vt factum ſit, neceſſe omnino eſt. Immò dum decretum aliquod petit ſcienter fieri, vt nos de hoc ſæpe diſputantes præſertim *libr.*2.*diſput* 3. *capit.*4. *& libr. hoc* 3. *diſput.*4.*capit.*4 *à numero* 8.*ac deinceps* probauimus, excuſat ignorantia quantumcumque craſſa ex lata culpa intercedente, quia verè cum ea operans non dicitur ſcienter facere, ſed dolus requiritur, qui quidem propriè ſumptus, vt probè *Vazquez in tract.de excomm.dub.*15. eſt voluntas, & propoſitum ſcienter aliquid faciendi: neque ſufficit præſumptus dolus, qui eſt voluntas faciendi aliquid, vnde peccatum ſequitur ex ignorantia craſſa ideſt lata culpa, vt probè *Corduba libro* 2. *quæſt.*28. *tit. de ignor.* ſed omnino requiritur ignorantia craſſiſsima, quæ temeritati, doloque maximè æquiparari poſſet; quod innuit his verbis à contrario *Anton.capitulo* 1 *de conſtitut. numero* 9. *Quamuis (inquit) non requirat dolum, comprehenderetne ignorans, ſi in tantum ignorantia eſſet craſſa, vel craſſiſſima, quæ importaret latiſſimam culpam, & æquipararetur dolo.* Fauet etiam *Nauar. ſum hiſp. cap.* 20. *num.* 54. his, *No ſe comprenderia el que por oluido, o deſcuydo, o por ignorancia alo menos no muy craſa.* ſubſcribit in terminis *Sanch.lib.*7.*de matr. diſp.* 48.*ad finem. & nos proſequuti ſumus libr.* 2. *diſp.*2.*cap.* 4. *num.*17. Fauentque præter ibi citatos *Bartol.l.ſi adulterium in princip.num. ff.ad leg.Iul.de adult. Anchar. ac Clem.vnica de conſang.col* 3.*vbi Imol.num.*4.*ſuper Gloſſam ſcienter Boniſ. ibi num.*15. *Syluest. verb. Ignorantia quæſt.*8.*dicto* 4. *Domin cap. Is,qui de ſentent.excom.in* 6. *§. is verò in princ. Nauar.cap. Accepit de reſtit.ſpoliat.oppoſ.*3.*illat.* 9. *num.*32.*&* 34 *& ſum.lat.in poſteriore editione cap.* 26 *num.*141.*declar.*4.*aliàs num.*115 Solùm igitur contrahent pœnam ſupra enumerati matrimonium contrahẽtes quando, vel ex dolo vero, vel ex dolo præſumpto, & æquiualente per craſſiſſimam ignorantiam id præſtarent. Et certè ſi accuratè perpendantur Auctores qui poſſent in contrarium afferri potius difficultatem facere comperientur, quod huiuſmodi poſſit intercedere ignorantia, quam ea intercedente, excuſent contrahentes, vt colligere videor ex *Gloſſa ſupracitata huius Clementinæ verb. contrahentes ex Cardin.num.*1.*oppoſit.*7. *Imol.num.* 14 *Dinus Anton* 3.*par.tit.*24 *cap.*34. *Nauar. ſum.la in.cap.*27.*num.*141.*Petrus de Ledeſm. quæſt.* 55 *de matr.art.*9. *dub.*1.*in dubio quod mouet in ſolutione ad* 8. *& Sanch. libr.*7.*de matr.diſput.*48 *num.*21

7 Quòd ſi alter coniux ſciuerit, & alter ignorauerit, excuſabitur ignorans, & cenſuris ligabitur ſciens, in quo omnes reperiuntur conditiones à Clementina requiſitæ: ſic *Gloſſa dictæ Clementinæ, verb. Moniales. & verb. ſcienter, ibi Cardin. numero primo, & Sanchez citatus numero* 19.

Dices, deficiente conſenſu alterutrius, vt *affectione ſexta, numero decimo* dicemus à nullo contrahitur excommunicatio; ergo deficiente voluntario conſenſu alterius ignorãtis factum, vel ius, neuter ligabitur cẽſura: nam, ſicut in primo caſu defectu conſenſus

non cenſetur initus contractus, ita in ſecundo, defectu conſenſus voluntarij. Hoc argumentum me ſanè vrget, quia Clementina plectit Contrahens matrimonium contra ipſius prohibitionem, ideſt in gradu vetito, verbi gratia, ſcienter contractum; ſed hoc matrimonium in gradu prohibito, ſcientèr non eſt contractum, deficiente conſenſu alterius, qui quidem vel laborans ignorantia gradus, vel ignorantia prohibitionis, vel cenſuræ, conſenſum præſtitit, reſpectu harum circumſtantiarum inuoluntarium; ergo hoc matrimonium non cadit ſub illam cenſuram, igitur vterque excuſabitur. Confirmatur, quia contrahens cum furioſa, vel amente, defectu conſenſus efficacis illius, non cenſetur incurrere per citatum *Sanch.* vt nos dicemus *aſſert.* 6. ergo contrahens cum habente conſenſum inuoluntarium, & per conſequens inſufficientem, atque in efficacem hanc non incurret cenſuram; quæ profectò non imponitur à dicta Clementina in quoduis matrimoniũ contractum ſcienter cum aliquo ex quinque impedimentis ibi adſcriptis. Quamobbrem, cùm alterutet conſenſus non ſit in matrimonium taliter cognitum, non videtur efficax ad matrimonium, vt ſic, contrahendum; etiamſi alter coniux ſuum præſtiterit efficacem. Quòd ſi alter ignorans contraxit, & poſtmodum conſcius perſeuerauit in copula, & cohabitatione, iuxta opinionem initio numeri indicatam, quę hunc ſolùm excuſat, dicendum eſt conſequenter, hunc nec etiam incurrere excommunicationem, licèt animo coniugali talem habuiſſet copulam poſt Tridentinum (vt in ſimili dicemus *aſſert.* 5. *numer.* 9.) poſt quod copula illa non perficit matrimonium, vt docet *Petrus de Ledeſma de matrim. quæſt.* 55 *artic.* 9. *dub.* 1. *in dubio quod mouet ad nonum argumentum, & Sanch. ex multis num.* 20 vel ſi ſentiamus vtrumque excuſari, per defectũ conſenſus voluntarij in alterutro; poſt copulam etiam excuſandus vterque erit.

8 Quarta aſſertio. Hæc autem omnia certa quidem in foro interno habenda eſſe cenſeo, in foro autem externo dum de ignorantia iuris imponentis pœnam ageretur, ſummmopere hæſito: cum in facto adeò graui, vt eſt contractio nuptiarum ab habente ordinem ſacrum, non præſumi videatur probabilis, atque excuſans ignorantia, vt in ſimili dictum eſt *diſp.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. *& precedenti diſp. cap.* 3. *num.* 15. igitur præſumptioni contra huiuſmodi contrahentes ſtandum eſt.

9 Quinta aſſertio. Excommunicatio lata *in Clementina citata* non incurritur à fœmina etiam ſcienter cum religioſo, vel clerico in ſacris conſtituto contrahente. Ratio eſt, quia Clementina citata diuerſa quidem ratione loquitur in caſibus in ea propoſitis, nam moniales, & cum eis contrahentes excommunicat abſolutè, at verò loquens de matrimonio inito à profeſſo, vel in ſacris conſtituto, hos tantum, nulla de mulieribus facta mentione, excommunicat, nec modo directè, vt aduertunt è Theologis *Caiet. cap.* 47. *de excom. in ſum. Nauar. cap.* 22. *num.* 52. *Cardinal. in eãdem Clementinam num.* 4. *Soar. de cenſ. diſp.* 23 *ſect.* 5. *num.* 22. ſed neque etiam indirectè, eo quod fœmina communicaret in crimine criminoſo iuxta *cap. ſi concubina, & c. Nuper de ſent. excom.* nam quando contrahit, non dum cum excommunicato communicat; cum religioſus, vel conſtitutus in ſacris eam non incurrat excomunicationem, niſi finito contractu; neque cenſuram hanc incurret fœmina per vſum matrimonij qualiſcumque fuerit, qui quidem non eſt communicatio in crimine criminoſo. Neque par eſt ratio capituli ſupra citati; nam ibi Clerici habentes acceſſum ad cõcubinas, iam excommunicatas, participabant in concubinario acceſſu, & ipſo concubinatu continuato, qui erat prohibitus ſub pœna cenſurę; vſus autem præſentis cõtractus matrimonialis qualiſcumque fuerit non erat prohibitus ſub pœna excommunicationis, ſed contractus ipſe, vti docent *Cardin. Ancharan. Soarius, & Sanch. citati*, quod magis patebit è ſequenti aſſertione.

10 Sexta aſſertio. Neque conſulentes huiuſmodi matrimonium iniri, neque mandantes, aut opem ferentes, hac excommunicatione Clementinæ ligantur, ita *Caietan. in ſumm. verb. excommunicatio capit.* 44. *& ibi Armilla caſ.* 45. *numer. vnico. Nauarr. ſumm. latin. capit.* 27. *num.* 141. *Tabien. verb. excommunicatio* 5. *caſ.* 49. *num. vltimo, Petrus de Ledeſma de matrimon. quæſt.* 55. *artic.* 9. *dub.* 1. *poſt dubium, quod mouet circa ſolutionem ad nonum. Sanch. libr.* 7. *de matrim. diſput.* 48 *num.* 3. Quicquid contrarium doceat *Roſell. excommunicatio* 11 *caſ.* 43. *in fine, Sylueſter excommunicatio* 9. *caſ.* 41. Ratio concluſionis eſt, quia dicta Clementina ſolùm excommunicat matrimonium contrahentes, ſed vt communior, & veriſſima ſententia habet, hæc formula ferendi cenſuras non comprehendit mandantes conſilium, & auxilium præſtantes; quemadmodum docent *Caietan. in ſumm. verb. excommunicatio ſub princip. Tabien. eodem titulo caſ.* 49. §. 5. *Nauarr. capite* 27. *numero quinquageſimoprimo, & 5. conſil. de ſentent. excommunic. Auil. de cenſur.* 2. *part. cap.* 5.

12 *diſp.3.dub.2.* ergo &c. Quamobrem probè ait *Petrus de Ledeſma quæſt.55.art.9. dub. 1.* Neque procuratorem in hanc incurrere cenſuram, per quem matrimonium initur, neque parentes, qui nomine filiorum conſenſum matrimonij explicarent; quòd hi veri non ſunt contrahentes, ſed contrahentium quaſi inſtrumenta. Neque hi omnes ligantur ob participationem in crimine criminoſo excommunicatione lata in *capit. Nuper*, *& cap. ſi Concubinæ ſuperiore aſſertione citatis*; quia multo certior ſententia eſt docens, requiri, vt is, cum quo in crimine participatur, excommunicationem iam incurrerit, fueritque nominatim excommunicatus, & expreſsè habetur in dicto *cap. Nuper*, penes quod exponendum eſt *cap. ſi concubina*, quod huius conditionis non meminit ex communi Auctorum ſententia, vt ſuperiore diximus aſſertione. Adde, cum requiratur ibi ſcienter participare cum excommunicato, atque excommunicationis notitia poſt Coſtantienſe Concilium, ſit eius denunciatio, iure optimo aſſertum videtur, opus eſſe, vt talis excommunicatus in re noſtra cum quo communicatur, denunciatus ipſe ſit. ſic *Nauarr. ſum. lat. cap. 27. n. 112. Henriq. lib. 13. de excomm. num. 1. & 2. Emanuel Sà ſum. verb. excommunicatio in princip. num. 24. Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 48. num. 3.* qui rem notatu dignam cum *Henriquez num. 2.* addit, ſatis non eſſe, ſi ſit quis notorius percuſſor clerici, vt cum eo dicatur alter communicare in crimine criminoſo; quia, quamuis publica percuſſio clerici ſufficiat ad euitationem, non tamen ad communicationem in crimine criminoſo, ad quam requiritur nominata denunciatio excommunicati per *cap. Nuper* ſupra citatum, quæ conditio in caſu noſtro minimè reperitur, vt patet.

13 Septima aſſertio. In foro externo, etiam ſi quis ſacrum habens ordinem, verbo tenus, ſine intentione contrahendi fictè contraheret prædictas incurreret cenſuras: ſic *Soar. num. 18.* cui ſubſcribo; præter quàm in eo caſu, in quo poteſt ficta illa intentio probari ex varijs ſignis in hoc eodem foro, ſiue ex metu graui, ſiue ex ignorantia, ſiue aliàs inuitè id factum fuerit; ſecus ſe haberet res in foro interno, in quo cenſuras non incurriſſe cenſendus eſſet Sacerdos, vel. grat. vel religioſus, ficto contrahens animo, quod indicat *Gloſſ. Clement. citata verb. matrimonialiter, ibi Imol. num. 8. Couarr. lib. 4. decretalium 2 part. cap. 3. §. 2. num. 8. cum Adriano in 4. de mat. quæſt. 11. accedit Soar. de cenſur. diſp. 23. ſect. 5. num. 17. & Sanch. de mat. lib. 7. diſp. 48. num. 9. apud quos alij.* Ratio primæ partis à fortiori demonſtrabitur, mox, dum in alio ſenſu quæſtionem hanc agitabimus; & ſanè cùm externè eodem quis pacto contrahere videretur, ac ſi veram haberet intentionem contrahendi, ni hæc vt contraria ſenſibilibus alijs ſignis innoteſcat in foro externo, quod de internis minimè iudicat, cenſuris cenſendus hic eſſet ligatus. Ratio ſecundæ partis eſt, quòd ſolam contrahendi actionem ſacri prohibent canones: atqui deficiente intentione contrahendi, deficit

14 contractus, ergo, &c. Locutus conſultò ſum de fictè contrahente, ideſt de illo, qui fictè promiſit alteri matrimonium, verbo tenus, abſque animo ſe obligandi, & verè promittendi, quod euenire per mendacium ſine dubio poſſe apud omnes incomperto eſt; nihil enim repugnat, quempiam his verbis vti *promitto me tibi in maritum, vel in vxorem, vel tibi dare centum*, quin animum habeat ſe obligandi, ideſt verè promittendi, quando neque in re noſtra obligabitur, neque ad matrimonium, neque ad ſponſalia, vt vult *Sanch. lib. 1. diſp. 9. num. 3.* Quòd ſi non in hoc ſenſu quæſtio ſumatur, ſed in alio, in quo ſolent ſimilem diſputare, Auctores, nimirum, num quis poſſet animo promittendi aliquid alicui ſpondere, non autem animo ſe obligandi; quem caſum poſt multos, quos citat laudatus *Sanchez* non modò admittit *lib. 1. ſponſal. diſp. 9. num. 4.* verùm *nu. 5.* ſponſalia hæc vera non eſſe docet, & quia conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij, etiam mente retenta ipſum annullat; licèt verba adſint, atque intentio contrahendi: & quia obligatio ex propria voluntate hic reſultare deberet, quæ ſupponitur non adeſſe, cùm per priuatam legem nolit promittens eam contrahere. Et quamuis certum habeam, ſi clericus promittens, animum haberet ſe obligandi, non tamen implendi promiſſum, promiſſione ipſum teneri; ſicut etiam, ſi explicitè noluiſſet ſe obligare, & ſciens naturam promiſſionis voluit reuera promittere, & ſi tempore promiſsionis, & contrahendi matrimonium expreſſam ſe obligandi habuiſſet voluntatem, eſto mox eam mutauerit, & conſequenter vbi ſcienter id fecerit excommunicationem, vt ſupra contraxiſſet, neque in his vlla poteſt eſſe dubitatio, in quibus, vel inter ſe, penes cætera, contrarij Auctores, conueniunt vt *Sanch. citatus num. 2. & Vazquez citandus num. 1.* ſententiam tamen Sanchez, quam ſuppreſſo nomine refert *Vazq. 4. tom. in 3. par. tract. de Sacram. matrim. diſp. 6. c. 1. ex eodem c. 2. n. 12.* non dicam omni deſtitutã fundamento, tã theologico, quã morali philoſophico, ſed tantùm non veram, neque ex fundamento

damento ipſius *Vazquez*, cui tantùm eſſe roboris non arbitror, ſed ex proprio mox ſubijciendo *Vazquez* itaque promiſſionis eſſentiam primùm in eo ſitam eſſe putat, vt ſit affirmatio, & enunciatio quædam alicuius rei in futurum faciendæ, ei inſinuata, in cuius gratiam, & vtilitatem, ſeu obſequiũ res facienda eſt: ex qua ſola, iure ipſo naturali, reſultat obligatio rei exequutioni mãdandæ, quæ quidem enunciata fuit vti facienda, ita vt promiſſio ſi Deo fiat, hoc actu loqutionis aſſertiuæ, qua cum Deo loquimur per intellectum perficiatur, noſque ei obliget; ſi autem fiat homini verbis, ſignisque conficiatur ſenſibilibus, quin propoſitum, vel aliquis alius actus ſe obligandi ſupponatur in voluntate diſtinctus, ab actu, quo vult illa verba proferre. Quamobrem idem erit in hac opinione promittere, quã alicui, vt ſupra dictum eſt loqui, ergo ſicut impoſſibile prorſus eſt, poſſe quempiam aliquid contra alicuius famam loqui, ſine voluntate eum infamandi, ſic nec etiam poſſe verè promittere, ſine voluntate ſe obligãgandi; ſicut enim infamatio, in verbis ſita eſt, & qui voluntariè talia verba profert, non poteſt non velle illa proferre, nec alterum non infamare, ſic promiſſio in verbis ſita pariter eſt, ac ſignis, quibus aliquid ſe quis promittit facturum, & voluntariè illa proferens non poteſt non promittere. Cęterùm parùm virium huic ratiocinationi eſſe, ſi nihil addatur arbitror; vltrò enim *Sanchez*, *Auctoreſque citata ſententia*, etiam admiſſa definitione Vazquez concederent, promittere idem eſſe, ac talia verba ex animo dicere; negarent tamen, non poſſe alicui animum verè promittendi ineſſe, ſine animo non ſe obligãdi, quod erat probandum, ad euerſionem contrariæ ſententiæ, aſſerentis, poſſe quempiam animum, & voluntatem habere promittendi abſque animo ſe obligandi, vt *Vazqu. cap. 1. num. 3.* fatetur, qui idcirco *cap. 3. à num.* 20. quid diſtinctum eſſe docet promiſſionem, ab obligatione ſeruandi veritatem in promiſſis; nã promiſſio, ſicut aſſertio, eſſe poteſt ſine veritate, ſi nòn impleatur promiſſio; quæ quidem ſicut aſſertio eſt actio quædam humana; obligatio autem eſt ius ipſum naturale, quo tenemur omnes ad ſeruandam veritatem in noſtris promiſſis, non ſecus, atque in noſtris aſſertionibus. Verùm enim verò non video, qua ratione in hac Vazquezij ſententia, cum eadem aſſertione de futuro, quæ indifferens eſt ad ſignificandum, & exprimendum ſolum propoſitum aliquid faciendi, & promiſſionem obligatoriam, poſſit independenter ab alio actu voluntatis volentis ſe obligare, & promittentis, aliquan do connexum eſſe ius naturale, illam faciendi aſſertionem veram, quando nimirum eſt cenſenda promiſſio; aliquando autem non eſſe connexum, dùm ſcilicet indicatur eſſe propoſitum. Neque par ratio eſt, hac poſita ſententia Vazquez, inter aſſertionem de præſenti, & ſuam veritatem, atque inter aſſertionem de futuro, & ſuam etiam veritatem; etenim cùm veritas enunciationis conſiſtat in conformitate ſignificatus ſignorum cum mente, non poteſt quis aliquid ſignificare verbis, ex gratia, quin teneatur obligatione naturali verum dicere, cui aduerſatur mendacium; quod ſi expreſsè vellet ita enũciare, vt ad veritatem dicendam, nollet ſe obligare; ſtulta profectò eſſet talis voluntas, at verò aſſertio de futuro his explicata, *faciam hoc*, cùm æquè ſignificare poſſit propoſitum, id præſtandi, ac veram promiſſionem, obligationem inuoluẽtem, poterit vtique enunciari quidpiam de futuro faciendum, ex animo enunciandi, & faciendi, abſq; animo ſe obligandi, in hac *Vazquez* opinione, aſſerente ſitam eſſe promiſſionem in ſola enunciatione indicata aliquid faciẽdi alteri, cui prodeſt; quæ quidem enunciatio à me explicata ſuam ſanè habebit veritatem de præſenti, ſi enuncians habebit animum promittendi, illamque rem faciendi; habebitque pariter de futuro ſi fiet; ſecus ſi non fiet. Huius rationis vi adeò videtur mihi *Vazquez* perſtrictus vt *num.* 24. ferè det manum. Quòd ſi enunciationem de futuro diſtinctam eſſe reſpondebit, ab hoc, quod per verbum *promitto* ſignificatur; quippe quod voluntatem ſe obligãdi neceſſario inuoluit, palinodiam videtur canere *Vazquez*; cùm non in ſola aſſertione, enunciatione, atque aſſertione de futuro, vltrò fateatur promiſſionem conſiſtere, quod contra ipſius definitionem eſt. Ex hoc autem vlterius in eum deduco, falſum admodum eſſe, quod ille contendit, promiſſionem nempe veram ita verbis conſumari, ac perfici, vt eo ipſo, quo quis ſe facturum aliquid enunciat, teneatur, independenter ab alio actu ipſius voluntatis, eam adimplere; nec poſſit hãc obligationem non contrahere; quod verum profectò eſt in noſtra ſententia, vt mox aperiam. Res igitur facienda, ſi exprimatur per verbum *promitto*, in ſua proprietate expreſſum, & ni fiat non modò indecorum quid habet, per mendacium, quo facta non reſpondent dictis (vt proſequitur *Vazquez numero* 25. *&* 26. nec ipſe diſſentit, ſed quia difformitatem habet cum natura rationali, vt tali; quòd fidem, propria deuinctam voluntate efficaci, qua alteri nos obligamur, non ſoluamus; quæ quidem malitia propria eſt infidelitatis, diſtincta ab altera

ra prius iudicata; quæ etiam qualiſcumque illa fuerit, poterit eſſe contra nudum propoſitum. Quamobrem facilè conceſſerim Vazqueſio, indecorum *eſſe*, & cũ ratione pugnãs, non conformare facta dictis, abſolutè ſumptis, & quidem per mendacium; non ſecus, ac non conformare verba menti, verùm hæc diſconuenientia cum reperiatur etiam quando quis dixit ex ſolo propoſito, aliquid ſe facturum, non poteſt conſtituere diſſonantiam cum natura rationali, vt tali, propriam infidelitatis, qua minimè ſoluimus propriam fidem obligatam propria efficaci voluntate, immutabiliter ſe obligante, atque apud homines explicata per verbum *promitto*, communi vſu receptum atq; explicatum *Inſtit. de rer. diuiſ. §. per traditionem*. *Nihil tamen conuenieus eſſe naturali æquitati quam voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre, ratam habere*.

15 Vt igitur veritatem explIcem, & qua prorſus appareat pugnantia loqui Aſſerentes, poſſe quempiam velle verè promittere, & nolle ſe obligare ſi naturam promiſſionis nouerit. Adnoto ad quamcumque promiſſionem Deo, ſiue homini factam, ſatis non eſſe propoſitum aliquid faciendi. Ratio autem à priori eſt, quod facere aliquid, & ſe ad illud faciendum obligare, diſtincta ſunt obiecta, vt compertum habent *Diuus Thomas de vot. art. 1. & 16. Caiet. ibidem Altiſiodor. lib. 3. ſum. tract. 28. quæſt. 1. Bonauent. in 4. diſt. 38. quæſt. 1. Sot. lib. 7. de iuſt. quæſt. 1. & 7. alyq. apud Recentiores*. Deinde noto promiſſionem ſiue Deo factam, quæ eſt votum, ſiue homini, aliquando ſtare pro ipſamet obligatione, ſeu morali vinculo, quod in promittente perſenerat, quaſi habitu, étiam quouis tranſacto voluntatis, vel intellectus actu, cui vinculo ius reſpondet ſiue Deo quiſitum, ſiue homini, cui deſtinata promiſſio eſt: aliquando ſumi pro efficaci voluntatis actu, quo quis ſiue Deo, ſiue homini ſe vult obligare, à quo immediatè hæc ortum ducit obligatio: penes primum ſenſum *Diuus Thomas citat art. 1. Votum* (dixit) *quandã obligationem importat ad aliquod faciendum, vel non faciendum: & clariùs ſupplementum Gabrielis quæſt. 1. art. 1. Promiſſionem* (ait) *eſſe obligationem adimplendi propoſitum* Promiſſio igitur, pcpriè dicta, vt obiectum, aliũ actum non habee, ſed quam modò declarauimus obligationem, quæ vt voluntaria rectè dici poteſt effectus explicati actus efficacis voluntatis. Cùm itaque quis enunciat hæc verba, *volo promittere, vel volo vouere*, vel aliquid indicat futurum, à ſe faciendum, & tunc accipitur votum in ſecundo ſenſu, pro actu voluntatis efficacis, qui eſt obiectum alterius actus antecedentis expreſſi per *Tò volo*, qui hic, & nunc exiſtit in volũtate, qui quidem reſpectu alterius poteſt aliquo pacto dici reflexus, ille verò poſteà faciendus dici directus; vel indicat aliquid præſens, quod exercitè fit, & habet vt obiectum votum ſumptum in primo ſenſu, pro obligatione ipſa, eſtque hic actus voluntarius, & ſpontaneus voluntatis, efficax ideſt conſtans, valenſque rem faciendam exequutioni mandare, quippequi & eſt vera promiſsio, & exercitè eſt actus voluntatis, quo dicimur formaliter promittere, ſicut amor eſt actus, quo quis exercitè vult amare; qui quidem eſt amor in fieri, & vt quo eſt volitus, atque intrinſecè immediateque voluntarius. Præter hunc igitur actum efficacem voluntatis ad votum, mihi certum eſt, alterum non requiri, vt probè docent, ac probant *Scot. in 4. diſt. 38. quæſt. 1. ſuppl mentum Gabriel. quæſt. 1. art. 1. & aliÿ quos ſequitur Suar tom. 2. de relig. lib. 1. de voto cap. 13. à nu. 5. ac deinceps*. De promiſſione autem humana licèt probabilis admodum ſit ſententia docens, promiſsionem internam in actu voluntatis, quem explicaui, ſitam, ex ſe, ſine alio ſigno expreſſam, efficacem quidem eſſe ad obligationem iure naturali inducendam, ſecluſa iuris ciuilis diſpoſitione, atque obligare in conſcientia ſic donantem, vel promittentem per actum internum, ad eius manifeſtationem ſignis ſenſibilibus faciendam, donatario, vel promiſſario vel cui deſtinata eſt promiſsio, aut donatio, vt docuit *Ledeſma 2. 2. quæſt. 18. art. 1. dub. 13.* ex fundamento tamen adducto à *Molina de contrac. diſp. 266 à num. 5.* quo ſuum hæc ſententia robur habet; magis tamen recepta conſenſu Doctorum videtur opinio *Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 88. art. 1.* manifeſtationem ad obligationem inducendam, etiam iure naturali neceſſariò requirens; nam eſto promiſsio facta homini vires ex efficaci habeat actu voluntatis, quo quis ſe vult deuincire; nihilo tamen minus debet hæc, natura ſua, eſſe promiſsio vel donatio cognoſcibilis. Quamobrẽ vim externa promiſsio ſibi vendicat ab interno actu; at verò hic conditionem ſuam, nempe manifeſtationem neceſſariò requirit, ſine qua completa caret ratione obligationis ſenſibilis, homini, cui fit, proportionata. His itaque in hunc modum conſtitutis, caſum ſupra notatum poſſe nimirum quempiam, promiſsionis naturam callentem, velle verè promittere, & nolle ſe obligare dicimus eſſe omnino impoſsibilẽ, vt contẽdebat *Vazquez citatus, ac docuit etiã Soar. ſermonem habens de vot. lib. 1. cap. 3. nu. 10. ex Diuo Thoma fauente in 4. diſt. 38. quæſt. 2. & alÿs apud eundem*. Huius autem veritatis ratio manifeſta eſt; etenim vel promiſ-

ſio

ſio ſumitur pro ipſamet obligatione,idemq;
erit velle promittere,ac velle ſe obligare;vel-
le promiſſionem,ac velle obligationem: vel
pro actu efficaci ſe obligandi, ex quo manat
obligatio, vt ſupra explicatum eſt, idemque
erit exercitè promittere , atque exercitè ob-
ligari,ſeu ſe velle obligare;igitur impoſſibi-
le prorſus eſt,velle quempiam verè promit-
tere,& nolle ſe efficaciter obligare; de qua
voluntate efficaci,& non de velleitate,vt ad
oculum patet,ſermo nobis eſt;nam pugnan-
tia inter ſeſe,efficaci non poſſunt voluntate
volita eſſe,& ſi diſtinctis actibus eſſent volita
non ſecus,ac ſi vno, quo ad impoſſibile ten-
dere non valet voluntas;ſicut neque intelle-
ctus ad obiecta contradictoria;quo circa qui
ſic vellet promittere , ſiſteret ſolum in voca-
bulo promittendi, neque reuera promittere
poſſet,immo mentiretur;cum ſecundum vſi-
tatum ſenſum verbi *promitto*,quo ſignificari
ſolet obligatio,ſine actus efficax internus ſe
obligandi , illud proferret contra mentem
qua nouit,nolle ſe obligare . Vt igitur vndè
digreſſa reuertatur oratio , de ſacro ordine
inſignito fictè promittente , non autem de
eo, qui animo promittendi , non autem ſe
obligandi(quem caſum dicimus impoſſibi-
lem ſcienti naturam promiſſionis)nos in aſ-
ſertione meritò loquuti ſumus Quid autem
ſentiendum ſit de validitate fictè promitten-
16 tis matrimonium noſtra non intereſt . Il-
lud ſolum ex hac digreſſione colligere li-
bet contra *Vazquez*,neque promiſſionem in
verborum aſſertione,ſeu enuntiatione de fu-
turo ſola conſiſtere , etiam in ſententia do-
cente per internum ſolum actum , iure na-
turali , promiſſionem non inducere obliga-
tionem , ſed præterea requirente externam
ſignificationem,vt autem ex *Diuo Gregorio*
probè notatur *Cap.Humanæ aures 22. quæſt.
5. In huiuſmodi actibus humanis non tantum
eſſe verba conſideranda,ſed voluntatem,& in-
tentionem ; quia non debet intentio verbis de-
ſeruire , ſed verba intentioni l. Obligationem
1.ff. de act.& obligat*;& quamuis neceſſaria
ſint verba , vt probabilius iudicauimus, &
plerunque directa,atque ei inſinuata , cui fit
promiſſio , non tamen ſemper id putamus
neceſſarium;cum mediatori inter hoſtes pa-
cē tractanti, ſi quis promitteret, nō amplius
ſimultates exercere,ſed pacem facturum,re-
uera ſe obligaret,neque in commodum , vel
vtilitatem mediatoris, cui id promiſit , ſi-
demque deuinxit quod eſt contra definitio-
nem allatam à *Vazquez*.Puto igitur ei Pro-
miſſionem externis declarandam eſſe ſignis,
ad quem voluntatis actu eam ordinauit pro-
mittens , ſiuè mediatè , ſiue immediatè ; eſt
enim etiam voluntatis,aliquo pacto, ordi-
nare media ad finem:ſubditum ad ſuperio-
rem,maritum ad vxorem &c.vt probè *Suar.
lib.1.de vot.cap.13. num.4.* Itaque in foro ex-
terno,vt ad propoſitum redeam,ſolus cleri-
cus ordinatus fictè promittens has incurret
17 cenſuras , ſecus in foro interno . Et quam-
uis Eccleſia actum externum,ſecundum ſe
non malū,neq; abſolute alias prohibitū non
poſſit prohibere,ne praua intentione fiat;&
conſequenter cenſuram in eum ferre non
poſſit,qui praua intentione aliquem huiuſ-
modi actum faceret;quippequi quà exterior
cum in ſe ſit bonus , ſolus prohiberetur , &
puniretur , vt internus ab illa , quod vide-
tur eſſe extra ſphæram ſuæ facultatis ; nam
Eccleſia cum viſibilis , ac ſenſibilis ſit, ſicut
directè poteſtatem in alios non habet,quam
in homines ſenſibiles,neque aliter in animas
directe,quam vt informantes corpora ; ita
pariter nec aliàs in actus internos;vt deduco
ex *Sancto Thoma 1.2.quæſt.91.art.4.Palud.in
4.diſtinct.17.quæſt.2.art.2.& diſt.15. quæſt.5.
art.2.Gabriel ibidem quæſt.2. dub.5. Durand.
diſt. 17.quæſt. 8. & alijs,quos laudant , ac ſe-
quuntur Recentiores* nihilo tamen minus
certum mihi eſt(nec facile intelligo qui ne-
gari poſſit,neque ab his qui nimis religioſe
omne pene dominium in actus internos ab
Eccleſia abdicant)poſſe illam prohibere , ac
per cenſuram ipſo iure actionem externam
punire ,alioquin malam, vt procedentem
tamen ex tali intentione ; quæ ex illa vel per
ordinem ad illam ſuam habet malitiam ta-
lem,quodque de facto ſæpe præſtat;& vt cæ-
tera vno comprobem exemplo , violatio
clauſuræ monialium ad malum finem , quæ
quidem intentio mali finis , varias ob cir-
cumſtantias,opere externo etiam malo de
ſe indicaretur,vt habetur in *decreto Congre-
gationis regularium viuæ vocis oraculo Cle-
mentis Octaui comprobato*,affecta quidem eſt
excommunicatione Papæ reſeruata;atque
hac eadem regula Doctores explicare ſolent
canones,legeſque in delicta , non quomodo-
libet pœnas ſtatuentes,ſed in ea, modum ex
parte intellectus vel voluntatis inuoluentia,
ac patrata ex contemptu,vel præſumptione
& ratio eſt,quòd in tali exteriore actu,libere
facto,penes cætera,ſufficiens ineſt ratio ma-
litiæ prohibitionis,& pœnæ; quod ergo Ec-
cleſia ſuam limitat prohibitionem,& cenſu-
ram ad illum eundem actum , non abſolutè,
& quomodolibet factum , ſed vt manantem
ex hac,vel illa intentione , benignitatis po-
tius eſt , qua ſuæ poteſtatis circumſcri-
bit vſum; cum potuiſſet illum actum ex-
ternum abſolutè à quauis intentione ma-
nantem prohibere ; neque illa intentio obie-
ctum eſt,ad quod directè tendit cenſura , ſed
potius ratio eamdem coarctandi . Itaque
cum pœna impoſita talis ſit, vt ſine ſtrepitu
foren-

Clementina hæc, tum alia, quæ ſupra enumerauimus, iura non puniunt inceſtuoſam copulam, ſed ſolum matrimonij contractum, quod matrimonium perfectum eſt ante conſumationem per copulam; ſic ſentiunt *Gloſſa Clement. Vnica. verb. contrahere, & ibi Imol. num. 9. Angelus verb. excommunicatio 7. caſ. 41. num. 41. & 76. num. 2. Petrus de Ledeſm. de de matrim quæſt. 50. art. 9. dub. 1. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 48. num. 6. Soar. de cenſur. diſp. 23. ſect. 5. num. 20. & ex Canoniſtis nonnulli apud Panormit. Cap. Si quis de cler. coniug.* & confirmatur quia per talem extractum exercuit hic actum contrarium clericatui, quod ſponſam ſpiritualem habens carnalem ſibi comparauit vxorem.

Ex quo ſequitur incurriſſe in ſuſpenſionem, de qua omnia tractant iura illius tituli, de clericis coniugatis: ſuſpenſionem, inquam à beneficijs, quibus vt infra: hoc videtur contractu renunciaſſe, eaque habere pro derelictis *Argum. Cap. Extranſmiſſa de renunt. & Cap. Cum renunciatur 32. quæſt. 1.* Et quamuis nomine vxoris, quo *Cap. Si quis vtitur de cleric. coniug.* aliaque iura, eodem titulo, nonnunquam veniat ea cum qua matrimonium conſummatum eſt, vt 27. *quæſt. 11. & Matth. 5. Marc. 10. Luc. 6. & 1. ad Corinth. 6. Non licet homini dimittere vxorem ſuam quacumque ex cauſa*, excepta cauſa fornicationis, non tamen ſemper cum dimittere per ingreſſum religionis poſſit vxor matrimonio non conſummato ex *Cap. Ex publico de conuer. coniug.* locum citatum Matthei exponente, & faciet *cap. cum initiatur 27. q. 2. & cap. finali de ſponſ. duor. cap. cum innitamur. cap. coniuges cap. coniugium 27. q. 2. & Matth. 1. Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ. Et noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Secunda pars probatur, quòd pœna contrahentibus matrimonium appoſita non officit, tantum contrahentes ſponſalia; quippe quæ in odioſis, nomine matrimonij, haud comprehenduntur; neque vxoris nomine venit ſponſa, vel ſponſæ nomine comprehenditur vxor per ſtatutum, cuius verba propriè intelligenda ſunt *cap. in noſtra, & ibi Innocent. de iniur. l. 3. §. hæc verba, ibique Bartol. ff. de neg. geſt. Anton. Rubeus de ſponſal. nu. 4. & l. Non ſine C. de bonis quæ liber. adſtipulatur Abbas tum modo citatus, tum cap. Tertio loco de præſump. in fine, & cap. ex publico de conuer. coniug. nu. 9. & Rubric. de ſponſal. num. 5. alijque quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 1. de ſponſal. diſp. 1. num. 2.* Hanc autem concluſionis partem docent *Gloſſ. Clem. 1. de conſang. verb. contrahere, & ibi Stephan. & Paul. apud* Cardinal. *ibidem qu. 18. & 19. ibidemque Hoſtienſ. & Anton. num. 15. Silueſt. excommunicatio 9. caſ. 41.* Caiet. *verbo excommunicatio cap. 47. Nauarr. ſum. cap. 27. num. 142. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 48. num 6. Suarez. de cenſur. diſp. 23. ſect. 8. num. 20.* Tertia concluſionis pars conſtat, quia tametſi fere omnes Auctores citati, apud quos etiam alij, ſecundam, quam probauimus, partem limitant, vt vera non ſit, quando poſt ſponſalia de futuro copula affectu ſequatur maritali; verum hoc ita ſe habebat, iure antiquo ex *cap. is qui fidem de ſponſalib.* quando ſponſalia per eam copulam in matrimonium tranſibant; at cum in præſentia per *Trid. ſeſſ. 24. de matrim: cap. 1.* minime tranſeant, in hanc non incurri excommunicationem per ſponſalia de futuro, qualicumque copula ſequuta, dicendum eſt. ſic *Nauar. ſum. cap. 27. num. 141. Graſ. 1. part. deciſ. lib. 4. cap. 14. num. 15. Petrus de Ledeſma de mat. quæſt. 55. num. 1. in dubio quod mouet ad ſolutionem ad 7. argum.* Quarta noſtræ aſſertionis pars. non ſatis nimirum eſſe ad hanc excommunicationem incurrendam matrimonium clandeſtinè initum abſque Parocho, ac duplici teſte, probatur quod hic contractus in præſentia, vera matrimonij caret forma, neque legitimum habet conſenſum, ob clandeſtinam, qua laborat, rationem ſic *Petrus de Ledeſ. de matrim. quæſt. 65 art. 9. dub. 1. in dubio quod mouet in ſolutione ad quartum Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 9. Sanch. lib. 7. de mat. diſp. 48. num. 8.*

21 Nona aſſertio. Epiſcopus, vel quilibet in ſacris conſenſum præſtans in matrimonium de præſenti, fœmina non conſentiente, in foro interno excommunicationem non incurrit. Hæc aſſertio ſecundam præcedentis partem probat, ac defenditur à *Sanch. lib. 7. modo laudato num. 10.* Ratio eſt, quia Clementina hæc matrimonium punit initum, contra ipſius prohibitionem; ſed alterutrius deficiente conſenſu, non ſubſiſtit contractus, neque matrimonium contra prohibitionem eſt dictæ Clementinæ; ergo &c. ita docent *Cardinal. in hac Clement. queſt. 3. Imol. nu. 8.* Dixi in foro interno; nam in externo, probandus eſſet diſſenſus, vt de furioſa, vel de impubere facilè poſſet.

22 Decima aſſertio. Excuſat pariter ab his cenſuris, ſi matrimonium metu viri conſtantis contrahatur; vt in ſimili diximus *diſp. 4. cap. 4. num. 28. & probaui eadem diſput. cap. 1. num. 14. & 15.* Quamuis faciliore negotio vt *cap. 4. num. citato* indicaui in his caſibus poſſet quis à conſenſu interno abſtinere, qui non innoteſceret vim & metum inferenti; ob cuius conſenſus defectum non incurreret in excommunicationem, vt probauimus *aſſertione præcedenti*. Docent hanc concluſionem *Gloſſa dicta Clementina verb. matrimonialiter, Card. ibi num. 14. quæſt. 27. Anchar. nu. 8. Emanuel Sà ſum. verb. excommunicatio num. 10.*

Nauarr.ſum. cap. 27. in lat.num.142. Sanch. lib.4.de mat.diſp.48.num.12.

23 Vndecima aſſertio. Non ligatur hac excommunicatione falsò putans ſe eſſe in ſacris, & contrahens matrimonium. Ratio eſt, quia reuera cum tali impedimento non contraxit, neque Clementina prauam voluntatem internam tantùm punit, vt *num.* 17. indicaui, ſed opus externum ex illa promanans; ita neque ſubiret excommunicationem quis Paulum, quem percutit, falsò exiſtimans eſſe clericum; ſic Doctores paſſim, præſertim *cap. ſi verò il 2. de ſent. excom. cum Gloſſa ibi verb. ignorauerit. Nauarr. cap. 22. num. 43. Ledeſm. de mat. quæſt. 55. art. 9. dub. 1. paulò ante ſolutionem ad argumentum, Sanchez modò laudatus num. 18.*

24 Obijcies, non ligatur hác excomnicatione falsò putans ſe in ſacris eſſe; qui matrimonium contrahit; ergo ligabitur, qui cum ſit in ſacris, falsò putat non eſſe, & contrahit: quod eſt contra *nu. 2. ac deinceps*. Reſpondeo negando illationem, quia non ſolum requiritur contractio matrimonij ab ordinato, ad hanc incurrendam excommunicationẽ, ſed voluntariè, & cum neceſſaria notitia habita: in primo igitur caſu non contrahitur excommunicatio, defectu primæ conditionis requiſitæ: in ſecundo defectu ſecundæ.

25 Cætera verò ad exactam huius Clementinæ dilucidationem neceſſaria, ad noſtrum tamen propoſitum non ſpectantia, videnda ſunt apud *Nauarr. ſum. cap. 22. num.* 45. *Caiet. ſum. verb. excommunicatio cap.* 47. *Sanchez laudatus à num. 14.*

26 Illud non eſt prætereundum hanc excommunicationem Clementinæ nulli eſſe reſeruatam, conſenſu Doctorum apud *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 48. num. 1.*

CAPVT III.

De ſpecialibus ſuſpenſionibus ad arcendam incontinentiam ab Epiſcopis.

S V M M A.

Suſpenſiones ferendæ in Epiſcopum indicantur. num. 1.

Suſpenſio lata per Tridentinum ſeſſ. 25. de reform. ca. 14. *& affertur, & explicanda proponitur, ibidem.*

Nomine Epiſcopi in prædicto decreto Papa non comprehenditur. num. 2.

Epiſcopi, vt à Metropolitanis diſtincti decreto Concilij propriè comprehenduntur. numero 3.

Probabiliter tamen videtur lata in Dignitates, Epiſcopatu maiores. num. 4.

Comprehendit etiam dicta ſuſpenſio Epiſcopos titulares. num. 5.

Non autem Epiſcopos non conſecratos. numero 6.

Expenditur Gloſſa Clementinæ Primæ *in contrarium. num. 7.*

Neque *ſe extendit ad Prælatos Epiſcopo inferiores. num. 8.*

Neque eadem eſt ratio Decreti ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. num. 9

Eſt hæc ſuſpenſio, tum ab officio, tum à beneficio. num. 10.

Eſt lata, & non ferenda. num. 11.

Reijcitur ſententia ſolos Epiſcopos cõcubinarios aſſerens hac cenſura ligari, dicitúrque lata ob ſingula genera quinque actionum in illo decreto prohibita. num. 12.

Requiritur tamen mortalis culpa. num. 13.

Nec emendata ibidem remiſsiuè.

Quid ſit concubinatus, & quis concubinarius tum iure ciuili, tum canonico. num. 14.

Suſpenſio non contrahitur ob quamcumque incontinentiam ab Epiſcopo, ſed ob coniunctam cum familiaritate, & conſuetudine mulieris ibidem.

Detentio domi non cuiuſcumque mulieris eſt prohibita, ſed vel concubinæ, vel eius, quæ ſuſpicionem ingerere poſsit num. 15.

Prudentius faciet Epiſcopus, ſi nullam, nec etiam, matrem ſecum domi habeat, ibidem.

Peculiaris ratio ſuſpicionis affertur, ac diſtinguitur à dubio, opinione, iudicio firmo, atque ſententia. num. 16.

Quæ inditia ad ſuſpicionem, dubiũ, probabile iudicium, & ſententiam requirantur. num. 17.

Iudex ex ſuſpicione condemnans, iniuſtitia laborat. ibidem.

Suſpicionis, atque opinionis gradus primus, in dubio ſitus. num. 18.

Gradus ſecundus conſiſtens in apprehenſione iudicium virtuale inuoluente. num. 19.

Prima regula ad indicia leuia, vel alicuius momenti dignoſcenda. num. 20.

Secunda regula ad indiciorum qualitatem. numero 21.

Tertia regula. num. 22.

Tertius ſuſpicionis gradus in opinione ſitus. num. 23.

Quartus, in uiolenta ſuſpicione certitudinem inuoluente. num. 24.

De tertio ſuſpicionis gradu, opinionem imbibente loquitur Concilium. num. 15.

Aurea Diui Thomæ doctrina radices ſuſpicionis

ris indicantis. num.26.

Nomine conſuetudinis quid veniat in Tridentini decreto. num.27.

Quid ſit conſortium. ibidem.

Vnus, vel alter actus venereus nõ videtur ſatis ad conſuetudinem, de qua admonendus eſt Epiſcopus &c. num. 28.

Quarta actio prohibita remiſſiuè. num.29.

Delictum Epiſcopi admonendi non debet omninò eſſe notorium. num. 30.

Quanam notitia, atque infallibilitate certum eſſe debeat delictum corripiendum Epiſcopi. num.31.

Cæleſtis Canonum doctrina ſeruanda in deferendis proximorum culpis. ibidem.

Clericus notoriè concubinarius licèt puniri alijs pœnis, abſque monitione, tamen priuari beneficijs non poteſt. num. 32.

Concubinatus certis probationibus, quando ad priuationis pœnas proceditur, probandus ibidem.

Admonitio ex Hieronymo *ad Epiſcopos. numero.33.*

Eſt omninò neceſſaria vna monitio ad ſuſpenſionem. num. 34.

Non eſt cur doleant Epiſcopi ob hanc cenſuram. ibidem.

Quæ emendatio deſideratur in Epiſcopo ad non contrahendam cenſuram. num. 35.

Qua ignorantia excuſaretur à ſuſpenſione Præſul. num.36. remiſſiuè.

Excuſabitur à metu graui. Vbi de hoc eodem metu excuſante à præcepti Eccleſiaſtici obligatione. num.37.

De metu necnè excuſante remigãtes Chriſtianos apud Turcas contra Rempublicam Chriſtianam, ibidem. Et num hi excuſentur ab obligatione præcepti diuini. numer.38.

Etiamſi metus fuerit ab intrinſeco, cadens tamen in conſtantem virum excuſaret ab hac ſuſpenſione. num.39.

Scandalum quod inde naſceretur Epiſcopum etiam excuſaret. num.41.

Regula generalis ad caſus ſimiles decidendos. num.40.

A fortiori hæ rationes excuſantes à cenſuris in alijs præceptis humanis locum habent. num 42.

Poſſet verè excuſari in foro interno Epiſcopus, veris non ſtantibus cauſis monitionis, & cenſuræ, ſecus in externo. num.43.

1 OMiſſis contra clericos concubinarios varijs ſuſpenſionibus ſaltem ferendis, de quibus agere, cum noſtri non ſit inſtitui, videndæ ſunt in *cap. Vltim. de cohab. cleric. & mulier. cap ſi quis ſunt Preſbyteri 81. cap. Nullus, & cap. Preter 32. diſt. cap. Vltimo 15. quæſt. 8. Sacerdos diſt. 50. vbi Expoſitores nec nõ Couar. in cap. ſi furioſus part. 1. §. 1. nu. 5. Nauar. in ſum cap. 25. num. 70. 27. & 154. atque in alijs apud Suar. de cenſ. diſp 31. ſect. 4. num. 4.* omiſſa etiam ſuſpenſione in Epiſcopum, carnaliter eam agnoſcentem, quam ante ordinationem habuit in concubinam *cap. Vltimo diſt. 33.* quæ videtur potius ferenda e ſimili loquendi modo *cap. Quoniam 32. quæſt. 2.* vt multi Expoſitorum, nec nõ alij docent, eam animus eſt expendere, quæ ſine nulla controuerſia lata eſt à *Trident. ſeſſ. 25. de reform. cap. 14. his verbis. Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint, & à Synodo prouinciali admoniti ſe non emendauerint, ipſo facto ſunt ſuſpenſi, & ſi perſeuerent etiam ad Sanctiſſimum Romanum Põtificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem ſi opus erit in eos animaduertat.* Hanc igitur, ex qua multa ſcitu digna innoteſcent varijs annotatiunculis hoc quidem capite contentis quibus mihi ad ſequentem diſputationem, & ſanè per neceſſariam ſternitur iter, conſilium eſt explicare.

2 Primò, vt certum ſuppono, Epiſcopi nomine non venire Romanum, ſummum nempè Pontificem; quippequi ſuperiorem in terris non habet *cap. Cuncta per mundum 9. quæſt. 3.* Quamobrem non ab homine modò, vt per ſe patet, ſed neque ab humano iure ligari poteſt, cui non eſt abſolutè ſubiectus: & quamuis, vt Princeps legibus à ſe ipſo latis directiua vi, aliquo pacto valeat obligari, ſecus autem vi coactiua, ad quam cenſurarum facultas ſpectat, vt probè *Bellarmin. libr. 2. de Roman. Pontif. cap. 12. & ſequentibus, præſertim 30. Nauarr. in cap. Nouit de iud c. num. 3. 78. & 142. Soar. de cenſur. diſput. 5. ſect. 1. numer. 27. & 28. Idcirco libr. 1. diſputation. 1. capit. 1. num. 13* Nomine Epiſcopi Romanum Pontificem in pœnalibus nunquam comprehendi conſultò docui.

3 Notandum ſecundò, tametſi eadem de alijs dignitatibus, Epiſcopali maioribus, ratio eſſe videatur, ac de Epiſcopali, quippe quas comprehendi Epiſcopi nomine *lib. 1. diſp 1. cap. 1.* diximus; verùm quia *Tridentinum* admonitionem à Synodo prouinciali habendam præſcribit, cui quidem ex multis Epiſcopis conſtanti, Metropolitano cogenti, aliqualis Epiſcopos dirigendi, & in foro etiam externo aliquo pacto corrigendi poteſtas eſt, non tamen erga Archiepiſcopos, vel Metropolitanos; ideo tantùm Epiſcopos, vt ab hiſce diſtinctos, hoc Tridentini decretum videtur comprehendere. Confirmatur, quia ex profeſſo in prouinciali Synodo cõtra Epiſcopos agitantur cauſæ, de quorum

moti-

moribus,& vita conſtituuntur teſtes Synodales, cæteraque huiuſmodi iuxta *Cap. Si quoniam.Cap.Si Epiſcopus.Cap.Si quis Epiſcoporum diſtinct.18.& Trident.ſeſſ.24. de reform. cap.5.*atqui hæc in Epiſcopos tantum videntur præſcripta; igitur de his agitur in Tridentino, à quo admonitio præſcribitur huius Synodi, cui ni ſtent, ſuſpendantur.

4 Verum cum prouincialis Synodus duplex ſit, altera, quæ à Metropolitano cogitur ex omnibus ſuæ prouinciæ Epiſcopis *diſtinct.99. Per totam* altera quæ auctoritate Primatis, vel Patriarchæ ex omnibus Epiſcopis, atque Archiepiſcopis, vt fuit *Carthag.*4. ex cunctis Africæ Epiſcopis conuocata, in qua Aurelius Carthaginenſis primus dicitur præſediſſe: ſic Toleti totius Hyſpaniæ ſub Primate Hyſpaniarũ: in Italia ſub Symmaco Papa, ſub Syluestro, & aliæ huiuſmodi, quæ rationalia nuncupantur à nonnullis Concilia; in his ſecundis cum de moribus etiam agatur Archiepiſcoporum, ac Metropolitanorum, mihi certum eſt, quod facta monitione, per Tridentinum requiſita, de incontinentia alicuius, ex his etiam Metropolitanis, neque ſequuta illius emendatione, vel infra talis, cenſendus ſit ſuſpenſus; verum ſicut ſi Epiſcopi monitio haberetur à Diœceſana Synodo, non videretur ſufficere ad ſuſpenſionem contrahendam ab inemendato; quod expreſſe admonitio non Diœceſanæ ſed Prouincialis Synodi præſcribatur à Tridentino: ita neque admonitio Prouincialis Synodi ſub prima ratione acceptæ à Metropolitano coactæ videtur ſatis eſſe ad incurrendam à Metropolitano etiam incontinente cenſuram ſuſpenſionis. Quæ ſpeculatiuè dicta volo, quòd ſtandum eſſe cenſeam conſuetudini, ſi quæ ſit, cõtraria, ſicut in alijs euentis eſſe videtur vel cum aliqua diſpoſitione hę maiores Dignitates comprehendũtur cum expreſſa illorũ mentio fiat, ſic quotidie in pontificijs bullis, & in *Cap.1.de vſur.in* 6.videre eſt, vbi in locantes proprias vſurarijs ædes ſuſpenſio fertur.

5 Notandum tertio comprehendi per hoc decretum Epiſcopos titulares, qui verè conſecrati ſunt, & quamuis in *decreto eiuſdem Concilij ſeſſ.24.cap.6.de reform.* quo facultas diſpenſandi, atq; abſoluendi in caſibus, è delicto occulto prouenientibus in foro conſcientiæ, datur Epiſcopis non veniant Titulares conſenſu Doctorum apud *Suarium de cenſuris diſp.41. ſect.2. num.7. Sanch.de oper. mor. lib.2.cap.11.num.3.* hoc ita ſe habet, quia facultas illa conceditur Epiſcopis, non reſpectu omnium fidelium, ſed propriæ diœceſis ſubditorum, quibus per actualiter applicatam, vel expeditam facultatem carent ſane Titulares Epiſcopi; Verum hæc ratio in hoc alio, quod expendimus, decreto locum non habet, ideoque comprehenſos eſſe cenſemus, hos titulares continentes, ac reliquos in habentes diœceſim eſto, non adeo pernicioſum, vltro etiam fatear, de ipſis ſcandalum ſubditis, quibus actu carent, eſſet futurum.

6 Notandum quarto, videri probabilius Epiſcopi nomine non venire in hoc decreto Epiſcopum non dum conſecratum. Ratio eſt, tum quia cum ſimus in odioſis, ac pœnalibus, à rigoroſa ethimologia nominis Epiſcopi non eſt cur diſcedamus: tum quia *lib. 1. diſp.1. cap.1. num.17.* abſolutè Epiſcopi nomine non venire, niſi conſecratum docuimus, quod maxime vrget in odioſis. Adde præter ibi allatos Textus atque Auctores. *Oldrad. conſ.283.* qui docuit electum in Epiſcopum pœna non comprehendi ſtatuta in *Cap. Auaritiæ*, licet benedixerit populo, ante conſenſum expreſſum præſtitum in electionem. Demum quia Epiſcopus non dum conſecratus ex vi electionis, & conſecrationis ad continentiam ſpecialiori obligatione non tenetur vt diximus *præcedenti diſput. cap. 3. num. 15.*

7 Sed obijcies *Gloſſam in Clement.1. in verb. Epiſcopis* docentem, Epiſcopi nomine etiam electos, confirmatoſque comprehendi, quod etiam docuit *Domin. in cap.1. de iur. iurand. lib.6.* Reſpondeo Gloſſam procedere in materia textus, cui de exercenda iuriſdictione ſermo erat, quam poſſe exercere electum confirmatum conſtabit ex infra dicendis, & ſæpe docuimus, atque vberius ex profeſſo *tom.2.* ſumus dicturi; idemque eſt ſenſus *Domin.* loco citato.

8 Notandum quinto, non comprehendi Epiſcopi nomine inferiores Prælatos; moueor tum quia ex contextu dum prius mentio de clericis habita eſt, & poſtea de Epiſcopis, videtur Concilium indicaſſe. De Epiſcopis loqui, propriè diſtincti ſũt, qua à clericis: nã verba ſecundũ ſubiectam materiã intelligenda eſſe, nullus eſt, qui neſciat *l.Damni infecti ff.de damn.infect.Bald.l.2.C.commod.& ibidem Rub.9.quæſt.C.de contrah.emption.* tum quia in pœnalibus atque odioſis verſamur; qua propter reſtringenda ſunt verba diſpoſitionis, neque in latiori ſignificatione, ſed propriè accipienda, atque explicanda ſunt: neque ratio eſt, cur ad ſignificationem recurramus relatam poſt *Gloſſam ab Angelo in Authent. Vt hi, qui oblig. poſt principium in verb.ad curationem.* Abbatibus vero, alijſque Religiorũ Superioribus alio videtur modo conſultum eſſe per propria ſtatuta, quibus continentia commendatur: tum quia conceſſione fauoribili *Clem. Vnica de foro competenti in 6.adiuncta Gloſſa verb.Epiſcopis* Epiſco-

ſco.

ſcoporum nomine inferiores negat venire Prælatos: demum qua ratione monitio à Synodo, religioſis præſertim ſuperioribus facienda eſſet, qui etiam dicuntur quaſi Epiſcopalem habere iuriſdictionem, haud video.

9 Dices in decreto *Tridentini ſeſſ.24.cap.6. de reform.* Epiſcoporum nomine inferiores etiam comprehendi, ordinariam habentes iuriſdictionem, quaſi epiſcopalem; igitur in hoc etiam. Reſpondeo, quamuis antecedens omnino certum non ſit; cum ex quadam Cardinalium Congregatione, contrarium declaratum eſſe, ſolos nempe illo decreto compræhenſos eſſe Epiſcopos, priuatiuè quo ad alios aſſerat *Soar.de cenſur.diſp.41.ſect.2. num.7.* cui ille ſubſcribit; verum eo dato tanquam vero cum *Henriq. lib. 14. de irregul. cap.18. num.2. in comment. litt.P.& lib.6.de pœnit.cap.16.num.1.Emanuel.2.tom.ſum.cap. 10.num.6.conc.6.& quaſt.regul. tom.1.quaſt. 61. art.9. Sairo in claui regia lib 6. cap. 11. num.83.in fine Auil de Cenſ.part.3.diſput.10. dub.6.Sanch.lib.8.de mat. diſput.2.num.12.& lib. 2.ſum.cap. 11. num.5.* adhuc aſſigno diſcriminis rationem; etenim illud decretum *ſeſſ.24.* eſt fauorabile & ampliandum, non modo quia facultas dilegata ad diſpenſandum, quamuis iure communi minime contenta, fauorabilis eſt, & late explicanda, vt probat *Sanch. lib. 8. de mat. diſp.2. num.1.* & nos diximus *libro 2.diſput.1.cap.4.num.11.* Verùm, quia hæc, de qua illud decretum agit, eſt ordinaria, ſicut idem probat *Auctor num.10.* atque in corpore iuris inſerta, neque à iure exorbitans, quemadmodum nos proſequuti ſumus *libr. ſecundo diſputatione 5.cap. ſecundo à numero decimo, ac deinceps*; at verò hoc, de quo tractamus, eſt pœnale; atque odioſum ideoque reſtringendum.

10 Notandum ſextò, hanc eſſe ſuſpenſionem abſolutè prolatam, quare tũ ab officio, id eſt exercitio ordinis, penes communem Doctorum ſententiam apud *Panor. cap. Cum dilectus de conſuet. num. 20. Sanch.lib.3. de mat. diſp.51.initio Auil.mox citandum*, tum à beneficio, ſic *Soarius* ſpeciatim de hac ſuſpenſione, quam præ manibus habemus *diſp. 31. de cenſ. ſect. 5: num. 24. Auil. de cenſ. 3.part. diſp.5.dub.concl.2.* qui etiam addit extendi ad collationem beneficij, *Henriq.lib.13.de excom.cap. 36. Syluest. verb. ſuſpenſus 5.* Et ratio eſt, quia eſt germanus verborum ſenſus, & quia ni reſipuerit Epiſcopus, à ſummo Pontifice etiam priuari poſſe hàc eadem ſancitur diſpoſitione. Quod ſi inadæquatè à iuriſdictione v.g. & non ab ordine, vel ab officio, & non à beneficio ſuſpendendus eſſet perſeuerante contumacia Epiſcopi, Concilium aggrauaſſet ſanè, eandem paulatim extendendo ſuſpenſionem, vti contra Clericos præſtat, neque ſtatim poſt eam minaretur priuationem, tum denique, quia non nimis videtur rigoroſa hæc pęna tali ſcandaloſo delicto impoſita, cui ſimilis ob locationem ædium vſurarijs factam Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis *cap 1.de vſur. in 6.* præſcribitur.

11 Notandum ſeptimò, hanc ſuſpenſionem, ipſo iure latam eſſe, non autem ferendam. Ratio eſt, quod vtitur Concilium imperatiuo modo, efficaciter illam ipſo facto imponendi, per ea *ipſo facto ſint ſuſpenſi*, de qua formula, nullus eſt Auctorum, qui dubitet non indicare cenſuram latam.

12 Notandum octauò, *Soar. modò laudatum numero 4.* eiuſque fidum ſectatorem *Pilluc.tractat. 17.cap.8. numer. 158.* in Epiſcopum tantùm concubinarium hanc eſſe latam ſuſpenſionem docere. Vt autem veritatem nos exponamus ſole clariorem, nonnulla hic ex præſente Tridentini decreto referenda ſunt. *Probibet* (inquit) *ſancta Synodus quibuſcumque Clericis, nè concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extra detinere, aut cum ijs vllam conſuetudinem habere audeant.* & infra; *Sed ſi poſtquàm eas ſemel dimiſerint intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere, auſi fuerint præter prædictas pęnas, excommunicationis gladio plectantur*: & infra; *Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab huiuſmodi crimine non abſtinuerint, ipſo facto ſint ſuſpenſi*. Ex his autem primum deduco per Tò *huiuſmodi crimine*, quod aliter explicari poſſe non video, Concilium aliud non intelligere, quàm quod ſuperius Clericis prohibuerat: alioquin crimen abſolutè, & in communi prohibitum eſſe dicendum, quod ridiculum prorſus eſſet. Quamobrem ſicut clauſula in principio, in fine, vel in medio poſita, ad omnia referenda eſt diſpoſitionis membra, vt *capit. præcedenti numer. 3. ac deinceps* probauimus, dum eadem de his eſt ratio; ſic à pari hic; cùm non eodem modo, ſed vrgentiori contra Epiſcopos, à quibus potiori iure hoc vitium longiùs arcendum eſt, ratio militet: quo circa probe *Tolet. in ſum. lib. primo capit. 37. numer. 8. in fine*, in hanc incurri cenſuram ab Epiſcopis, ait, per omnes ſupra relatas turpes actiones, clericis etiam vetitas, & mox explicandas. Deinde tres adnotat *citatus Toletus* actiones malas, etiã Epiſcopis prohibitas: prima eſt concubinatus; ſecunda detentionis in domo, vel extra mulieris, de qua ſuſpicio eſſe poſſit: tertia alicuius conſuetudinis cũ eadẽ modo prædicto

habere; quibus addo quartam ex *textu*, reincidentiam, per repetitionem intermiſſi conſortij, vt de Clericis idem aſſerit *Toletus numero ſeptimo § quarto*. Ex his autem, non benè *Soarium*, & *Fillucium* in principio huius notandi citatos ſenſiſſe, deducitur ad ſolum concubinatum, tum in Clericos, tum in Epiſcopos Concilij decretum immeritò coarctantes.

13 Circa has autem omnes prohibitas actiones adnotandum nonò eſt ex doctrina de correctione fraterna, illudque vt exploratum ſupponendum has debere neceſſariò inuoluere peccatum mortale; nam, licèt peccatum veniale materia poſſit eſſe correctionis ex ſe; verùm, neque ſub mortali obligat vt ſic, neque illud tanta ſuſpenſionis pœna, vt mos habet Eccleſiaſticus, dignum eſt, de quo infra iterum dicemus; igitur cum propria correctionis materia, & quidem neceſſaria grauiter obligans, peccatum ſit mortale: huius gradus malitiæ ab illis actionibus abſque dubio attingendus eſt. Præterea non ſatis eſt fuiſſe illas actiones aliquando commiſſas à Clerico, vel Epiſcopo, ſed etiam requiritur, non eſſe emendatas, vel cum periculo, & occaſione coniunctas, vt ſint materia huius diſpoſitionis Tridentini; quæ quidem maximè correctioni fraternæ ſecundùm regulas caritatis innititur, vt eam legenti patebit. Sicut igitur communiter à Doctoribus hæ requiruntur, quas indicauimus conditiones ad peccatum fraternè corripiendum, ſine quibus cùm frater in miſeria non ſit, corrigendus non eſt ex *Gloſſa Capit. Si peccauerit*, aſſerente peccatum præteritum, materiam non eſſe correctionis, conſenſu Doctorum, ſic explicata; licèt poſſit eſſe accuſationis; quòd correctio ad emendationem tendit, quæ iam facta ſupponitur: accuſatio ad pœnam, *Capit. Cùm ex iniuncto de hæretic.* ita in praxi diximus hìc. Nec probo quod ex *Bagnes* docet *Bonacin. de primo Decalog. præcept. diſputat. tertia quæſtione. 4. punct. 7. numer. quarto*, corrigendum eſſe proximum, etiamſi non habeat in præſentia affectum ad peccatum, quippe contrarium indicatur *Eccleſiaſt. 9. Corripe proximum, nè fortè iteret*. Et ſicut proximus ſtatim peragere pœnitentiam non tenetur, eſto affectum ad peccatum habere non debeat, ita neque ipſe illico teneor illum admonere, vt rectè *Abulenſ. in cap. 8. Matth. quæſtion. 83. Syluest. verb. correctio quæſtion. 1. in fine, Reginald. libr. quarto capit. 25. numer. 332. Aloyſ. Turrian. 2. 2. diſputat. 86. dub. 12. Layman libr. 2. tractat. 3. capit. ſeptimo numer. 3. & alij*. Verùm de hac ſequenti diſputatione *capit. 4. numer. 35. aſſertion. 8.* fuſiùs dicemus, ac ſupra etiam indicauimus *diſputation. ſecunda capit. ſecundo numero vigeſimoſeptimo*.

14 Notandum decimò, hìc non eſſe ſermonem de concubinatu proprio, qui non eſt, inter quos prohibetur matrimonium ex *Baldo conſil. 267. Tuſc. concubinatu 1. concluſ. 47.* ſed de improprio, qui iuxta *Gloſſam in leg. Concubinam ff. de concubin. & ex Rota Romana in vna Monaſterij ſancti Manſueti die 27. menſis Ianuarij* 1597. *coram Domino Penna apud Farinac. conſil. 80. & Praxim Curiæ Archiepiſcop. Neapolitan. cap. 35.* licèt de iure ciuili, vt probetur, continua requiratur cohabitatio, communis lectus, & menſa, vt docet *Præpoſ. in rubr. de ſponſal.* verùm in Eccleſiaſtico foro hæc nõ requiruntur; alioquin facitè negocio Clerici Eccleſiaſticas poſſent eludere cenſuras, extra domum concubinas habendo: quocirca conſultò clauſulam illam, *vel extra detinerè*, Concilium appoſuiſſe arbitror; illum itaque Concubinarium, penes noſtrum decretum, dixerim, qui etiam in aliena domo, ita notam fœminam habet, vt eam tanquam ſuam agnoſcat; qua ad libitum, modo penè vxorio, abutatur, quod deduco ex *Syluest. Concubinarius 1. ex Tolet. libro 1. capit. 47. numero 1. Bonacin. de ſuſp. diſputation. 3. quæſtione 7. punct. 4. in principio*: Quare non placet *Diaz in praxi capit. 6.* quippe neque rem explicat, neque conditiones ad concubinatum neceſſarias exponit; in foro autem externo ſubſcribo tum illi, tum praxi Curiæ Neapolitanæ, requiri nimirum, vt de conſuetudine conſtet, ac diffamatus Clericus ſit in ſua, vel ipſius fœminæ vicinia. Et quamuis nouerim præſumptiones, & coniecturas nonnunquam ſufficere ad effectus concubinatus, & copulæ carnalis probandæ ex *Roman. conſil. 167. numer. 3. verſ. vltimo. Decio conſil. 577. numer. 3. Pariſ. conſil. 1 ſ7. numer. 28. & ſequentibus libr. 4. Socin. iuniore conſil. 32. numer. 22. ac deinceps libr. 2. ac alijs*, non tamen ex omni præſumptione, ſed ex violenta, & certa, vt fauet *Cap. Literis in fine, adiuncta Gloſſa in figuratione caſus in fine*, aſſerens ſufficere violentam præſumptionem ad condemnationem, & *in verb. Vt credebant, & ad finem: Hoſtienſis numer. 4. in verb. violenta, & in verb. certa, ibi Abbas, & Felin. pariter in ſummario; ideoque Doctores, & Rota diuerſ. deciſion. 95. numero 13. part. 2. Menoch. conſil. 13. numero 5.* vbi loquitur de præſumptione, & coniecturis valde vrgentibus *Maſcard. de probation. libro primo concluſion. 57. numero 6.* Quæ autem ſit violenta ſuſpicio *numero* 24. dicemus. Notat autem ad rem ex nonnullis *Bonacin. laudatus numer. 2. §. Nonnulli*, non ob quamlibet incontinentiam à Clericis, vel ab Epiſcopis hanc contrahi ſuſpenſionem; ſed ob

eam,

eam, quæ concubinatus imbibat rationem, vel cum familiaritate, aut conſuetudine coniuncta ſit fœminæ ſuſpitioni obnoxiæ vt præcedentibus numeris declaratum eſt, neque quomodolibet inhoneſtæ, ſed quæ ſuſpitioni ſubiaceat ſeu ſcandaloſa ſit, quod indicatur à *Tridentin. in vltim. clauſ. num.* 12. relata.

15 Notandum vndecimo, Circa ſecundam actionem turpem prohibitam, non detentionem cuiuſcumque mulieris in domo, ſed eius eſſe prohibitam, ac cenſura punitam, quæ vel concubina eſt, vel ſuſpicionem ingerere poſſit, vt patet ex textu Concilij qui maxime conſentaneus eſt, tum *Textui Cap. Inhibendum de cohab. cleric. & mulier.* tum *Gloſſ. verb. Canones,* tum *Doctor. vt ait Abbas Cap. Inhibendum. numero* 2. & vt quæ ad cæteros ſpectant clericos omittam, de quibus *integer de cohabit. cleric. & mulier, titulus*: vbi Scribentes. Illud tantum prætetire, operæ prærium non eſt *Anton. in citatum Capit. apud Abbat. num.* 3. dixiſſe, non poſſe Præſulem habere matrem, aut aliam non ſuſpectam ſecum domi ex *Gloſſ. in Cap. Legitur* 80. *diſt.* quæ adhæſiſſe videtur *Authent. Nullam C. de epiſc. & cleric.* Cæterum conſenſu Doctorum cum *Abbate n.* 3. contrarium exploratum eſt ex *Textu* expreſſo *interdixit* 32. *diſt.* neque ex ſacris Canonibus quid pro Aduerſarijs aduci poteſt: neq; ciuili ſtandum eſt legi. Illud autem inficiari non poſſum prudentius facturum Epiſcopum neque matrem ſecum, neque ſorores aut alias huiuſmodi propinquas habere, tum ad euitandam, quam poſſent cauſare clerici ſecum permanentes ſuſpicionem ex *Cap. Volumus* 82. *diſtinct*, & notat *Abbas citatus numer.* 3. tum ob pediſſequas, de quibus vt in *Cap. citato Inhibendum de cohab. cleric. & mulier.* Facili negotio murmur poſſet oriri; penes Hieronymi doctrinam, *de vita cleritor. epiſt.* 2. *ad Nepotian.* quæ cuncta luculenter dicta comprehendit. *Hoſpitiolum tuum aut raro* (inquit) *aut nunquam mulierum pedes terant; omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Nè ſub eodem tecto manſites: nec in præterita caſtitate confidas, nec ſanctior Dauid, nec Sanſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Aegrotanti tibi quilibet ſanctus frater aſſiſtet, & germana, vel mater, aut probata quælibet apud omnes fidei; quod ſi huiuſmodi non fuerint conſanguinitatis caſtimoniaque perſonæ, multas anus nutrit Eccleſia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant miniſtrando.* Quod erat olim in Eccleſiaſtico more poſitum vide quam 22. *num.* ex eodem Sancto Doctore ſententiam afferemus; ac prætetea *Turrecrem. in Cap. Interdixit* 32. *diſtinct. pag.* 307. varijs probantem rationum momentis hanc ſiue Epiſcopis, ſiue Clericis prohibitionem ab Eccleſia habitam. Quæ autem poſſint haberi domi fœminæ iure ſanguinis coniunctæ habetur in *Cap. citato Interdixit*.

16 Notandum duodecimo, ſuſpicionem, mea quidem ſententia, propriè ſumptam, imperfectiſſimum eſſe intellectus iudicium, non quidem formale, ad ſecundam ſpectans mentis functionem, ſed virtuale ad primam, vt in logicis docui; etenim vel ita obiectum ſe habet, vt menti non appareat ratio aſſerendi potius illud, quam negandi; atque hinc oritur dubium negatiuum quo pendulus redditur animus: vel aliquid veri reſplendet in hac parte, quæ cum non emicet in altera, etſi inſufficiens ſit ad cauſandum conſenſum intellectus, per verum iudicium formale; exercitè enuntians rem eſſe talem, valet tamen allicere per iudicium virtuale, atque imperfectum motum, quo virtualiter iudicando maiorem cum veritate affinitatem hanc habere partem, apprehendit, quam alteram contrariam; ſimile iudicium ferens imperfectum, quod oui lupum ſibi diſconuenientem apprehendenti nonnulli ſolent Doctores concedere. Quamobrem tum latinum verbum, tum græcum ὑπονοεῖν hoc nobis inſinuant, quaſi aliquid ſubtus latens, neque ſatis ſeſe explicans appareat, & quaſi videri ita eſſe videatur. Et hoc quidem ſenſu ſuſpicionis definitionem interpretor, quam ex *Tullio Diuus Thomas* 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 3. *in corpore tradit. Suſpicionem eſſe opinionem malam ex leuibus indicijs conceptam*, opinionem non quidem formalem quam *Leſſius de iuſt. & iur. lib.* 2. *de iud. cap.* 29. *dub.* 2. *num* 6. & *Sanch. lib.* 1. *oper. mor. cap.* 9. *num.* 2. *nec diſcrepat. Nauarr. in cap. ſi quis autem de poeniten. diſtinct.* 6. *num.* 10. etſi non clarè explicant per quoſdam imperfectos animi motus. Adhæreo prætetea *Bald. in rub. C. de probat. numer.* 4. & *de controuerſ. inueſt. numer.* 7. ſuſpicionem definienti. Animi motum ad aliquid cum vehementi titubatione, & in *l. ea quidem numer.* 3. *C. de accuſ.* necnon *Bartol. in l. Admonendi numer.* 21. *ff. de iur. iuran.* qui docuit ſuſpicionem eam eſſe *Qua animum iudicis leui aliquo argumento in aliquam partem inclinat, etſi non omnem excludat dubitationem.* atque alijs auctoribus eiſdē pene terminis ſuſpitionē deſcribētib.

Ex hac autem ſuſpicione gradum facimus ad opinionem, quæ quidem aſſenſus, ac formale iudicium alterius partis eſt, quamuis non careat imperfectione, quòd imbibitam habet formidinem partis contrariæ; ex hac verò ad iudicium firmum, & certum ſine formidine partis oppoſitæ, ſcandit animus, cuius patefactio exterior, dicitur ſententia.

17 Cæterum ita hi gradus ſe habent, ſi inter ſe comparentur, vt maiora deſiderentur ad ſuſpicionem indicia, quàm ad ſimplicem dubitationem, ortam è ſimpliciſſima apprehenſione, & maiora his ad iudicium, etſi probabile, quàm ad ſuſpicionem: longeque maiora ad certum iudicium; denique his omnibus vrgentiora ad ſententiam. Hinc ſequitur coniecturis, quibus leuis dubitatio non eſſet temeraria, profectò eſſet ſuſpicio formata ex illis, & ex quibus ſuſpicio non eſſet, eſſet quidem opinio, ac ſic de ſingulis, ita vt ſententia condemnatoria, temeraria cenſenda eſſet, ſi ei alia non eſſent, quam tum iudicio imperfecto ſunt, tum alijs explicatis actibus ſufficientia adminicula. Probè igitur *Geminian. in cap. habuiſſe 3. notab. diſtinct. 33. Suſpicionem* (ait) *eſſe ſpeciem quamdam probationis, inducentem animum iudicis ad aliquid credendum; non tamen habere eum probationis gradum, quo ſine iudex applicet animum ad vnam partẽ, ſed ambiguum reddere*. Quamobrem etſi *Diuus Thomas ſupracitatus*, vt probè notauit *Caietanus*, nomine ſuſpicionis, quam definiuit ex Tullio, comprehendiſſet opinionem, meritò tamen docuit, cùm aliquis Iudex ex ſuſpicione procedit ad aliquem condemnandum, ad iniuſtitiam pertinere; atque peccatum eſſe mortale. Quæ cùm in cæteris vera ſint, in Clerico, & potiori titulo in Epiſcopo cenſenda ſunt, in quibus oſculantibus etiam, & amplectentibus mulierem ceſſat carnalis copulæ præſumptio ſecundùm *Gloſſ. in capit. Abſit 11. quæſtion. tertia, Alexand. ad Bartol. in leg. Quod ait lex in principio, littera A. ff. ad legem Iuliam de adulter. Carrer. in practic. in tertio tractat. de homicid & aſſaſſin. ver. 9. excuſatum maritus numero 13. ac alij, &c.*

18 Notandum decimo tertiò, vt propius ad rem noſtram accedamus, nève diſcrepantia ſit in vſu vocum rem ſæpe tenebris offundens, nomine ſuſpicionis comprehendi à nobis etiam aliquo pacto opinionem cum *Diuo Thoma, Caietano, & alijs numer. 16. citatis*, cuius quatuor aſſigno gradus. Primus ad rem noſtram ſit, ſi quis de inhoneſtate fœminæ ex leuibus indicijs dubitare inciperet, ratione in alterutram partem vrgente, atque inclinante carens, quando reuera, hærente dubitaret animo, vt in *Gloſſa l. de teſtamento, & in rubr. ff. de iur. & fact. ignorant.* Et ſic Iudex dubius diceretur, vt probè *Menoch. de præſumption. libr. primo quæſt. 7. num. 49.* cùm non magis animum ad Actorem, quàm ad Reum; non magis ad abſoluendum, quàm ad condemnandum applicaret, atque iure noſtra, non magis ad honeſtam mulierem iudicandam quàm ad inhoneſtam habendam.

19 Secũdus gradus, ſi quis poſt dubitationem imperfecto quod explicauimus *numero precedenti* iudicio virtuali ex leui aliquo indicio, ſeu argumento animum in alteram partem ad mulieris, verbi gratia, inhoneſtatem ita flecteret, vt eam maiorem cum veritate cohærentiam habere, aliquo pacto apprehenderet, quin de eiuſdem honeſtate dubitationem, atque apprehenſionem alijs adminiculis adhærentem, & quidem oppoſitam deponat, & hæc propria ſuſpicio erit, quam *numero 16.* definiuimus fauente *leg. In lege Aquilia ſi deletum ff. ad leg. Aquil.* Circa quem gradum obſeruandum omninò eſt, quòd ſi indicia, quæ diximus admodum leuia ſint, cùm cauſene ſuſpicionem temerariam, omninò reijciantur ex *leg. 1. §. ſi ſuſpicio ff. de incend. rui. naufrag. & capite Tua de ætat. & qualitat.* aduertit *Ripa in leg. Admonendi numero 89. ff. de iur. iur.* cùm illa tunc aliquem probationis gradum non attingat, ſicut neque temeraria preſumptio; vt docuit *Bald. in lege ſiue poſſidetis numero quinto Cod. de probation.* Quæ verò leuia habenda ſint indicia ad Prudentis iudicij trutinam referenda ſunt; perpendenda tamen regulis, quas
20 hic adnotare, res me ipſa monet. Prima itaque, quam affero, regula eſt. Naturales mulieris conditiones tametſi in vtramque partem non nihil roboris habeant, abſque alijs tamen adminiculis non ſufficiunt ad ſuſpicionem, non temerariam, habendam; quamuis magis vrgere dixerim mulieris deformitatem, ad auertendam, quamcumque huiuſmodi ſuſpicionem: illuſtremus, ſi placet, aliquo exemplo vſu frequenti; (nec me prolixiorem, quàm par eſt, Lector exiſtimet; cum famoſo verſemur in loco, Carybdis, ſcilicet, ad quam alliſi, quamplures prò animi; motuumque ac perturbationum varietate naufragium ipſi fecerunt, & ad infauſtum ſcopulum alios impulerunt,) Iuuentutem igitur, pulchritudinem, venuſtatemque mulieris alijs ſine momentis, atque circumſtantijs impudicitiam eiuſdem indicantibus ſatis non eſſe ad ſuſpicionem nõ temera-

merariam efformandam nemo mentis compos mihi profecto negabit: E contra vero ſenectus, deformitas, inconcinnitas, non modo vna ſimul cum alijs circumſtantijs à quauis ſuſpicione animum auertunt, verum etiam reliquis pene nudatæ, ac ſolæ, ſæpe tales uidentur eſſe ſatis. Ratio primi eſt, tum quia illas naturales dotes in ſanctis mulieribus fuiſſe etiam è ſacris litteris conſtat *Eſther.4. Iudit.10. in Suſanna Danielis* 13. tum quia impudicitia moralis defectus cum ſit, non à naturalibus cõditionibus tantum pendet. Ratio autem ſecundi quo ad ſufficientiam, cum alijs circumſtantijs, eſt eadem quòd contrariorum eſt eadem diſciplina &c. Solas autem ſæpiſſime ſatis eſſe, probatur, quia cum ſuſpicio, quam mulieres ingerere ſolent, non in ordine ad ſe, ſed ad alios ſe habeant, plerumque ad omnes; non adeo facili negotio intercedent lenocinia, vt ita dicam, vrgentiora ad eos alliciendos, fœminæ ſenectute, deformitate, ac turpitudine in contrariam partem vrgentibus; qui quidem naturales defectus ſæpiſſime ad quamuis reſecandam ſuſpicionis anſam efficaciſſima cæterorum contrariorum ſunt; è contra vero conſtantia, ac pudicitia muliebris cum optimis qualitatibus corporis ita cohærere, & poſſunt, & ſolent, vt quam hominibus cum illis agentibus, ingerere valerent titillationem, vna cum honoris zelo, operoſum non ſit, reprimere: itaque cohærentia virtutum extinguentium igniculum, quem in omnibus excitarent naturales dotes muliebres, ſæpe numero intercedit, at vero allicientes rationes, quæ poſſint fœditatem, ſenectutem, deformitatemq; mulierum vincere, ac pellicere homines ob eas nauſeantes, fere nunquã reperiuntur; fere nunquam, aio, quia tantum hominum libido, vel auri, vt alterius vtilitatis cupiditas eſſe poſſet, tam effrænata fœminæ venus, vt aliquam ſubire exceptionem, aſſertam à nobis regulam non negemus.

21 Secunda, quam trado, regula eſt. Ne ex vno actu habitum iudicantes, vel temerariè appræhendentes, eam inhoneſtam ſuſpicemur, quam ſemel, aut iterum v.g. è feneſtra ridentem vidimus. Sic Doctores aſſerunt quod ſi quis virum grauem, ac religioſum diceret ſemel, vel bis mendacium protuliſſe, mortaliter nõ peccaret, ſecus vero ſi diceret, eum eſſe mendacem: à pari igitur in re noſtra, cum vnus, vel alter actus leuitatis, vel muliebris incircumſpectionis, minime ſatis eſſe dicendi ſint ad ſuſpicionem non temerariam in animum inducendam eius impudicitiæ: quo circa ad rem dixit *Romanus Orator lib.4. Tuſcul. quæſ. Aliud iracundum eſſe, aliud iratum: vt differt anxietas ab angore: neque enim omnes anxij, qui anguntur, aliquando: neque anxij ſemper anguntur, vt inter ebrietatem, & ebrioſitatem intereſt: aliudque eſſe amatorem aliud amantem.*

22 Tertia regula eſt, vt de muliere, nobili loco, nata non adeo facile, ac de vili muliercula ſuſpicio formetur; etenim illi tanta eſt honoris ęſtimatio, tantus decoris conceptus, vt optimum, quod poſſidet honoris nomen amittere, clarę q; famæ, quam præ alijs habet, iacturam facere, ni effręnata deſipiat venere, vix audeat. Colligo ex *Hierony. epiſt.* 48 *ad Ruſtic. monac. Matrem* (ait) *ita vide, ne per illam alias videre cogaris; quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacito viuat ſub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obſequio ſunt, tibi ſcias eſſe in inſidijs, quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior eſt ruina.*

23 Tertius ſuſpicionis gradus eſt; cum quiſpiam ob vrgentiora argumenta opinari, ac formali iudicio adhærere incipiat, hanc inhoneſtam æſtimando fœminam, quod probabile indicium, ac propriè Doctores opinionem appellant, Sic *Ripa in leg. Admouendi ff. de iur. iuran. numer. 1. Coras. ibidem part. 1. num. 105. Menoch. de præſump. lib.1. quæſt.7. num.52. Leſsius, & Sanch. ille de iuſt. & iur. lib. 2. de iud. cap. 29. dub. 2. num. 6. & hic lib.1. oper. moral. cap.9. num.* 2. & ab vtriuſque iuris conſultis vehemens ſuſpicio, vel vero ſimilis dicitur; cuius in re noſtra praxis eſſet, ſi quæ mulier naturæ donis dotata, fere ſine delectu, homines non vereretur domi excipere, verbis vteretur libertimis: cuiuſque habitus, riſus, ac geſtus ad impudicitiam allicerent: hæc enim, & ſimilia, quamuis ex animi leuitate, vel muliebri inconſtantia, manare poſſent, probabilem tamen opinionem incontinentiæ mulieris arguerent: ſic in ſimili ratiocinatur *Simanc. in praxis contra hæres. titul. 41. numer.* 3.

24 Quartus demum gradus eſt, quando poſt conceptam de aliquo opinionem, quam modo perpendimus, alia ſuperuenirent efficaciora rationum momenta, quibus certo vni parti ſine formidine contrariæ quis adhæreret; quæ violenta dicitur ſuſpicio, credulitatem, fidemq; cauſare apud V.I. Conſultos ex *Authent. Si quis ei* C. *ad leg. Iul. de adulter. Cap. litteris de præſump.* Philoſophis vero, ac Theologis diceretur ſcientia, vel certa notitia. Horum autem indiciorum exemplum, Doctorum conſenſu approbatum do ad rem noſtram maxime faciens, ex *Cap. litteris de præſ. mod. cit. Solum cum ſola, nudum cum nuda in eodẽ lecto iacentẽ viderũt, multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis. Vbi probè Hoſt. ante. n.1. in ver. vt credebam*

*bant Ancbaran.num.*5.& benè declarat *Gloſ. in cap. Dixit Dominus. in verb. ſuſpicio* 32. *quæſt.*1.*& in cap. Maritus in verb. ex ſuſpicione de adult.& ibi Innocent. num.*1. *Hoſtienſ. & Abbas num.*1.*ac alij*. Ex actibus autem venereis oriri præſumptionem copulæ docet *Abbas in cap. Tertio loco de præſumption. num.* 4. Ex quibus autem actibus venereis, cum non ex omnibus præſumptio oriatur carnalis copulæ, videre eſt apud *Anton. de Butr. in cap. litteris de præſumpt. num.*4. *Felin. ibidem num* 2. *Abbas ibidem num.*1. *& in cap. Præterea de teſtib. num.*2. *& in cap. Tertio loco citato num.* 4. & voluit *Rota poſt conſilium Farinac. deciſion.* 69. *num.* 7. *in fine num.*2.

25 Ex his autem colligo iuxta Tridentinum, primum,& ſecundum ſuſpicionis gradum iam declaratum non eſſe præſcriptum, neque habendum de muliere; cum vterque temeritatem ad minimum inuoluat, vt conſtat ex *num.*18. *&* 19. neque quartum neceſſariò requiri; qui vix formari poſſet ſine rei euidentia nec ſatis continentiæ Clericorum, ſeu Epiſcoporum ſuo conſuliſſet decreto Concilium, ſed in ea ſum ſententia, vt mulier, de qua poſſit haberi ſuſpicio, ſcandaloſa ita ſit, quæ probabiliter à prudenti viro extimari poſſit impudica: conſtat tum ex ſufficienti aliorum graduum ſuſpicionis enumeratione, atque reiectione, tum etiam quia qui hoc pacto ſuſpicaretur probabili adhærens opinioni; nec temerè, neque imprudenter, ac proinde ſecurus opinaretur; tum quia hæc eadem mulier à Concilio infra, ſcandaloſa dicitur; qua etiam in re iudicio ſiue opinione minus probabile vti quis poſſet; ad ſuſpicionem prudenter fundandam, dummodo intra probabilitatis fines illa contineretur, vt probè, ac doctè *Sanchez. hanc vniuerſaliter agitans quæſtionem lib.* 1.*ſum. cap.* 9. docet. Eſto maiori opus ſit cautela in hac re ſatis lubrica, quàm in cæteris; cum ad malè de proximo ſentiendum natura corrupta ſatis ſuperque decliuis ſit.

26 Demum huius loci eſſe arbitror auream *Diui Thomæ* 2.2.*quæſt.*60.*art.* 3. doctrinam afferre, non præ oculis modò, ſed in omnium oculis, & cordibus ſanè habendam, à qua ne quid candoris, ac leporis ſubſtraham proprijs eiuſdem referam verbis exaratam. *Suſpicio contingit ex tribus; vno quidem modo ex hoc, quòd aliquis ex ſe ipſo malus ſit, & ex hoc ipſo quaſi conſcius ſuæ malitiæ faciliter de alijs malum opinatur, ſecundum illud Eccleſiaſt.* 10. *in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. Alio prouenit ex hoc, quod aliquis malè afficitur ad alterum; cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut iraſcitur, vel inuidet ei, leuibus ſignis opinatur mala de ipſo: quia vnuſquiſque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo prouenit ex longa experientia, vnde philoſophus dicit in* 2. *Rethor. cap.* 13. *ſub initio quòd ſenes ſunt maximè ſuſpicioſi, quia multoties experti ſunt aliorum defectus. Primæ autem duæ cauſæ manifeſtè pertinent ad peruerſitatem affectus: tertia verò cauſa diminuit rationem ſuſpicionis, in quantum experientia ad certitudinem proficit &c. & ideo ſuſpicio vitium quoddam importat, & quanto magis procedit ſuſpicio, tanto magis eſt vitioſa.*

27 Licèt conſuetudinē aliquando non me lateat in iure vſurpari pro concubinatu, ſic dicitur liberæ mulieris conſuetudo *leg.* 24. *ff. de rit. nupt.* ſic pariter conſuetudinis cauſa, non matrimonij *leg.* 34 *ff. ad leg. de adult.* nihilo tamen minus huic Tridentini diſpoſitioni hunc non eſſe ſenſum arbitror; quia cùm Concilium non modò concubinatum pœnis afficiat, verùm quamcumque conſuetudinem cum muliere ſuſpicioni obnoxia; diſtincta quidem, ratione à concubinatu conſuetudinem accipit. Verum cum conſueſcere dici etiam ſoleat de re venerea ex *Tullio in* 6. *Verrina, Mulieres, quibus iſte conſueuerat*; à Conciliō nomine conſuetudinis, vel abuſum venereum cum muliere ſuſpicioni obnoxia, vel familiaritatem *prattica*, italicè dictam, ad venereum tractum ordinatam ſignificare cenſeo. Quare conſortium, quod in vltima diſpoſitionis parte à nobis *num.* 12. relata vſurpatur, non pro coniugio illicito, quaſi concubinatu ſumendum eſt, vt accipitur *leg.* 1. *de inceſt. nupt. in C. Theod.* ſed per quamdam imitationem pro Societate, & communicatione ſeu conſuetudine iam explicata, vt in *leg.* 12. §. *idem Papinianus ff. pro ſocio leg.* 5. *ff. de leg. rod. de iact. leg.* 4. *C. de caſt. pecul. lege* 1. *ff. de rit. nupt.*

28 Præterea vnus, vel alter actus, vel acceſſus impudicus, vel diſpoſitiuus ad actum impudicum, ceſſante perſeuerandi periculo, non diceretur conſuetudo, de qua admonendus neceſſariò clericus, vel Epiſcopus eſſet, ex vi talis diſpoſitionis *Tridentini*, licèt duo actus ad conſuetudinem prauam ac turpem probandam ſufficerent vti diximus *hoc lib. diſp.* 2. *cap.* 2. *num.* 21. per ſe loquendo, tum quia per eam aliqua cōſuetudo prohibetur, quæ habitum, & non actum ſonat: tum quia aliæ actiones ibi prohibitæ, habitum pariter indicant diuturnum, ita concubinatus, ac detentio domi, vel extra: tum quia *Tridentini* diſpoſitio maxime fundatur in obligatione correctionis fraternæ; at vero præceptum non obligat quando proximus mea non

eget

eget correctione; cuius non videtur indigere, quando probabiliter cenſetur proximus ſimilia peccata non commiſſurus ni corripiatur, vel longo tempore in eodem peccato non permanſurus è communi Doctorum ſenſu apud *Soar. diſp. 7. de charit. ſect. 3. nu. 7.* & probatur, quod cum præceptum illud poſiturum ſit miſericordiæ, ſecundum cæterorum ſimilium regulas, non obligat, ni neceſſitate vrgente, vt præceptum otandi pro proximo. Et confirmatur; ſi nouerim fratrem eſſe emendatum abſque occaſione reincidentiæ, non teneor corripere, quia non eget vt *notab. 7. num. 13.* dictum eſt, & *ſequenti diſputatione* vberius dicetur; eadem igitur ratione ſi nunc videam eum peccaſſe, probabiliter tamen iudicem ſuo tempore pœnitentiam acturum, neque ex hoc peccato occaſionem, vel perſeuerandi, vel in aliud incidendi ſumpturum, non teneor illum corrigere. Quamobrem prudenter ait *Tridentinum Epiſcopi quoque (quod abſit) ſi ab huius crimine non abſtinerint, & à Synodo prouinciali admoniti ſe non emendauerint &c.* nimirum vt hiſce iudicaret, vel non admonendi, ſi abſtinuerint, vel non Papæ denuntiandi, ſi poſt correctionem ſe emendauerint. At dixerit quiſpiam, igitur emendatio quæ expetitur poſt admonitionem, non erit totalis, nè in aliquem actum incidat illorum prohibitorum; ſed nè concubinatum, iterum inear, vel, ne conſuetudinem iterum faciat; cum omnia hæc habitum, & non actum ſignificent; hinc ſi ſemel, vel iterum canis ad vomitum recurrat, non cenſeretur non emendatus, quod eſt contra doctrinam quam *notab. 18. num 34.* afferemus. Verum nego ſequelam; ratio eſt, quia ſi admonitio ritè, vt diximus, fiet, actus reincidentiæ, etiam ſi vnicus tantum fuerit, alijs iam ſuppoſitis ante admonitionem, ex quibus conſuetudo, vel concubinatus deductus eſt, ad eumdem videtur ſpectare habitum vitioſum; quapropter non emendatus merito dici poterit Epiſcopus, antea vt vitioſus correptus, in illum incidens actum poſt correctionem.

29 Notandum decimo quinto, & ſi, quam *num. 13.* indicauimus, quarta actio vetita nobis declaranda ſit, quia tamen monitionem immo & emendationem ſupponit; cum agatur de reincidentia, idcirco de his prius agendum.

30 Notandum decimo ſexto, quicquid ſit de alijs clericis notoriè concubinarijs, in quos lata videtur eſſe cenſura ſuſpenſionis, *Cap. Cum quæſitum de cohab. cleric. & mulier.* ad quam ea requiritur notorietas, quæ ibidem explicatur, per confeſſionem, ſcilicet, in iudicio, aut per ſententiam, vel per facti euidentiam: quicquid etiam ſit de ſimili ſencita in hos eoſdem concubinarios 32. *Cap. Nullus. Cap. Præter. Cap. Ad hoc, adiunctis Gloſſa, & Cap. Finali de cohabit. cleric. & mulier.* quam tamen non latam, ſed ferendam docuere, contra communem, Auctore *Toleto, lib. 1. ſum. cap. 47. num 2. Innocent. etiam in Cap. Si celebrat num. 3. de cleric. excommun. miniſt. Ioan. de Imola in Cap. Sicut columa. 1. in fine de cohabit. cleric. & mulier. Archidiac. in Cap. 1. de re iudic. lib. 6. Sot. in 4. ſententiar. diſt. 1. quæſt. 1. art. 6.* quicquid igitur de hoc ſit in Epiſcopos per Tridentinum citatum eſt lata hæc ſuſpenſio, intercedente delicto ibi deſcripto, atque à nobis explicato, quod tamen ea notorium, quam modo dicebamus ſub initio huius numeri, notorietate, minime debet eſſe vt probe *Tolet. laudatus num 8.* ſed ſufficienti, qua prudenter admoneri poſſint, ad quod.

31 Notandum decimo ſeptimo. Ni poſſet Synodus probare delictum incontinentiæ contra Epiſcopum, eum, vt habet *Tridentinum,* admonere non poterit; colligo, quia *Cap. Placuit. 6. quæſt. 2.* non creditur Superiori, etiam Epiſcopo, ſi dicat aliquem eſſe reum criminis; qui quidem ſubditum nominatim arguere minime debet de aliquo delicto, quin poſſit plene illud probare; tametſi in ſecreto eum poſſit admonere, ſic *Abbas Cap. Si Sacerdos de offic. iudic. ordin. num. 2. Oldrad. conſ. 81. & alij.* Hinc videant, & iterum atque iterum caueant Eccleſiaſtici moderatores, ne indiſcreta diſciplinę, nè dicam vanæ adumbratęque virtutis ſpecie decepti, Chriſti charitatem, in qua chriſtiana fundatur pietas, ratioque viuendi, lacerent, ac diſcerpant: neue, dum cuiuſdam fucatæ ſanctitatis vmbram ſectantur, politicis potius nonnullorum viuendi regulis, ad quandam vanę oſtentationis formam accomodatis inſiſtentes, maiorum noſtrorum, ac Sanctorum Doctorum, Pontificum, & Canonum decreta, ſpiritu Dei condita, atque hac de re edita contemnant. Perpendant ſi placet *Iobi* ſententiam *Cauſam quam neſciebam diligentiſſime inueſtigabam cap. 29. verſicul. 16.* vbi *Gregor. lib. 19. moral. cap. 14. Nos* (inquit) *ſanè hic locus admonet, nè ad proferendam ſententiam præcipites vnquam ſimus, nè temerè, ac indiſcuſſe iudicemus, nè qualibet mala audita nos moueant: nè paſsim dictante probatione credamus.* Perpendant *Canonem licet plerumque diſt. 45. ſi Dominus ſtatim poſt trinam negationem Petrum Apoſtolum præceptorem noſtrum iudicaſſet, non tantum ex eo fructum, ſicut fecit recepiſſet; expectandi ergo, atque corrigendi magis ſunt Rectores Eccleſiæ, quam ſtatim iudicandi ex 86, Non ſatis, & 50. Ponderet. & 29. quæſt. 7. Allegate, &*

35

35.quaſt.9.Veniam.& infra; Vnde neceſſe eſt hac, & alia Eccleſiaſtica quaque negotia poſt multarum experimenta cauſarum ſollicitius perſpici, & diligentius pracaueri, quatenus per ſpiritum caritatis, & pacis omnis materies ſcandalorum, & praſumptio inuidorum, atque oppreſsio ſimplicium fratrum de Eccleſijs Domini auferantur, & ſicut non vult quiſquam fratrum ſe aliorum iudicio pragrauari, ita non audeat alijs inferre, quod ſibi non vult fieri. Quæ doctrina ſanè diuina eò tendit, vt normam, tum Epiſcopis tradat in Clericos, ac Presbyteros, tum Synodo prouinciali à fortiori in Epiſcopos; immo omnibus erga ſuos ſubditos, qui præſertim proximorum ſaluti ex inſtituto ſunt addicti, & hac de cauſa ad Epiſcopale maximè accedunt officiũ. Vtinã altius radices in Eccleſiaſticis omnibus hæc ageret caritatis regula. Quam ad rem noſtram ita explicat, vt luculentiùs dici non poſſit *Innocent. 3. cap. Qualiter, & quando il 2.de accuſat. licèt autẽ hoc ſit obſeruandum in ſubditis; diligentiùs tamen eſt obſeruandum in Pralatis; qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam, & qui non poſſunt omnibus complacere cum ex officio ſuo teneantur non ſolum arguere, ſed etiam increpare, quinimo interdum ſuſpendere, nonnunquam verò ligare frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur, & ideo Sancti Patres prouidè ſtatuerunt, vt accuſatio Pralatorum non facilè admittatur, nè concuſſis columnis, corruat ędificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſa, ſed maligna criminationi ianua pracludatur.* Et hoc fuiſſe in cauſa dixerim, cur iubeat *cap. Praſul 2.quęſt.5* Eccleſiaſticos damnandos non eſſe, niſi ex multitudine teſtium: tribus nimirum de cauſis, vt optimè ex *Diuo Thoma Sotus de iuſt. & iur. art. 2. ad finem:* Prima quia eius debent hæ perſonæ eſſe Sanctitatis, & auctoritatis, vt plus fidei habeant, quàm multi teſtes: Secunda quia, cum ipſi Vniuerſi ſint iudices Eccleſiaſtici, propter executionem iuſtitiæ, inuidiam, vt modò ex Innocent. retulimus, ſibi facillimo negotio comparant: Tertia quia horum condemnatione multum detrimenti Eccleſia ſubiret, quod periculoſiùs eſſet, quàm
32 illorum mala citra ſcandalum tolerare. Hæc ille. Hinc probè decernit *Rota Romana in vna Monaſterij Sancti Manſueti die 27. Ianuarij 1597. relata in Praxi Curia Archiepiſcopalis Neapolitana à Marco Antonio Ianuenſi.* quod, quamuis clericus concubinarius notorius puniri, abſque alia monitione, poſſit, tum ex ſupra relatis textibus *notab.16.num.39. tum ex cap. Tua nos de cohabit. clericor. & mulier vbi Abbas, & alij,* ad beneficiorum tamen priuationem abſque monitione perueniri non poteſt, iuxta *cap. ſicut. cap. ſi autem eodem titulo, & Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 4.* cuius decretum præ manibus habemus. Immo maturè, ac magna cum prudentia ſententias priuationis eſſe ferendas monet, ob hoc delictum, ad quod naturalibus ſtimulis humana fragilitas ex ſe ſatis ſuperque infirma, ac decliuis impellitur, ideoque penſanda ſedulò eſſe, atque ponderanda momenta probationum: Hinc cõſenſu Doctorum concubinatus præſumptionibus non probatur, ſed concludentibus rationibus, quando ad priuationis pœnam proceditur; etiamſi ciuiliter agatur: quæ huc retuli, vt ſeruata proportione, immo à fortiori, vera cenſeatur eſſe in negotio Epiſcoporum, contra quos, priuſquam iuridicè moneantur, non ſola ſuſpicio, non leuia argumenta, ſed valdè probabilia, & certa, vt initio huius notandi dicebam, vrgere debent. Quod ſi *Gerſon. de vita ſpirit. tract.24. Alex. in ſumm. lib. 2. tit. 6. cap. 4. Sot. de tegend. ſecret. memb. 1. quaſt. 2. conc. 4. quibus ſubſcribunt Soarius de caritat. diſput. 7. ſect. 3. num. 1. & Nauarr. ſum. cap. 24 num. 17.* contra Adrianum ad correctionem proximi immeritò aſſerentem ſufficere quãuis coniecturam, dicant certam ad hanc correctionem, ſeu monitionem deſiderari notitiam, certitudine ſaltem morali; etiamſi priuatis facienda ſit, quia correctio de ſe odioſa eſt, inferens ſaltem verecundiam, & ni prudenter fiat, non modò notam, ſed alteri iniuriam, & contumeliam inurit; in quo multum ab alijs eleemoſinis hæc ſpiritualis diſcrepat, quanta queſo maiori cum cautela, ac facti euidentia cum Epiſcopis agendum erit; qui ſunt Chriſti Domini, atque Eccleſiaſticæ Reipublicæ columnæ. Confirmatur à fortiori, quia monitio præſcripta à Tridentino ad iudicialem refertur denunciationem faciendam, apud Summum Pontificem, vt patet, & nos ſequenti diſputatione dicemus, quæ quidem regulariter cum non de delictis occultis fieri poſſit, nec etiam monitio eam præcedens, ni probabile delictum fuerit. Videndum eſt *cap. vltimum ſequentis diſp.*

33 Cæterum, vt *Hieronymi de laude vita ſolitaria in Epiſt.1.* verbis vtar. *licèt abſit, vt de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti Corpus Sacro ore conficiunt, ob quos, & nos Chriſtiani ſumus qui, claues regni cęlorum habentes quodammodo ante iudicij diem iudicant: qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant.* Abſit inquam, vt hos vel coercere verbis, vel conſilio dirigere minimus presbyterorum audeam, verum vt eis morem geram, eiuſdem Hieronymi vnum proferam conſilium,

quo

quo non modò cautiores ab hiſce pericu-loſſimis ſyrtibus, verùm etiam ab omni ſiue inuidorum, ſiue perditiſſimorum hominum calumnia, cui patet quęuis mortalium dignitas, Epiſcopos reddant, Dei gratia, immunes. *Si propter officium clericatus* (inquit *Sanctus Doctor de vit. cleric. Epiſt. 2. circa medium*) *aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas: tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris: Si lector, ſi Acolytus, ſi pſaltes te ſequitur: non ornentur veſte, ſed moribus, nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum ſola, ſecreto, & abſque arbitro, vel teſte non ſedeat. Si familiarius eſt aliquid loquendo, habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non eſt tam inhumana, vt nullum præter ſe habeat, cui ſe audeat credere, caueto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante de vita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicatas, & oblatos, ac deguſtatos cibos, blandaſque & dulces literulas ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias, & lepores, & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdijs erubeſcimus, in ſeculi hominibus deteſtamur: quanto magis in monachis, & in clericis, quorum, & ſacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur ſacerdotio? Nec hoc dico quod in te, aut in ſanctis viris iſta formidem, ſed quod in omni propoſito, in omni gradu, & ſexu, & boni, & mali reperiuntur; malorumque condemnatio, laus bonorum ſit.* Hæc ille quæ vt à nullo ſanctiore, aut doctiore, ita neque ad rem aptiora, ac veriora dici facile poterant. Addo ex *Lucio Sanctiſsimo Martyre, ac Pontifice Maximo*, *& habetur cap. Clericus diſt. 81. Clericus ſolus ad fœminæ tabernaculum nō accedat, nec properet ſine maioris natu, ſacerdotis viſione, nec ſolus preſbyter cum ſola fœmina fabulas miſceat; nec Archidiaconus ſub prætextu humilitatis, aut officij, frequenter intret domicilia matronarum, aut fortè per clericos, aut domeſticos matronæ mandet aliquid ſecretè. Si agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus arceatur Eccleſia.* multa ad rem tradit *Turrecrem. cap. Interdixit 32. à num. 5.*

34 Notandum decimo octauo. Monitionem omnino requiri, ſine qua ſuſpenſio per *Tridentinum* impoſita ab Epiſcopo minimè contraheretur, vt ex textu Concilij manifeſtè liquet, doceturque à *Soar. de cenſur. diſp. 31. ſect. 5. num. 24.* Neque trina requiritur, vt citatus Auctor ſupponit, nec probat; probatur tamen; tum quia, vel aliquo interiecto temporis ſpatio inter ſingulas, adhibendæ eſſent hæ monitiones, vel ſecus, ſed ſucceſſiuè illico faciendæ. non primum, quia, cum rarò prouinciales cogantur Synodus, vix caſus in quo plecteretur, incontinens Epiſcopus daretur, nec facilè inuenire eſſet, cui à Synodo demiſſa hæ correctiones faciendæ commendarentur: non ſecundum quod inutilis talis eſſet corripiendi modus; quippe locus emendationi non daretur. Et quamuis trina monitio ante excommunicationem, qua demum ligandi ſunt clerici concubinarij vel incontinentes, præmittenda ſit; vt in eodem decreto habetur; diuerſa tamen eſt ratio in caſu noſtro; nam ad excommunicationem trina requiritur per Textum monitio; tum quia, variæ ibidem pro ſingulis tranſgreſſoribus, ſeu contumacijs, quæ poſt ſingulas monitiones turpiores videntur, ſtatuuntur pœnæ; & quia vltra ferenda eſt excommunicatio, quæ natura veluti ſua ob grauitatem trinam hanc poſtulat monitionem, ex ordine correctionis fraternæ *Matth. 19.* vt decernitur *cap. Contingit il 2. & cap. Conſtitutionem de ſent. excomm. & cap. Omnes decimæ 17. quæſt. 7.* docentque communiter Doctores. E contra verò vbi ſuſpenſio in contumaciam, vt hæc in Epiſcopos non ſe corrigentes imponitur, vnica videtur ſatis eſſe monitio canonica, cum non vrgeant relatæ rationes, immo vrgentiores, ac ſupra ſint contrariæ, vt *ex Nauarr. & alijs probat Auil. 3. part. diſp. 3. dub. 1. concl. 5.* Quam monitionem, & cenſuram dolere minimè debent Epiſcopi; etenim vt optimè *Sanctus Gregorius relatus cap. ſicut 2. q. 7. ſicut laudabile eſt debitam reuerentiam exhibere paſtoribus: ſic rectitudinis, & Dei timoris eſt, vt ſi qui ſint in eis, qui indigeant correctione, nulla diſsimulatione poſponantur, nè totum corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite. Et idem lib. 10. Ep. 32. Caput curandum eſt* (inquit) *ſi correctione indiget, ne totum, quod abſit, corpus incipiat morbus inuadere, quia ſicut laudabile, diſcretumque eſt reuerentiam, & honorem debitum exhibere Prioribus: ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſi qua inter eos correctione indigent, nulla diſſimulatione poſponere.*

35 Notandum decimo nono. Emendationem, quæ poſt monitionem deſideratur à Concilio, nè Præſules in ſuſpenſionem incidant, veram eſſe debere, de qua diximus *diſp. 2. cap. 2. num. 27. & diſp. ſequenti* iterum dicemus. Itaque incurret Epiſcopus hāc ſuſpenſionem ſtatim, ac poſt monitionem cōcubinam carnaliter agnoſcet; ita expreſsè *Bonac. poſt multos de cenſur. diſp. 3. q. 8. punct. 4. num. 6.* qui non placet, quum de reliquis, quas exprimit Concilium, actionibus *notab. 8. num. 12.* enumeratis, mētionem non faciat. ſi poſt monitionē igitur Epiſcopus mulierculam

culam, quam domi, vel extra, modo habebat vxorio, adhnc retineat, neque eiecerit: ſi in conſortio priſtino perſeueret: ſi, qnam domo eicerat mulierem, poſtea iterum, ac antea récipiat, vel extra domum eadem abutatur: vel priſtinam reintegret conſuetudinem, hanc ſtatim, abſque dubio incurret ſuſpenſionem Atq; has omnes expreſſas actiones videtur amplecti Alterins *tom. 2. de cenſur. diſp. 9. cap. 5.* cui do manum. Cæterum, ſi quod eius, & Soarij verba ſonant, non ad eas modo, quas expendimus actiones fugiendas ſub pæna ſuſpenſionis de facto incurrendæ, verum ad occaſiones etiam, & ſcandala ab his diſtincta, Epiſcopos velint obligare, ab eis omnino recedo; nam, ſi Epiſcopus poſt monitionem, conſuetudinem omnem ver. grat. ei prohibitam, & à nobis *num. 27. & 28.* declaratam, reliquiſſet, quamuis in aliquo periculo adhuc eſſet, vel ſe poneret, ſane non contraheret ſuſpenſionem; cum euitatio periculi, quamuis optabilis ſit, periculumque ipſum ſit malum; ſub tali tamen cenſura non prohibetur: In dubio autem de emendatione qnid agendum ſit *ſequenti diſp. cap. 6. reg. a 2. num. 8.* in fine dicemus.

Ex his qnæ de reincidentia quarto loco à Concilio prohibita, ſentiendum ſit, conſtat.

36 Notandum decimo nono. Cnm diſpoſitiò *Tridentini num. 12.* relata vtatur verbo *audeant* quemadmodum legenti patebit; excnſat ab hac cenſura tum Clericos, tum Epiſcopos, qnibus eædem actiones ſub pœna ſuſpenſionis ipſo iure latæ prohibentur, ob ignorantiam, non modo vincibilem inris, vel facti, ſed etiam vincibilẽ, & mortalem, dummodo affectata, & dolum inuoluens non ſit, vt demonſtraui in ſimili tum *cap. 2. aſſert. 2. num. 3. tum diſp. 4. cap. 1. num. 12. & cap. 4. à n. 8. ac deinceps nec non lib. 2. diſp. 3. cap. 4. n. 2.*

37 Notandum vigeſimo. Poſſe Epiſcopum excuſari à tali ſuſpenſione ob metum grauem cadentem in virum prudentem, ver. grat. ſi cnm muliere principe, ille turpem exercebat conſuetudinem, admonitus autem, à prouinciali Synodo, paratus quidem eſſet eam miſſam facere, verum Princeps illa vel nè magis eius impudicitia pateſieret, vel nè maiorem faceret iacturam honoris, & famæ, vel ad periculum aliquod à ſuis imminens auertendum ſi Epiſcopum viderent, non adeo domeſticè cum ea agentem, vel etiam ex libidinis cauſa, ſerio mortem Præſuli, vel grauiſſimum damnum minarētur, quippe quod & poſſet, & alias ſolita eſſet inferre: in hoc inquam caſu excuſabitur Epiſcopus à tranſgreſſione præcepti Eccleſiaſtici per ſe loquendo; & conſequenter excuſabitur à cenſura: quæ omnia patere mihi videntur ex communi Auctorum ſententia in materia de cenſuris; etenim qnando prohibet Eccleſia quippiam quod alias eſt contra ius naturæ, aut diuinum; euenire ſane poterit, vt quis facilius contra illud ius naturæ peccet, quam contra eccleſiaſticum: ſic fornicationem prohibitam ſnb excommunicatione, metu mortis, ſi quis committeret; peccaret quidem contra caſtitatem, & vt probe docet *Nauarr. cap. 27. ſum. num. 63. §. verſiculo ſeptimum Henriq. lib. 13. cap. 21. num. 3. in fine apud quos alij;* non autem contra præceptum eccleſiaſticum. Ratio autem eſt, qnia lex poſitiua præſertim humana, tanto cum rigore, ac detrimento vel periculo per ſe loquendo ſeruanda non eſt, vt tritnm vetuſtate Theologorum habet axioma in materia de legibus, ac traditum à *Corduba in ſumm. quæſt. 137. dicto 4. Couar. Cap. Alma mater 1. part. §. 3. num. vltimo. verſic. 4. Valent. 1. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punc. 6. Sot. lib. 1. de iuſtit. quæſt. 6. art. 4. Sylueſt. verb. metus num. 7. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 11. Vazq. 1. 2. diſp. 77. cap. 3. num. 16. & diſp. 161. cap. 2. à num. 10. ac deinceps Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 18. num. 4. & Auctores infra citandi,* qui probe explicant Cap. *Sacris de his quæ vi.* quod videtur indicare contrarium, cum re vera non ita ſe habeat: vel quia in Eccleſia non eſt poteſtas tanti oneris imponendi, extra quoſdam caſus, graui cum ſubditorum damno, vt infra, vel quia, etiam ſi ſit, corripitur tamen, ac prudentiæ, & benignitatis quaſi fræno cohibetur, nè, abſque ſumma neceſſitate vrgente, ea vtarur. Igitur, cum lege poſitiua, annexam habente pœnam cenſuræ, præter naturale, diuinum ius quo à ſacrilegio, & fornicatione ſe abſtinere tenetur Epiſcopus, obligetur etiam poſt monitionem reſipiſcere, id non præſtans ex metu, licet peccet contra ius naturale diuinum, ſecus tamen cenſendus eſt peccare contra humanum, cuius tranſgreſſioni cenſura adiuncta eſt, vt communiter docent Auctores, noſque indicauimus *diſp. 4. cap. 1. num. 14.* & videre eſt apud *Soarium diſp. 6. de cenſur. ſect. 6. num. 8. Henriq. lib. 2. de baptiſmate cap. 3. num. 6. & lib. 13. cap. 21. num. 3. & lib 8 de euchar cap. 47. num. 4. & in Gloſſa litt. P. ex multis Nauarr. cap. 27. num. 239. Auil. 7. part. de cenſur. diſp. 2. in fine Coninck diſp. 13. de cenſur. dub. 12. num. 101.* qui omnes optime probant, metum præſtantem, nè factum aliquod ſit peccatum contra præceptum eccleſiaſticum, à cenſura etiam excuſare; tametſi illud fuerit contra ius naturale; quippe cenſura incurritur ob peccatnm ſolum contra ius eccleſiaſticum vt probè *Sot. in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 4. Nauarr. modo citatus num. 9. Auil. 2. part. cap. 5. diſp. 1. dub. 10. Coninck citatus dub. 8. num. 73. Suar. diſp. 4. de cenſur. ſect. 5. num. 6. & 3.*

num.

numero decimo quarto, vbi pariter excuſat à quauis cenſura lata in adiuuantes Turcas dimicantes contra Chriſtianos, & ipſoſmet Chriſtianos remigantes,qui metu mortis id præſtant;etiam quando Turcæ Chriſtianos perſequuntur.An verò hi remigantes Chriſtiani peccent,nec nè,huius loci nõ eſt decidere;breui tamẽ cum Auctoribus, eos excuſantibus ſẽtio,vt docui in materia de ſcãdalo,vna ad ſummum adiecta limitatione *Molina tom.1.de iuſt. diſp. 155.concl.1. & Soar. tom.5.in 3.part.diſp.21.ſect.2. num.62. Leſſij laudand,num.*123. in eo caſu, quo captiui, ea ni cooperarentur ratione, maximum Chriſtianæ Reipublicæ damnum euitari profectò poſſet; quod ipſorum detrimento, etiam vitæ,prudentis iudicio præferendum eſſet. Doctores autem, qui abſolutè Chriſtianos à culpa vindicant, ſunt *Corduba ſum.quæſt.137.dub.2.Nauarr. lib. 3. de reſtit.cap.4.dub.4.in fine,in noua editione num. 51.Azor.tom.1.lib.2.cap. 17. quæſt. 6. Leſſius lib.2.de iuſt.cap.9.dub. 18. num. 122. & cap. 13.dub.3.num 30.Emanuel sà in ſumm. verb. peccatum Vazquez in opuſculis de ſcandalo dub.7.ſanetque Sanchez lib.1.ſummæ capit. 6. num.18.alijque Recentiores.*

Quorum Auctorum ſententia maximè confirmatur ex his,quæ dicemus *tom. 2. lib. 5.diſp.2.cap.2.& 4.*

38 Conſultò per ſe loquendo ſupra dixi, quia ſi minæ,ſi periculum,ſi detrimentum etiam vitæ immineret,in odium Chriſtianæ Religionis,vel in Eccleſiaſtici præcepti, aut cenſurarum contemptum, Epiſcopus, vel clericus,in re noſtra, potiùs mortem ſubire tenerentur, quàm præceptum, etiam humanum,nè dum diuinum,tranſgredi; vel quia, licèt humanum tanto cum onere non obliget; obligat tamen hoc in euentu præceptum diuinum,tunc temporis dictans, atque cogens,vt cum vitæ periculo, vel etiam iactura ad tuendam Religionis exiſtimationem,eiuſdemque auertendum contemptum obſeruaretur præceptum illud humanum, cùm ex eius tranſgreſſione, exterius ſaltem virtute negari fidem, vel virtute contemni præcepta, & contemptori cooperari ſequeretur. Hinc ſancti Hermenygildi Principis Hiſpaniarum egregiam commendant conſtantiam Auctores; quippequi mortem fortiter maluit ſubire, quàm Euchariſtiam è fœtidis hæretici manibus excipere, *cap. ſuperueniente 1.quæſt 1.& cap. Vltimo 24.quæſtion 1.ex Gregor.libr.3.dialog. capit. 31.* vel quia,licèt regulariter tantum virium non ſit humano præcepto, aliquando tamen ob maius communeque bonum, eſt quidem; cui cum vitæ etiam diſcrimine parendum eſt,quippequod his ſub circumſtantijs obligar; ſic Epiſcopo præcipienti Parochis tempore peſtis adeſſe, nè fideles Sacramentis deſtituti decedant; vel Duci inuaſionem contra ingruentes hoſtes etiam cum periculo vitæ militibus iubenti obediendum; cùm poſſit Princeps,vel Reſpublica legem eo rigore obligantem ſancire, & totum Reipublicæ corpus, vel caput ſingulas eiuſdem partes vitæ diſcrimini, id bono communi poſtulante,exponere valeat, vt communi Doctorum conſenſu conſtat apud *Sanch.lib. 1.oper.mor.cap.18. num. 2. & Vazquez ſupra citatum num.10.Soar. diſp. 6. de cenſur. ſect.3.num.8.*

39 Notandum vigeſimo ſecundo. Quòd etiam indicaui *diſp.4.cap.1.num.16.* non modò dicta vera eſſe de metu notabilis dãni ab extrinſeco imminentis; verùm etiam Epiſcopum, vel Clericos ab hac excuſari poſſe cenſura,ob metum de periculo ex alijs occaſionibus ortum,quando non cenſebuntur contra præceptum facere eccleſiaſticũ; nam ob tale periculum vitandum, abſolutè licitum eſt, actionem obire per cenſuram prohibitam,vt probè poſt multos, quos citat,ac ſequitur *Soar.laudatus num.* 13. Quocirca ſicut ſi quis omninò ſit occultè excommunicatus, nec ſtatim abſolutionem obtinere,nec ſacrum omittere ſine infamia poſſit,licitè quidem ſacro intereſſe poterit, nè ſe prodat; ſic etiam, ſi facta monitione per Synodum,non poſſet Epiſcopus, vel Parochus ſine graui iactura famæ,atque honoris, vel ſine ſcandalo non inuiſere, verbi grat. mulierem illam ægrotantem; ex quo populus probabiliter malum ſuſpicaretur, tum de Epiſcopo, vel Parocho, tum de honeſta alioquin muliere habita; ſine dubio his ſub circumſtantijs obligatio humani præcepti robur minimè cenſeretur habere: idque à fortiori ſequitur ex ſuperiore notabili, nam grauis nocumenti periculum, quaſi ab intrinſeco reſultans ex humanarum conditione rerum magis quidem excuſat, quàm extrinſecus illatum; quòd extrinſeca coactio, cùm ex directa,atque immediata intentione ad legis violationem inducat, maiorem profectò,natura ſua, ei vim infert, atque iniuriam; neceſſitas autem ex humanarum rerum conditione nata, quæ ſua apprehenſione metum, ac probabile iudicium parit imminentis damni, non adeo directè ad tranſgreſſionem videtur tendere legis, ſed ea ſolum vrgente, actio quæ alioquin prohibita erat per cenſuram, medium eſſe arbitratur neceſſarium,ad illud quod modò diximus periculum effugiendum; igitur ſi prior neceſſitas orta ex metu extrinſecus illato,excuſare valet,potiori iure, & hæc altera. Et ſicut eadem de cauſa,nonnumquam

ſas eſt

fas eſt omittere, quod aliàs iure ſancitum eſt diuino, vt ſi vnum aperire peccatum ſine proprio infamiæ, vel periculo grauis damni non poſſum, reticere, licebit, atque alia confiteri: nec non ſacerdos mortali culpa obſtrictus, copiam non habens confeſſarij, quod alioquin ſine graui non valet omittere infamia, ſacrum facere proſecto poteſt, præmiſſa prò viribus contritione, abſq; confeſſione; ſic etiam in præſentia.

40 Verum enim vero, vt qui occurrere caſus ſimiles frequenter ſolent, vna compræhendantur regula prudentiæ. Summopere opus eſt periculi vel imminentis nocumenti grauitatem ex vna parte perpendere, ex altera vero qualitatem actionis prohibitæ, eiuſque circumſtantias, vt quæ cui præferenda ſit, prudenter iudicetur. Similem in re non diſpari tradit *Vazq.* regulam 1. 2. *diſputat.* 161. *cap.* 2. *num.* 8. ad iudicandam legem obligantem, nec nè cum vitæ periculo, ad quod ſedulo perpendendum èſt, num quod lege præcipitur obſeruandum, ita in vtilitatem communem multitudinis, vel Reipublicæ cedat, vt maius ſane bonum cenſeatur, ſeruare legem cum iactura etiam vitæ, quam propriam ſeruare vitam omiſſa lege.

41 Ex his deducitur, cum etiam propter euitandum aliorum ſcandalum licitum ſit, prætermittere, vel agere aliquid, præter obligationem cenſuræ; licere Præſuli, quin hanc quam expendimus, incurrat, & quin faciat contra præceptum Eccleſiaſticum, vt paulo ante dicebam, poſt monitionem Synodi, hac etiam de cauſa agere præter obligationem dictæ cenſuræ deduco ex *Nauarro in cap.* 1. *§. labore in fine de pœnit. dub.* 6. *& in ſum. cap.* 27. *num.* 239. *Caſt. lib.* 2. *de leg. pœn. cap.* 13. *circa* 2. *concluſ. Sot. in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 6. *Soar. citato num.* 14. *Diuo Thom.* 3. *part. quæſt.* 83. *artic.* 3. *ad* 2. *per ea verba in graue ſcandalum timeatur*, idq. locum in tertia actione noſtri caſus locum habere maxime poterit, quę quidem eſt conſuetudinis, quę quãuis in re poterit eſſe non bona, atque Synodo prouinciali ſufficienter nota, noticia requiſita ad monitionem ritè faciendam vt diximus *num.* 31. ſecreta tamen, & populo ignota videri poterit; qui nonnullis vrgentibus circumſtantijs ex eo quod Epiſcopus, nobilis ver. grat. illius fœminæ, non ingrediatur domum, ſcandalum ſubire profecto poſſet graue. Ratio autem huius doctrinæ illa eſt, quam ſæpe diximus, & quæ ſæpius dicenda eſt, vt altiùs animo inhæreat; quia humanæ leges cum proximorum ſcandalo non obligant, quod quidem maius malum, quam propria infamia eſſe ſolet; ergo, ſi huiuſmodi lege humana prohibita licent, potiori nomine id cenſendum licere ob ſcandalum, ad quod ex charitatis præcepto, & quidem grauiore, tenemus; qua de cauſa, vt probe *Soar. citatus*, Euchariſtiam dare licet occulto peccatori, publicè eam petenti. Nomine autem ſcandali; ſiue proprium theologicè ſumptum intelligendum ſit, quod vt in materia de ſcãdalo docui, *ex Auguſtino* pro occaſione accipitur dicto, vel facto minus recto, incautè data, committendi aliquod peccatum ſimile: quale quidem eſſet: ſi qui ad adulterium, fornicationemq; inducerentur, dum eccleſiaſticam intelligerent perſonam, vel religioſam, vel dignitate, præſertim donatam paſtoris, in ſimile crimen incidiſſe, ob quod ligatum vel legandum eſſe cenſura, vel ſacrificare non valere vt probe *Soar. num.* 19. ideoque quamcumque conſuetudinem cum hac vel illa muliere, alioquin apud ipſum populum honeſta, & bonæ famæ, illico eum recuſaſſe (ſupponimus enim, vt ſæpe dictum eſt conſuetudinem Synodo ſufficienter eſſe notam, non tamen eſſe propriè notoriam cæteris) ſiue accipiendum ſit ſcandalum pro occaſione ad peccatum diſſimile, vt ſi populus ea inducatur ad grauiter murmurandum, vel ad temere iudicãdum, etiam in alia ſimile; parum enim refert huius, vel illius ſpeciei eſſe peccata mortalia; cum per ea grauiter caritas lædatur, atque idcirco quoduis ſcandalum, graue præſertim, publicum nocumentum affert, ètiam conſideratum pro anſa data alijs vt minus rectè ſentiant, atque exiſtiment virtutem, vt probe *Sanchez lib.* 1. *oper. mor. cap.* 6. *num.* 20. deturque occaſio contemnendi, & parui faciendi peccata, & facilis in ea lapſus, ex malo exemplo dato: ſecus autem eſſet de ſcandalo pro quadam rei nouæ, admiratione ſumpto, quæ ex inſolito, & repentino euentu in populo excitari facile ſolet, atque allicit ad illam rem frequenti ſermone agitandam, ac murmur dici, & ſine peccato contingere ſolet, ad quem vitandum lex humana minime ſe videtur extendere, ni ex crebro illo ſermone infamia grauis in caſu noſtro in Epiſcopum reſultaret, vt ex doctrina generali apud Soarium modo citatum deduco.

42 Quod ſi hæc doctrina veriſſima eſt de vniuerſalis concilij, ac Summi Pontificis legibus, cẽſuris etiam monitis, quibus humanæ leges maiores nullæ ſunt, incomperto ſane debet eſſe ijs, minores maius habere robur non poſſe, neque tanto cum diſpendio, atque in hiſce, & ſimilibus caſibus obligare. Neque adducor, vt mihi perſuadeam, aliquos in Eccleſia Catholica eſſe, qui vel alios aliter doceant, vel ſibi quam cæteri ſapientiores, ni temerarij, ac prorſus exhibi-

lan-

landi eſſe velint è proprij cerebri expromptis legibus ſentiãt plus ineſſe virium, quam pontificijs, quam naturalibus, quam diuinis. Quòd ſi forte ſortuna fuerint nonnulli, optandum ſummopere eſſet, vt ipſi propriam agnoſcerent cæcitatem, diſcerentque Deum potius, quam homines vereri, ac timere *cum obedire oporteat magis Deo, quam hominibus. Actor. 5.*

43 Notandum vigeſimo tertio Epiſcopum reuera innocentem, qui neque malam habuerit conſuetudinem cum fœmina, neque ea, ſi cum aliqua habet, ſcandaloſa eſt; neque talis fœmina ſuſpicioni obnoxia, etiam poſt admonitionem factam à Synodo, non eſſe ſuſpenſum in foro interno; tametſi ad ſcandalum, ſi forte eſſet euitandum, ita ſe debeat in foro externo habere. Deduco ex Auctoribus, qui cenſuram non ligare in foro interno docent defectu cauſæ, ob quam impoſita eſt, quos refert *Couarr. Cap. Alma part. 1. §. 11. num. 4. & Soar. de cenſ. diſp. 4. sect. 7. num. 11.* & ratio eſt quia Præſul legem in hoc caſu non eſſet tranſgreſſus, etſi ab alijs putaretur tranſgreſſor: Secundo, quia *Tridentinum ſupra relatum ait, ſi ſe non emendauerint;* ergo ſi culpa vacaret Epiſcopus emendari non poſſet: Tertio quia materialiter, & impropriè tantum contumax eſſet; quod in conſuetudine cum mulierem ſuſpicioni obnoxia reuera non perſeueraret, ſed cum honeſta, qua cum honeſtè, & caſtè, vt antea in præſentia tractat; Eſto igitur per ſententiam quis, alioquin innocens, eſſet ſuſpenſus; poſſet tamen in conſcientia & ſecreto facere ſacrum, vt ex multis quos citat, & docet *Soar. diſp. 4 de cenſur. sect. 4. num.* 14. In foro tamen externo, vt ſuſpẽſus per ſe loquẽdo debet ſe habere, ni aliqua ex ſupradictis cauſis, probabili excuſaretur, idque ob contemptum, qui aliàs ſequeretur Synodi vel auctoritatis eccleſiaſticæ, quæ præmiſſa monitione ſuſpenſionem induxit.

DISPVTATIO VIII.

Quæ correctio ſit in præcepto.

Tridentino monitionem præſcribente, delinquenti Epiſcopo faciendam, priuſquam eiuſdem pertinaciter perſeuerantis apud Summum Pontificem denunciatio habeatur, vt ſuperiori capite indicatum eſt; eandemque monitionem faciendam Prælatis indignos ad beneficia eligentibus, præcipiente Lateranenſi Concilio, vt *tom.2.lib.*5. agentes de pœnis male eligentium dicemus: mea reor intereſſe hanc expendere quæſtionem, quod præſtare nequaquam poſſem, ni per ſua quaſi mēbra diuiſam explicarem. Primo igitur loco de præcepto fraternæ correctionis agendum eſt, deinde referre vnamquamque reliquorum ſententiam. Tertio veram exponere. Quarto declarare an Religioſis viris Euangelicæ correctionis ordo ſeruandus ſit. Quinto generales regulæ ex dictis deducendæ ſunt. Sexto in calce diſputationis rationes in contrarium diluendæ. Demum nonnulla ad correctionem Epiſcopo nota incontinentia affecto faciendam deducere.

CAPVT PRIMVM.

De obligatione fraternæ correctionis:

SVMMA.

Correctio fraterna miſericordiæ actus eſt nu. 1.
*Correctionis actus eſt in præcepto num.*2.
*Probabile eſt Chriſtum non addidiſſe nouum præceptum, ſed morale caritati connaturale expoſuiſſe, etſi contrarium, quo ad ſecretam monitionem, probabilitate non careat. num.*3.
Huius præcepti materia quodcumq; peccatū mortale, nonnullis ſeruatis circumſtantiis eſt n. 4.
Eſto peccatū occultū propria ſit ſecreta monitionis materia, nonnunquam etiā eſt publicū n. 5.
*Ex textu Matthæi deducitur obligatio ſecretæ correctionis nu.*6.
*Præſtantia huius præcepti num.*7.

1 Libare potius, quam diſputare, quæ comprehendam hoc capite, operæ pretium arbitror, quippe, & ſanctarum ſcripturarum teſtimonio, & conſenſu Doctorum firmata, abſque controuerſia ſupponenda potius, quam probanda videntur.

Primum igitur aggredientes, vt omnibus de fide exploratum aſſerimus, fraternam correctionem honeſtum eſſe actum miſericordiæ, & caritatis *Eccleſiaſt.*29. *Melius eſt à ſapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. Pſalm.*114. *Corripiet me iuſtus in miſericordia Prouerb.* 17. *Melior eſt manifeſta correctio, quam amor abſconditus. Matth.*18 *ſi peccauerit in te frater tuus corripe inter te, & ipſum ſolum*, & ſexcentis alijs, quibus hæc veritas ſole clarior ſcripturæ ſentētijs patet. Eſt enim correctio medium quo conſulimus bono proximi ad quod ſuauiter, atq; efficaciter ipſa deducens, miſeriam peccantis per miſericordiam eleuant. Deiq; offenſam auertens, præſtātiſſimæ caritatis, ac miſericordiæ ſibi vēdicat honeſtatem; cui non modo prudentia inſeruit voluntatem illuminando, vt velit ipſa corrigere, verum etiam, vbi hunc actū caritas imperat, & miſericordia elicit, vt externæ executioni rectè illū mandet homo, à prudētia ipſa ſeruatis circumſtātijs debet dirigi, atq; ita *D.Th. interpretes 2.2.q.33. ar.1. cui adhæret Sotus de ſecreto tegēdo mem. 2.q.1. ſub initio.* Quapropter à nobis in modo tantum loquendi *Caiet. 2.2. qu. citata 33. art.*1. diſcrepare videtur.

Deinde

2 Deinde compertum habemus, hunc actum eſſe præceptum, & quamuis *Sotus de teg. ſec. mem. 2. quæſt. 1. concluſ. 4.* indicaſſe videatur, non eſſe hæreticum aſſerere contrarium; nihilo tamen minus, quod diximus, & ratione, ſequenti concluſione declaranda, & apertè patet ex locis ſupra citatis, quibus addo *ad Thimot. 5. ſub initio textum & 1. ad Theſſalon. 5. Corripite inquietos &c.* & ex communi Patrum peccati damnantium eos, qui vtilem fratris omittunt correctionem *Chryſ. hom. 60. in Matth. Hieronym. in pſalm. 140. Auguſt. ſerm. 16. de verb. Dom. Greg. lib. 12. Regiſt. epiſt. 31. & aliorum, quos infra laudabimus: atque ex communi Theologorum Diui Thomæ 2. 2. modo citati, Riccard. Durand. & aliorum in 4. diſt. 19. Soti laudati memb. 2. per quatuor primas quæſtiones Altiſidior lib. 3. ſum. tract. 21. cap. 1: Summiſt. verb. correctio fraterna, & V. I. Peritor. paſſim hoc agnoſcentium præceptum præſertim in* Cap. *Nouit de iudic.* Cap. *Si peccauerit 2. quæſt. 1. & expreſſe in* Cap. *Tam ſacerdotes ex Anaclet. 24. quæſt. 3.* Cap. *Non inferenda 23. quæſt. 3. ex Ambroſ. lib. 1. de offic. cap. 36. Qui non repellit à Socio iniuriam ſi poteſt tam eſt in vitio, quam ille qui facit.* Probatur *ex Paulo ad* Galat. 6. *Fratres & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis conſiderans teipſum, nè & tu tenteris, alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem* Chriſti. Ratio autem eſt, quòd homo & ſpectari poteſt vt rationalis, ac ſociabilis: & vt ciuilis, ac membrum Reipublicæ *ex Ariſt. 9. ethic. & 1. polit.* ſub prima ratione, naturæ inſtinctu tenetur alterum inſtruere, & inuicem homo hominem docere, à malo auertere, atque ad bonum inſtigare; ſub ſecunda pariter ratione quiſque iure naturali errantem tenetur conſilio dirigere, atque ad viam reuocare rectitudinis; quæ quidem lex naturalis arctiùs obligat chriſtianos, qui Auctore *Apoſt.* 1. *ad* Corint. 12. *Sumus vnius corporis mēbra*; ſicut igitur manus ſtomaco, pedes oculis, & è cōtra; nec non politicè pauperes diuitibus, ſenibus iuuenes, vel vice verſa adiumento ſunt, ita in re noſtra.

3 Hinc tertio probabile quidem eſſe ſentimus, & quam plurimorum Doctorum auctoritate firmatum, nouum non eſſe præceptum impoſitum *Matth* 18 ſed morale, connaturale caritati, ac fraternæ dilectioni, declaratum; quamuis contraria docens opinio, ſpeciale præceptum impoſitum, eſſe diuinum, quo ad ſecretam præſertim monitionem, ſuam habeat probabilitatem. Patebit hæc aſſertio ex infra dicendis; ad quam vtraque indicata ſententia faciet, neque alia certè in mentem venit, penes quam controuerſiæ agitandæ tractari poſſint: neque immoror in earum probatione doctrinæ quam eruditè tradit *Soar. 4. to. de relig. diſ. 10. cap. 7. n. 14. & de car. diſ. 18. ſect. 2. n. 3. & ſect. 3. & 6.*

4 Huius præcepti materia quodcunque eſt peccatum mortale proximi, ſeruatis infra dicendis circumſtantijs, ex Doctorum conſenſu, nam etſi nonnulli Sancti Patres, ac Doctores de iniuria interpretentur textum *Matth.* 18. alicui tantum iniuſta, verum abſolutè tandem ipſimet de culpis etiam, non in Corripientem commiſſis, dominicam exponunt ſententiam, vt videre eſt apud *Ambroſium, qui cum lib. 8. in cap. 17. Lucæ de huiuſmodi iniuria intellexerit; in pſalm. tamen 98. Ad ea.* Cognoui *vias meas &c.* abſolutè, citatum textum interpretatur de quauis culpa: vel quia, quamuis Chriſtum Dominum de iniuria, ſeu offenſa eius, qui corripere debet, demus fuiſſe loquutum, non id tamen ad reliqua excludenda delicta, verum ad ea potiori comprehendenda iure, præſtitiſſe, dicendum eſt; etenim, ſi quempiam iniuria me afficientem, corrigere teneor, arctiore ſane vinculo ſi Deum offendentem vel me ſcandalo ad malum allicientem quempiam videro, abſque dubio corripere obligabor. Quorſum enim potius ab iniuria me petentem potius, proximum, quam meum bonum ſpirituale, & Deum ipſum offendentem fratrem reuocare cogar? cum nonnulla potius excuſationis anſa ab hoc officio mihi erga proximum præſtando, ob iniuriam in me illatam intercedere videatur, nè modum ſcilicet excedam in re propria, nè vindictam potius, quam correctionem fratris intendam, ac ſimilia; quæ quidem in correctione peccatorum non contra me commiſſorum, vel omnino ceſſant, vel non adeo vrgent, vt probè *Innoc. 3. in citato* Cap. *Nouit.* vel quia ſi Chriſti Domini ſpectemus intentum, vt peccantem, ſcilicet, non acerbè accuſemus, ſed bono eiuſdem ſpirituali, ac temporali famæ conſulentes, benignè corrigamus, de omni peccatorum genere illum agere, ſentiendum eſt. Dixit itaque *Si peccauerit in te &c.* quia tunc acerbi, tunc acres, tunc diſerti repræhenſores eſſe ſolemus, cum eos, qui contra nos peccauerunt obiurgamus, & cum maxime noſtræ vacamus vindictæ, ſimulato ſub pallio virtutis, & inanis caritatis oſtentatione, perſonataque miſericordia, ficto non modo ſermone, ſed hypocritæ vultu fratrem hoſtiliter carpimus. Quamobrem voluit Chriſtus Dominus ibi nobis ſapientiſſimè frænum inijcere, vbi maximum animaduertit eſſe periculum; nè præcipites, vi corruptæ naturæ, ageremur. Verum ex vna peccato-

rum ſpecie totum intelligendum eſt genus culparum, vt probè *Maldon. hic.* Domino itaque conſilium fuit, vniuerſalem de corrigendo fratre doctrinam nobis tradere, quæ ex fine facile colligitur. *Lucratus eris fratrem tuum*; qui quidem in omni graui lapſu haberi poterit; hinc probè *Origen. tract. 6. in Matth.* de quacumque culpa textum intellexit, vel quia *Tò in te* ita declarari poterit, vt intelligatur quaſi tibi dans ſcandalum; cum in nos peiori quidem ratione agi non poſſit, quam dum ſcandalo noſtra intenditur ruina ſpiritualis; quippequæ materialiter ſaltē, ac virtute à quouis corā me peccante intenditur ſic 1. *ad* Chorint. 8. *ait Paul. Sic autem peccātes in fratres, & percutientes conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis* quo ſenſu locum quem præ manibus habemus *Matth.* illuſtrauit hiſce *Theophila. Sermonem contra offendiculum dantes valde extenderat, nunc & eos qui offenduntur corrigit.* Quo ſenſu *Gloſſam interlinearem, & alteram Hieronymi interpretatur Sotus de teg. ſec. mem. 2. quæſt. in argum contra 2. concluſ.* fauet *Chryſoſt hom. 1. de verb. Iſaiæ*: fauet contextus de peccato ſcandali ſermonem habens. Conſtans igitur ſententia ſit, materiam huius præcepti eſſe graue quodcunque peccatum ex ſe. Ratio autem eſt deriuanda ex fine, vt paulo ante dicebam; qui quidem eſt Lucratio fratris *Si te audierit Lucratus es &c.* igitur illud quod fratrem perdit, materia correctionis eſt; ſed per mortalem perditur frater ergo &c. Quid autem ſentiendum ſit de peccato veniali dicam *cap. 6. num. 21.* Num vero emendatum vel non emendatum ex parte diximus *ſuperiori diſputatione cap. 8. not. 8. numer. 13. & infra capit. 4.* magis dilucidabitur. Qua vero notitia cognitum debeat eſſe delictum, præſertim ſi monitio fiat in ordine ad iudicialem ſeriem, poſtea inducendam, dictum eſt ſupra *not. 17. numer. 31. & cap. 4.* infra explicabitur; idemque dixerim de morali & mortali periculo, in quo voluntariè, & cum culpa quis ſe conſtituit, vt deinceps dicemus *cap. 4. num. 21.*

5 Demum quamuis è contextu, & varijs quæ deducuntur ex eo circumſtantijs peccatum occultum propriam eſſe huius præcepti materiam liqueat; quod indicauit *Auguſtinus ſæpe citatus ſerm. 16. Peccauit in te frater tuus, ſi tu ſolus noſti, tum verè in te ſolum peccauit; nam ſi multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos teſtes ſuæ iniquitatis fecit. Fauet Innoc. 3. in Capit. Cum ex iniunſto de hæret*; nihilominus tamen peccatum etiam publicum aliquo pacto, ſeruatis ſeruandis, hoc præcepto comprehendi compertum habeo, ſiue abſolutè fuerit publicum, ſiue coram duobus, vel tribus, quod probabile dici ſolet. Itaque inſtar occulti admonitio facienda eſt publici peccati, quod ſi vni vel alteri fuerit notum illi prius adhibendi ſunt, & non alij teſtes, de quibus infra vberiùs.

6 Illud autem communi Doctorum ſenſu receptum eſt, vt patet ex Diuo Thoma ſæpe citando ex Abbate, & alijs in hoc textu, tum ex fine illis verbis generaliter declarato *Lucratus es fratrem tuum*, tum ex obligatione caritatis, & ſpiritualis eleemoſynæ, obligationem quoque deduci correctionis ſecretæ, ſemper debitis interuenientibus circumſtantijs, faciendæ; qua quis contendat Lucrari fratrem, è miſeria educendo: ſiue delictum ſit tale, quod poſtea Superiori denuntiandum ſit, vt Patri, ſiue vt Iudici; nam eſto huius denuntiationis iudicialis faciendæ, Chriſtus expreſsè mentionem feciſſe videatur; nihilominus alteram etiam ex fine comprehendiſſe, videtur apertum: & ſicut *Cap. 4. obſer. 4. numer. 4.* dicemus, & mox indicaui, iuxta proportionem ad delictum omnino occultum, de quo Chriſtus egit expreſsè, ſeruandum eſſe ordinem in alijs delictis adeo clarè non expreſſis; ſic etiam in caſu noſtro ab ordine ſeruando in foro iudiciali, colligenda eſt forma in quacumque denuntiationem, ſeruata proportione. Immo fraterna, & ſecreta correctio, adhibitis circumſtantijs bona, ex ſe adeo videtur, vt in præcepto ſit; igitur ad quamcumque poſtea denuntiationem dirigatur, ſemper eſt exoptabilis; quam executioni eſſe mandandam magis indubitatum eſt, quam alios actus poſtea ſequentes. Hinc non placet *Soarius 4. tom. de relig cap. 10. num. 2.* aſſerens verba Chriſti Domini parum vrgere ad correctionem fraternam commendandam; cum in præcepto eſſe & naturali, & diuino etiam ex hoc Matth. loco ipſemet ſæpe laudatus, & laudandus, Doctorum conſenſu fateatur. Sic habet in 2. 2. *de caritate diſp. 18. ſect. 2. num. 3. & ſect. 3. &* 6. vbi de eiuſdem circumſtantijs & ordine.

7 Huius autem præſtantia præcepti quoad ſubſtantiam deducenda eſt, tum ex rationali natura, in qua ſignatum eſt lumen diuinum, vt *num. 2.* indicaui, tum è Chriſto Domino ſummo Legislatore: tum ex materia ad charitatem, miſericordiam, & prudentiā varijs ſub rationibus ſpectante, que nadmodum *nu. 1.* dictū eſt: tum ex fine, qui emēdatio eſt proximi, peccati, & ſcandali euitatio, ad quem finem hæc ſane correctio opportunis ſe habet modis, ac medijs. An autem obliget ad mortale conſtabit ex *cap. 4.*

CA-

CAPVT II.

Ordinem euangelicæ correctionis in præcepto non eſſe autumant, & probant nonnulli.

SVMMA

Primum argumentum ductum ab exemplo Dei Hominem primo publicè punientis, quam corripientis num. 1.
Ex geſtis Sanctorum num. 2.
Ex accuſatione argumentum num. 3.
Ab vſu Religionum num. 4.
Iterum ex maiori bono ſpirituali præferendo temporali bono famæ num 5.
Demum quod non videatur hoc præceptum comprehenſum decalogo num. 6.

CVM præceptum *ſuperiori capite* declaratum poſitiuum ſane ſit, neque ſemper, ſed nonnullis adhibitis obliget circumſtantijs; ideo nonnullis fortaſsè videbitur, tametſi quo ad ſubſtantiā vigens; ſecundum has tamen circumſtantias eam ſubire varietatē vt ſaltē quo ad ordinē à Chriſto Domino indicatū vim non habeat.

1 Quia D.O.M. quem in operibus caritatis imitari debemus *ex Paulo ad Epheſ.* 5. interdum publicè punit hominem, nulla ſecreta peccati monitione præmiſſa; ergo hæc neceſſaria non videtur.

2 Geſta Sanctorum nobis regula ſunt interpretandi præcepta *ex Auguſt. tom. 4. de mendac. cap.* 15. *ante medium; ſed Geneſeos 37.* Ioſephum legimus apud Patrem, Fratres, non præmiſſa correctione, accuſauiſſe, nec non *Actor.* 5. Petrum Ananiam, & Saphiram occultè defraudantes Eccleſiam de pretio agri, nulla priuata correctione adhibita, non publicè modo denuntiauiſſe, ſed pœna affeciſſe; immo ipſe etiam Dominus non legitur ſecreto prius Iudam admonuiſſe, quam dixiſſet Eccleſiæ; ergo.

3 Accuſatio grauior eſt denuntiatione: atqui ad publicam accuſationem quis poterit (nulla monitione facta) procedere; ſiquidem *Cap. Qualiter & quando il 2. de accuſ.* habetur, ante accuſationem ſolam inſcriptionem præcedere; ergo opus non eſt, vt denuntiationem præcedat priuata correctio.

4 Probabile non eſt, quæ in communi Religioſorum conſuetudine recepta ſunt contra præceptum Chriſti eſſe; ſed non modo conſuetudine firmatum eſt in Religionibus, ſed regula præſcriptum, vt proclamationes in Capitulis fiant nulla præmiſſa fraterna correctione ergo &c.

5 Maius bonum ſpirituale præferendum eſt damno temporali propriæ famæ ſubditi, etſi illud medium non ſit præciſè neceſſarium; ſicut Medicus prudenter adhibet acriorem medicinam, ſi multo vtilior ægro futura ſit quamuis non ſimpliciter neceſſaria.

6 Omnia præcepta ad ſalutem neceſſaria ad aliquod Decalogi reducuntur, ſed hoc correctionis fraternæ ad nullum ex his reducitur; ergo. Multa poſſem argumenta referre è varijs Religioſorum inſtitutis deducta; verum cum de his non liceat agere multa prætereo.

CAPVT III.

Præluſio ad veram ſententiam.

SVMMA.

Denuntiatio eſt triplex num. 1.
Primum diſcrimen ex fine inter denuntiationem paternam, & iudicialem num. 2.
Secundum diſcrimen petitum ex materia, quod paterna non verſatur circa peccatum, vt commiſſum, ſecus iudicialis num. 3.
Sunt autem quamplures, qui neque iudicialem adhibendam eſſe denuntiationem arbitrantur criminis iam commiſſi, & emendati num. 4.
Tertium diſcrimen è prærequiſitis deriuatum num. 5.
E ſtylo denuntiatio iudicialis etſi poſſit, non tamen debet fieri ante monitionem fraternam. ibidem.
Quartum diſcrimen ex genere virtutis numer. 6.
Delictum occultum quotuplex eſſe poteſt numer. 7.
Diſtinctio delictorum ex periculo num. 8.
Non omnia delicta ſunt propriè contra bonum commune num. 9.
Generalis regula ad peccatum agnoſcendum vt communi bono contrarium num. 10.
Ex delictis in bonum vergentibus commune quadam paruitatem habent materiæ, ſecus alia num. 11.
Quot actus amplectitur textus Diui Matthei *18. num. 12.*

ANtequam hanc, vltra quam dici poteſt, & neceſſariam, & vtilem, & paſſim incidentem quæſtionem prò viribus, & veritate explicem, nonnulla habeo adnotare.

1 Notandum primo denuntiationem ad rem noſtram triplicem eſſe, euangelicam & fra-

fraternam, quæ à fratre fit, iuxta præceptum
hactenus explicatum: Secundam huic proxi-
mè accedentem, quæ fit Superiori non vt iu-
dici, ſed vt patri, ac dicitur paterna: Tertiam,
quæ Superiori fit, vt in iudicio procedatq́. Et
quamuis aliter denuntiationis diuiſionem
afferri à Doctoribus nouerim, vt videre eſt
apud *Panor. in Cap. Nouit de iud. à num. 47.*
Sot. relect. de teg ſec. mem 2. quæſt. 5. Soar. de
fide ſect. 4. num. 2. & 4. tom. de relig. lib. 10.
cap. 8. num. 2. nihilo tamen minus ad rem no-
ſtram allata meliorem aſſignari non poſſe,
ex dilucidationis progreſſu conſtabit: neque
immoror in diſtinctione perpendenda inter
denuntiationem euangelicam, & canoni-
cam, quæ nobis profecto inutilis eſſet, & à
Soario vltimo loco citato probè declaratur.

2 Operæ pretium igitur me facturum eſſe
iudico, diſcrimina ſi aſſignauerim inter iu-
dicialem, & euangelicam denuntiationem,
vt fraternam, & paternam comprehenden-
tem. Et primo ex fine, conſenſu Doctorum
diſcriminãtur; quum Auctore *Ariſt. Ethic. 5.*
& 7. vt ſe habet Principium in ſpeculabili-
bus: ita finis: in operabilibus; Itaque per
Euãgelicam vindicta non intenditur delicti,
ſed emendatio fratris. Hic autem finis dedu-
citur ex verbis Domini *Lucratus es fratrem*
tuum: Iudicialis vero ad vindictam, ſeu deli-
cti pœnam refertur ob bonum commune,
vel ipſiuſmet denuntiantis; nè delicta rema-
neant impunita; quod diſcrimen rectè *Soa-*
rius ex communi ſententia probat *tom. 4. de*
relig. lib. 10. cap. 8. num. 9. Secundum, inter
3 has denuntiationes diſcrimen ex materia
deſumitur; quòd illa peccatum etiam com-
miſſum reſpiciat, etſi peccator ad meliorem
ſe conuerterit frugem; cum ſit reus pœnæ,
quam vt luat ſi è Republica erit, iuridicè de-
nuntiari poterit. In quo vt conuenit, vel di-
ſcrepat ab accuſatione hæc denuntiatio, vi-
dendum eſt apud *Sot. de teg. ſec. mem. 2. quæſt.*
5. *Soar. 4. tom. de relig. lib. 10. cap. 8. num. 11.*
paterna verò circa peccatum, vt commiſſum
minime verſatur, ſed vt à futura aliqua pen-
dens ratione, vel quia non emendatum, vel
quia pro eo ſatisfactum non eſt, vel quia re-
cidiui periculum imminet, vel aliqua alia
ratione cum futuro connexa: ſic *Sot. de teg.*
4 *ſec. mem. 2. quæſt. 2. concluſ. 2.* Verum hoc di-
ſcrimen adæquatè ſumptum reuocatur in
dubium à *Soario citato*, quòd multi etiam
ſentiunt *Auctores aſſert. 8. ſequentis capitis*
num. 34. laudandi, etiam de criminibus con-
tra bonum commune, ac de alijs occultis, ſeu
emendatis iudicialem denuntiationem fa-
ciendam non eſſe: quare in inquiſitionibus
generalibus optimè ait *Sot. de iuſt. & iur. lib.*
5. quæſt. 5. art. 1. in 3. dub. poſt 2. concluſionem.
Quando præcipitur edicto, vt quiſque Pæ-
nitentia denuntiet crimina, nullum teneri de-
licta, vel accuſare, vel denuntiare, ſi emenda-
ta ſint; de quibus quid ſentiamus infra do-
cebimus.

5 Tertium diſcrimen ex prærequiſitis de-
ducitur, quòd iudicialis denuntiatio per ſe
præcedentem correctionem fraternam ne-
ceſſario non poſtulat, ſi delictum fuerit pu-
blicum, vt *ſequenti capite concluſ. 5.* dicemus:
ſecus paterna, quæ (præciſa regula ſpecialis
alicuius Inſtituti religioſi in Contrarium,
quod vt veneramur, ita hic non expendi-
mus) per ſe prærequirit fraternam correctio-
nem, vbi fratris emendatio de delicto, aliàs
occulto ſperatur, vti notat expreſsè *Soar. ci-*
tatus nu. 13. quod ex hoc Auctore iuuat ad-
notaſſe, cum contra eum, vt infra demon-
ſtrabimus, faciat. Quod tamen ſtylus, con-
ſuetudo, & conſenſus Auctorum, & quidem
notatu dignum habent, non inficior, ad ca-
lumnias, quibus hæc noſtra maxime patet
ætas auertendas, denuntiationem etiam iu-
dicialem non eſſe admittendam, ni præce-
dente monitione fraterna, quia lex caritatis,
etiam in hoc euentu ſeruanda eſt, quin etiam
cum ad punitionem ordinetur iudicialis de-
nuntiatio, minime decet, vt qui denuntiat
imponè id præſter, ſed ſi libet potius accu-
ſatione vtatur, vt onus probandi ſubeat; id-
que voluit *Cap. Nouit de iud. ad ea. In corre-*
ctione proceſſit ſecundum regulam euangeli-
cam, vt capitulo ſequenti num. 9. fuſius dice-
mus. Alias (addit Gloſſa) *Denuntians non au-*
ditur niſi monitione præmiſſa, eſtque expreſ-
ſum. *Cap. Cum dilectus de accuſat. Si conſtite-*
rit præfatum Epiſcopum *de iam dictis exceſſi-*
bus non fuiſſe præmonitum ab eiſdem, à denun-
tiatione repellatis eoſdem. Quo textu præſtan-
tiorem ad rem noſtram, de denuntiando
Epiſcopo, ſicut præſcribitur à Tridentino,
& infra dicetur, haud facile erit inuenire; &
expreſſiùs habetur *Matth. 18. vt nos concluſ.*
6 *3. ſequentis capitis dicemus.* Demum diffe-
runt Virtute, quod correctio fraterna actus
eſt miſericordiæ, & caritatis: Iudicialis vero
actus iuſtitiæ, vt probè *Sanctus Thomas 2. 2.*
quæſt. 33. art. 1. dixit de hac eadem, vt diſtin-
cta ab accuſatione atque inquiſitione.

7 Notandum ſecundo, delictum quod eſt
corrigendum, vel denuntiandum primo eſſe
poſſe occultum, vt diſtinctum à notorio, no-
torietate iuris; de qua dictum eſt *lib. 2. diſp.*
5. cap. 3. Secundo pro vt diſtinctum à noto-
rio notorietate facti, de qua ibidem. Tertio
quòd tametſi ſciatur à multis, & probari
poſſit, non tamen adhuc eſt omnino, ac pro-
priè notorium, vt ſuperiori loco citato dixi,
neq; probatum; diciturque occultum reſpe-
ctiuè. Demum occultum eſſe poterit quod
ab vno tantũ ſciatur qui denuntiare poſſit.

No-

8 Notandum tertio, delicta alia eſſe commiſſa ſine periculo: alia cum periculo recidiui, alia non dum exequutioni mandata, quorum proximum imminet periculum.

9 Notandum quarto, delicta contra bonum commune varia ab Auctoribus ſpecialia, atque indiuidua numerari, è quibus certam deduci regulam, ad ſingula quæquæ cognoſcenda haud facile erit: cum igitur omnia pene delicta aliquo pacto ſint (me iudice) contra ipſum delinquentem; qui quidem membrum eſt Reipublicæ; omnia ſanè hoc pacto conſiderata contra bonum commune dici poterunt: deinde, cum omnia delicta publica, offendiculum, & ſcandalum alijs pariant, potiore ratione in plura membra Reipublicæ cum ſint, contra bonum eſſe commune à quopiam cenſebuntur. Præterea, cum fere nullum ſit peccatum, quod mediate, ac virtute, ſeu reductiuè contra Rempublicam non ſit; vel quia reddit minus habilem hunc ciuem ad ſuum munus, vel quia, ſi publicum fuerit, cæteros ad eadem, vel ſimilia perpetranda peccata allicit. Hinc, ſi prænotata peccata quis contra bonum commune vellet appellare, licet in ſenſu explicato nil abſurdi per ſe diceret; ſentiret tamen contra Doctorum conſenſum, qui non quodcumque peccatum eſſe contra bonum commune docuerunt, vt ex hac ſequela conficitur; immo apertè à *crimine* illa diſtinguunt, cuius nomine capitalis fraus ab eis intelligitur, qua Reſpublica læditur, veluti falſitas monetæ; delicti vero nomine priuata noxa, qua priuatim quiſq; læditur veluti furtum &c. *Ex Vlpiano lib. 17 §. 16. ff. de edilit. edict.* Sequeretur præterea poſſe iudicem procedere in quibuſcumque cauſis omnium delictorum, via inquiſitionis, contra quemcumque delinquentem, nulla præcedente infamia: poſſe etiam quemcumque denuntiatione vti iudiciali, abſque præuia correctione fraterna: ſequeretur inſuper ſecundum nonnullorum opinionem apud *Syluest. confeſſ. 3. num.* 2 quoduia peccatum committendum, etiam in confeſſione acceptum, poſſe à Confeſſario ſubodoratum aperiri; cum per hos Auctores peccatum contra bonum publicum, poſſet reuelari; quippe penes hunc ſenſum omne delictum eſſet contra bonum commune; quod quantum abſurdi contineat, nullus eſt, qui non videat. Nullum autem eſſe delictum quod modo declarato immediatè, vel mediatè: formaliter, vel virtute, per ſe, vel per accidens directè, vel indirectè contra bonum non ſit commune, exẽplo clarius faciam. Fornicetur Ciuis; huius fornicatio contra ipſius priuatum bonum proprium, & ſpirituale, ac temporale perpendi poterit, & quia eum priuat gratia diuina, & quia ad munera propriæ domus benè regendæ reddit minus habilem: & quia ad militiam fere ineptum &c. qui quidem, cum membrum ſit huius ciuitatis, & cum contra eum fornicatio fuerit, etiam ſpectatum, vt membrum Reipublicæ; profecto contra Rempublicam huius Ciuitatis fornicatio Ciuis dicenda eſſet; atque hæc Ciuitas cum pars Italiæ ſit contra totam Italiam aliquo pacto, immo contra totam humanam Rempublicam, quod ridiculum abſque dubio eſt. Communem igitur regulam ſi aſſignauerimus maximum operæ prætium nos facturos arbitramur.

10 Itaque, delictum cum definiat *Auguſtinus apud Simonem Scardium in lexico Iuris*. Declinationem à bono, quà bonum prætermittitur, quod conſonat opinioni probabiliſſimæ Theologorum aſſerentium formalem peccati rationem ſitam eſſe in carentia rectitudinis actus contrarij ſiue per modum priuationis, quod hic non curo: quæ quidem formalis carentia rectè declarari ſolet per ordinem ad obiectum, oppoſitum obiecto actus virtuoſi: ſic actus intemperantiæ per oppoſitionem, & carentiam rectitudinis obiectiuæ actus oppoſiti temperantiæ probè explicatur: ita *Magiſter in 2. diſt. 34. Beluacenſ. in ſpeculo lib. 3. parte 2. diſt. 1. Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 18. art. 1. Valent. ibidem diſp. 2. quæſt. 13. punc. 3. Molina. 1. part. quæſt. 5. diſp. vnica. Bellarm. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap. 7. & alij apud Salam 1. 2. quæſt. 71. diſp. 2.* Ex hac autem tot, ac tantorum Virorum ſententia illud contra bonum commune peccatum dixerim, quod directè, ac per ſe declinationem includit à bono communi, atque in obiectum contrarium tendit. Communitas vero boni cum varia ſit, & maior, & minor, prò immediata etiam oppoſitione, quam habet delictum ad illam, & prò declinatione ab eodẽ bono cẽſenda eſt grauior, vel minus grauis, ita vt regulæ, quæ ad delicta immediatè oppoſita vniuerſaliſſimo bono cognoſcenda applicantur, eodem cum rigore, minime poſſint vſui eſſe pro delictis, oppoſitis ſpeciali cuidam communitati, vel Reipublicæ eiuſque bono ſatis ſuperque circumſcripto. Hinc delictum contra communem fidem, omnium peſſimum cenſendum eſt, vt hæreſis. Contra communem religionem, vt blaſphemia. In ipſam etiam Rempublicam, vt coniuratio. eo peior, quò Reſpublica maior, atque illuſtrior. Sic pariter in perſonam Principis: Falſificatio etiam monetarum, quòd hæ commune ſunt inſtrumentum humani commercij: publicæ viarum proditiones, vt pote contra publicum & commune, cui viæ deſeruiunt, bonum: contra publicam fidem, vt mendoſæ, falſæ, vel

falſo

falſo imitatæ, & corruptæ ſcripturæ, ementiti præſerrim ſigilli Reipublicæ, Principis; & cætera huiuſmodi. Reliqua veró quæ immediatè non ſunt contra commune bonum, à quo per ſe, ac propriè, immediateque non recedunt; ſed reductiuè, vel conſequenter, vel remotè, vel ex aliqua adiuncta circumſtantia, vt eſſet publicnm, ver. grat. homicidium perſouæ priuatæ, etſi contra tertiam perſonam priuatam; non idcirco tamen contra commune bonum, propriè cenſendum eſſet, licèt ob ſcandalum, vt initio dixi præcedentis numeri, aliquod inſerat damnum Communitati, quaſi arguitiuè, & conſequenter. Quæ quidem regula non modò ſecularibus, ſed etiam religioſis vſui poterit eſſe Communitatibus: ex qua reijcere facilè erit quotquot delicta, per minus cautam doctrinam, ab Auctoribus venditantur, vt oppoſita bono communi; cur enim in religioſis familijs, qui abſque licentia ſuperioris dono excipiet à ſeculari quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale, cenſendus erit per ſe, ac propriè feciſſe contra bonum commune? Quamobrem non placet *Alderett. lib. 1. de relig. diſcip. cap. 5. §. 4. à numero* 28. contra hanc doctrinam immeritò ſentiens, ac putans quædam delicta contra commune bonum à noſtra regula deficientia.

31 Cęterum delicta, quæ contra bonum ſunt commune nonnunquam paruitatem habent materiæ, nonnunquam verò non admittunt, vt hæreſis: de his verò quæ admittunt idem non eſt ferendum iudicium, ſed grauitate etiam penſata materi prudenter iudicanda ſunt. Hinc ratio huius noſtræ regulæ deſumitur, nam penes Theologorum ſententiam, quam ſuperiori numero indicauimus, cum ſpecifica peccatorum malitia deſumenda ſit à carentia rectitudinis virtutis oppoſitæ per ordinem ad obiectum proportinnatum; illud profectò peccatum erit contra bonum commune, quod carentiam actus contrariæ virtutis, ac tendentiam ad obiectum proportionatum habebit. Quod ſi ſpecifica ratio peccatorum ſita ſit, vt ego ſentio, ac ſæpe docui, in diſconuenientia cũ natura rationali, vt tali, quemadmodum probè *Vazquez* nobis teſtatum reliquit 1. 2. *diſp.* 95. non excluſo ad obiectum etiam diſconueniens ordine; illud erit peccatum contra bonum commune, quod, vt ſic diſcõuenientiam habebit cum natura rationali, vt tali, illud ipſum appetenti, & quod tendit in obiectum malum oppoſitum communi bono. Fauet *Sotus de iuſt. & iur. lib. 5. quæſt. 5. art. 1. ſolut. ad 1. obiect. contra 1. concluſ. ſibique ſimilis de teg ſec. memb. 2. dub.* 1. ea eſſe peccata ſcripſit in perniciem publicam *Quæ habent pro obiecto proximo bonum publicum*, nimirum à quo deficiunt, & contra quod tendunt, non autem alia, ni omnia miſcere, & confundere velimus. Probè igitur *Soarius tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 11. nu.* 9. non omnem grauem lapſum, & Religioſorum peccatum, cenſendum eſſe docet, vergere in damnum commune; alioquin liceret omnia illa immediatè, atque iuridicè ſtatim ſuperiori, vt iudici denunciare; contra quod ex communi Doctorum ſententia dicemus 11. *reg. cap.* 7. ac prætereaſexcenta alia abſurda ex hoc errore deriuarent, quorum nonnulla *num* 8. indicauimus, quo circa *Rodriq. de ord. iud. cap. 3. nu. 5. Spatar. in praxi corrig. regul tract. 3. cap. 8. num.* 9. alijque negant fornicationem Religioſi eſſe ex delictis contra bonum commune, ac de his orationem habens *Sotus memb. 2. quæſt. 5. concl. 4.* 6. *At verò alia*, ait, *ſi ſcirem, in Conuentu aliquem eſſe latronem, vel fornicarium; eſſentque legitimi teſtes, poſſem ſtatim accuſare, ſine admonitione, ſi vellem ſubire periculum probandi; licèt in hoc caſu poſſet forſitan ſubſtineri opinio Caietani 2. 2. quæſt. 33. art. 7. quod deberet præcedere admonitio, atque adeò, emendato fratre, non eſſet procedendum ad accuſationem*. hęc ille. quamuis *Mirand. in ord. iud. tom. 1. quæſt. 11. art. 2. concl. 2. Alderet. citatus num. 29. & Ioſeph. à Sancta Maria in trib. Relig. tract. 2. cap. 3. §. 2.* contrarium ſentiant: neque improbabiliter in ſenſu declarato, quando timeretur publicatio talis delicti, vt ſcribunt *Ioannes Valerus in differ. vtriuſque fori, verb. Inquiſitio differ. 1. num. 6. Thomas à Ieſu lib. de viſit. regul. tract. 1. cap. 12. num.* 6. Neque iuxta hanc ſententiam mihi referre videtur, an ſemel atque iterum, vel ſepius fornicatio commiſſa eſſet à Regulari; etenim, ſi hæc pateret omnibus, eſſetque publica, eſto ſemel commiſſa, in graue damnum religioſæ familiæ præſertim bonæ famæ, vergere, non eſt, qui non videat; quicquid in contrarium dixerit *Pitignan. in praxi crimin. regul. cap* 11. *in addit. littera A.* in fine; qui quidem iteratas requirit vices ad aſſertam malitiam. Verùm enim vero citati Auctores, quamuis fornicationem Religioſi contra bonum commune eſſe ſentiant; nihilo tamen minus, vt aduertit *Miranda*, præmittendam eſſe, aiunt, fraternam correctionem, cæteris concurrentibus ad eam circumſtantijs, quæ vt multi docuerunt etiã in compluribus atrocioribus criminibus contra publicum bonum poſt habenda non eſt, iuxta dicenda *capitulo ſequenti num.* 28. & 29. Hinc probè *Sotus de reg. ſec. numero 2. quæſt. 4. dub* 1. adulterium, homicidium, & ſimplex furtum abſolutè negat in perniciem eſſe publicam, vt nec fornicationem, ac ſimilia

lia

lia *Thomas etiam Sanchez in Opuſ. lib. 6. cap. 3. dub. 22. fol. mihi* 208. Sodomiam occultè commiſſam, nec magna induſtria tanquã ex inſtituto habitam non eſſe contra bonum commune ſcribit: idem ſenſit *Petrus Navar. 2. de reſtitut. cap.* 4.

12 Notandum vltimò, Textũ *Matth.* 12. quinque comprehendere actus: Primum ſecretæ monitionis. *Corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Secundum correctionis coram vno, vel duobus teſtibus. *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, &c.* Tertium denunciationis. *Dic Eccleſiæ*: Quartum correctionis Prælati. *Si Eccleſiam non audierit &c.* Quintum coactionis per excommunicationem. *Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.*

CAPVT IV.

Vera ſententia.

SVMMA.

Ordo Euangelicæ correctionis de præcepto eſt, num. 1.

Chriſto impoſitum fuit præceptum mortis, ibidem.

Præceptum correctionis fraternæ, quo ad ſubſtantiam obligat ſub mortali, & quo ad ordinem ſæpiſſimè. num. 2.

Quando peccatum ſit publicum, occultè neceſſariò non eſt corrigendum, num. 3.

Notorietas maior, vel minor ſeruanda, eique aptanda eſt obligatio denuntiationis. numero 4.

Publicum delictum, cuius emendatio etiam eſt publica, non eſt denunciandum. num. 5.

Quid in dubio de emendatione. num. 6.

Facta correctione, nec ſequuta emendatione, teſtes adhibendi. ibidem.

In priuatis peccatis occultis abſolutè ſeruandus eſt ordo euangelicus. num. 7.

In generalibus inquiſitionibus, ſeu viſitationibus delicta priuata occulta quouis præcepto inſtante, etiam ſub pœna excommunicationis, aperienda non ſunt, num. 8.

Ni cautè Prælatus in viſitatione interroget, peccabit mortaliter. ibidem.

Quid præſtandum in viſitationibus, quando præmiſſa correctione fraterna occulti delicti, frater non eſt emendatus. num. 9.

Facta ſecreta monitione ſine fructu, ceſſandum omnino eſſe docent nonnulli. numero 10.

Verior eſt contraria ſententia. num. 11.

Quid ſi denuncianti tantum notum delictum fuerit, vtrum denunciandum ſit. numero 12.

Videtur neque vt Patri denuntiandum. numero 13.

Regulariter adhibendi ſunt teſtes. numero 14.

Cur non ſint ſubripienda bona temporalia, nè dilapidentur à proximo, & poterit contra famam eiuſdem nonnunquam agi, quid ad bonum ſpirituale de periculo proximo, ac de occulto peccato ſentiendum eſt. numero 15.

Peccatum etiam occultum, communi bono oppoſitum, ni certa, & præſentanea ſit ſpes emendationis, quæ neque in hæreſi ſatis eſt, denunciandum. num. 16.

Etſi nonnulli contrarium ſentiant. numero 17.

An filius teneatur Patrem denunciare hæreticum; fratrem frater; vxor maritum. num. 18. *remiſſiuè.*

Vtrum eadem ſit ratio de hæreſi, ac reliquis delictis edicto Inquiſitorum comprehenſis. num. 19.

Quid de ſollicitatione in confeſſione. numero 20.

Quid de ſortilegijs, ac maleficijs. numero 21.

Quid in dubio profuturæ fraternæ correctionis. num. 22.

Quæ differentia inter delictum contra bonum publicum, & priuatum in ordine ad denunciationem. num. 23.

Maiori intercedente ſpe emendationis, quàm in reliquis priuatis delictis, crimen contra tertiam perſonam debet corripi. numero 24.

Quomodo à peccato excuſentur, qui latronibus acclamant, vt in carcerem conijciantur. num. 25.

Clerici quomodo crimina in caput alicuius poſſunt iuridicè denunciare, ibidem.

Delictum in alium committendum qua ratione aperiendum ſit. ibidem

An aperiendum ſit homicidium vnius, quod Innocentij falsò imputatur. num. 26.

Delictum omninò emendatum, non eſt denunciandum. num. 27.

Emendata delicta, nec etiam eſſe iudicialis denunciationis materiam. ibidem.

Quando quis emendatus dicatur. num. 28.

Quod de emendato, hoc idem iudicium ferendum de certè emendando. num. 29.

Adhibita correctione cum teſtibus ſine fructu, denuntiandus eſt Prælato frater, ſi ſpes ſit emendationis. num. 30.

Obligat priuatam perſonam correctio fraterna, non modò in externa, ſed in graui neceſſitate proximi. num. 31.

Excuſatur ab onere correctionis ex timore cadente in conſtantem virum. num. 32.

Excuſatur præterea ob ignorantiam inuincibilem,

bilem. num: 3.
Omiſsio correctionis poteſt aliquando eſſe venialis. num. 34.

1 PRima aſſertio. Ordo Euangelicæ correctionis per ſe in præcepto eſt. Cõcluſio eſt Theologorum ferè omnium *Altiſiodorenſis lib. 3. tract. 25. cap. 1. Riccard. ac cęterorum in 4. diſt. 19. Diu. Thomæ 2. 2. quæſt. 33. art. 2. 7. & 8. eiuſq. ſectatorum Panorm. in Cap. Nouit. de iudic. vbi Innocent.* referens ordinem ſcriptum à *Mattheo* 18. addit *Mandatum diuinum potuimus non exaudire:* & conſtat ex varijs textibus canonum, quos & citauimus, & in decurſu infra citabimus; docet præterea *Aug. ſequenti concluſione laudandus, nec non Hilar. cap. 18. in Matth. Eum ordinem* (inquit) *continendæ caritatis nobis Dominus impoſuit, quem ipſe in conſeruando Iſrael tenuerat; iubet enim peccantem fratrem ab eo ſolo, in quem peccauerit corripi, atque obiurgari.* Nunc autem ordinem explicat deinceps Sanctus Doctor ex paritate ordinis, quem ſeruauit correctionis Deus; qui primò ſolus Iudęos idololatria affectos corripuit, deinde legẽ, Prophætas, atque Ioannem adhibuit contra eoſdem quaſi teſtes: tertiò ipſo Domini Aduentu tanquam in cætu Eccleſiæ inſpectantis populum contumacem iterum redarguit. *Auguſt. ſerm. 16. de ver. dom. vbi Matthei, immo Chriſti verba eruditè perpendit cap. 18. In ſecreto* (inquit) *debemus corripere, in ſecreto arguere, nè volentes publicè arguere, perdamus hominem. Chryſoſt. hom. 61. in Matth. poſt multa. Ita magnum* (inquit) *eſt ei ſtudium, nè proximorum delicta, niſi poſt vnam, vel alteram correctionem efferantur. ſic alij omnes, ſi Bernardinum* excipias *Areualenſem,* quem proprium nomen puduit in illo Tractatu adſcribere, vt vult *Bannes citatus*, ac paucos, ſi qui ſunt alij Neoterici: probatur primo, quia eadem prorſus ratione præcipitur ordo in euangelico textu; ergo ſicut ſinguli præcipiuntur actus, ſic etiam eorum ordo, vt non præmiſſis primis, per ſe loquendo ad ſecundos gradum minimè faciamus. Secundo à priori ea à Doctoribus tradita eſt regula generalis, vt conſcientiæ conſulamus proximi, vel ſine vllo, vel cum minimo, quod eiuſdẽ poſſimus, detrimẽto famæ: atqui vel teſtium inductione, vel denunciatione apud Superiorem habita, proximi per ſe læditur fama; igitur priùs monitione ſecreta fratri peccanti priuatim conſulendum eſt, ſicut enim, vt probè *Diuus Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. in corp.* medicus corporis ſanitatem ægroto confert prò viribus abſque alicuius membri abſciſſione; ſic qui proximi vitæ ſpirituali conſulit: immo à fortiori; nam, vt rectè *Chryſoſt. in pſalm.* 140. *Maiore quidem ſapientia opus eſt ei, qui reprehendit, quam ei, qui corpus ſcindit, & quomodo? quoniam illic quidem aliud eſt, quod ſcindit, & aliud quod dolorem ſuſcipit: hic autem eadem eſt quæ ſcindit, & quæ dolore afficitur.* quaſi diceret: eadem manus; quæ vulnus per correctionem infligit, dolorem debet ſentire, ac tanta profectò cautione ferire, ac ſi ſeipſam configeret. Tertio colligitur ex verbo imperatiuo, *corripe*, quo Chriſtus Dominus vſus eſt; tum ex contextu; poſtquam enim ſermonem habuit diuinus Magiſter, qua ratione, vt Paſtor, ſaluare venerit ouem, quæ perierat, per parabolam optimi Paſtoris præhabentis vitam deperditæ ouiculæ curæ reliquarum nonaginta nouem, addit. *Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum, qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis:* & ſubſequitur. *Si autem peccauerit in te frater tuus, corripe eum* &c. quaſi diceret: voluntas patris eſt, vt tanta ſit vnicuique cura fratris ſui, nè pereat, quanta mihi fuit; cui penes communem Theologorum ſententiam impoſitum fuit præceptum per mortem redimendi humanum genus *Ioan. 10. Hoc mandatum dedit mihi Pater &c. Ioan. 14. Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio*, ac ſexcentis alijs locis, tum ſacræ paginæ, tum Sanctorum Patrum, quos afferunt *Valent. de Incarn. diſp. 1. quæſt. 19. punct. 2. Suar. ibidem diſp. 43. ſect. 5. Vazq. diſp. 74. cap. 4.* Accedit ad propoſitum *Diui Thom. 2. 2. citati quæſt. 33. art. 8.* aptiſſima congruentia, quòd ab vno extremo in aliud minime rationi conſentaneum eſt abſque medio tranſire, idcirco Chriſtus Dominus in fraterna correctione eius principium præſcripſit occultum, per ea *Inter te & ipſum ſolum* finem autem voluit eſſe publicum per ea: *Dic Eccleſiæ,* vt bene *Chryſoſt. hom. 61. in Matth.* in medio autem inductionem teſtium collocauit. Quem ni ſeruaremus ordinem, facturos nos arbitror contra *prouerb. 27. verſ. 6. Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis:* reddunt *Septuaginta Interpretes*, quibus fauet vox hæbrea *fidelia vulnera diligentis*. At quæ ſunt hęc fidelia diligentis vulnera? profectò quæ infidelia non ſunt, ideſt, ſecundum iuris Peritos apud *Brixon. in lexico*, per proditionem inflicta; *à tradimento, di dietro*; erunt ergo auerſa vulnera inflicta, infidelia; fidelia vero ex aduerſo, vel aduerſa, *Di faccia à faccia* huiuſmodi autem correctio amici, ac diligentis primo loco fit, non quidem à tergo; ac per proditionem, ſed vt Paulo Petrus *reſtitit in faciem ad Galat.* 2. Et quidem ex caritate. Etenim ſi amica, correctione prætermiſ-

ſa,

ſa, ſtatim deferetur culpa Fratris, ei profectò vulnus infidele infligeretur, tnm infidelitate declarata Iuris Conſultorum, tum penes acceptionem medicorum, qui qnidem, vt habet *Celſus lib. 1. ex Galen.* vulnus illud infidele dicunt, quod ad interna viſcera peruadit, atque immedicabile eſt, vti fieret Fratris delictum, immediatè à tergo, taliter relatum, prr ea quæ ex *Hieronymo, & Ambroſio* mox dicemus: atque hinc per exceſſum plus fortaſſe ei noceremus, quam mederemur. Quamobrem, quam prudenter ſanctum ſit hoc præceptum, non eſt qui non videat, qnò efficaciore, ac ſuauiore, quam poſſumus medio proximum, fratremque noſtrum è miſeria, omnium ſanè maxima, peccato ſcilicet, iuxta dictamen etiam naturæ eripiamus. Et quamuis nonnullum ſit dubium de teſtium inductione, quando procedendum non eſſet ad iudiciariam denuntiationem, de qua Chriſtus expreſſiùs habuit ſermonem; diſcretam tamen monitionē negare nequaquā poſſum, cadere ſub poſitiuum, quod enucleauimus, præceptum ſiue naturæ à Domino declaratum, ſiue etiam ipſiuſmet Domini iuxta quæ *cap. 1. à num.* 1. adnotata ſunt ex communi Theologorum ſenſu apud *Sot. de teg. ſec. mem. 2. & quæſt. 4. & Soar. tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 7 num.* 14. tametſi, cum poſitiuum ſit ſub certis obligans circumſtantijs infra explicandis, atque vnica hac ſumma contentis, nè ſcilicet, proximus infametur, niſi ad effectum emendationis, neceſſarium ſit; cui per minimum, quod poſſit, famæ detrimentum conſulatur. Confirmatur. Eo modo finis correctionis intendendus eſt, quo tutius reſipiſcat frater: atqui, eius fama conſeruata, vt fit per correctionem fraternam; ſummopere conducit ad tutiorem eius emendationem; ergo hic ſeruandus eſt ordo, vt primum ſecretò, deinde cum minore, quod poſſit, famæ detrimento procedendum ſit. Hinc probè *Hierony. in Matth. 18. tom. 9. Seorſim* (ait) *corripiendus eſt frater, nè ſi ſemel pudorem, & verecundiam amiſerit, remaneat in peccato.* Sic etiam *Ambr. in cap. 3. epiſt. 2. ad Theſal. tom. 3. Fugiendus eſt* (inquit) *rubor fratris peccantis nè peior ſe fiat; incitatur enim ad contentionem, & incipiet erratum ſuum velle defendere; poſt autem erubeſcere emendare ſe, ne quod prius excuſabat, poſtea fateri videatur.* Quid luculentius, quid verius, quid ad rem noſtram aptius dici poterat, vbi enim ſemel fines pudoris quis exceſſerit (quod lumine etiam naturæ aſſequutus eſt *Cicero*) ac viderit ſe famæ iacturam feciſſe, effrænatè ad peiora ſe præcipitem agit, experientia etiam magiſtra. Immo *Cap. Accuſatio il 1. 2. quæſt.* 7. excommunicantur qui ante caritatiuam monitionem Dei famulos lacerare vel accuſare præſumpſerint.

2 Secunda concluſio. Præceptum charitatis fraternæ tum quo ad ſubſtantiam obligat ſub mortali, tum quo ad ordinem ſeruandum ex præſcripto prudentis rationis neceſſarias circumſtantias perpendentis. Prima pars communi Theologorum ſententia firmata docetur à *Sancta Thoma 2. 2. quæſt. 33. art. 8. Sot. de teg. ſec. mem. 2. quæſt. 1. conc. 2.* & ab alijs communiter; probatur etiam primo *ex epiſt. ad Rom. 1. ad finem. Digni ſunt mortis non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, vbi Gloſſ. conſentiunt; eſt facere, cum poſſis arguere &c. & leuit. 20. Secundum omnes, qui conſenſerunt ei, vt fornicarentur. explicat Gloſſ. conſentientes, qui poſſunt accuſare, arguere vel monere, & non faciunt, non effugient iudicium.* Secundo ex *Cap. Facientis diſt. 86. Grauiter peccare, qui negligit emendare, quod corrigi poteſt;* Tertio ex *Auguſt. ſerm. 16. de verb. dom.* exponente hoc, quod præ manibus habemus præceptum *Matth. 18. Si neglexeris* (inquit) *conuitiatorem corripere, peior es tacendo quam illi conuitiando.* Sed qui conuitiatur mortaliter peccat, ergo & qui correctionem omittit. Quarto ratione, quia hoc præceptum eſt miſericordiæ, & caritatis; ergo, ſicut, vrgente neceſſitate corporali, eleemoſynæ præceptum, qua è temporali miſeria quis educitur obligat ſub mortali ex *Ioan. 1. cap. 3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi. & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua, quomodo caritas Dei manet in illo? & Ambroſ. diſt. 86. Cap. Paſce. Paſce fratrem morientem; ſi non paueris, occidiſti;* ergo qui è ſpirituali miſeria, debitis concurrentibus circumſtantijs, proximum non eripit per correctionem, eo potiori iure peccat mortaliter, quòd ex genere obiecti maior eſt obligatio correctionis, quam eleemoſynæ corporalis, & ſi minor nonnunquam ratione neceſſitatis, vt doctè *Diuus Thom. 1. 2. quæſt. 7; apud Sotum mem. 2. quæſt. 1. de teg. ſec. concluſ.* 3. Secunda pars aſſertionis eſt eorundem Auctorum *Soti quæſt. 2. concl. 1. apud quem Diuus Thomas citatus, Bannes 2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 2. concl. 3. Probatur primo ratione Diui Thomæ* quia cum minore, quod poſſum, detrimento famæ fratrem teneor corripere; quæ quidem fama ſummopere ei neceſſaria eſt, vt patet ex *Ambroſio, & Hieronymo* ſuperiore numero citatis, & infra ex eodem *Diuo Thoma* dicemus inter bona numerari aliquo pacto ſpiritualia. Secundò ex proprietate præceptorum poſitiuorum, quæ quidem in eo à negatiuis diſcriminantur, quod non ſemper, & ad ſemper, ſed concurrentibus ex prudentia perpenſis circumſtantijs, prò ratione, & Spe finis, ſalutis nempe fratris, ad quam correctio refertur, ergo his tantum ſub circum-

ſtantijs

ſtantijs obligabit, qnod explicamns, præceptum. Et quamuis illas *Gerſon de correct. tract. 34. & Aſtenſ. lib. 2. tit. 6.* ſenario compræhenderint numero, tres numerantes ex parte corripientis, Certam nimirum peccati notitiam: manſuetudinem: & commoditatem, vt non ſit alius, qui commodiùs corripere poſſit: ac tres ex parte Corripiendi, grauitatem, ſcilicet, peccati: ſpem emẽdationis: ac temporis opportunitatem; nos tamen meliore fortaſſis methodo, atq; vberius alias præterea addentes cap. 6. tendemus. Dixi ex ſe obligare hoc præceptum ad mortale: quòd aliquando, vel ratione circũſtantiæ perſonæ correptæ, vel perſonarum, quæ adhibentur in teſtes, vel patris cui denuntiatur, leuiſſima cenſenda ſit iactura famæ Denuntiati, quę peccatum ſolum arguet veniale in Denunciaute, quæ quidem omnia certis explicabimus regulis eodem cap. 6.

3 Tertia concluſio. Quando peccatum eſt publicum, occultè neceſſario minime corrigendum, ſic *Theologi ſequuti Auguſtinum tom. 10. ſerm. 16. de ver. dom. Magiſt. in 4. diſt. 19. Sanc. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. in medio canoniſtæ agentes de correct. iudic.* probatur *1. ad Timot. 5. Peccantem coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant.* quæ Pauli doctrina *leuit. 19.* explicat. *Publicè corripe fratrem tuum &c.* merito igitur Magiſter, ac Dominus, Auguſtino laudato interprete, in hoc qnod expendimus præcepto apud *Matth. 18. Fratrem* (inquit) *in te peccantem tecumque vel te tantum, ſcilicet, ſcandalizantem, vel te ſciente, tantum peccantem corripiendum eſſe*; Vbi ſi coram alijs peccanit, non modo in te, vt probè ex *Auguſtino Angelicus*; ſed etiam in alios, coram quos peccat *& Cap. 1. Manifeſta de pœnit. & remiſſ. Peccata non ſunt occulta purgatione purganda, & Cap. Si peccauerit 2. quæſt. 1.* idem fere dicitur. Ratio autem eſt duplex; tum qnia in huiuſmodi peccatis publicis, non tantum ad bonum ipſius, qui corripitur, quam ad cæteros, ad quorum notitiam deuenit peccatum, nè ſcandalizentur, ordinatur correctio *Cap. Sed Illud 45. diſt.* quod tunc non ſolum peccat in te, ſed in alios per malum exemplnm *11. quæſt. 3. vt notat Archidiac. in Cap. Si peccauerit apud Abbat. Cap. Innotuit de iud. num. 44.* & vt cæteri timorem concipiant, quo mentem à peccato auocent, vt ait *Paulus citatus*; tum quia cum peccatum ſit pnblicum, ſatis ſnperque diffamatus eſt Proximus, cuius famæ priuata correctione minime conſulendum eſt, quominus ea non præmiſſa poſſit
4 Iudicialiter in peccantem agi. Illud antem maximè ſeruandum eſt, vt gradus publicitatis, ac notorietatis in primis perpendantur. Quamobrem delictum primo modo per ſententiam &c. notum, vt *Notab. 2. num. 7. ſuperioris capitis* indicauimus non habet in hoc locum: ſi autem ſecundo modo fuerit cognitum licebit iuridicè denuntiare: ſi autem tertio poterit publicè corripi; vt probè *Suar. de carit. diſp. 8. ſect. 6. num. 3. & 4.* oportunè enim alijs etiam duobus, vel pluribus ſcientibus poterit conſuli Proximo poſt correctionem, eiſdem adhibitis in teſtes, ſi non corripiatur, vel ad teſtificationem emendationis, ſi riſipiſcat; etiam eis declarandæ, qui neſciunt, ad eorum mentem à ſcandalo abducendam.

5 Huius præterea loci eſt adnotare doctrinam *Paludani in 4. diſt. 19. q. 4. & Adriani de correp. frater. 2. part. q. 1.* chriſtianæ caritati maximè conſentaneam. In publicis etiam peccatis, ſi tum proximo, tum ſcandalo conſuli, ſine publica reprehenſione poſſit, per ſecretam ſane correctionem, præſtandum eſt, omnique ſtudio curandum, vt vitæ mutatione, ac bono ipſiuſmet delinquentis exemplo, ſcandalum auferatur cęterorum, quod maximè ſeruandum eſt in delictis, quæ contra bonum commune non ſunt, vt infra. Hinc optimè grauiſſimns noſtræ ætatis Auctor ſcripſit, hac de cauſa Chriſtum Dominum à ſe dimiſiſſe Apoſtolos *Ioan. 14.* quia Samaritanæ publicæ peccatrici correctionem, ex caritate, facturus erat. Vtinam Dei caritas ita, vt par eſſet, vrgeret omnes, tunc enim vera hæc doctrina, nec raro, vt *quidam Neothericus* ait, ſed ſępe executioni cenſeretur eſſe mandãda. Ex his etiam deducitur, quod eſto peccatum fuerit pnblicum, ſi emendatio pariter publica fuerit; alijſque non ignota, non eſſe tale delictum denuntiandum Iudicibus; cum ſatis purgata per publicam emendationem infamia videatur: quod ad minimum voluerunt *Alderet. de relig. diſcip. cap. 5 §. 4. num. 40. Auil. de cenſ. 2. part. cap. 5. diſp. 5. dub. 4. concluſ. 3. & 4. Sot. mem. 2. de teg. ſec. q. 6. dub. 6. ante 3. concluſion.*

6 Si autem prudenter dubiraretur de emendatione, aut recidiuo, poſſeſſio videtur eſſe ex parte culpæ certæ, & conſequenter denũcianda, vel per accuſationem detegenda. Quod ſi facta ſecreta correctione non reſipuerit Proximus, alij quam qui illud peccatum ſciebant, vel aliqui ex illis in teſtes adducendi non ſnnt; ne apud cęteros famæ iacturam Delinquẽs faciat; cum enim ex Philoſopho maximum in vno quoqne genere menſura ſit cœterorum, iuxta proportionẽ ad omnino occultum, ſeruandus eſt in alijs ordo. Itaque ſi peccatum Proximi ſit notum vni, vel alteri, quo ad hos ordo euangelicus, & caritatis locum habebit, Proximnm non infamandi, cuius pudori etiam conſulendũ, vt ſolus antea pro viribus admoneatur, vti

ſupra

ſupra dictum eſt; ſic *Sot. dè teg. ſec. mem. 2. q. 4. dub. 2. ad 7. concluſionem* prudenter monet, etiam in hiſce peccatis verecundiæ Proximi peccantis proſpiciendum eſſet, vt ſuauiter, & quam poſſit minori cum eius rubore fiat; ideoque experiendum eſſet prius, an per ſecretam admonitionem frater corrigatur iuxta doctrinam *Auguſtini relati 2. q. 1. Cap. Si peccauerit. Forte quod ſcis, & ego ſcio, non tamen coram te corripio, quia curare volo non accuſare*. Vbi docet, neque coram illo, qui ſcit peccatum, corripiendum eſſe proximum, ni, ad melius ſaltem, præmiſſa fuerit fraterna correctio, *nè forte* (vt cum eodem *Sancto Auguſtino* loquar *ſer. 16. de verb. dom. circa medium*) *præ verecundia incipiat defendere peccatum ſuum, & quem vis facere meliorem, facias peiorem*. Ex quo *Diuus Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. in fine corporis* rectè concludit *de neceſſitate præcepti eſſe, quod ſecreta monitio publicam denuntiationẽ præcedat*. Saltẽ aliquãdo, vt à *n. 7. indicaui, & ſuperiori cap. n. 5.*

Nec Prælatorum modo intereſt, ex iuſtitia, publica corripere delicta, ſed ex caritate etiam cuiuſcumque erit; quando reliquis concurrentibus circumſtantijs ipſius caritatis præceptum inſtat; vt opportunè fiat cum ſpe etiam emendationis, vel ſcandali tollendi, vel occurrendi, nè eueniat, & quando prudenter fieri poteſt ſine probabili periculo grauis detrimenti proprij. Dixi prudẽter nam *Sot. de teg. ſec. mem. 2. q. 3. conc. 1.* abſolutè iudicat teneri quempiam, etiam cum periculo vitæ, publicè corripere ſacrilegum hominẽ impiè, & publicè blaſphemantẽ nomen Dei, vel aliud ſimile committentem crimen, quo præberet offendiculũ contemnẽdi Deũ; quod verum arbitror ſaltẽ, ſi aliter quã per meã correctionẽ hic, & nunc neceſſariam exiſtimatã, illud ſcandalum auerti nõ poſſet.

7 Quarta concluſio. Si peccatum fuerit occultum vel tertio, vel vltimo præſertim modo, *ſuperiore capite num. 7.* adnotato, neque in publicum vergens damnum, de quo concluſione ſequenti, abſolute ſeruandus eſt ordo euangelicæ correctionis, debitis cum circumſtantijs prudentiæ, & caritatis; etiamſi à nõnullis illud ſciatur, & aliquem cauſauerit rumorem, deducitur *ex Diuo Thoma 2. 2. q. 33. art. 7. Sylueſt. verb. correct. §. 5. Sot. & alijs, quos citat, ac ſequitur Soar. de carit. diſ. 8. ſect. 6. num. 8.* quiquidem probè hanc obligationem ex genere ſuo docent eſſe ad mortale, vti nos ſupra indicauimus. Probatur ex *Cap. Si peccauerit 2. q. 1. ex Aug. Forte quod ſcis, & ego ſcio ſed non coram te corripio, quia curare volo, nõ accuſare. Sunt homines adulteri in domibus ſuis in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab vxoribus ſuis, plerunque zelãtibus, aliquando maritorũ ſalutem quærentibus. Nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus, vbi contigit malum, ibi moriatur malum. Cap. Accuſatio 2. q. 7. Anacletus Papa. Sed ſi quis* (ait) *Aduerſus eos Epiſcopos, ſcilicet, vel Dei famulos, vel Eccleſias eorum cõmotus fuerit, aut cauſas habuerit, prius ad eos recurrat, caritatis ſtudio, vt familiari colloquio cõmoniti ea ſanet, quæ ſananda ſunt, & caritatiuè emendent quæ iuſtè emẽdanda agnouerint*. Secus autem facientes cenſuris puniendos præcipit. Probatur præterea à fortiori per ea quę *nu. 8.* tradidimus: & quia ſine cauſa mutaretur alioquin ordo euangelicus, non ſine iactura famæ Proximi, quod nefas eſſe liquet. Notatu tamen dignam Abbatis doctrinam hic eſſe cenſeo, quippequi Canoniſtarum dicta perpendens merito *Cap. Innotuit de iudic. n. 41. in fine* ſcribit, vel peccatum eſſe occultum, ſed non omnino, tertio, ſcilicet, modo à nobis *nu. 7. præcedentis capitis* indicato, quod probari profecto poterit, & quidem hoc pręmiſſa ſecreta fraternaq; correctione, ſi te frater neque coram teſtibus corripientem audierit, poteris iuridicè denuntiare adductis his, qui nouerant teſtibus, neque alijs quo ad fieri poterit, vt ſuperiori aſſertione dictum eſt, quo melius famæ proximi conſulatur. Et huic placito ſubſcribit *Soarius de carit. diſp. 8. ſect. 6. numer. 15.* hoc enim pacto forenſi iudicio incepto, poterit vt ethnicus, & publicanus poſtea per excommunicationem haberi delinquens, in quo foro non eſt opus tantum denuntiando dicere, verum etiam probare, vt ſupra ſæpe diximus, & habet *Gloſſa in l. 1. ff. ſi ij diu. pauper fe. di.* nec ſatis erit vnicus ſolus teſtis indiſtinctus à denuntiante, non ſolum ad delictum probandum, ſed nec etiam ad talem ipſius denuntiationem; quæ, vt rectè *Abbas numer. 43.* probanda eſt per denuntiantem, & per alterum ſaltem teſtem *Cap. In omni adiuncta Gloſſa Cap. Plerunque 11. quæſt. 7.* vbi dicitur quod bonus vir debet tacere, quando ſolus ſcit peccatum alterius, vt infra; igitur ſi delictum omnino fuerit occultum, ac priuatum, & à nemine præterquam à denuntiante cognitum, tunc certum eſt denuntiationi iuridicem locum eſſe non poſſe; ſic è communi Canoniſtarum *Abbas*, ac Theologorum cum Auguſtino *Soarius, tum diſp. 8. de carit. ſect. 6. nu. 13. tam tom. 4. de relig. lib. 10. cap. 8. nu. 14.* & patet, tum quia omnino occulta ſunt Dei iudicio relinquenda *6. quæſt. 1. Si Omnia, & 6. quæſt. 2. Si tantum*; vbi admonetur denuntians, quod peccatorem denuntiatum conuincere poſſit; alias etiam eſſet Epiſcopus ei credi non deberet, & in *Cap. Vltimo de calumn.* punitur pœna ſuſpenſionis quidam denuntians Epiſcopum, quia delictum probare non poterat, ni probaue-

rit animo calumniandi ſe Præſulem non denuntianiſſe; quamuis enim denuntiator non inſcribat ad aliquam pœnam, puniendus tamen eſt, ſi deficiat in probatione ex textu *in l. Ab accuſatione §. Denuntiatores, & ibi Bartol. ff. ad turpi, & l. Diuus de cuſt. reor. Abbas* Capit. *vltimo de calumn. numer.* 3. Non tamen inficior ſecundum conſuetudinem ad probationem talem denuntiatorem non teneri, ſed iudici nomina teſtium aperire debere, vt notauit *Bald. in Apoſtill. ad ſpecul. in titul. de accuſat. ſed nè ſindicus: Salicetus in l. Ea quidem. C. De accuſation. & alij in Apoſtill. Zaccaria ad Abbatem in Cap. Innotuit citatum*. Verum merito contra hunc ſtylum alius facit, & obſeruandus vt à nobis *præcedenti cap. numer 5. dictum eſt, ac docetur à Soar. tom. 4. de religion. cap. 8. numer. 15.* nè, ſcilicet, admittatur Denuntians iuridicè, qui quidem accuſare teneatur, & cogendus erit nè ſubterfugiat onus probandi, vt occurratur hoc pacto calumnijs, quibus deprauati hominum mores in præſentia ſcatent; ſed de hoc alias, nunc redeo ad propoſitum. Demum ſi occultum omnino delictum fuerit, non poterit vnquam, vt ethnicus, & publicanus haberi Delinquens. Quamobrem merito in Cap. *vltimum præcedentis diſput. num. 31.* diximus Præſulem admonendum non eſſe à Synodo prouinciali, ni delictũ probari poſſet.

8 Hinc deducere licet cum *Diuo Thoma 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5. Caiet. ibid. Syluest. verb. Inquiſitio. 1. num. 7. Sot. de teg. ſec. mem. 2. q. 4. & mem. 3. q. 2. concl. 4 ad 3. dub. & Petro Nauar. cap 9. dub. 2. de reſt. nu. 168. Anil. 2. part. cap. 5. diſp. 4. dub. 4. concl. 2. Leſſio tom. 1. de iuſt. lib. 2. cap. 30. de accuſ. ac teſtib. dub. 6. nu. 47. Nauar. cap. 25. nu. 46. Fumo. verb. Inquiſitio num. 17. Soar. 4. tom. de relig. lib. 10. cap. 14. num. 7. Fagund. 2. præcept. eccleſ. cap. 4. n. 14. & alijs Recentioribus qui abſolutè ſequuntur Sotum, non modo citatum, ſed etiam de iuſt. lib. 5. q. 6. concl. 6. & 7. & quæſt. 5 artic. 1. dub. 3. poſt 2. concluſionem*. Quando in communibus viſitationibus, atque inquiſitionibus Superiores eccleſiaſtici, ac regulares inquirunt de delinquentibus proprietarijs ver. grat. fornicarijs, vel alijs huiuſmodi, & etiam ſub pœna excommunicationis, aliarumque cenſurarum præcipiunt, vt omnes huiuſmodi deliquentes denuntient, neminem teneri nec poſſe crimen occultum fratris denuntiare, quod probare minime poſſit, vel cuius fama aliquo pacto non innotuerit; ratio eſt, quia cum iudex publicam gerens perſonam ad publicam punitionem tendat, priuata notitia, contra regulas iuſtitiæ, nequaquam vti poteſt; quod exploratum adeo habetur, vt ab Auctoribus citatis merito è communi ſententia ſcribatur, quòd ſi tu cum duobus, vel tribus alijs occultum Proximi delictum ſcias, non impendens damno publico, vel Tertij, nec præceſſerit infamia, non tenearis denuntiare, tametſi poſſit Iudex, vel Viſitator tunc temporis inquirere, non quòd iuriſdictionem habeat in Auctorem occultum criminis, ſed vt ſatisfaciat Reipublicæ, exactam petentis inquiſitionem fieri delictorum, ad malefactorum timorem, quo nimirum compeſcantur non tamen vt indebitè delicta manifeſtentur. Sic etiam ſi ſolus noueris huiuſmodi crimen Petri, vel vna cum altero ſciueris; qui quidem eiuſdem accuſator factus Petri te adduceret in teſtem, non teneris in iudicio fateri, ſed iurare potius poteris, te nihil ſcire, mente tamen intelligendo eo videlicet modo, quo tenearis dicere, ac aperire, vel aliquo alio pacto, per æquiuocationem poteris delictum tegere, vt rectè *Sotus de teg. ſec, mem. 3. quæſt. 1. concl. 3. & 4. & quæſt. 3. & Auctores cap. 6. reg. 7. & 8. infra citandi*. Neque teneris manifeſtare emendatum Proximum, vel quem certo emendandum ſperas per correctionem fraternam, etſi Iudex id præcipiat, niſi quando fraterna correctio non eſſet neceſſaria, vt in crimine hæreſis, de quo infra ſic *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 73. art. 7. & alij, quos citant Fagund. laudandus num. 19. Loizan. in ſum. quæſt. regul. cap. 27. num. 2. & Marc. Anton. Genuenſ. in praxi noſtra Neapolitana cap. 2. num. 5.* Et ſane prudenter id cautum eſt in *Ceremoniali Benedictino cap 3. de Viſitatione. Caueat autem quiſque, nè incipiat ea retractare quæ fuerant antea dignè correcta, & emendata, rè quis ſugerat incomperta, nè nouis ſuſpicionibus turbet animos fratrum, aut patrum ſuorum.*

Addo ni cautè Prælatus, vel Viſitator interroget, peccare profecto, abſolutè interrogando; quòd occaſionem ſaltem his præbet, qui minus docti, vel prudentes ſunt reuelandi peccata ſecreta, & proximum infamandi, ſic *Nauarr.* Cap. *Inter verba coroll 47. nu.* 179. merito illum modum interrogationis aſſerens eſſe contra ius in *Cap. Qualiter, & quando de acc.* vbi Innoc. Tertius formam exprimit, ac præſcribit in viſitationibus generalibus obſeruandam, *Vt iurent ſubditi, quod ſuper his vel ſciunt, vel credunt eſſe in ſua Eccleſia reformandum tam in capite, quam in mẽbris, exceptis occultis criminibus, meram, & plenam dicant Inquiſitori veritatẽ*, ſubſcribit *Soar. lib. 10. cap. 11. nu. 7.* quando à ſubditis exigerent Viſitatores, vt eis ſciſcitantibus, ſtatim reſponderent, qui aliàs non ſatis ſunt instructi, vt ſciant, qua ratione in his ſe gerere, ac reſpondere debeant. Idem etiam ſentiunt Recentiores *Lozan. ſum. q. reg. cap. 25.*

num.

num.2. Thom. à Ieſu de iuſtit. regul. tract. 1. cap. 1. num. 5. At ego ſemper conſultum darem, vt præſcripta Innocentij forma, quo ad ſecretum ſaltem non aperiendum, Viſitatores vterentur, quicumque fuerint ſubditi; cum non multi ſint, qui ſciant non teneri ſecreta reuelare delicta, & cum vitum grauem viſitantem, & abſolutè ſciſcitantem audiãt, nulla ſimili præmonitione habita, vel licere plerunque exiſtimat, vel ex priuilegio aliquo illum interrogare de huiuſmodi delictis; & cum ſatis ſuperq; declinis ſit natura ad aliena pandenda delicta, fræno potius opus erit, quam ſtimulo: immo quod doctè, ac prudentèr notauit *Soarius modo laudatus n. 8.* quamuis Religioſi Societatis Ieſu poſſint Superiori denunciare, tanquam Patri, crimen fratris, nulla precedẽte infamia; non poſſunt tamen illud abſolutè manifeſtare Superiori ſciſcitanti in viſitationibus generalibus. in quibus denuntiatio intenditur iudicialis, quam nemini licere de hoc crimine liquet, tum ob dicta, tum ob ea quæ mox proſequemur. Quocirca duo genera denuntiationis in viſitationibus paternæ, ſcilicet, & iudicialis confundere minime licet. Probe à magiſtra prudentis ac religioſæ diſciplinæ, benedictina ſcilicet familia præcipitur in *Ceremoniali Benedictino cap. 3. Viſitatores caueant, ſed & vniuerſis diſtrictè præcipiant, nè illa quæ occultãda magis ſunt, quam dicẽda quiuis eorum manifeſta facere præſumat, ea vero, quæ in Cõuentu dicenda quæ probari poſſunt, & debeãt, admoneant.* Vtinam Iudices, Magiſtratus, ac Moderatores ob oculos ſemper haberent, vt probè *Sotus de teg. ſec. mem. 3. quæſt. 1. concl. 2.* ipſos peccare grauius, ſi præter ius, ſecretum extorqueant à ſubdito, quam ſi priuatæ eſſent perſonæ, & quia cuſtodes ſunt iuſtitiæ, immo iuſtitia animata *Auctore Ariſt. 5. ethic.* & exẽplaria iuſtitiæ. Hinc Viſitatori ſpecialiter delegato ad viſitandum in tali cauſa, nullo pacto parere quis debet, ſi ſpecialiter, nulla præcedente infamia, vel clamoroſa inſinuatione, de priuatis delictis occultis quereret, vt ex communi Theologorum ſententia docet, ac probat *Sotus de teg. ſec. mem. 2. q. 6. conc. 1. ex Innoc. de accu. Cap. Oporteat. Cap. Inquiſitionis, Cap. Qualiter & quãdo il 2. Cap. Licet Heli de ſimon. & Cap. Deus omnipotens 2. q. 1.* vbi ſtrictè cauetur, nè inquiſitio perſonæ, niſi præceſſerit infamia, vel clamoroſa inſinuatio vllo modo fiat. Quocirca *Luc. 16.* poſtquam Villicus diffamatus eſt apud Dominum vocatur, & interrogatur. Quid eſt hoc quod audio de te, redde rationem villicationis tuæ. Nec teneri aliquem ſe reum prodere, etiam ad liberandum innocentem, vt alias dixi, cui delictum, à reo commiſſum aliter imputatur docet *Anton. Ragucius in Lucerna Parochorum de reſt. q. 162. Tolet. lib. 5. cap. 70. num. 4.* & alij cum reus nequaquam tunc cõcurreret poſitiue ad necem innocẽtis, ſed tantum permiſſiuè, vt propriam vitet; quod ex multis rectè notauit Ioannes *Sãctius diſp. 46. in ſuis ſelect. n. 26.* Quod ſi Prælatus eſſet Ordinarius, & depoſita Viſitatoris perſona, hoc interrogaret vt Pater, atque ex circumſtantijs conſtaret, eum illa notitia tanquam Patrem vſurũ, poterit ſubditus parere; neutiquam alias, niſi ageretur de hæreſi; quod eſt certum; vel aliquo alio crimine contra bonum commune; quod eſt probabile, iuxta ſequentis concluſionis doctrinã; Alij vero caſus, in quibus licet ſpecialis inquiſitio ſine infamia *cap. 6. reg. 26.* referuntur *n. 71.* ac deinceps; omnia vero grauia Religioſorum crimina nullo pacto ita cenſenda eſſe *ex nu. 9.* ſuperioris capitis conſtat, cui *Soarius* ſubſcribit *paulo ante citatus num. 9.*

10 . In eo autem caſu, quo quis ſecreto corripuerit fratrem de delicto occulto, nõ autem hæreſis, vel ſimilis, ſine fructu, quamuis *Soar. laud.* anceps videatur eſſe; mea tamen ſententia, quin euangelicũ ſeruaret ordinẽ, non teneretur ſubditus inquirẽti parere Superiori; ratio eſt quia neque abſolutè licet delictum occultum denunciare iuridicè Superiori, vt probauimus. Neq; facta prima ſecreta correctione, ceſſat obligatio ſeruandi ordinẽ euangelicum, cuius omnes actus ſunt in præcepto, vbi præſertim ad iudicialem referũtur denuntiationem, de qua expreſſe ſermonem Chriſtus Dominus habuit, vt oſtendimus ſupra *concl. 3. n. 4.* ante poteſt tale delictum ſtatim aperiri iuridicè Superiori, ideſt Eccleſiæ, prætermiſſis alijs actibus induuctionis teſtium; & non intentato, mea quidẽ ſententia, ex regula caritatis ſuauiore medio paternæ denuntiationis; quippe quæ comprehenditur etiã in euangelica correctione, vt minori quã poſſit dãno fratris eius cõſciẽtię conſulatur.

Verum ad peccatum occultum, & priuatum, vnde digreſſa eſt reuocetur oratio. Delictum igitur occultum iuridica cum denuntiatione aperiendum non ſit; & corrigẽdum profecto ſecreta, fraternaq; monitione, neque ſemel, atque iterum, ſed ſæpius arbitrio boni viri, quamdiu ſpes fuerit emendationis, vt deducitur ex *Auguſt. in reg. Per ea. Si autem poſt admonitionem iterum, aut alio quoq; die ex Sancto Thoma ar. 8. ad 3. Abbate Cap. Innotuit de accuſ. n. 41. vbi alq. Sot. de teg. ſec. q. 4. arg. 4. ad probationẽ quintæ cõcluſionis.* Hac autẽ nõ ſufficiente, licet nonnulli fuerint apud *Diuũ Tho. mod. laud. & Sot. citat.* vt *Altiſid. l. 3. ſumm. tr. 15. c. 2.* cui acceſſit *Durand. in 4. diſt. 19. q. 4.* qui docuere deſiſtendũ omnino tunc eſſe; tũ, quia non poteſt frater infamari de crimine prorſus occulto, tum quia tranſitus ad teſtiũ

inductionem inutilis ſane foret, quippequi coram Prælatò, poſtea nec teſtificare poterunt de delicto, quod ex ſolo denuntiante
11 t nouerint. Nihilo tamen minus contraria ſententia communis eſt, ac Theologorum cum Diuo Thoma laudato, & Canoniſtarum apud *Abbatem num 41. & 42.* ſicut autem probè *Auguſtinus in 2. reg. Cap. 23. Peccatum fratris non eſt occultandum nè putreſcat in corde.* Atque in hoc caſu bonum merè ſpirituale Proximi, quod probabiliter, ac prudenter ſperatur, præferendum eſt famæ; & ni ſperetur vltro progrediendum non eſſet, vt probe *Sanctus Thomas*; ac tunc quidem ſententia *Altiſiodorenſis, & Durandi* eſſet certa per ſe loquendo, quod patet ex ordine caritatis à Chriſto Domino præſcripto; ſicut enim volentem ſe præcipitem dare ex eminentiori loco cohibere prò uiribus debes, eſto ſis ſolus *Cap. Ipſa pietas, & Cap. Diſplicet 23. quaſt. 4.* ſic à fortiori in re noſtra *Argum. Cap Si Sacerdos de offic. ordin.*

12 Quod ſi te non audierit veluti diximus, tametſi *Abbas citatus num. 42. in fine* doceat aperiendum tunc eſſe delictum Prælato, vt pro delinquente oret, ac omnibus viribus ad pœnitentiam ſecreto inducat per *Textum in Cap. Hoc videtur 22. quaſt. 5.* quia tamen Auguſtinus vt in hoc textu habetur mentionem Superioris minime fecit, ſed Sacerdotis, vel viri prudentis. *Videtur enim mihi* (inquit Auguſtinus) *quod ſe homo ſoluat à peccati vinculo, ſi indicet talibus, qui magis poſſint prodeſſe, quam obeſſe*; quod vt probe *Gloſſa. Qui talibus dicit, non dicitur Proximum prodere Cap. Si peccauerit 2. quaſt. 1.* idemque prorſus hoc eſt, ac teſtes adducere, qui talis eſſe debent conditionis, vt prodeſſe per ſecretum retentum, grauitatem, & caritatem, & non obeſſe poſſint. Verum abſolutè Abbatis ſententia non placet, nam neque per hanc denuntiationem paternam, quam ille indicauit poteſt quis procedere, niſi peccatum, vel delictum, quod denuntiat valeat aliquo pacto probare, vt colligitur ex Euangelio, & habetur *Cap. Inquiſitionis de accuſat*, cuius ratio eſt, quia ſine vlla probatione Prælatus nec tenetur denuntianti fidem præbere, neque ſuo poteſt officio fungi, vti probe *Soar. de carit. diſp. 9. ſect. 1. num. 13. & nos præcedenti diſp. cap. vlt. n. 31.* tradidimus; idcirco, ſi delictum ita fuerit omnino occultum, vt neque ab altero diſtincto à Denuntiãte ſciatur, nullo pacto ſuperiori aperiendum erit; qui an loco teſtis poterit adhiberi infra dicẽdum. Quod ſi alter ſaltem nouerit, vicem alterius teſtis gerente denuntiatore, tunc vſui eſſe poſſet doctrina *Panormitani*; quòd ſufficiens videtur talis probatio, vt colligitur ex Euãgelio, ibi *vnum, vel duos teſtes*, & habetur *Cap. In omni de teſtib.* Et ratio eſt quia totum hoc negotium non ad vindictam, vt probè *Soarius citatus*; ſed ad commodum atque vtilitatem dirigitur fratris: vnam tamen excipiunt hæreſim *Auctores citandi; concluſ. 7.* quæ quin poſſit probari, videtur etiam denuncianda.

13 Nec me latet *Diuum Thomam quaſt. 33. ſæpe citata art. 8. ad. 4.* docere, Prælato, vt patri, tanquam priuatæ perſonæ, quæ prodeſſe poſſit, facta iam ſine fructu monitione fraterna, antequam teſtes adhibeantur, poſſe aperiri delictum occultum fratris, verum cum alia eſt Auguſtini mens, cui Sãctus Thomas innititur, & cum in indiuiduo hæc doctrina maiorem inuoluat difficultatem, quã prima; præferat fronte, maxima quidem opus erit ad eius praxim prudentia, ſic probè *Soarius citatus num. 15.* Quamobrem nullo pacto id abſolutè ſentirem, & quia ſine neceſſitate ordo euangelicus non eſt mutandus, & quia vti res quotidie nos admonet, magis irritabitur Proximus, qui apud Superiorem ſe videt infamatum, & quia inutilis prorſus eſſet hæc denuntiatio cum in hoc caſu, vt bene *Soarius laudatus*, ſi aliter emendari nolit, Superior neque procedere poterit. neque Superioris actum vllum exercere, niſi delictum vergeret in damnũ commune, de quo infra.

In eo autem euentu non renuerem tali vti doctrina, cum nimirum Superior non vt talis, ſed vt priuata perſona adeo varijs amicitiæ, alijſque vinculis Delinquenti obſtrictus eſſet, vt merito prudenter aptior exiſtimari poterit alio quocunque teſte, ac gratior delinquenti, qui præ alijs illum alioquin electurus eſſet, vt noſceret ſuum delictum: colligo ex *Gerſone 2. part. tract. de corr. Prox. alphab. 34. litt. T. Si quando* (inquit) *videatur frater peccans ſalubrius corrigi per alium qui poteſt, & vult prodeſſe, quam per ſe, ſecurè poteſt ei indicare: vnde Prælato poteſt dici peccatum non præmiſſa monitione, vel ſecreta correctione, non tanquam iudici, ſed tanquam amico peccantis, & quia hic magis poteſt prodeſſe, quam alius*; à quo tamen auctore diſcrepo in prætermiſſione correctionis fraternæ abſolutè indicatæ, de qua capite ſequenti, ac deinceps.

Regulariter igitur adhibendi ſunt teſtes poſt correctionem ſecretam, ſine fructu habitam, vbi ſpes ſit, per hoc mediũ, fratris corrigendi: quo adhibito, poſſimus eum poſtea denuntiare canonicè, atque iuridicè; quamuis vt mox ſubijciam, ad alios etiam referatur fines euangelica correctio: Primo vt obſeruent teſtes peccatum fratris, à quo reſipiſcere per fraternam noluit correctionem ad eum ſi opus erit corrigendum, ex *Auguſt. in reg. modo laudata. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quocumque die idipſum eum facere videritis, iam velut vulneratũ, ſa-*

nau-

nandum prodat quicumq; hoc potuerit inuenire; prius tamen, & alteri, vel tertio demonſtratum, vt duorum, vel trium poſsit ore conuinci, &c. ex quo etiam *S. Thom. citatus ad 3. argumen.* Secundò adhibendi, vt teſtes correctionis factæ, qua peccator erubeſcat, perpendatque propriæ culpę grauitatem, correctione dignæ; ſic interpretor *Diuum Hieronymum Matth. tomo 9. relatum à Diuo Thom. artic. 8. ad 3. atque vti notat Sotus de teg. ſecr. memb. 2. quæſt. 4. ante ſolution. 1. argument. contra 5. concluſ.* Aut adhibitis teſtibus confundatur frater, & emendetur, aut metuens, nè capiatur in crimine, cautiùs ſuccidens occaſiones ſcandali viuat. Tertiò, præterea ex eodem Auctore, vt mitiùs eum Cacodæmon tentet, quemadmodum ſolet, vbi pluribus nouerit proximum eſſe curæ. Quartò ad probandum Corripiẽtem ſuas adimpleuiſſe vices, ſuoq; ſatisfeciſſe muneri è *Chryſoſt. tom. 2. homil. 2. in Matt. circa medium. Quia, ſi ſolus* (inquit) *imbecillior viſus eſt, adiectione duorum fortior factus arguat delinquentem.* Semper tamen cauendum, nè cùm vnus, vel duo afferantur teſtes, prò viribus infamiam Proximi declinemus. Quintò, vt & ipſi teſtes corripiant Proximum, quod colligitur è verbis Textus; *Si te non audierit, &c.* vt probè notant *Hieronymus citatus, & Adrianus in 4. in materia de matrimon. par. 9. de correction. §. Reſponſio, ac ſaltem Auctore Diuo Thoma.* Si eum competrient teſtes dubitantem de propria culpa, num digna ſit correctione, dubium diluant.

Dicet aliquis, vel adductio teſtium requiritur ad iuridicam denunciationem, vel ad alium finem? Si ad primum, ergo quãdo delictum erit ſecretum, nec probari poterit, & conſequenter neque iuridicè denunciari, vt *capit. 3.* & aliàs ſæpiùs diximus: ſi ad alios fines hi non comprehenduntur in ordine Euangelico, & per conſequens nõ erit illud medium neceſſarium, ex vi præcepti Euangelici. Reſpondeo ad alios ſanè fines paulò ante relatos referri prudentem teſtium adductionem, ac præterea iuxta præſcriptam *Hieronymi citati* rationem. *Corrigendus eſt frater ſeorſim, &c. Si te audire noluerit, adhibeatur frater, quod ſi neque illum audierit, adhibeatur tertius, vel corrigendi ſtudio, vel conueniendi ſub teſtibus.* Ex quibus alter indicatur finis, vt ex vltimis patet verbis vbi deſideratæ interuenerint circumſtantiæ.

Inſtabis, ex *Auguſtino* non debemus exploratores eſſe alienæ vitæ, neque nos adhibentes teſtes exponere pęnæ talionis. Reſpondeo nobis, vt infra fuſiùs dicturi ſumus, non inueſtiganda eſſe delicta Proximi, ſed ſi quod caſu compertũ habeamus, & facta fraterna correctione non corripimus, tunc ex cauſa ob bonũ fratris, illa priuata priùs notitia habita, poſſe medio teſtis, vel teſtium vti.

15 Obijcies. Nulli ius eſt ſubripiendi bona temporalia proximi, nè prodigè ille dilapidet; ergo neque vlli eſt ius contra famam proximi, ad bonum eiuſdem ſpirituale comparandum. Reſpondeo, acceptionem bonorum temporalium, aliàs per ſe non eſſe medium ordinatum, nè proximus ſua bona dilapidet, quemadmodum ad correctionem vitæ Proximi teſtium adductio aptum eſt medium; ſicut igitur poſſum pecuniam Proximi accipere, ad medicinã Auaro irrationabiliter inuito neceſſariam, parandam, ita etiam cum aliqua famæ iactura Proximi, vti adductione teſtium, ſicut benè *Sot. cit. ad 3.*

Quod autem de occulto peccato docuimus hoc dictum etiam volumus de periculo occulto, in quo Proximus voluntariè verſatur; nam quemadmodum teneor eripere inopem à miſeria, in quam incidit, vt ſupra diximus, ita etiam, nè in miſeriam incidat: & ſicut quo teneor præcepto, nè aliquod cõmittam vetitum, eodem pariter teneor ad periculum euitãdum, nè in illud ruam; eiuſdem enim malitia eſt peccare, & ſe conſtituere in morali, & proximo peccatum patrandi periculo, ex communi ſententia apud *Soarium 5. tom. in 3. in 3. partem diſp. 18. ſect. 3. num. 16. & Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 8. numer. 4.* ita nec aliter quo obligor præcepto corripuendi Proximum, vt à peccato emergat, eodem tenebor, nè in illud ſe det præcipitem; & qua ratione ſecretò eum corrigere ob occultum peccatum, quo in me peccauit, eodem ob periculum, obligor. Quamobrem non poſſum non diſſentire à *Soar. qui 4. tom. de Relig. cap. 8. num. 8.* in periculis peccatorum, quę ſoli etiam Peccanti, & Emendanti nocere poſſunt, vult non eſſe ſeruandũ ordinem fraternæ, atque euangelicæ correctionis, neque neceſſariam eſſe monitionem ſecretam; etſi per eam ſpes furrit ſufficientis remedij, ſed Prælato rem eſſe manifeſtandã etiam extra Societatem Ieſu, de qua nec ille loco citato, neque ipſe nunc loquor, *Soarij* autem ratio, pace tanti viri, alicuius non eſt momenti, cum ex iacto à nobis fundamento; quia licèt frater non peccauerit, verſatur tamen in periculo peccandi, eodemque præcepto, & à caſu, & à periculo mortalis caſus, teneor eum auertere. Falſum inſuper eſt non infamari fratrem ex euentu deſcripto à *Soario*; nam licèt non peccauerit conſumato iam actu, peccauit quidem ſe exponendo morali, ac proximo periculo; & ſicut ſi non præmiſſa correctione inter me, & ipſum ſolum, per quam eius emendationem ſperare, iuxta præceptum Domini, Proximi in pec-

catū lapſi famæ non ſatis conſulerem, atq; ex ſe prò ſubiecta materia mortaliter peccarē: ita pariter; ſi non præmiſſa correctione patefacerem proximum, ob periculum, in quo voluntariè ſe conſtituit, peccarem eadem, vt modò dicebam, malitia; meritò igitur ſuper adnotaui hoc etiam periculum materiam fraternæ, ac ſecretæ correctionis, ſine qua proximus infamaretur; quippequi voluntariè illud non vitauit; & nè alieni videatur frater adhuc non peccaſſe, quod tequiri videtur in textu *Matthæi*, per morale periculum, aio, quòd voluntariè ille obijt, cenſendum eum etiam peccaſſe; & in me, quem ad minimum ſcandalo affecit, voluntariè peccaſſe. Conſultò dixi voluntariè, quia ſi non de hoc, ſed de inuoluntario ageretur periculo, tunc cum nulla proximo reſultaret infamia, qui in illo hìc, & nunc verſatur, neque ab intrinſeco, ſed potiùs ab extrinſeco inferatur talis occaſio; & vt bene *Baſilius in conſtit. monaſt. cap. 4. pagin. mihi* 489. *Qui vrgenti* (ait) *aliqua cauſa, & neceſſitate ſe periculo obijcit, vel permittit ſe eſſe in illo; cum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare illud, quàm inuitus illud ſubire, &c.* poſſet tunc quis vti auxilio Prælati, ad quod prudentia opus erit, qua perpendat an magis expediat admonere fratrem, quàm aperire Superiori; & regulariter vbi correctione fraterna poterit huic etiam periculo adhiberi remedium non eſſe omittendam, iudicarem tutiùs, præ oculis naturale ſemper habens axioma, cæleſtis magiſtri oraculo firmatum *Matth. 7. Quod tibi non vis, alteri ne feceris: & quæcumque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis.* Quid autem de peccato veniali imbibente periculum ſeruandum ſit *capit. 6. numer. 22.* dicemus.

16 Septima concluſio. Si peccatum Proximi occultum fuerit ex his, quæ communi opponuntur bono, à nobis *ſuper. cap. num. 9.* relata, ni certa eſſet ſpes emendationis (quæ neque ſatis erit in crimine hæreſi, neque de hæretico habita) per fraternam correctionem, denunciandum eſſet immediatè Superiori, etiam vt iudici, à quo prò viribus conſulente iuſtitiæ, & charitati remedium opportunum adhibeatur; ſic *Diuus Thomas ſæpè laudatus artic. 7. Caietan. ibi, Riccard. in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. Palud. quæſt. 4. Adrian. in 4. ante materiam de matr. in poſteriore, parte 9. de corr. Caſtr. de iuſta hæretic. punition. cap. 29. Sot. de teg. ſecr. memb. 2. quæſt. 4. concluſ. 1. Archidiac. apud Panom. cap. Nouit de areuſ. num. 44. Nauarr. in Manual, cap. 25. num. 33. Suarez de charit. diſp. 8. ſect. 6. num. 5 Genuenſ. in praxi Neapolit. cap. 19. num. 5. & alij Neotherici.* Probatur abſolutè concluſio e *Diuo Thoma*, quia Proximus non in me modò, ſed dum bonum commune laceſſit, in Rempublicam peccat, & eius mēbra; ergo non eſt cur cum eo fraterna correctione vtar, quæ præſcribitur peccatori facienda, contra me peccanti. Secundò, quia hi Delinquentes aggreſſores ſunt innocentis Reipublicæ; igitur ad remouendum quod ei imminet damnum, etiam cum aliquali iactura famæ aggreſſoris deueniendum eſt ad efficacius denunciationis remedium. Addunt *Alphonſ. de Caſtro citatus, atque ex illo Genuenſis.* Si quis aliquem nouerit in hæreſim lapſum, neſciat tamen an ſit pertinax, teneri illum corripere, priuſquam Iudici denunciare; cùm oporteat, eſſe moraliter certus Denuncians de crimine denunciando, vel accuſando, vti nos *præcedenti diſput. cap. vltimo numer. 10. & 31.* diximus *Eccleſ. 11. Priuſquàm interroges, nè vituperes quemquam.* At mea quidem ſententia cauendum, nè diù prorogata huiuſmodi criminum denunciatio Reipublicæ officiat, etiamſi non inſit ſuſpicio violenta; quando per Auctores laudatos, nec differenda denunciatio eſt. Secunda pars limitationem continens ex certo probatur fundamento, quod charitas ad conſulendum bono communi cum minimo priuatæ perſonæ damno obligat; ergo ſi ſimul ſeruari poterit commune bonum, & fama peccātis, hæc prodigenda ſanè non eſt; cùm hìc, & nunc minimè inter ſe pugnent: & ſicut quando peccat contra me in rigore Proximus, & mihi, illi per correctionem fraternā cōſulere teneor, ſic à pari dum agitur de damno communi, quando ſine detrimēto, vel cum minimo priuatæ perſonæ poſſū illud auertere. Quamobrem *Diuus Thom. quæſt. 33. art. 7* cum primam docuerit partem, à nobis aſſertam, hanc ſubijcit limitationem, *Niſi fortè quis firmiter æxiſtimaret quòd ſtatim per ſecretam admonitionem poſſit huiuſmodi mala impedire.* Hinc virum magnæ auctoritatis, à quo ſecreta facienda ſit correctio, exoptat *Sotus citatus concluſ. 2.* cui moraliter certa ſit ſpes, pernicioſum extinguendi ignem. Tertia autem pars de hæreſi docetur à *Simancha de catholic. inſtit. tit. 19. num. 10. & 12. Guttier. libr. 1. quæſt. canonic. capit. 11. num. 53. Cano libr. 12. de locis theolog. cap. 9. ad finem, Sot. citato.* Præſertim ſi ageretur de Hæretico dogmatizante, *Bannez 2. 2. quæſt. 33. Alphonſ. de Caſtro libr. de iuſta hæretic. punit. cap. 25. Americ. in direct. Inquiſit. part. tertia rubr. de ſecund. mod. proced. per denunciationem num. 68. Sanch. tom. 1. Decal. libr. 2. cap. 32. numer. 47. Fagund. 2. præcept. Eccleſ. libr. 6. cap. 4. num. 11.* Ratio verò deſumitur, tum ex lege per Euangeliū explicata: tum è ſerpentino hæreticorum

genio:

genio:ex prima, quia hæretici quamuis no-
ſtri ſint,natura,fratres,non tamen fide, non
lege, non moribus,& conſequenter neque
euangelici fratres, vt probè *Adrianus in*
Cap.Si peccauerit 2.quæſt.1.Cordub.in addict.
ad Sotum de teg.ſec. mem.2. quæſt.4. concl.2.
Ex genio hæreticorum, quippequi ſubdolo,
doloſo, atque fraudolento quaſi cinere dia-
bolicum in pectore fouent ignem,in incen-
dium mox erupturum Eccleſiæ; metuque
pænæ plerunque ſimulant emendationem.
17 Scio nonnullos Auctores ex quibus *Sanctus*
Thomas 2.2.quæſt.33.art.7.Syluest.verb.cor-
rectio quæſt.5.Gabriel in can.lect.74. ſub lit-
tera S. docentes,dum firma ſit ſpes emenda-
tionis hos eoſdem prius eſſe priuatim corri-
gendos; verum probabilius ob allata ratio-
num momenta contrarium arbitror,atque
in praxi abſolute ſeruandum. Quo autem in
caſu liceat hæreticum denuntiare, etſi non
poſſimus hæreſim probare, docet *Fagund.*
18 *lib.6.cap.4.citata num.13.*ex nonnullis. An
vero Filius teneatur denuntiare Patrem hæ-
reticum,an Vxor Maritum,Fratrem Frater,
non eſt huius loci, legat qui ſcire cupit
Alexand.de Ales part.3.qu.23. mem.4. art.2.
Ricium part.3. deciſ.278.& 279. num. 8. Io.
Valer. de differ.vtriuſq; fori verb. hæreſis dif-
fin.1.nu.4.Didac.Canter.in queſt.crimin. rub.
*de haret.verb.ex qua quidē Gloſſa.*apud quos
alij,qui negant *Azor.part.2.lib.2. q.13.Soar.*
de fide diſp.20 ſect.4.nu.21. Comitol. in reſp.
*mor.lib.4.q.8.num.3.*qui affirmant.
19 Verum autem eadem ſit ratio de hæreſi,
ac de delictis in edicto Dominorum Inqui-
ſitorum contentis. Negant nonnulli, quos
videre eſt apud *Fagund.modo laudatum num.*
12.Affirmant alij, quos ſequuntur *Ioſeph. à*
Sancta Maria in Tribun.relig.tract.12.cap.13
*§.15.& Genuenſis in Prax.Neapol.*tum quia
id requiritur ad præmonendos ſuperiores:
tum quia euenire poterit in eaſdem perſo-
nas alias adeſſe denuntiationes, ex quibus
facili negotio ad torturam deueniri poſſet,
atque ad alia iuris remedia, quibus bono
proſpiciatur Reipublicæ,ad quod quiſque
tenetur ex *Sancto Thoma 2.2.q.68. art.1.So-*
to,& alijs apud dictum Auctorem.
20 De ſollicitatione autem in confeſſione,
docet *Fagund.2.percep.Eccleſiaſ.lib.4.cap.3.*
num.11. (neque ipſe definio, cum mei non
ſit inſtituti,neque in præſentia ſequor) ante
eius denuntiationem, faciendam Iudicibus,
præmittendam eſſe fraternam correctionē,
etiam iteratam, donec ſpes emendationis,
prudentis iudicio, fuerit; cuius correctionis
præceptum cum de iure naturali diuino ſit,
vt probauimus *cap.1.*ad famæ ac bonæ con-
ſulendum opinioni Proximi obligat,quam
minimo eiuſdem poſſumus damno: præcep-
tum vero denuntiationis faciēdæ Iudicibus
Eccleſiaſticis cum ſit humanum, diuino ce-
dere debet *Auctore Diuo Thoma,nec nō Pe-*
tro Nauarrā,Caietano,Soto,Saira,Nauarro,et
alij apud eundem Fagundez,quibus fauet Pe-
rinus in priuileg.minim. tom.2. conſt. 4. Gre-
gor.XV.§.num.26.& conſt.9.Pauli V.§.2.nu.
26.& 27.
21 Huius autem loci eſt adnotaſſe Epiſco-
pos(quod Deus auertat) ſollicitantes in cō-
feſſione non eſſe ſubiectos Inquiſitoribus,
quibus cogantur mulieres ſollicitatæ eos
denuntiare. Ratio eſt, vel quia id expedit
ad euitandum ſcandalum totius diœceſis;vel
ad tuendam Epiſcoporum auctoritatem;vel
quia tenore bullarum *Pauli 4. Pij 4.decreti*
Clementis VIII Bullæ Gregorij XV. ac alia-
rum non videtur Epiſcoporum expreſſa
mentio facta,ac proinde non comprehenſi
ob dicta *lib.1.diſp.1.cap.1.nu.15.*quam ſen-
tentiā ſequuntur *Acuña q.12.n.5.plures quos*
refert Auctores, Sanctius in ſelect. diſp. 11.
*num.33.*etiam penes ius citatum Bullarum;
qui vult denuntiandos eſſe Præſules Sedi
Apoſtolicæ. Nomine autem Epiſcoporum
venirē Titulares,at non electos in hoc caſu,
*num.33.*ſcribit idem Auctor *apud quem leges*
*nu.34.*modum ab Inquiſitoribus ſeruandū
in his,& caſibus contra Epiſcopos.
Idem fere docet fuiſſe deciſum à doctiſſi-
mis Iur.Per.*Genuenſ.in prax. Neap.cap.19.*
*num.4.*de fœminis,vel alijs perſonis, quę ex
ſimplicitate, maleficia, & ſortilegia confi-
ciunt, etiam hæreſim ſapientia, vel apoſta-
ſiam,ignorantes tamen iuris prohibitionē,
has inquam perſonas minime denunciandas
eſſe iuridicè,monitione ſecreta non præmiſ-
ſa,& correctione ſequuta,propter earum
ignorantiam,vel ſimplicitatem,à dolo excu-
ſantē ex *Gloſſ. communiter recepta in l. Plagi*
C.ad leg. Flauiam de plagiar.l.ſequitur ff.de lib.
*cauſ.*Adde huiuſmodi mulierculas, etiam ſi-
ne peccato graui nonnunquam has nugas,
ac futilia facta committere, credentes lice-
re,quæ à ſuis Maioribus acceperunt, præſer-
tim ſi velamine nonnullorum verborum,vel
ſignorum ex ſe ad pietatem ſpectantium
adumbratæ fuerunt,eas excuſante ignoran-
tia,ſemper tamen ſtandum in hiſce domino-
rum Inquiſitorum edictis:
22 Si autem dubium eſſet an profutura fra-
terna monitio horum delictorum foret; nec
nè, in opinione quidem eorum, qui illam
præmittendam eſſe docent omitti debere
ſcribit *Martinus Delrius in diſquiſ. magic.*
tom:3.lib.5.sect.4. num.6. qui probè æſtimat
communi bono fauendum potius eſſe in hu-
iuſmodi delictis per denuntiationem;verum
dubium conſtans eſſe debet per probabile,
ac prudentiale iudicium; etſi non deſint
apud

apud citatum Delrium, qui contrarium affirment, quibus ſubſcribunt nonnulli *Recentiores*. Nec parui facienda eſt regula *Soti*, *qui mem. 2 de teg ſec. quæſtion. 2. 4. concluſ.* docet. Si quis dubitet an profuturus ſit, & certus ſit, quod uon ſit obfuturus corripiendo, tunc debere corripere, non ſecus ac medicus quando certus eſt medicinam nihil obfuturam, qui dubitat eſſe profuturam, adhibere tenetur *ex Auguſt. de pœnit. diſt. 7. Cap. Si quis il a. Ideo do tibi pœnitentiam, quia neſcio an tibi proderit, nam ſi ſcirem non tibi prodeſſe, non tibi darem. & in libris de correct. & grat. Neſcientes quis pertineat ad prædeſtinatorum numerum, & quis non pertineat, ſic affici debemus caritatis affectu, vt omnes velimus ſaluos fieri.* Itaque abſolute loquendo, tunc à correctione excuſamur, quando certi ſumus, nihil nos profuturos; quia debet *qui arat in ſpe arare 1. ad Chorinth. 9.* ſed quando opinamur ſub dubio nos poſſe prodeſſe, corripere profecto debemus; alias, vt probè *citatus Auctor*, qui obſeruat ventum non ſeminat, & qui conſiderat nubes nunquam metet. Quæ regula vniuerſaliſſima quidem eſt in cæteris delictis; in his autem contra bonum commune, penes ſeutentiam Auctorum citatorum docentium, præmittendam eſſe correctionem, vt paulo ante dicebam, non niſi magna cum cautela vſui ſit, deducenda ex his quæ mox ſubijciemus.

23 Dicet quis huiuſmodi peccata contra bonum commune, nec etiam denuntianda ſunt, ſpe vrgente emendationis, ante ſecretam correctionem; ergo nullum erit aſſignare diſcrimen inter hæc grauiora delicta, atque alia in bonum commune minime tendentia. Verum falſa eſt ſequela primumque aſſigno diſcrimẽ inter hæc delicta: quia ſpes emendationis ab his, quæ contra bonum commune ſunt, certa moraliter eſſe debet, ac præſentanea; quod indicauimus ex *Diuo Thoma ſupra laudato num. 22.* per *Tò* firmiter exiſtimaret, & per particulam *ſtatim* adiunctam, docetque etiam *Riccard. diſt. 18. art. 3. q. 1.* in alijs vero probabilis ſpes ſatis eſſe cenſetur, vel potius negatiuè rationem non habere ad deſperandum iuxta regulam quã è Soto paulò ante ſuperiore numero indicauimus. Ratio autem deſumitur ex maiore ad commune bonum obligatione, eiuſque præſtantia. Secundum eſt, quod cum raro hæc certa ſpes emendationis in huiuſmodi delictis, præſertim hæreſis cum contumacia reperiatur, de hac, & de alijs contra bonum commune (quamuis de his non tanto cum rigore) generalis regula poterit aſſignari, primos plerunque non præmittendi actus ſecretæ correctionis, teſtiumque adductionis; è contra vero in alijs delictis vſui eſſe debet oppoſita, & generalis regula recenſito actus præmittendi ad iudicialem monitionem, & licet *Paulus ad Titum. 3. Poſt vnam aut alteram monitionem* (dicat) *deuita*. id tamen in ordine ad excommunicationem, vel eius declarationem intelligendum eſt, vel quando eſſet hæreticus à tota Eccleſia ſemel, atque iterum admonitus, vt ſtatim euitetur. Tertium quòd hereſis (& idem de alijs in Rempublicam chriſtianam delictis, vt ſæpe dictum eſt, docentque multi) denuncianda eſt, etſi probari non poſſit, ſecus alia delicta, contra commune bonum non facientia. Quartum, quòd in his, vel ex fraterna correctione, vt autumant multi; vel, ea omiſſa, penes alios ſtatim ad iudicialem gradus fieri poterit, ſecus in alijs, vt probè *Soarius diſp. 8. de carit. ſect. 6. num. 6.*

24 Sexta Concluſio. Quando peccatum proximi eſt in damnum tertiæ priuatæ perſonæ, debet etiam priuata correctione admoneri, ſi fuerit ſpes emendationis, quæ maior eſſe deberet, quam ſi peccatum in damnum nullius vergeret. Eſt communis Doctorum ſententia, vt videre eſt apud *Soarium diſp. 8. ſect. 6. nu. 7.* ſpe autem emendationis ſufficiente, vel ſub dubio, prudentis iudicio, penſanda ſunt omnia, quanti, ſcilicet, momenti ſit dãnum tertij ad quod refertur Proximi peccatum, quanti fama Peccantis: cæteris autem paribus, immo cum nonnullo Aggreſſoris damno fauendum eſt Innocenti, *ex cap. Qui cum, de furt.* quod potius de furto, quam de fure aperiendo loquitur, vt videre eſt apud *Abbatem*. Ratio autem ex eo patet, quod Innocens ordine caritatis præferendus ſit.

25 Hinc à peccato excuſantur, qui latronibus, vt à Satellitibus in carcerem conijciantur acclamant, & quia nulla fere ſpes eſt emendationis in his homuncionibus, ſi priuatim corrigantur, & quia penè nullam faciunt famæ iacturam, alioquin infames ob publicum, turpeque delictum; ſecus eſſet ſi quis extrema neceſſitate cõpulſus vir alioquin honeſtæ famæ in huiuſmodi delictum forte fortuna incidiſſet, qui non eſſet manifeſtandus, quin prius priuatim corriperetur. In his autem, ac ſimilibus delictis iuridicè denuntiandis, ex quibus immineret Delinquentibus vitæ periculum proteſtatio facienda eſt à Clericis, atque eccleſiaſticis perſonis, qua ſe neque in vindictam, neq; ad pœnam ſanguinis, ſed citra eam denuntiare profiteantur, vt rectè *Caiet. 2. 2. q. 33. art. 7. & Sot. de teg. ſecr. nu. 2. q. 5. concl. 2.*

Hæc de delicto iam perpetrato; difficilius tamen remedium eſt de delicto committendo, quod ipſe ſcio, homicidiũ ver. gra. quod à Petro contra Paulum præparatur. Et primo certum eſt ſi occultum fuerit, à me non

poſſe

poſſe iuridicè primò denunciari, vt bene *Adrianus apud Sotum citatum quæſt. 4. concluſ. 2.* quia crimen quod probari non poteſt, nec per infamiam, aut indicia diſquiri, Iudici non licet iuridicè denunciari. Deinde ſi poſſum correctione fraterna homicidam ab homicidio meditato reuocare, teneor: ni poſſim, tunc ſi certus ſim, denunciare ſanè debeo illi, quem ſolùm prodeſſe, & non obeſſe ſcio, ideſt ſuperiori, tanquam patri ex *Auguſtin. cap. Videtur 22. quæſt. 5.* Quamobrem rectè *Paludan in 4. diſtinct. 19. quæſt. 4.* hoc pacto monet Superiori aperiendum fratrem, machinantem alteri mortem; Vita enim fratris præferẽda eſt alterius famæ. Demum ſi remedium adhibere potero per denunciationem delicti, & non perſonæ, illa tantùm contentus, perſonam ſilentio premam: immò ſi ſufficeret generalis admonitio facta Superiori, vt patri de aliquo delicto in Communitate, mox executioni mandando, quod cùm ſciam, aperire non poſſum, hanc tantùm adhibere teneor; ſic *Sanctus Thomas quodlib. 11. artic. 12. Nauar, in cap. Sacerdos, num. 14. ac deinceps, & Sotus laudatus.* Rarò autem, & non abſque magna cautela eſſet profectò præmonendus, qui occidendus eſſet, nè occiſorem ſuum, coniecturis ei ſuſpectum, præuertat, atque è medio tollat.

26 Dices ergo, ſi Paulus occultiſſimus eſſet homicida, & tamen Petrus, vel ob falſos teſtes, vel propter ſuſpicionem, morte damnandus eſſet, imputatione homicidij, fas mihi erit homicidium Pauli aperire, ad eripiẽdum à morte Petrum. Reſpondeo, vel Paulus malis artibus, & calumnijs homicidium impoſuit Petro, vel non. Si primum tenebor, cum dolus, & calumnia nemini debeat adſtipulari, præſertim contra Innocentem, quem iniuſtè video petitum: Si ſecundum, ita vt aliunde rumor contra Petrum ortum habuerit, nec teneor, nec poſſum denunciare; quia non obligor tanto cum damno, qui quidem Proximus non fuit cauſa falſi rumoris, & periculi vitæ, niſi valdè per accidens, quod hìc, & nunc ſubit Petrus. Quòd ſi homicidium probari poſſet via accuſationis, ſi vellet quis ſeruato iuris ordine incedere, ſanè poſſet; ſic *Soar. diſput. 8. de charitat. ſect. 6. num 7.* Verùm teneretur remedia *num. 31.* relata hadhibere.

27 Septima concluſio. Si delictum ſit omninò emendatum, denunciandum non eſt: ſi autem vel non ſit emendatum, vel immineat recidiui periculum, ſeruandæ ſunt regulæ in ſuperioribus concluſionibus explicatæ de denunciatione, præmiſſa, vel non præmiſſa correctione fraterna, prò qualitate delicti, facienda. Prima pars eſt *Soti libr. 3. de iuſt. & iur. quæſt. 5. artic. 5. Sanch. lib. 6. oper. moral. quæſt. 5. artic. 5. Sanch. libr 6. oper. moral. cap. 18. num. 49. Tolet. libr. 5. ſumm. cap. 57. num. 2.* qui quidem exempla falſificationis monetarum, & hæreſis adducit; veramque eſſe aſſertam doctrinam arbitratur in reliquis etiam criminibus contra bonum commune, eo ſolum excepto caſu, cùm quis horum delictorum conſcius à Iudice interrogaretur iuridicè, apud quem aliqua eſſet probatio illius criminis, vel aliqua Infamia, quapropter non eſſet occultum: ſubſcribunt *Victor. ad manuale Nauarri cap. 25. num. 33. Roderic. Acuña in tract. de confeſſ. ſollicitat. quæſt. 3. num. 15 Megala in prima part. libr. 1. cap. 5. num. 26. Portella in addit. ad dubia Regular. verſ. ſollicitare fœminas num. 18.* qui hæc habet. *Si fœmina ſollicitata certò ſciat Confeſſorem eſſe pœnitentem, & moraliter intelligat pœnitentiam illius de præterito eſſe veram, non tenebitur denunciare, quia finis denunciationis eſt emendatio proximi.* Sic ille adſtipulatur, *Petrinus in priuil. Ordin. Minor. tom. 2. conſtitut. 4. Gregor. XV. § 6. num. 31. Si mulieri ſollicitatæ* (inquit) *conſtet de emendatione ſollicitantis, non tenetur denunciare; quia cùm probauerimus hoc peccatum fraternam correctionem admittere, ſi hæc profuit, vel ſine hac peccatum eſt emendatum nõ eſt cur ad denunciandum procedatur.* Quamobrem *Sotus de teg. ſec. membr. 2. quæſt. 4. cõcluſ. 5.* monet cautè legendum eſſe *Riccard. in 4. diſtinct. 10.* contrarium indicantem de quocumque delicto. Confirmatur præterea concluſio; nam ceſſante fine intrinſeco, atque immediato, ceſſat neceſſitas medij, ergo ceſſante neceſſitate emendationis, quę ſupponitur facta, ceſſabit profectò medium corectionis; immò perniciosum quidem eſſet cicatricẽ vulneris refricare cum Propheta beatos eos cenſeat, *Quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & tecta ſunt peccata. pſalm. 31.* Et liquet magis ex diſcrimine finis huius correctionis, & eius, ad quem accuſatio, vel denunciatio iuridica referuntur, vt ſupra *cap. 3. à num. 2. ac deinceps.*

Quamuis rationes allatæ de denuntiatione paterna videantur efficaces, quæ ad emendationem, & non ad punitionem ordinatur, nec modo probant non denuntianda eſſe delicta iam emendata, ſine recidiui periculo, ſed etiam ea, de quibus prudenter reum arbitror ſuo tempore pœnitentiam acturum, vt proſequar *numero ſequenti*; nec timor vrget ſimilia eſſe commiſſurum, vel diu cum graui eius pernicie in eo permanſurum, vt probè *Soar. diſp. 7. de carit. ſect. 3. num. 7.* quia nimirum in hoc caſu proximus mea non indiget correctione, nec præceptum affirmatiuum miſericordiæ, niſi ſeruatis, in articulo neceſ-

neceſſitatis,circumſtantijs obligat,ad inſtar præcepti orandi pro Proximo;nihilo tamen minus communiter Auctores aſſerunt huiuſmodi delicta vt ſic emendata, materiam nec etiam eſſe iudicialis denuntiationis, nullo iudice interrogante,& præter relatos docet *Sot.expreſſè lib.5.de iuſt. & iur. quæſt. 5. art. 1. Genuen. in prax. Neapol. ſæpe citatus num.6.nec non Nauarr.in conc.10.mox citandus*; & probatur,quia ordo correctionis in Euangelio præſcriptus iudiciali plerunque ptemittendus eſt denuntiationi,vt ſæpe dixi ac docet *Diuus Thomas 2.2.quæſt. 33. art. 3. in corp.ad finem*; ſed huic præmittenda præcipitur cortectio fraterna,vt ex praxi indicata *cap.3.num.5.* conſtat; ergo vbi hæc neceſſaria non erit, neque denuntiatio iudicialis pletunque in præcepto iudicanda erit; atqui correctio fraterna adhibenda non eſt, vbi delictum omnino eſt emendatum,vel certo emendandus, ergo neque iudicialis denuntiatio. Confirmabimus hoc idem ſequenti *cap. numero 3. & capitulo 6. reg. 8.*

28 Quando autem quis emendatus dicatur, licèt ad prudentis iudicij trutinam tuto res referenda eſſet, nihilo tamen ſecius præter ea,quæ ex *Abbate & cap.3. num. 10. & 11.* ſuper adduxi *diſp.2.cap.2. num. 27.* in alijs delictis, vna excepta hæreſi præſertim formali,poſſe quempiam, vt probè *Genuenſis* emendatum præſumi,ſi iubileum in propria conſequutus fuiſſet patria; vel vrbem ad annum Sanctum celebrandum,vel ad hũc finem, vt ibi ſuę conſuleret conſcientię adiuiſſet.Vel ſi per triennium bene vixiſſet,vt *Homo bonus de excom.Eccleſ.part.1. tract.7. cap.7.quæſt.33.Freitas in addit.ad tractat. de confeſ.ſollicit.quæſt.8.num. 32. Ricius part. 2. deciſ. 159.num.14.hoc enim temporis tractu* (vt cum *Hieronymo ad Furiam epiſt. 10.* loquar) *vita poſterior iudicabit de priore*; tametſi in hoc caſu longum, diuturnumque eſſet temporis interuallum,triennium elapſum expectare, poſt quod denuntiandum necnè Proximum iudicaremus. Meritò hæreſim excepi; nam ſi formalis fuerit, cuius ſemper dubium ſubrepere,titillare,& carpere animum meritò ſolet,num vera pœnitentia emendata ſit,nec nè; cum doloſo pœnitentiæ fuco tetrum peſtileoſque vlcus quòd in pectore ſubdolè fouent, ſoleant hæretici tegere;vt probè *Royas apud Genuenſem nu. 6.Fagund.tract.2.lib.6.cap.4.num.17.* Idem citatus *Genuenſis* indicat de hæretico emendato, qui tamen dogmatizando Chriſtianæ nocuiſſet Reipublicæ; quos quidem omnes etiam emendatos denuntiandos eſſe ad pœnam, quam meruere luendam bene ex nonnullis idem *Auctor docet num.6.ad finem.* De alijs autem delictis ad ſacrum Tribunal Inquiſitionis ſpectantibus ſtandum eſt eius edictis, de quibus *Auctores modo citati* legendi ſunt.

29 Quod iudicium tulimus de emendato delicto,idem ferendum eſt,ſi quis certo, aut probabiliter ſciret Proximum, vel per correctionem alterius,vel ſua ſe ſponte emendaturum,quem tunc non teneberis corripere, vt optimè *Caiet. in ſum. verb. correctio Valent. 2.2.diſp.3.quæſt.10.punt.2. colum. 6. & 2.verſ.quinta circumſtantia*;& ratio videtur eadem, quia tua proximus tunc temporis non indiget correctione; quapropter nec tu teneris conſequenter eam adhibere; vt neque eleemoſynam corporalem elargiri, cui noueris ab alio ſubuenturum iri, vt rectè citatus *Valent.q.9.punct.4.* Quid autem in dubio emendationis faciendum ſit dicemus *cap.6.reg.8.in fine*.

30 Octaua concluſio. Si correctio adhibitis teſtibus, fructum non habuerit denuntiandus tandem eſſet Frater,ſeu Proximus Prælato,ſi ſpes emendationis ſit in delictis priuatis,neque contra bonum commune, nec maior ipſius fratris timeretur peruerſio. Prima pars expreſſa eſt in Euangelio,& conſtabit ex *capit 6. reg. 2.* quamuis negetur à *Panormitano qui Cap ſi Nouit de iudic.* ad timorem alijs inurendum etiam ceſſante emendationis ſpe, vult huiuſmodi delicta denuncianda eſſe; verùm noſtra aſſertio eſt *Diui Thomæ 2.2.quæſt.33.art. 6. Soti.ſæpe citati quæſt.4.concl.6.* nam ceſſante fine proximo,atque immediato, à medio ſanè ceſſandum eſt; cum autem correctio fraterna, quæ etiam denuntiationem comprehendit, vt finem habeat fratris emendationem, huius ſpe ceſſante,ceſſandum ab ipſa,ni gradus faciendus eſſet ad iudicialem, atque ad accuſationem iuxta ea,quæ dicturi ſumus *cap. 6.reg.7.ac deinceps*.

31 Nona concluſio. Nõ modo peccabit mortaliter priuata perſona, ſi correctionẽ omittat, omnino neceſſariam,à qua neque metu in conſtantem virum cadente excuſari, ſequenti aſſertione,dicemus, ſed etiam quãdo proximus graui neceſſitate premitur. Prima pars ex ſuperioribus conſtat præſertim precedenti aſſertione. Secunda oſtenditur à paritate pręcepti eleemoſynę,ad quam de ſuperfluis tenetur, quis etiam in graui neceſſitate Proximi; ſic *Sanctus Thom. 4. diſt.15.quæſt.2.colum. 193. Antonin. 2. part. tit.1.cap.24.§.4. Riccard. 4. diſt. 15. Sylueſt. Tabien. Armel. verb. eleemoſyna. Tolet. lib. 8. ſum.cap.35.* ergo à fortiori de eleemoſyna ſpirituali fraternæ correctionis idem ſentiendum non ad eam modo nos obligari,in extrema proximi neceſſitate,ſed etiam in

graui,

graui, quando nimirum ex malitia, vel paſſione peccauerit Proximus, à qua culpa moraliter loquendo, ni data correctionis manu, difficulter emergeret. Extrema verò, & grauis huiuſmodi ſpiritualis neceſſitas ex corporali cum analogia declaranda eſt. Et quidem cum extrema in corporalibus, Auctorum conſenſu illa ſit, quando nimirum non modò mortis imminet periculum, ſed quando probabilia ſunt ſigna talis periculi mortis, quæ probabiliter timetur, extrema pariter ſpiritualis ad huius inſtar, tunc ſanè cenſenda, quando æternæ imminet periculum mortis. Grauis autem neceſſitas corporalis cum tunc cenſeatur eſſe, quando aliquod imminet incommodum notabile; Spiritualis ea extimanda eſt, qua incommodum notabile intercedit, nimirum cum peccator magna cum difficultate à peccato, ni corriperetur, ſit emerſurus, vel poſt multum temporis, vel non ſine magno recidiui periculo. Et ſanè in hac etiam ſpirituali eleemoſyna plerunque illa ſeruanda eſt regula, quæ in corporali, vt ad conſeruanda bona Proximi penſadum ſit, æqua lance, proprium quod ſubeo damnum, & lucrum intentum ſpirituale Proximi, quam regulam probè explicat *Vazquez in opuſc. de eleemoſ. cap. 1. dub. 3. à num. 26. ac deinceps.*

32 Decima concluſio. Excuſatur ab hoc onere quis ex quocumque timore cadente in conſtantem virum vitæ, honoris, famæ, vel bonorum temporalium, ita *Sotus mem. 2. quæſt. 2. ad concluſ. 6. ex ſancto Thoma 2. 2. quæſt. 36. art. 5.* Et ratio eſt, quòd nobis non tanta cura vitæ ſpiritualis ſit, neque huiuſmodi opera charitatis cum periculo vitæ obeunda ſunt, neque tanti emenda Proximi ſalus; ni euidens eiuſdem inſtaret perditio, ad quam neceſſaria omninò putaretur correctio, tunc enim nullo pacto prætermittenda, ſic ex *Diuo Thoma deducit idem Sot. concluſ. 8. & reg. 17. cap. 6.* nos proſequemur. Secundò probatur ex paritate eleemoſynæ, ad quam vniuerſaliter nullus tenetur tantam incurrere neceſſitatem, vt à ſimili Proximum eleuet. Equidem quando mea correctio ſimpliciter neceſſaria non eſt, quòd ſine illa frater poteſt è miſeria emergere, non poſtpono charitatem Proximi, vitæ propriæ, honori, vel bonis temporalibus, quamuis ceſſem corripere, quia tunc nec vita, nec honor, nec bona temporalia ad bonum Proximi neceſſaria cenſentur; ſic ſi quis comminaretur ſe peieraturum, ni mea ei darem bona, non teneor ea dare; cum ille ex malitia, & non ex neceſſitate bonorum meorum peccet. Quæ cùm ita ſint exponere gradum huius neceſſitatis, haud facilè eſt; ac præter ea, quæ paulò ante, ſuperiori aſſertione diximus, ſi ex malitia quis peccet, aut ex paſſione, poteſt ſi velit reſipiſcere, quin ei neceſſaria ſimpliciter ſit correctio fraterna: ſi ex ignorantia inuincibili excuſabitur: ſi ex vincibili, tunc ſanè teneor corrigere. Fiat res exemplo clarior, ſi peccatorem ſcire cupientem, & inquirentem, quod ei incumbit, ego viderem, Doctorem nactum eſſe hæreticum, qui in errorem probabiliter eũ traher, tenebor profectò admonere, atque corripere, etiam cum periculo vitæ. Sic *Sotus citatus*; cui tunc tantùm ſubſcribo, cùm neceſſaria cenſeretur hic, & nunc mea correctio ad ſalutem Seducti; nã ſi opportuniore tempore, loco, &c. poſſem illum eripere, non video cur hic & nunc ſine neceſſitate, tantum periculum tenear ſubire; cùm Docendus poſſit bona fide excuſari, ſi imbibatur hæreſi, quam ſcio me per correctionem ab illo lõgè mox amãdaturum. Quamobrem eſſet tunc conſilium charitatis opportunitatem expectare temporis, vel loci: quod colligo ex *Auguſtin. de Ciuitat. Dei cap. 9. Caietan. 2. 2. quæſt. 33. art. 2.* Ex quacumque cauſa, ait, quis omittat correctionem, non eſſe peccatum mortale, ſi ſaluetur in præparatione animi, dummodo hic, & nunc non habeatur, vt neceſſaria. Ex hac autem aſſertione liquet, falsò ſẽtijſſe ac docuiſſe *Gabriel. lec. 74. fol.* 166. Omittentem corripere ob timorem mortis, ſpe intercedente emendationis proximi ſemper peccare mortaliter, vt ſi quis correctione poſſet retrahere Adulteram ab adulterio, timore mortis imminentis ab Adultero, omitteret, corripere. Falſam preterea eſſe opinionem *Maironis ſuper verba Auguſtini. 1. de ciuit. Dei cap. 9. verit 7.* docentis, nunquam mortaliter peccare priuatam perſonam omittentem correctionem, niſi, quando concurrit, & cooperatur peccato. *Diuus autem Auguſt. citatus à Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 33. art. 2. ad 3.* dicens bonos flagellari, quia omittunt corripere, eo quòd formidatur carnis excruciatio, vel peremptio, ipſeque Diuus Thomas, ita explicandi ſunt, vt velint ſolùm id eſſe verum, cùm correctio cenſeatur omninò neceſſaria.

33 Concluſio vndecima. Excuſatur quiuis ob ignorantiam inuincibilem ab aſſerto præcepto, quæ frequenter in hominibus indoctis euenire facilè poterit. Ratio autem eſt; nam licèt vniuerſaliſſima naturalis iuris principia ignorari minimè poſſint, ſed ad ſummum non conſiderari *vt malum eſſe fugiendum, & bonum optandum. Quod tibi non vis alteri ne feceris*, Sicut optimè *Corduba lib. 2. quæſt. 4. concl. 5. Valent. 1. 2. diſp. 6. quæſt. 6. punc. 1. concl. 7. Azor. lib. 1. cap. 13. quæſt. 1. Vazquez 1. 2. diſp. 122. cap. 2. Sãnch. in oper.*

in oper.mor.lib.2.num.33.& alij. idemqne concederem cum Valentia de illis Decalogi præceptis, quæ nullo ferè negotio à quouis etiam ignaro dedncuntur, vt *Deum eſſe colendum, pnrentes honore habendos*; verùm reliqua poſſe diu ignorari, & aliqua circumſtantia apparenter excuſante veſtita poſſe etiam toto vitæ tempore neſciri, optimè à citatis ſcribitur Auctoribus; ſicut igitur poſſet aliquis putare furtum licere ad erogandam eleemoſynam, vel periurium ad propriam, vel alienam vitam tuendam, vel pium eſſe infirmum morti proximum in alteram partem verſari, vt citius moreretur, nec diu pateretur: in quo caſu Ruſticus iudicatus fuit à *Vazquez* 1.2. *diſput.*124. *cnp.* 2. *ad finem* laborans ignorantia inninc ibili: multos etiam inuincibiliter ignorare docet, *Azor lib.*1.*cap.*13,*queſt.*1. peccatũ eſſe mentiri propter aliqnod maximũ bonũ, nec non Auctore *Sancio libr.*3. *ſum.cap.*16. *num.*33. aliqnos præſertim pueros ignorare pollutionem eſſe peccatum, ſic à pari poterit aliquis per ignorantiam putare non teneri ad correctionem fraternam, nè videatnr inquirere de aliorum vita, vel alterius famæ lædere, vel apparente timore, ſeu defectu ſpei, vel nè frater peior euadat, idq, ex futilibus cauſis iudicans.

34 Vltima Concluſio. Poteſt aliquando etiã eſſe venialis omiſſio correctionis, ſiue ex defectu materiæ corripiendæ, ſi leuis fuerit, ſiue circumſtantiarnm deſiderararum, in quas leuiter peccatur; ſiue temporis, ſiue ſpei, ſiue modi, ſiue metus concepti, & non omninò ſolidis momentis firmati, ſiue ſimilium, quæ nonnunquam potuernnt etiam ab omni peccato excuſare. De Religioſis familijs non ago, quorum inſtituta conſulat quicũque voluerit.

Nec mihi
..... robur, & æs triplex
Circn pectus erit, qui fragilem truci
Committam pelngo ratem.

Quam etſi conſtruxeram, è portu tamen nõ patiar, territus vndis, territus procellis.

CAPVT V.

Generales ex dictis ad vſum deducuntur regulæ.

SVMMA.

*Primo generalis regula ex cbnritate, atqne iuſtitia ſeruandn, num,*1.

*Secnnda. Ni poſſit conſcientię, & famæ conſuli: conſulatur tantùm conſcientia. numer.*2.

Non ſunt inquirendæ culpæ proximorum ad corectionem.ibid.

*Tertia Regnla. Ordo correctionis fraternæ aliqunndo etiam in delictis publicis ſeruandus eſt.num.*3.

*Quartn regula. Peccatum occultum hæreſis denunciandum: alia verò peccatn contra bonum commune probabile eſt, poſſe, & non poſſe immediatè denunciari. In tertiam verò perſonam ſecretò ſemper corrigenda. nnm.*4.

*Quinta regnla. Quodcumqne nlind peccatum occultum nnte denuncintienem iudicialem. fraternæ priùs corrigendum, n.*5,

*Quando obligatur quicnmque ad excnſationẽ criminis falsò impoſiti. num.*6.

*Applicatur hæc doctrinn Epiſcopis corripiendis, nnm.*7.

Modns corrigendi, quo vti debent ſubditi erga ſuperiores, ibid.

*Sexta regnla, tum emendatnm ſine probabili periculo recidiui, dennnciandum non eſt Superiori, neqne tamqnnm patri, exceptn hæreſi, nnm.*8.

Nec ſufficit ndiumentum vitandi recidiuum, vt tale peccatnm, omiſſa correctione fraternn, Snperiori tanquam patri denuncietur. ibid.

Quando probnbile eſt recidiuum qnid faciendnm. ibid.

Quid quando dubium. ibid.

Qnid, qnando dubia ſit emendatio. ibid.

*Septimn regula. Per confeſſionem, vel ſub ſecreto naturali, & conſilij petendi gratia exceptum delictum non eſt denuncinndum, neqne tnnquam patri per ſe loquendo. numer.*9.

*Satis eſt per ſe loquendo, vt ſciatur aliquid, vel ſub ſecreto, vel in ordine ad conſilium petitum, vt dennnciari non poſſis, nnmer.*10 *15.16.& 17.*

*Si fraude, ſi malis artibus eſſet extortnm hoc ſecretum non poterit Superiori, neque etiam vt patri nperiri. num.*11.

Index extorquens delictum iniuſtè non poteſt vltra procedere. ibid.

*Secretum in damnum immedintnm Communitatis, vel innocentis vergens non eſt ſeruandum, num.*12.

*Etiamſi inraretur, nnm.*13.

Etiamſi diceretnr verbo tenns ſub ſigillo confeſſionis, vt fieri ſolet nb indoctis. nnmero 14.

*Quando copnln & bnbet ſenſum diſiunctiuum, num.*16.17.& 18.

*Octana regula. Peccatnm veninle per ſe non eſt mnteria correctionis fraternæ. n.*19.

*Niſi rntione periculi. n.*20.

*Periculnm peccati grauis eſt materin correctionis frnternæ duobus ndhibitis exceptionibus. num.*21.

*Quid de peccato veniali, ratione ſcandali, & vltimi finis,*22.*&* 23.

Pro-

Propoſitum committendi omnia peccata venialia eſt peccatum mortale, & materia correctionis. num.24.

Immo & propoſitum committendi peccata venialia in re lubrica. n.25.

Duodecima regula. Quando tranſgreſſio eſt iuris poſitiui ex ignorantia, neceſſariò non eſt corrigendus Proximus. n.26.

Decima tertia regula. De opportunitate temporis & quod præceptum correctionis ſtatim non obligat. n.27.

Decima quarta regula. Si quis videt differendo correctionem melius emerſurũ Proximum, correctio poterit differri. n.28.

Decima quinta regula. ſpectans etiam ad Denuntiantem, ceſſante ſpe emendationis, non eſt facienda correctio. num.29.

Nec facienda, ſi ſit timor indurationis, vel nimia perturbationis. ibidem.

Immediatè denuntiandum non eſt peccatum in damnum tertij, qui non renuntiauerit propriæ famæ. ibidem.

Decima ſexta regula. Quomodo cognoſcenda ſit ſpes emendationis. n.30.

Decima ſeptima regula. Quotieſcumque non præmiſſa alias correctione fraterna, liceret iuridicè quempiam denuntiare, licet etiam præmiſſa. n.35.

Enumerantur caſus quibus præcedens regula obligatoria eſt. num.32.33. & 34.

Decima octaua regula ſpectans ad denuntiantem: In caſu extremæ neceſsitatis Proximi, etiam cum graui proprio damno temporali, teneor illum corripere. numero 35.

Idem aſſertum volo in graui neceſsitate eiuſdem, niſi intercedat metus grauis cadens in conſtantem virum. ibidem.

Decima nona regula. Secus faciendum eſt cum damno ſpirituali proprio. num.36.

Vigeſima regula. Semper illicita eſt contra iuſtitiam, & caritatem denuntiatio falſi criminis. n.37.

Vigeſima prima regula. Etiam eſt illicita denuntiatio ex prauitate intentionis. n.38. Vbi admonentur Moderatores contra Calumniatores.

Regula vigeſima ſecunda. Spectans ad Superiorem, cui denuntiandum eſt delictum. Excuſatur quiuis à paterna denuntiatione, quam ſine peccato prò grauitate culpæ denuntiandæ obire non poſſet ſi Prælato imprudenti facienda eſſet. n.39.

Sic etiam ſi probabiliter timeretur Prælatus non ſeruaturus ſecretum. n.40.

Vel vbi melior non iudicaretur correctio facienda à Prælato. n.41.

Vel ſi amator non ſit filij. n.42.

Pulchra Sancti Gregorij admonitio. ibidem.

Vigeſima tertia regula: Vbi dubium eſſet, num Prælatus melius correpturus ſit, non poteſt peccatum occultum paternè denuntiari, omiſſa fraterna correctione. n.43

Regula vigeſima quarta. Meritò inuiti cenſerentur ſubditi renuntiaſſe iuri famæ, ſi per calumniam Deferentium, vel nimiam Superioris credulitatem paternè etiam aliquo pacto denuntiaretur n.44.

Superior facilem ſe præbens denuntiantibus habet omnes miniſtros impios, numero 45.

Altera optima verſio ſeptuaginta Interpretum. n.46.

Prudens Imperatoris Leonis ad rem noſtram conſilium n.47.

Præclara Bernardi monitio. n.48.

Altera Diui Antonii à Padoua, numero 49.

Confirmatio Patris Seraphici. *n.50.*

Ex his magnum Reipublicę emolumentum oritur. n.51.

Sentiunt nonnulli me iniuſtè petitum in iudicio, nec aliter valentem propriam defendere innocentiam, poſſe Calumniatorem interficere. n.52.

Illud certum eſt ius me habere vt à Republica indemnis ſeruer, falſuſq; Delator puniatur. n.53.

Vigeſima quinta regula. Rationabiliter eſſent inuiti ſubditi, qui ſuo renuntiarunt iuri, ſi Superiores ſingulas non perpenderent delatę culpę circumſtantias, atque omnibus, indagarent iuribus veritatem. n.54.

Probatur per textum Geneſeos 18. *adductum à* Cap. Qualiter & quando de accuſat. *num.56.*

Grauiter peccarent Superiores prò qualitate culpæ denuntiatæ, ſi deſides eſſent in eius inueſtiganda veritate. n.56.

Grauius peccarent Superiores ſi non inueſtigantes, neque veritatem tenentes, ſubditos aliquo pacto affligerent, ibidem.

Optima ſententia Euerardi Mercuriani Quarti Generalis Societatis Ieſu. n.57.

Altera præclara Claudii Aquauiuæ Quinti eiuſdem Societatis Generalis, numero 58.

Matres eſſe debere Superiores, nedum patres; apud quos denuntiantur delicta, ibidem. & 59.

Quid faciendum ſit Superiori, cui denuntiatur aliquid Subditi. n.60.

Imitentur Præſules Deum, apud quem non peccata, ſed merita reuiuiſcunt. numero 61.

Vigeſima ſexta regula. Vbi vel certum, vel probabile vel dubium eſſet Superiorem non paternè progreſſurum non eſt facienda denunciatio, numer.62.

poſſit, & nolit ſibi imputet damnum.

Quinta regula. Quoduis aliud peccatũ occultũ, & periculũ voluntariũ, nũquam denũciandũ immediata denũciatione iudiciali. Probatur, quia de hac denunciatione in textu *Matthæi* ſæpiſſimè relato expreſſiùs loquitur Chriſtus Dominus, & nos *cap.1.* diximus, de qua etiam ſacri Doctores illum eundem textum explicant. Secundò, quòd contra charitatem eſſet, ac regulam primam, & ſecundam, nullo tentato medio ſuauiore ex his, quæ Chriſtus Dominus *Matth.18.* ad emendationem præſcripſit fratris, à rigidiſſimo iudicialis denunciationis initium ducere, quòd poſt alia ſuauiora tentandum eſſe Magiſter diuinus iuſſit.

6 Hinc deducitur, vt probè *Ioan. Sancius in ſuis ſelectis diſp.46.num.10.* non ſolùm obligari quemcumque ad excuſationem criminis falsò ſibi impoſiti, quando, ni faceret, oriretur ſcandalum, verùm etiam ſi commiſſum ab eo fuerit, procurãdum eſſe, vt occultum remaneat *Eccleſ.19. Si eſt tibi delictum noli denudare* (nec loquimur, quando iuridicè interrogatur à Iudice, de quo aliàs) docet *Sà verb. Infamare num.1.* nam Delinquẽs in poſſeſſione eſt boni nominis, occulto perſeuerante delicto, cui qui detraxerit, conſenſu Doctorum, obligandus eſt etiam ad reſtitututionem.

7 Hinc infertur pro peculiari re noſtra Epiſcoporum, Patres Prouincialis Synodi ſine peccato non poſſe incontinentiam Epiſcopi denunciare Summo Pontifici, nõ præmiſſa fraterna correctione, præſcripta à *Concil. Trident. ſeſſ.25. num.14.* Ratio eſt, quia hoc in euentu, maximè ſeruandus eſt ordo euangelicus; cùm de iuridica, & publica denunciatione agatur apud Summum Pontificem tandem facienda. Probatr præterea ex *cap. Nouit de iud. & cap. Cùm dilectus de accuſat.* vbi ſpecialiter de quodam Epiſcopo habetur ſermo, iuridicè denunciato, non tamen priùs præmonito; cuius denunciationem reprobat *Innoc. III. & cap.2. eod. titulo*, habetur, *Si quis Epiſcopus ab illis Accuſatoribus, qui recipiendi ſunt accuſatus fuerit, poſt quàm ab eis caritatiuè conuentus fuit, vt cauſam emendet, & eam corrigere noluerit, &c.* quia vt *Gloſſa. Admonitio ſemper eſt præmittenda ante accuſationem, & ante vindictam*; idemque eſt de iuridica denunciatione, accuſatione maximè affine. Confirmatur ex *cap. Licèt Heli de ſimon. adiuncta Gloſſa.* Modus autem in reliquis delictis procedendi traditur ab *Abbat. cap. Innotuit citato num. 43.* Qua verò ratione reliqui delictum incontinentiæ, vel periculum ſcientes Epiſcopi ex charitate, atque iuſtitia teneantur agere ex regulis iam adductis, & adducendis deriuari poterit. Verùm ſi ſubditi fuerint, qui admonere ſecretò debent Epiſcopos; vt poſſe docent communiter Doctores cum *Auguſtino in 3. regul. habita epiſt.109. ad Moniales, & expreſſa tom.1. ad Religioſos. Non ſolùm veſtri, ſed etiam Prælati miſeremini, qui inter vos, quanto in loco ſuperiore, tanto in periculo maiore verſantur.* Accedit ſanctus *Thomas 2.2 quæſt.33. art.4.* docens hunc correctionis actum iuriſdictionem non expoſtulare, ſed in coniunctione animarum, & charitatis fundari; charitas autem, cæteris paribus, maior erga Superiores debet eſſe, in hoc inquam caſu recordentur oportet modeſtiæ, & quam erga Prælatos ſeruare tenentur reuerentiæ penes *Gregorij* documentum relatum *cap. Sicut 2. quæſt 7. Sicut laudabile eſt debitam reuerentiam exhibere Paſtoribus: ſic rectitudinis, & Dei timoris eſt, vt ſi qui ſint in eis, qui indigeant correctione, nulla diſſimulatione poſtponantur; nè totum corpus morbus inundat, ſi languor non fuerit curatus in capite.*

8 Sexta Regula. Peccatum occultũ prorſus emendatum, cuius probabile recidiui periculum non ſit, non eſt corrigendum: neque Superiori vt patri deferendum. Non autem loquor de Religioſis, de quibus, vt dixi, non eſt animus, neque conſilium differendi. Nec loquor de hæreſi, de qua *cap.4. num.25. & 35.* vbi de alijs delictis ad ſacrum tribunal Inquiſitionis quid ſentiendum ſit indicaui. Adſtipulatur præterea huic regulæ *Diuus Thomas quodl.11. artic.13. ſolut. ad 3. Adrian. in 4. quæſt. de correct. fratern. §. pro huius deciſione Diuus Antonin. 2. part. tit.9. cap.6. §.4. Syluest. verb. denunciatio quæſt.1.1. Sotus de teg. ſec. mem. 2. quæſt.4. poſt dubium 3. concluſionis 4. Valent. 2.2. diſput.3. quæſt.10. punct. 5. colum.15. §. ſed rectiùs hoc negat.* Qui quidem *Valentia* expreſſiùs delictum iam emendatum, ſecreta monitione verb. grat. vel alio modo, licitè non denunciari docet Superiori, neque vt patri. Accedit tandem *Vazq. de pœnit. tom.4. in 3 par. quæſt.86. art.2. dub.5. num.20.* apud quos Doctores alij. Probatur primò ex verbis Domini *Matth. 18. Si te audierit lucratus es fratrem tuum*, quaſi dicat nihil præterea ſupereſt, ſed ibi ſiſte, conſequuto fine, qui intenditur, quo ceſſante ceſſare quæ ſunt etiam ad finem debent. Secundò, quia, vt probè *Adrianus ſupra laudatus*, quemadmodum grauiùs abſq; dubio eſt, quempiam apud grauem, honeſtum, ac principem virum, quàm apud alium infamare, ſic etiam apud Prælatum, apud quem quiſque meritò magni facit propriam opinionem, ac famam vt nos *capite quinto, numero 28.* ſcripſimus; igitur famæ, atque opinionis iactura Proximi

apud Prælatum, quando ad finem correctionis neceſſaria non cenſetur, minimè facienda eſt. Et quamuis *Riccard. 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. in corpor. Gabriel in canonem Miſſæ lect. 74. litt. V. Roſella verb. inquiſitio, Angel. verb. denunciatio num.* 20. Contrariũ indicare videantur, quia denunciationem paternam prodeſſe ad præcauendum recidiuum arbitrantur; verùm præter quàm quòd Riccardi doctrina improbabilis iudicetur ad minimum à *Nauarro*, & ab alijs, non ſine nota, reijciatur, vt rectè *Sanchez* horum Auctorum ſententia vera tunc ſolùm eſſet, quando probabile reiterationis periculum inſtaret, ni præteritus lapſus aperiretur Superiori, ſecus aliàs; neque maior ſecuritas præcauendi recidiuum ſatis eſt ad denũciationẽ, vt probè *Valen. col.* 712. 5. *neq;* ad licitè delictum emendatum deferendum, quod intendebat *Adrianus*, ſed neceſſitas deſideratur; nam non pro qualicumque bono ſpirituali Proximi fas eſt ei damnum inferre in bonis temporalibus; ſed pro neceſſario ad ſalutem, quale non eſt plerunque maior à recidiuo præcauendo ſecuritas; neque enim poſſet quis alicui bona eripere, ac pauperibus dare, vt pro eo preces fundant ad Deum; ſicut benè ipſemet *Adrianus*, & patet ex *Auguſtin. homil. 7. libri 50. homiliar. quæ habetur in appendice ſermon 15. tomo 10. & refertur 14. quæſt. 5. Certè aliquis. Fortè (inquit) & hoc ſecum cogitat aliquis, & dicit, multi ſunt Chriſtiani diuites, auari, & cupidi, non habeo peccatum; ſi illis abſtulero, & pauperibus dedero; vnde enim illi nihil boni faciunt, mercedem habere potero, ſi ego eleemoſynas dedero. Etiam in hac re parcat vnuſquiſque animæ ſuæ, quia huiuſmodi cogitatio ex diaboli calliditate ſuggeritur, &c. addit enim potiùs peccata ſua, quàm minuit.* Quòd ſi non ob qualecumque bonum ſpirituale, licet temporale damnum inferre Proximo, licebit nè illud cauſare in fama, quæ ſæpe ad bona ſpectat ſpiritualia, vt ſæpiùs dixi? Quòd ſi caſus huiuſmodi eſſet, vt certò, vel probabiliter timeretur Proximus, non indicato præterito eius lapſu Superiori, vt patri, iterum caſurus, tunc ſi reliquis concurrentibus explicatis, atque explicandis requiſitis, denunciatio fieri poterit; idque deduco ex *Diuo Thoma quodlibeto citato 11. art. 3. & ſupra laudatis Doctoribus*; verùm quia rarus erit hic caſus, *Auctore Valentia*, regulam à nobis traditam abſolutè aſſeram volo. Si autem eſſet dubium, an ſubditus eſſet plenè emẽdatus, cùm certò de culpa conſtet, dubiaque ſit emendatio, poſſeſſio, & præſumptio videtur eſſe ex parte delicti, & ſeruandæ ſunt regulæ generales, ac ſi non eſſet emendatus frater. Quòd ſi de emendatione certò conſtaret, dubium autem eſſet de periculo recidiui, iudicarem poſſeſſionem, & præſumptionem ſtare pro emẽdatione; neque illud delictum immediatè manifeſtandum eſſe Superiori, tametſi contrarium ſentiat *Sanchez num.* 51. at mihi fauet *Valentia ſupra citatus* qui certam reiterationis, vel probabilem ad minimum deſiderat notitiam, ad excuſandam à malitia denunciationem occulti, & emendati delicti.

Septima Regula. Non modò ea, quæ ſacramentali noſcuntur Confeſſione denunciãda non ſunt; verùm nec quæ ſecretò, & conſilij petendi gratia aperiuntur. Eſt hæc regula *Soarij*, quam docet ſeruandam in omnibus 4. *tom. de relig. lib. 10. cap. 7. num.* 23 Et ratio primæ partis probatione non indiget, cùm arctiſſimum Confeſſionis ſigillum, nulla ratione violandum eſſe, meridiana clariùs ſit luce. Illud autem ſilentio minimè præterire poſſum, quod probè notauit *Azor. 2. part. inſtitut. libr. 12. capit. 15. quæſt.* 2. Confeſſarios nullo pacto debere, immò nec poſſe admonere Magiſtratum Rempublicam, Epiſcopus, Prælatos, vel Superiores, aliqua peccata fieri in Monaſterio, Conuentu, Ciuitate, vel Republica (& quo minor eſt Communitas, eo minus licet) etiam ad effectum, vt inuigilent; ſæpe enim ſæpiùs ex his ſigillum violari confeſſionis experientia docet; necnon ſæpiſſimè à confeſſione retrahuntur nonnuli, dum ex illo foro vident palam fieri eorum delicta. Addo hoc Sacramentum magis oneroſum non eſſe faciẽdum, cuius iugum vltro ſuauitatis è contenſu Auctorum, deliniendum; & regulariter è foro adeò ſecreto notitia publica deriuanda non eſt, neque deueniendum ad forenſe iudicium, quod altiùs inhærere omnium animis optandum eſſet; neque tantum boni Religioni, ſiue Reipublicæ poteſt afferre monitio Confeſſoris, in notitia Confeſſionis fundata, quantum ſcandali, ac detrimẽti animabus ſola vmbra ſecreti non ſeruati, ac perfracti ſigilli Confeſſionis. Qua verò ratione cautus debeat eſſe Prelatus Religionis in Confeſſione excipienda, neque poſſe ſubditum vrgere ad declarãdum, iniuriamq. facere, ſi deneget abſolutionem, vel prohibeat prudentes, doctoſque adire ſubditum ad ſibi conſulendum: & quando in periculo huiuſmodi Superiores ſint, doctè atque eruditè docet *Fagundez 2. part. Eccleſ. lib. 5. c. 1. n.* 12. Secũda regulæ pars in ſenſu copulato, quem efficere ſentit *Soarius* copulã (&) vt non modò ſecretò, ſed etiam conſilij petendi gratia (neque alterutrum ſufficere) debeat innoteſcere. Et meritò probatur. alioquin auerterentur nõ modò Chriſtiani,

ſed Religioſi à quærendo animi remedio, etiam ſecretò, & cum omni cautela petito. Itaque ſi copula (*&*) coniunctiuum ſenſum, vt vult *Soarius* hic retineat; profectò defectu alterutrius ſiue ſecreti, ſiue directionis, & conſilij expetiti, ſi, verb. grat. quis vel amicitiæ cauſa addita conditione ſecreti, vel cauſa conſilij tantùm abſque ſecreto expreſsè requiſito, ſuum arcanum aperiret defectum, poſſet hic Superiori, vt patri denunciari. Ratio, qua mouetur *Soarius* ad hunc ſenſum adſtruendum eſt, quia coniunctio (*&*) communiter hunc habet ſenſum. Cùm ergo in bonum ſpirituale animæ conditus ille ſit, eam ſolùm notitiam excipere cenſendus eſt, cuius vſus ſpirituali bono, alioquin obeſſet, cuiuſmodi haberetur vſus notitiæ ex confeſſione, aut ex communicatione gratia conſilij, vel directionis tantùm.

10 Verùm ex hoc eodem *Soarij* principio probabiliùs duxerim contrarium ſenſum habere particulam (*&*) nempe diſiunctiuum. Probatur primò, quia ſi quis ex ſola directionis, & conſilij cauſa moueretur ad ſui peccatum alteri manifeſtandum, non video qua ratione non pareret obligationem Cōſulenti, non detegendi peccatum excepti etiamſi aperiendum illud eſſet Prælato tanquam patri, ob reuerentiam, vt ipſemet *Soarius* fatetur, negotij conſcientiæ. Secundò, quia talis notitia imbibitum habet ſecretū per pactum tacitum ex natura rei, vt probè indicat *Bonacin. de reſtit. diſp. 2. quæſt. 2. pūct. vnico num. 4.* alioquin, vt ex *Soario* paulò ante dicebam, retraherentur homines à conſilio petendo; à conſuetudine peritorum virorum, atque ab inueſtigatione remedij propriæ animæ, timore denunciationis peccati, etiam occulti, vt ſupponimus. & natura ſua ſecreti, Superiori faciendæ. Quamobrem omninò probabilius iudico, delictum hoc pacto alicui notum per ſe loquendo in vniuerſali Dei Eccleſia, denuntiari neque vt patri poſſe, quod ſentit etiam *Sanchez lib. 6. oper. mor. cap. 18. num. 57.* vbi docet, ſi ambitioſus in ſocietate Ieſu reſipuiſſet, ſuique delicti ambitionis pœnitentia ductus, ſe alicui detegeret, petendi conſilij gratia, vt animæ ſuæ bono conſuleret, quod nullatenus poſſet paternè denuntiari; tum quia hæc detectio ordinatur ad confeſſionem ſacramentalem; ſicut dum quis ſcribit peccata ſua, vt ea fateatur, inueniens papirum deperditum, tenetur obligatione ſigilli quaſi Sacramentalis ea ſeruare ſecreta; quòd ſcriptio illa ad confeſſionem Sacramentalem ordinatur; idq; à fortiori verū puto, ſi quis hac intentione detecta, proteſtaretur ſe in cōfeſſione aperire omne illud negotium, & vel facto, vel nō facto ſigno crucis eius pro ſequeretur; licet poſtea re vera non fieret confeſſio; etenim à fortiori hic modus ordinatur ad confeſſionem ſacramentalem. & Doctores indicantes contrarium, ſic intelligendi ſunt, non quòd non pariat hic modus obligationem naturalem ſeruandi ſecretum, ſed quod propriè ſigillum Sacramentale non inducat. Hanc autem rem ſic ſecreto habitam reuelari poſſe, immediata denuntiatione paterna, ſi immediatè contra bonum commune tendat, pendatque præſertim in futurum, vt dici ſolet de impedimentis matrimonij, probat *Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 13. nu. 6. indicatq; in oper. mor. modo citato. & nos nu. 12.* mox dicturi ſumus.

12 Si autem fraude, ſi falſis pollicitationibus, ſi fraudulentis precibus, ſi adumbrata fictaque ſimulatione, maliſque alijs ſimilibus artibus, vi, vel metu à Proximo extorxiſti ſecretum, nullo pacto te illud poſſe Superiori, neque vt patri aperire, abſolutè loquendo, compertum habeo; nam ſi in hoc caſu probabiliſſima cenſetur doctrina Theologorum, quos ſequuntur *Azor. 3. part. lib. 13. cap. 31. dub. 9. Reginald. tom. 2. de ſecret. quæſt. 53. num. 1. conc. 1. & 3. Nauar. cap. 18. ſum. num. 54. Bonac. de reſtit. modo laudatus num. 8.* neque ad atrociora docentium vitanda tormenta, mè poſſe licite aperire huiuſmodi ſecretum iniuſtè extortum, quid ſine periculo tormentorum dicendum eſſet? & quamuis alij Doctores vbi grauia perferenda eſſent alioquin tormenta, me excuſant, vt *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 11. dub. 8. numero 55. Fellucius tract. 40. cap. 2. quæſt. 12. num. 128.* nihilo tamen minus omnes conueniunt in quocunque alio caſu, peccatum ſecretum per ſe loquendo iniuſtè, ac fraudulenter extortum, aperiendum non eſſe. Hinc quando iudex iniuſtè expreſſit, atque excæpit ſecretum ſubditi, minime ea cognitione ductus, poteſt vltra procedere, ſed quicquid inde dimanat, iniuſtum eſt; nam iniuſtitia cauſæ permanere profectò cenſetur in effectu; igitur quando criminis cognitio eſt iniuſta, quicquid inde ortum ducit, iniuſtum habendum, caſſandum, atq; irritandum eſt, vt probè *Sotus de teg. ſec. mem. 2. q. 6. conc. 5.*

12 Dixi per ſe loquendo, quia ſi ſecretum vergeret in damnum immediatè imminens Communitati, vt *cap. 3. num. 9.* dixi, vel Innocentis, non eſſet ſeruandum; ratio eſt, quia ſecretum obligare nequaquam poteſt contra charitatem, alteri debitam; ſed ex charitate damna Communitatis, atque Innocentis obligamur vitare, ſeruatis tamen regulis, ſupra poſitis, quibus ad correctionem fraternam tenemur. &c. ita *Molina de iuſtit. tom. ſecundo tractatu quarto, diſputatatione 3. Syluester Reginaldus, & alij ab his citati.*

13 Denique dictum volo, etiamſi ſecretum; promiſſum, ac firmatum eſſet iuramento, quod ſanè ſequitur, naturam promiſſionis, nec vinculum eſt iniquitatis, vt multi apud *Lazarium tract. canon. quaſt. ſect. 2. quaſt. 10. num. 6.* Idemque dictum ſit etiam, ſi aperiens ſecretum incautè, ſeu ignoranter dicat, ſe illud in confeſſione manifeſtare, aut ſub ſigillo confeſſionis, quòd propriè huiuſmodi ſecretum confeſſionis non ſit, vt citati Doctores aiunt; & cum in damnum Communitatis vel Tertij immediatè immineat aperiendum erit, ſeruatis, vt modo dicebam, regulis Euangelicæ correctionis.

14 Quod ſi tale non eſſet ſecretum non modò Inferioribus, ſed neque Superioribus, etiam præcipientibus ſub pœna excommunicationis, reuelare poſſemus; ſic præter citatos Auctores *Sotus de ſec. teg. mem. 3. quaſt. 1.* Ratio autem eſt, quia non habent Superiores ius abrogandi legem naturæ, ſecretum autem iure naturæ per ſe cęlandum eſt, ni alia via ſatis cognitum illis ſit; ergo &c.

15 Qua verò ratione deberet ſe gerere in examine depoſitarius ſecreti, vtens æqui vocatione, legat qui vult *Sot. de ſec. teg. mem. 3. quaſt. 1. à conc. 4. Valent. tom. 3. diſp. 5. quaſt. 13. punt. 2. Bonac. paulò ante laudatum numero 11.*

16 Tertiò idem eſt aſſerere, diſpoſitionem aliquam ſenſum habere copulatiuum, ac dicere neque denuntianda eſſe, quæ conſilij, ac directionis gratia ſecretò innotuerint, itaut noua tantum ſit exceptio notitiæ habitæ, ex conſilio nimirum ſecretò petito; & duo quæ ibi indicantur ſecretum, ſcilicet, conſilijque petitio in vnum reſolui videantur; at hoc eſt falſum; quia quando copula inter duo ponitur, quorum vnum neceſſariò ineſt alteri, tunc quidem illa duo reſoluuntur in vnum, vt probè *Bartol. in leg. 1. ff. de pact.* vbi ait. *Arma virumq; cano. idem eſſe, ac armatum virum,* ſecus alias; cum igitur ſecretò aliquid alicui ſignificare, non neceſſariò conſilij petitionem importet; quòd amicitiæ cauſa, vel ob aliam rationem fieri poteſt, vt idem concedit *Soarius*, non eſt cur totum illud coniunctum reſoluatur in vnum, ſed illa duo diſiunctiuè ſumi debent, Confirmatur *ex leg. 1. ff. de pact.* vbi pactum deſcriptum *duorum placitum, & conſenſus placitus conſenſus* exponitur, quæ quidem expoſitio admittitur inter ea, quæ ad inſtar generis, & ſpeciei ſe habent, vt notant *Imol. in leg. ſi cum dotem §. ſin autem in principio ff. ſolut. mat. Abbas cap. Ex parte num. 5. de reſtript. & Felin. ibidem num. 14.* At ſecretò alicui dicere, nec non conſilij gratia aperire, ſic non
17 ſe habent; ergo &c. Quartò vtraque ratio aliquid ſcilicet ſub ſecreto aperire, atque aperire ad conſilium petendum per ſe loquendo, præciſo canone, quem expendimus non requiritur ad obligationem naturalem arcani ſeruandi, ſed alterutra ratio ſufficit ex iure; ſiue enim mihi dicas aliquid ſecretò, ſiue ad petendum conſilium, ſi rem ex ſe ſecreto dignam proferas, licet ſignatè non explices ſecretò te illam aperire, abſolutè me obligas, nè illam reuelem: atqui quando plura copulantur in aliqua diſpoſitione ad vnum effectum, ad quem de iure ſimul non ſunt neceſſaria, copula (&) reſoluitur in diſiunctiuam *Vel*: ergo cum ad effectum reuelationis, ſeu rei ſecreto tenendę vtrumque membrum, inter quæ verſatur copula appoſita, in canone, de quo loquimur, non ſit neceſſarium, ſufficiatque alterum ſolum, copula (&) in alternatiuam reſoluenda eſt. Maior propoſitio eſt manifeſta, atque ab ipſomet *Soario* deducitur, quatenus ex diſtinctis oriri principijs docet obligationem ſeruãdi ſecreti, quando res dicitur ſecretò, & quando ad petendum conſilium aperitur. Minor vero propoſitio eſt *Gloſſæ, & omnium Doctorum* in *Cap. Ex parte de reſcript. citato, vt videre eſt apud Felin, laudatum num. 14. in fallentia tertia per Cap. Cum iam dudum, & cap. ſignificauit de appellat. in verb. earum, quibus ſubſcribunt Imola, Petrus de Ancarano*
18 *& ſexcenti alij apud eundem Felinum.* Hinc *Bartolus conſ. 193.* docuit ſi conductor remiſſionem petat ex duabus cauſis ſimul appoſitis, at per copulam (&) coniunctis, quarum quælibet per ſe ſufficit ſi hęc probatur, obtinere illam ſane debet; adſtipulatur *Bald. in leg. ſi mater tua C. de contrahen. empt.* vbi habet proponentem copulatiuè duas cauſas, vtramque non teneri probare, ni reſpectu vnius effectus, vtraque requireretur; quare in terminis *Lozana ſum. quaſt. regul. cap. 27. num. 11.* de omnibus Religioſis noſtrum ſenſum probat.

Obijcies, ad eleemoſynas corporales etiam tenemur, cùm rationabiliter dubitamus de neceſſitate Proximi; ergo ad ſpiritualem. Nego conſequentiam, quòd in corporalibus nullum ſit periculum, ſi eleemoſyna erogetur non indigenti; in ſpiritualibus verò læditur fama proximi, quando quis temerè, vel non probabiliter iudicat illum peccatorem.

19 Regula Octaua. Peccatum veniale per ſe non eſt materia correctionis fraternæ: neque facilè ſubſcribo *Soto de Secret. mem. 2. quaſt. 2. concl. 2.* contrarium ſubobſcurè indicanti; etenim vel de veniali loquimur vt tale, & quidem ſicut non eſt materia neceſſaria confeſſionis, ita neque correctionis: & ſi-

cut

ent ſub mortali proximus non tenetur ſe emendare,ita neque frater illnm corripere ad effectum emendationis, vt neque peccet venialiter,ni corrigat,vt probe. *Azor.part.2. lib.12.cap.4.* ceſſante enim,vt ſæpius dixi fi-

22 ne,ceſſat etiam neceſſitas medij. Vel loquimur de peccato veniali, vt inuolnente periculum morale,ac proximum peccandi mortaliter, in quod tandem inclinat *Sotus concluſ.3.* neqne cohærenter; & ſanè peccatum veniale ratione huius periculi,intra ſuos nō ſe continet fines,mortalemque malitiam attingit,vt probè *Bonauent.in 4. deciſ.17. part. 3.art.2.q.1.Caiet.& Armill.in ſum. verb. periculum.* Nauarr.*ſum.lat. cap.3.num.14. Cordub.in ſum.q.4.fol.19.Suarez 4.tom.in 3.par. diſp.32.ſect.2.ad finem Sanch.lib.1.oper. mor. cap.8.num.1.* Quamobrem ſi quis domum ingrederetur ſuſpectam, aut familiaritatem contraheret cum muliercula, quæ ſunt duo Soti exempla,vel ex varijs cēſeretur circumſtantijs ſe exponere Proximo, ac morali periculo peccandi mortaliter, & peccabit eodem pacto mortaliter,materiamq; præſtabit fraternæ correctioni;vel ſub illis circumſtātijs abeſſe huiuſmodi periculnm putabitur, & ſicut peccatum non erit mortale ratione periculi, ſic nec materia erit correctionis. Quo ſenſu *Auguſtinum* interpretor allatum à Soto dicentem,*ſi oculi petulātiam in aliquo veſtrum aduerteritis ſtatim admonite: ne male cœpta progrediantur:* vel puto ſermonem habuiſſe *Auguſtinum* de ſcandalo, de quo mox dicam.

21 Quod autem dixi de periculo, duas habet exceptiones, alteram, quando etiam in exemplo Soti ita mutatæ res eſſent, aut ea adhiberetur cautio,vt tale non cenſeretur ineſſe periculum;neque illud exiſtimaretur peccatum mortale, ſic *Nauarr. citatus num. 15. Corduba, & Sanchez modo citati num. 2.* & conſequenter,vt probauimus,neque materia correctionis. Alteram exceptionem quando cauſa grauis vrgeret, ſe conſtituendi in huiuſmodi periculo,quippe quod non cenſebitur eo tunc voluntarium; quia moraliter ſine graui damno imminenti, vitari non poſſet; in quo caſu peccatum veniale mortalis fines non attinget, vt probè *Sanctus Baſilius in conſt. monaſt. cap.4. pag 189.* & conſtat ex *Cap.Conſultationi de Frigid.ex Diuo Thoma 2. 2. quæſtion. 10. articul. in fine corporis Soto libro quinto de iuſtit. quæſtion. prim. articul.6. concluſ.2.Soar.4.tom.in 3.part.diſputat.32.ſect. 2. & alijs.* Neque materia erit correctionis.

22 Idem ſentiendum etiam eſt, quando peccatum veniale, ratione ſcandali tranſit in mortale,materiam nimirum eſſe correctionis; de quo peccato, vt ſic eruditè *Sanchez citatus cap.6.* Sic etiam quando ratione finis adiuncti, vt cum quis ad finem fornicandi mendacium profert, de quo *citatus Sanchez cap.5.num.17.* vel cum aliquid ex ſe leue in contemptum committeretur,vt optimè *Sanctus Thom.2.2.quæſt.186.art.9.* quia præceptum contemptus vitandi eſt graue, atque ad mortale obligans,à quo quidem contemptu peccatum illud,alioquin veniale, manat, vt probè *Caietanus,art.9.in locum citatum Diui Thomæ, & Vazq.1.2.diſp.158.cap.4 num.57.* necnon *Sanchez citatus* diſtinguens optimè

23 ſpecies contemptus à nu.10. Demum quando in veniali vltimus finis conſtituitur, ideſt quando tanto cum affectu committitur, vt nec dubitaretur peccatum mortale committi. Sic *Diuus Thomas conſenſu Doctorum receptus 1.2. quæſt.88. art.5. & 2.2. quæſt.132. art.3.in corpore Toler.lib.3.ſum cap.2. Vazq. 1.2.diſp.145.cap.2.in fine.*

24 Illud autem ſilentio prætereundum non eſt,propoſitum elicitum omnia committendi venialia,& tantum à mortali ſe abſtinendi,eſſe quidem materiam correctionis, quia eſt mortale,non ratione obiecti per ſe preciſè,ac formaliter;quippe cuncta venialia per ſe mortale non adæquant, ſed quòd illud obiectum realiter inuoluit periculum proximum cadendi in mortale, quod qui vult, culpam committit grauem, contra præceptum ſeruandi caritatem:propoſitum vero illud omnia committendi venialia periculum expoſitum inbibere conſtat, tum ex *Cap. Tres ſunt de pœnit. diſt.1. Auctore Auguſtino adiuncta Gloſſ.penult.* docetq; *Alenſis 4. part.q. 65.num.3.art.1.§.1.Sotus ibidem diſt. 15. q.2. art.1.ad primum* aſſerens contemptum omnium venialium,forſan eſſe mortale,ratione periculi,neque de contemptu formali loquitur,qui vnius venialis culpæ tantum ſufficeret, ſed de materiali, in propoſito iam dicto incluſo: tum etiam quia ſi veniale peccatum ex ſe ad mortale diſponit, & quòd, mea quidem ſententia,ad eandem ſpeciem ſæpiſſime ſpectat, & quòd habitum aliquando ſaltem intendit viciſſim: & quod ineptum ſe reddit ad diuina auxilia taliter peccans, quibus à lethali ſe abſtineret, quid à fortiori de tali propoſito ſentiendum erit?

25 Addo è *Sanchez lib.1.oper.mor.cap.5.nu. 4.ad finem.* propoſitum committendi omnia venialia in materia tantum lubrica,ver.grat. luxuriæ,eſſet mortale,quoniam imbibit morale periculum mortalis ruinæ, poteritque eſſe materia correctionis. Qua vero ratione teneatur corrigere venialia Prælatus, noſtri non eſt inſtituti, legatur *Sotus citatus concluſ. 3.*

26 Regula nona. Non obligat præceptum

corre-

correctionis fraternæ de peccato ex ignorantia contra leges humanas commiſſo, ſic *Azor. part. 2. lib. 12. cap. 15. quæſtione 4. verſ. dubium tamen eſt*; quem tantum ſequor, ſi peccatum omnino commiſſum fuerit, nec recidiui inſtaret periculum, alio tamen in euentu non video, qua ratione ipſe non teneat Proximum è materiali ſaltem illa malitia non eripere, non modò inſtante ſcandalo, ad eruditionem aliorum, ſed ratione tranſgreſſionis ſaltem materialis ieiunij ver. grat. vel ſacri, ex præcepto illud audiendi, in die feſto.

27 Decima regula. Ad materiam, penes temporis circumſtantiam, faciens. Correctio fraterna non obligat ſtatim, ac videtur peccatum, vel frater in me peccauerit, ſed opportuno quidem tempore, quo ſpem maiorem dederit emendationis *ex prouerbijs cap. 25. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo, & Auguſt. 1. de ciuit. cap. 9. num.* 3. ſi quis igitur ſufficientibus coniecturis nouerit nihil ſe profecturum, non tenetur fratrem corripere, ſi verò dubitauerit, ſit profuturus nec nè, ſcit tamen obeſſe non poſſe, tenebitur tunc quidem corripere: ſicut medicus quando certus eſt pharmacum, non obfuturum, etſi ambigat, non eſſe profuturum; ſic *ex Auguſt. habetur cap. ſi quis il 2. de pænit. diſt. 7.* Quod ſi timeat potius obfuturum corripiendo quã profuturum, non ſolum peccatori, ſed bono communi, per blaſphemiam, ver. grat. quam ſceleſtiſſimus aliquis, ſi corripiatur emiſſurus ſit, vel ſit contempturus ſacras literas, non tenebitur; quia bonum commune maxime Religionis, in quod eſt blaſphemia, vel fidei, contra quod eſt contemptus ſacræ ſcripturæ, præferendum eſt ſpeciali bono; & ſanè *ſanctum eſſet dare canibus, & mittere margaritas ante porcos Matth. 7.* non enim canes cenſentur, quibus nihil prodeſt diſciplina, ſed qui eam impugnãt, & contemnunt; ſecus ſi tantum aliquale damnum temporale peccantis timeretur, triſtitia, ver. grat. vel pudor, quando non eſt omittenda correctio, ſed quam poteſt minori acrimonia præſtanda; cum huic damno præferendum ſit ſpirituale eiuſdem Proximi emolumentum è *Matth.* 5. expedit enim punire vnum membrum, vt reliquum corporis ſeruetur: Præterea ni teneatur Proximus è peccato emergere non obligabit fraterna correctio; deficiẽte enim fine, deficit etiam medium; & ni teneatur Proximus reſipiſcere, non poterit haberi tanquam ethnicus, & publicanus, etiam ſi omnibus præſtitis actibus correctionis, è peccato non emergeret; & hæc quidem differentia verſatur inter actum ſpiritualis, & temporalis eleemoſynæ, quòd hac cum immediate ſubleuetur à nobis Proximus, etiam inuitus poterit ſubleuari, vt volens pati miſeriam, ſe ver. grat. occidere, vel ex alta rupe proijcere, à maleficio ſane debet auerti; eleemoſyna vero ſpirituali, cum tãtum conſilio, vel perſuaſione, Proximo mediatè demus manum, ni ipſe porrigat ſuam velitque, è miſeria emergere, fruſtra ei conſulere contenderemus; igitur ni Proximus obligetur ad capiendum hoc conſilium, vt quando eſſet in periculo vel voluntate permanenti peccatum committendi, aut in extrema neceſſitate, ei non tenebor ipſe proſpicere; vt eruditè *Vazq. 4. tom. in 3. part. quæſt. 86. art. 2. dub. 5. à num. 23. apud quem, atque apud Canum. 4. part. relect. pænit.* videndum, cur quis teneatur ſtatim cõſulere vitæ temporali propriæ, & non ſpirituali, & conſequenter cur teneatur corporali Proximi vitæ ſtatim opem ferre, & non ſpirituali, à qua non immediate ſolique, vt à corporali, & quidem irretractabili, illum eripere poſſumus. Et ſanè noſtræ vitæ non ſumus domini, vnde ſi cum poſſumus nos eripere à periculo mortis, id non facimus, peccamus, vitæ verò propriæ ſpiritualis domini quo ad hoc ſumus, in quorum manu Deus eam conſtituit *Eccleſ. 15.* præcepta igitur hæc tum erga ſe ipſum tum erga Proximum, vt emergat quis è peccato, affirmatiua ſunt, nec ſtatim, & pro ſemper (vt loquuntur ſcholaſtici) obligant, ſed ſuis temporibus: ſicut cætera affirmatiua, vt probe *Alexand. 4. part. quæſt. 17. mem. 2. art. 2. §. 2. Diuus Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. maxime ad 2. ac reliqui apud Vazq. 4. tom. in 3. part. art. 2. dub. 5. num. 9. qui quidem à num. 26. cum Cano citato §. pro ſecundi vero argumenti* doctè hanc proſequitur materiam.

28 Regula vndecima. Si quis certo credat, differendo correctionem, fore vt Proximus (qui aliàs ad minimum temporis ſolum eſſet emendandus, mox iterum caſurus) conſtantius è culpa emerſurus ſit, differre poſſet correctionem, in quo ſenſu ſubſcribo *Soto mem. 1. quæſt. 2. ad finem 4. concluſ. & Soar. de carit. diſp. 7. ſect. 3. num. 9. alijſque apud hos*: ſic medicus ingraueſcere malum permittit interdum, vt prauus conſumetur humor; neque hoc in euentu peccatum, ob maius commodum, ſed ad maiora, & plura vitanda incommoda, permittitur, vt *minima de malis*; ſicut eſt in prouerbio; neque idem eſt propter bonum permittere malum, ac facere. Quod ſi quis illico fratrem corripere, atque è miſeria ſic eum omnino ſperaret, leuare, vt mortaliter caſus periculum ſuccifum cenſeretur, non eſſet differenda correctio ſola maioris fructus ſpe; quia cum peccatum Dei ſit iniuria, atque offenſa, magnumque Proximi malum, neque ad horam permitti debet, ob

maius

maius commodum, vel feruoris, vel alterius boni ſpiritualis, ad quod improportionatum eſt medium; quo tantum vti infinitæ ſolius eſt diuinæ ſapientiæ ex *pſal. 25. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt*. Qua ratione *Auguſt. lib. de correct. cap. 1. & alij interpretantur illud ad Roman. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Ex his deduco potiori quidem iure ſeruandam eſſe hanc regulam à Synodo cum Epiſcopo correctione digno.

29 Duodecima regula. Ceſſante ſpe emendationis, etiam per iteratam monitionem, non tenetur quis corripere fratrem. Eſt communis Theologorum ſententia cum *Diuo Tho. 2. 2. quæſt. 33. art. 6. Debet enim qui arat in ſpe arare, & qui triturat in ſpe triturare, in ſpe fructus percipiendi 1. ad Corinth. 9.* Ceſſat enim tunc finis legis; & correctio quæ eſt ad illum, à quo regulanda eſt, vt probè *Sanctus Thom. art 6. citatus*, non obligat: eſſet præterea otioſus ille actus, quicquid in contrarium *Panorm. cap. Noui de iud.* dixerit. Hæc autem ſpes non in mera prima monitione fundari tantum debet, ſed in ea quatenus medium etiam aliorum actuum præſcriptorum in ordine denunciationis euangelicæ: quamobtem nō modò ſi ceſſaret ſpes emendationis per correctionem ſemel adhibitam, ſæpius eſſet repetenda, vt diximus *cap. 4. nu. 13.* ſed etiam ſi perſona corrigenda talis ſit; vt perpenſis ſingulis circumſtantijs, procedere vlterius poſſim, non eſt omittenda correctio; quippe quæ licèt ratione ſui immediatè frugifera non videretur eſſe, poterit tamen iudicari vtilis, vel neceſſaria ad alios actus, ſi expedientes iudicentur, ad quos præmittenda eſt, vt in caſu noſtro de Epiſcopo; alioquin illi actus poſtremi raro caderent in præceptum. Quod ſi fructus, neque per ſolitas pœnas, vel excommunicationem ſperaretur, tunc abſtinendum à correctione, vt etiam ſi ceſſante emendationis ſpe, non ſeſe daret occaſio poſt primam correctionem Proximum amplius alloquendi, vel vlterius progrediendi. Hinc quod prudenter notauit *Soar. 4. tom. de relig. lib. 10. cap 9. num. 17. in fine*. Si quis Religioſus, ob fragilitatem peculiaremque fratris conditionem, nimiam eius perturbationem, & afflictionem, abſque etiam Superioris culpa, timeret, non deberet eum denunciare; quia ſi de facto denunciatio profutura non ſit, neque bono communi cenſeatur neceſſaria, quòd delictum non vergeret contra illud, vel aliorum damnum, non ſolum otioſa, ſed à caritate etiam aliena habenda eſt; præſertim quando per admonitionem ſecretam prudenter ſperaretur ſufficiens emendatio; & quamuis ceſſante fine legis extrinſeco, & mediato, vt eſt maceratio carnis, reſpectu ieiunij, nequaquā ceſſaret lex obligās ad ieiunium ei, qui neceſſitate careret macerationis carnis; ceſſante tamen fine intrinſeco, & immediato actus imperati, legiſque cuiuſmodi eſt emendatio reſpectu correctionis, ceſſat ipſiuſmet correctionis lex, vt probè *Valent. 2. 2. diſp. 3. quæſt. 10. punt. 2. col. 687. verſ. reſpondendum*. A fortiori allatam ſententiam veram habeo, quando maior Proximi timeretur induratio, neque ageretur de hęreſi, vel ſimili crimine iuxta *Auguſt. 1. de ciuit. Dei cap. 9. ſi propterea quis obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia eiſdem ipſis metuit, nè deteriores ex hoc efficiantur, conſilium eſt caritatis*, & nos ſuperioribus capitibus proſequuti ſumus, ſic *Sot. num. 2. q. 2. ad concluſ. 3.*

Demum vt ad Denunciantem ſpectantes regulas vnico, & quidem ſupra modum neceſſario concludam documento. Denuncianti ſedulò perpendendum eſt, num ex ſua denunciatione, prętermiſſa correctione fraterna, tertię perſonę, vet. gr. Complicis fama detrimentum ſubitura ſit, cui illa minimè renunciauit; etenim renunciatio propriæ famæ ab aliquo facta, abrogare non poteſt iuri famæ ſui Complicis, vel alterius tertiæ perſonæ; quæ quidem ſpoliari non poteſt proprio iure famæ ſeruandæ, etiam apud perſonam, cui denunciandum eſſet delictum, quin per correctionem fraternam ſecum prius agatur. Itaque ad rem *Diuus Thom. 2. 2. quæſt. 73. art. 4. ad 1. Cuiuſcumque (ait) ſui arbitrij eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum*. Non poterat igitur quicunque ſuæ renuncians famæ, alterius etiam Complicis famæ derogare; quia per peccatum cum illo ver. grat. commiſſum, non cenſetur alter ſuæ famæ, atque ordini correctionis, ex præcepto naturali diuino ſeruando, ceſſiſſe. Confirmatur, quia penes nonnullorum opinionem, & quidem non improbabilem, nec tenetur, nec poteſt quiſpiam in confeſſione peccatum proprium aperire, quo ad circumſtantiam etiā mutantem ſpeciem, ſi ex illa detectio ſequeretur perſonæ complicis, ſic *Armil. verb. circumſtantia num. 11. Nauar. ſum. cap. 7. num. 3. Viguer. ſum. cap. 16. §. 4. num. 17.* Igitur à fortiori non poterit quis crimen alicuius immediatè aperire Superiori, vt patri, ex quo neceſſariò ſequitur Complicis notitia, qui propriam poſſidet famam: & quamuis ob reuerentiam Sacramenti Confeſſionis eiuſque integritatem contrariæ ſubſcribimus opinioni, ſanè qua ratione contra præceptum fraternæ correctionis non fieret cum tertia perſona habente ius famæ, ſi immediatè denunciaretur peccatū alicuius, ex

quo illa manifeſtaretur, per ſe loquendo, non video; cum fortaſsis concurrentibus requiſitis, ſi Complici fieret monitio fraterna, vel ſaltem cauſa illius, alteri Complici emẽdaretur crimen abſque vtriuſque vel alterius iactura famę: & quidem conſenſu Doctorum exploratum eſt, quando infamatio, vel aliquod damnum Complicis ex confeſſione ſacramentali ſequeretur non eſſe illam materialiter integrè ſaciendam; Atqui ex hac denũtiatione ſequitur infamatio Complicis; ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia omnium votis conſtat Pœnitentem teneri prò viribus Complicem nõ aperire, ergo ſignum eſt extra confeſſionem non eſſe Complicis peccatum aperiendum, vt probè *Sanctus Bernardus. De nullo ſiniſtrè loquaris, niſi in confeſsione, & hoc vbi aliter non poſsis explicare peccatum tuum*; idque ſeruandum etiam eſt, quando obligatoria alioquin eſſet denuntiatio. Confirmatur quia ſi ſola notitia, in quam deueniret confeſſarius, ſi fuerit Complicis Superior, & quidem moroſus, ſuſpitionibuſque deditus, excuſare alter poterit, nè circumſtantiam vel peccatum in confeſſione, alioquin neceſſariò cum illo facienda, aperiat, ob ſiniſtram opinionem, quam poſſet imbibere Superior de ſuo ſubdito, vt docet *Fagund. 2. præcepto Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 1. num.* 11. Qua ratione non excuſabit hoc ipſum à denuntiatione paterna, præſertim ſi Complex ſuæ non renuntiauerit famæ? Verùm ab hoc documento excipe hæreſim, ſimileſque caſus.

30 Decima tertia regula. Ad Corripiendum ſpectans ex *Riccard. in 4. apud Sylueſt. correctio num.* 8. ad dignoſcendam probabilem emendationis ſpem, perpendendum eſt, num ex electione, ſeu malitia quis peccauerit, cuius ſignum erit, conditio Peccantis, & frequens abſque fræno peccati iteratio, vel ex paſſione, infirmitate, ſeu fragilitate, cuius argumentum erit, ſi ſemel, vel iterum tantũ lapſus ſit, oblata occaſione, quem caſum erubeſcit, & per triſtitiam retractat. Hanc autem ſpem maiorem eſſe debere in delictis contra bonum commune, quàm in alijs probauimus *cap. 4. num. 22. & 29.* Quid verò in dubia ſpe, docuimus *capit. 4. numer.* 27. Porro hæc regula non in correctione modò priuata, vera eſt, ſed etiam in publica Communitate facienda, ob bonum publicũ, quod quidem ſperandum eſt in aliquibus ſaltem de Republica; alioquin etiam omittenda eſſet, vt aduertit *Hieronymus in illud Amos 5. Illo tempore tacebit prudens*. Cæterùm hac regula, perpenſa Præſulis conditione à Synodo corripiendi, cæteriſque modò explicatis circumſtantijs vſui eſſe poterit.

31 Decima quarta regula. Quotieſcumque, non præmiſſa alias correctione fraterna, licitum eſſet propter aliorum exemplum, & commune Reipublicæ bonum a iuſtitia ſpectatum, via procedere iudiciaria contra Reum, accuſando, vel iuridicè denuntiando, vel inquirendo, eumque condemnando, licitum quoque id erit, etiamſi cum eo actum ſit per viam fraternæ correctionis. Colligo *ex Valent. ſæpe citato col. mihi 721. verſ. ſed alia tertia opinio*, & indicat *Couarrub. lib. 2. var. reſol. cap. 10. num. 3.* vbi poſt alios rectè monet, poſſe quempiam accuſari, vt puniatur, eſto fuerit in foro conſcientiæ abſolutus atque adeò emendatus, qui finis eſt correctionis fraternæ. Probatur, quia virtus charitatis, cuius actus eſt fraterna correctio, & virtus iuſtitiæ, cuius eſt iuridicus proceſſus, non ſibi præiudicant; neque ſibi ſunt mutuo impedimento, quando vnuſquiſque ſibi requiſitas habet circumſtantias, cùm diuerſos ſibi vendicent fines; ergo ſicut alterius virtutis functio licita poteſt eſſe, ſine functione alterius, ita prorſus ea concurrente.

32 In his autem caſibus præcedens regula
non modò licita, ſed obligatoria eſt. Pri-
mò, ſi peccatum eſſet immediatè pernicio-
ſum Reipublicæ ſpiritualiter, vel tempora-
liter iuxta dicta etiam in *reg. 3. & cap. 4. con-
cluſ. 7. &* 8. quando tenemur Proximum ac-
cuſare, ſi ſufficiente teſtimonio poterimus
probare delictum, ex communi ſententia
Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 68. artic. 1. eſto raiò
contingat, vt quis accuſare teneatur: in quo
ſenſu Summæ Angelicæ opinio eſſe poterit
vera: legatur Sanctus Thomas laudatus, vbi
*Caietan. nec non Sotus libr. 5. de iuſt. & iur.
quæſt. 5. art. 1. Nauarr. in Manual. cap. 25. nu-
mer. 32. Valent. 2. 2. diſput. 5. quæſt. 11. punct. 1.*
33 *colum. mihi* 1112. & 1123. Secundus caſus
eſt, quando qui rem ſcit interrogatur legi-
timè à Iudice, iuxta ea quæ *cap. 4. à num.* 10.
34 *ac deinceps* diximus. Tertius caſus, quan-
do ſit ſpes fore, vt per iudicialem proceſſum
corrigatur, atque ad cor redeat Delinquens,
ſic *Bagnes 2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 4. Valent.
ibidem diſput. 3. quæſt. 10. punct. 5. §. 2. columm.
mihi* 722. quia charitas, per quam fraternæ
correctionis ordo inſtitutus eſt, tunc tem-
poris imperare debet virtuti iuſtitiæ, vt in-
choet proceſſum iudicialem; quo finis etiã
charitatis habeatur, emendatio ſcilicet, fra-
tris, ſeruatis tamen regulis ſupra poſitis, tũ
ad materiam, tum ad Denunciantem, ſeu
Accuſantem: tum ad Accuſatum, ſeu Denun-
ciatum, tum ad eum, cui ſit accuſatio, vel de-
nunciatio, mox ſubijciendis.

35 Decimaquarta regula. In caſu neceſſitatis extremæ Proximi, etiam cum graui pro-

prio

prio damno temporali, vel periculo vitæ teneor ei ſuccurrere per fraternam correctionem, ſi neque alias conſulere illi poſſem: ſecus tali non vrgente neceſſitate; ſic ſi ſcirem mortali peccato ligatum Dormientem fore interficiendum teneor cum hoc, quod dixi, periculo eum à ſomno lethalis culpæ excitare. Deducitur ex communi Doctorũ doctrina de caritate apud *Diuum Thom. 2. 2. quaſt. 26. art. 3. ad 3. Gabriel. lect. 74. in canone. Nauarr. capit. 24. num. 9. ex 1. Ioan. 3. Nos debemus pro fratribus animas ponere, Auguſt. interprete lib. de mendac. cap. 6.* Ratio eſt, quia charitas maximè in id propendit, quod amabilius eſt, vt eſt anima Proximi, quæ præſtantior eſt proprio corpore. Quamobrem cadit ſub præcepto hic ordo in hoc caſu; neque excuſatur ab hoc onere quis ob graue damnum temporale, vti declaratum eſt, quemadmodum excuſaretur, ob ſimile damnum, vel ob timorem cadẽtem in conſtantem virum in graui ſola neceſſitate Proximi, vt probauimus *capitulo 4. à numero 38. & 39.*

36 Decima ſexta regula. Cum damno, vel periculo probabili ſpiritualis detrimenti proprij culpam imbibentis, nullus tenetur corripere fratrem. *Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur &c. Matth. 16.* Ratio eſt, quia ſecundum caritatis ordinem nullus debet, neque his ſub conditionibus fratri conſulere; ſic probè *Diuus Thom. 2. 2. quaſt. 43. art. 7. Sotus 5. de iuſt. quaſt. 1. art. 6. & alij.* Cum non ſint facienda mala, vt eueniant bona, immo abſolutè cæteris paribus tenetur ſe homo magis diligere, quàm alium, quippe caritatis præceptum eiuſdem caritatis virtuti innititur, magis tendenti ad proprium ſubiecti bonum, ſic Doctores cũ *Magiſtro in 3. diſt. 28. & 19 ac Diuo Thom. 2. 2. q. 26. art. 4. & 13.*

37 Regula decimaſeptima. Ex parte etiam Denuntiantis. Contra iuſtitiam, & contra caritatem, vbique ac ſemper redditur illicita denuntiatio, ſiue iudicialis, ſiue paterna criminis falſo delati. Eſt ipſa luce clarior. Quamobrem meritò in Eccleſia Dei (vt omittam pœnas à iure ciuili ſancitas) falſi delatores puniuntur *cap. falſidicus de crim. fal. & 2. quaſt 5. per totam*; in varijs Religionibus meritò grauiſſimæ ſtatuuntur pænæ ſic cæterarum vt prætercam in *Dominicanorum familia conſtitut. diſt. 1. cap. 8, præſertim §. 5. & in noſtra Societate Ieſu Congreg. 7. can. 20. & vberius decret. 33.* ſeuerè puniri iubentur, qui timore, & inanibus ſuſpitionibus, vel ex alia quapiam minus probata cauſa, falſum alteri crimen imponunt. Nec modo dixerim quo ad ſubſtantiam, ſed quo ad varias circumſtantias etiam, ex quibus malitia augeri, vel minui ſolet, nec ſolum in ſenſu ab *Ariſt. Eth. capite 1.* allatis, ac perpenſis circumſtantijs, ad facti ſubſtantiam ſpectantibus, vt adnotauit *Alexand. 2. part. quaſt. 96. mem. 6. art. 4.* ſed in ſenſu Theologorum accidentarie, ſumptis è *Sancto Thoma 1. 2. quæſt. 7. art. 1. Riccard. in 4. diſt 11. art. 3. quaſt. 5. Gabri. in 3. diſt. 23. quaſt. 1. art. 1. liter. M. Soto. in 4. diſt. 18. quaſt. 2. art. 4.* Hæc autem neceſſaria ſtatuta rigoroſè ſeruari maximè optandum eſt; nè quod eſſet ipſa calamitate calamitoſius, agitarentur Chriſtiani, nè dicam Religioſi continuis procellis; quòd leuibus ſuſpitionibus, quòd adornatis fraudibus, & calumniatum voracibus vndis Innocentia naufragium eſſet factura. Quamobrem zelo, & religioſę indignationi, qua in has mortalium peſtes vror, deeſſem, ſi prętcritem ſanctiſſimam *Caroli Magni, ſiue Ludouici Pij legem numero 277. ab Anſegiſo Abbate* relatam, ſic habentem *Delatori, aut lingua copuletur, aut condicto caput amputetur, Delatores autem ſunt qui inuidia produnt alios.*

38 Decima octaua regula. Etiam erit illicita denuntiatio ſiue iudicialis, ſiue paterna, prò qualitate turpis, ac vitioſæ formaliſque intentionis, qua delator moueretur. Et quia ſerpit res procliuis ad perniciem, quæ cum ſemel cæpit, labitur, ipſa met monet, vt nonnulla maximè fugienda ad propoſitum indicem. Talis profectò eſt denuntiatio (quã Deus auertat) ad odia, ſimultates, ac vindictas exercendas, neq; vt medio caritatis, & zelo ad bonum ipſius Proximi, vel Reipublicæ, ſi quis ea vteretur, ſed vt inſtrumento inuidiæ; nimirum, vt quos naturalibus requiſitis, vel ſuper naturalibus donis ſibi præſtare ſenſerit, adornatis huiuſmodi denuntiationibus deprimat; quod pernicioſius ſanè, atque vltra quam dici poſſet inferius. Reipublicæ Chriſtianæ vel Religionis eſſet, ſi non modo ob falsò, vel ex leuibus coniecturis, denunciata crimina, pœnas, quas ſuperiore regula, perpendi, minimè darẽt ſcelеſti Denuntiatores, ac ſicophantæ, quarum metu temeritatis, impudentiæ, ac malitiæ habenas adducerent; verum etiam præmium boni nominis (ſi Deo placet) apud Moderatores reportarent; hoc enim eſſet animos eis addere, vt aliorum ruinis creſcere contenderent, atque ementito ſtudio religionis, & pietatis religionem ipſam funditus euertere, præmiumque ex palmari iniuſtitia reportare. *Totius autem* (*Romanus* inquit *Orator lib. 1. de offic.*) *iniuſtitiæ nulla capitalior eſt quàm eorum qui tunc cum maximè fallunt ita agunt, vt viri boni eſſe videantur. Neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, cum virtutum ſpecie celantur,* vt probè *Hieronymus,*

probabiliter exiſtimetur Superior imprudens, incautus, neque aptus ad corrigendum, non video, cur cum eo in hoc etiam caſu, ſit agendum, & cur detrimentum famæ ſit inferendum Proximo, ſine ſpe lucri ſpiritualis; & cum magno periculo detrimenti tum priuati, tum communis, quod ex imprudentia Superioris timeri probabiliter poterit.

40 Præterea ſi probabiliter timeretur Prælatum, non ſeruaturum ſecretum, ſubditumque diffamaturum nullo modo reuelandum eſt ei delictum ſic *Soarius capite nono numero duodecimo*.

41 Inſuper vbi melior non iudicaretur correctio à Superiore ſperata, quam ſi à fratre immediate fieret, paterna denuntiatio facienda non eſt, nam abſque hoc melioris correctionis fine non prodeſt famæ renunciatio à delinquente habita, cuius renunciatio in hoc caſu prodiga prorſus eſſet, & contra propriam caritatem, vt recte *Soar. cap. 9. num. 6.*

42 Iterum ſi Superior amator non eſſet ſubditi vt filij: ſi putaretur non rectè vſurus illa [illegible] in bonum ipſius filij, contraquem vel odium concepturus eſſet, vel iniuſtam, vel imprudentem indignationem, nimium affligentem filium, atque inquietum reddentem, deſiſtendum etiam à denunciatione vt pote mortiferè peccaminoſa ex genere ſuo, ſic probe *Soarius citatus numero decimoſeptimo* ad finem. Has autem Superioris conditiones breui complexus eſt *Sanctus Thomas quodlib.* 11. *cap. vltim.* poſtquam de denuntiatione ſermonem habuit. *Prælatus* (inquit) *ſit pius, diſcretus, & ſpiritualis, non habens rancorem, ſeu odium aduerſus illum ſubditum, & tunc poterit licitè ei denuntiari.* Hinc Sanctus Gregorius. *In qua videlicet compaſsione* (ait) *neceſſe eſt talem ſe, qui præeſt exhibeat, cui ſubiecti quique occulta quæque ſua prodere non erubeſcant, vt cum tentationum ſuarum fluctus paruuli tolerant, ad paſtoris mentem, quaſi ad matris ſinum recurrant; & hoc quod ſe inquinari pulſantis culpæ ſordibus præuident, exortationibus eius ſanent, & lacbrimis orationis lauent.*

43 Vigeſima regula. Vbi dubium eſſet, num Prælatus melius correpturus ſit, non poteſt ei peccatum occultum paternè denuntiari, fraterna non præmiſſa correctione: ſic *Abulenſes cap. 18. Matth. quæſtion. 98. ad finem, cui ſubſcribit Sanchez lib. 6. oper. mor. cap. 18. numer. 47.* Idemque dicendum eſſe ait, vbi dubium eſſet, an Prælatus prudenter acturus ſit, vti pater, quòd in hoc dubio valet poſſeſſio propriæ famæ, & iuris; quæ ſubdito eſt, in cuius fauorem præceptum Euangelicum emanauit, vt denuntiationi cuiuſcumque peccati occulti fraterna præmittatur correctio. Quod ſi de crimine contra commune bonum, vel bonum tertiæ perſonæ agatur, tunc rationem communis boni præualere docet *Sanchez*; Ego vero ſeruandas eſſe noſtras regulas cenſeo, præſertim 10. & 22. Quo ad crimen vero hæreſis, cæteraq; huiuſmodi ſtandum eſt edicto Dominorum inquiſitorum.

44 Confirmatur præterea regula; quòd merito cenſendi eſſent rationabiliter inuiti ſubditi, qui ſuo renuntiauerint iuri famæ, ea lege, vt verè, iuſtè, atque ex regulis caritatis, & non per calumniam iniuſtè proprio nudarentur iure, quandoq in tot humanis erroribus etiam periculoſum illis eſſet, ſola innocentia viuere; Quamobrem non modo per ſummam iuſtitiam à *Societate Ieſu in ſeptima congregat. canon. 20. & Fuſius in decreto 12.* ſeuere puniri talis Religionis peſtes iubentur; *Qui temerè, & ex inanibus ſuſpitionibus, vel ex alia quapiam minus probata cauſa falſum alteri crimen imponunt*, vel ſupra dictum eſt; verum etiam ſumma cum prudentia, & caritate præſcribitur, *Vt caueant Superiores, nè faciles delatoribus aures præbeant, diſquirantque ſingula, donec indelata rei cognitionem veniant, vt aut Innocentem liberent, aut noxium, falſumque*
45 *delatorem prò rei magnitudine puniant.* Alioquin, & Princeps, & Prælatus eiuſque omnes miniſtri iniuſti erunt iuxta *Prouerb. 29. 12. Princeps, qui libenter audit verba mendacij, vel ex Septuaginta, verbum iniuſtum, omnes miniſtros habet impios.* Vbi nomine mendacij. Iniuſtæ calumniæ malitioſe confictæ intelliguntur; ſic enim accipitur *Eccleſ. 51. 3. liberaſti corpus meum à perditione à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium.*

46 Hinc *ſeptuaginta Interpretes reddunt. Rege audiente ſermonem iniuſtum, omnes ſubditi iniuſti.* Princeps qui detractionibus delectatur, & eorum ſermones. qui aliorum ſamam, & honorem iniuſtè violant ſibi probare annuit, nullum ſubditum *latis* probum, & iuſtum habebit; nam dum alij alijs mutuo derogant, cuncti apud ipſum male audiunt, Belle ad rem *Ammian. lib. 18. Quis innocens eſſe poterit ſi accuſaſſe ſufficit?* quare nullus ſane miniſter apud Regem fidelis habebitur, cui Rem-

publicam committat. Prudenter itaque
Baſilius Imperator *Leoni filio in libello
exhortationum capit.* 55. ſic loquitur. *Præ-
bere aures auditioni vanæ noli, & calumnia-
tores in ſinu tuo nè foue, & improbis nè tè-
merè crede, iſti enim ſæpiùs viros bonos affli-
gere ſolent, & propriæ improbitatis iras eno-
mentes innocentis ſanguinis reum te conſti-
48 tuent.* Addo *Diuum Bernardum libro ſe-
cundo de conſider. capit. vltim. ad Eugenium
Pontificem hanc orationem habentem. Eſt
vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter
omnes, quos noui ex his, qui cathedras a-
ſcenderunt ſedèbis, me Iudice,* Solitarius
*quia veraciter, ſingulariterque leuaſti te ſu-
pra te. iuxta Prophetam: Facilitas credulita-
tis hæc eſt, cuius calliduſſimæ vulpeculæ ma-
gnorum neminem comperi ſatis cauiſſe ver-
ſutias. Inde eis ipſis pro nihilo ira multa:
inde Innocentium frequens addictio: inde præ-
iudicia in Abſentes.*
49 Accedit *Antonius à Padua ſermon. in
Sabat. poſt Dominicam tertiam Quadrage-
ſimæ,* rationem afferens, cur Dominus in-
clinauit ſe, quando Iudæi accuſarunt mu-
lierem, in adulterio deprehenſam: quid
hoc delicto grauiùs? quid certiùs? Quid
manifeſtiùs? & tamen *inclinauit ſe IE-
SVS, vt oſtenderet* (inquit Sanctus Do-
ctor) *quòd accuſatio non eſt admittenda
cum facilitate, non enim ſtatim Iudex de-
bet porrigere aures cuilibet dicto, neo etiam
cum gaudio, ſed cum diſplicentia ſuſcipere.*
Quòd ſi in hiſce turpibus, ac meridiana
luce clarioribus, tanta cum charitate Ma-
giſter Chriſtus ſe habuit, ac nos habitu-
ros docuit, quid amabò te amice Lector
50 de reliquis dicendum? Biberat quam
expreſſimus doctrinam, *Antonius è Sera-
phico Patre Franciſco, qui quidem in colla-
tion. vigeſimaſexta opuſcul. Tomo tertio* Mi-
niſtri Generalis conditiones deſcribens,
ait, *Omnes accuſationes in principio ha-
beat ſuſpectas, donec veritas ex diligenti
examinatione incipiat apparere: aures e-
tiam non præbeat multiloquis: & multi-
loquos in accuſatoribus ſpecialiter habeat
ſuſpectos, nec faciliter credat eis.* Hinc il-
lud maximè optandum ſequeretur, quod
Plinius probè *in panegyri* ſcripſit. *Sub op-
timo Principe non delatores, ſed leges ti-
mentur.*
52 Regula vigeſima prima. Meritò ac ratio
nabiliter inuiti cenſendi eſſent ſubditi, &
contra legem omnem cum eis ageretur,
ſi Superiores omitterent ſingula perpen-
dere, donec in delatæ rei deuenirent no-
titiam. Probatur per *textum Geneſis* 18. *vi-
geſimo primo adductum in Capite Qualiter,
& quando il ſecondo de Accuſator. Clamor
Sodomorum multiplicatus eſt, & peccatum
eorum aggrauatum eſt nimis descendam,
& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad
me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt
ſciam, &c.* Quorſum enim infinita Dei
ſapientia, quam effugit nihil, cuique
omnia patent nobis relata ſententia, du-
biam ſeſe, neque omninò peccata So-
domorum certo ſcire indicaret? *Nempe*
(ait *Gregorius libro decimonono moralium
capite decimo quarto*) *vt grauitatis nobis
exemplum proponat, nè mala hominum an-
te præſumamus credere, quàm probare. &
capite vigeſimo tertio, Deus, cùm omnia
illi nuda, & aperta ſint mala Sodomorum,
punierit, non auditu, ſed viſu.* Quorſum
etiam *Geneſis tertio, Deus primorum Pa-
rentum peccati certò conſcius,* quin eos in-
terrogaret, non condemnauit: *Ad inſti-
tuendum* (reſpondet *Abulenſis capite deci-
mo tertio in Geneſim*) *nos, qui Iudices ſu-
mus qualiter procedamus; nam ſi Deus, qui
omnia nouit, voluit ad puniendum adhuc
habere confeſſionem Delinquentium, quan-
to magis hoc facere debent Iudices, qui de-
53 cipi poſſunt.* Quapropter grauiter eccle-
ſiaſtici Moderatores peccarent, prò quali-
tate culpæ denunciatæ, ſi in hac inueſtiga-
tione deſides eſſent, vel inani timore, vel
friuolis ſcrupolis, nè diffamarentur Sub-
diti, ſpecie quidem benignitatis, ſed re
ipſa multis reijcienda nominibus arte po-
litica in cognitionem veritatis nollent de-
uenire; ſubditoſque non ſolùm interea
vti reos habentes, verùm etiam, vel ſini-
ſtra de eis imbibita opinione, aut itera-
tis reprehenſionibus, aut priuatione mi-
niſteriorum, aut remotione à muneribus,
quæ cum laude ob[illegible]ent, aut alijs modis
carperent, vrgerent, atque affligerent:
conſtat hoc, nam præter quàm quòd Su-
perior illo tunc è ſuſpicione potius, quàm
ex certo iudicio procederet, quod ad ter-
tium iudicij temerarij gradum, à *Diuo
Thoma ſecunda ſecundæ quæſtione ſexage-
ſima articulo tertio* aſſignatum ſpectaret,
quodque cùm in actum externum, per eas,
quas indicaui, demonſtrationes, prode-
ret, excuſari difficilè eſſet à peccato gra-
ui; quia grauem iniuriam Superior inure-
ret Subdito, idque contra obligationem
officij ſui, quo adſtringitur, neque forma-
liter, & per ſe, neque æquiualenter iudica-
ret, ex iuſtis, idoneiſque probationibus, vt
probè *de Iudic. Leſſius poſt antiquos libr. 2.
capite vigeſimo nono dub. ſecundo numero
octauo.*

octauò. Nec refert, Prælatum yti Patrem procedere, & uon vt Iudicem; nam ſi hoc pacto cum ſubdito ſe gerens, nec vices adimplet Iudicis; vt obſecro vices geret patris? & ſi à iudice innocentia vendicanda eſt in lucem, potiori quidem iure à patre. De nomiue tantùm, igitur gloriaretur moderator, Patris, ſi delati delicti contra filium notitiam omnibus viribus non conteuderet habere, atque adumbrata, immò impia ſanè pietate, malum ſemper de filio ſuſpicaretur, eumque vti dictum eſt, varijs afficeret aduerſis; & neſcio quo effecto prætextu iu intimam cauſæ coguitionem deueuire negligeret, quì ſub occaſione partium Clementiſſimi Præſulis ſæuiſſimus omnium exiſteret Iudex; *apertè enim vel odiſſe magis ingenuum eſt, quam fronte occultare ſententiam*. *Tullius de amicitia* probè protulit. Cùm amicorum fraudes, & facta hoſtilia, nec diligenter cauere, neque actu repellere facilè ſit.

57 Sed quam prudenter, quam ſincera Chriſtiani, ac Religioſi animi caritate, quòdmodo Superioris munus tracto, complexus ſit *Euerandus Mercurianus Quartus Societatis Ieſu Prepoſitus in Epiſt. ad* Superiores *eiuſdem Societatis data*. mens candidus iudices legitor. *Quamobrem caueat* (Superior) *vt nè ſubditis occaſionem prębeat ſuſpicandi; quod dè ipſis male ſentiat, aut diffidat, magnopere enim hæ ſuſpitiones minuunt reuerentiam, & amorem erga Superiores, & ſpe abiecta recuperandæ ipſius gratiæ manent in ſuis vitijs, abſque vlla curatione, neque omnium modo, ſed imperfectionum etiam quorumlibet (non omiſſis ideo debetis diſciplinæ modis) oſtendet ſe ſpem bonam concipere futuræ emendationis, nec ſe præteritorum eſſe memorem*. Accedit nulli prudentiſſimo ſecundus *Claudius Aequauiua*, cuius nomen, uulla temporum ab hominum auimis delebit iniuria Quiutus eiuſdem Religionis Generalis *in Epiſtola de eiuſddem progreſſu num.3. Cum reprehenditur* (ſubditus nempe ait) *ſi id ex amore intelligat prouenire, dolere fortaſſis poteſt, exulcerari non poteſt Medici vulnus, quamuis vrat ſectio, non odium parit, ſed amorem. Si à Superiore inſtruitur, à quo ſe diligi putat, ſuſcipiet inſtructionem læruſh, non vt murmuret, ſed vt faciat quod monetur (ſin contraria opinione imbutus ſit, quod alioquin cibus eſt, ei vertitur in venenum) ſi tentatione pulſatur, ſecurus in manu matris deponit ſpinam, & manifeſtè apparet, non aperiri medicamento ianuam, ſed occludi, cum Superior ſuſpicandi cauſam prabet, vel ſe minus diligere, aut male ſentire, aut ſperare de filijs*. Et quidem rectè matres appellauit Superiores *Diui Bernardi* imbutus doctrina *in cantic. canticorum ſermon.23. Diſcite Subditorum Matres vos eſſe debere, non Dominos, ſtudete magis amari, quàm metui*. & infra *Quid iugum veſtrum ſuper eos aggrauatis, quorum potiùs onera portare debetis? Cur morſus à ſerpente paruulus fugit conſcientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat, tamquam ad ſinum recurrere Matris?* Verùm ſummum imponat faſtigium Gregorius ſanctitate, ac doctrina Magnus, qui quidem non ſine admiratione perpendens Leonis fęrocitatem Prophetæ compreſſam ſanguine 3. Regum 13. addit; *Qui occidendi auſum habuit, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accipit; quia is, qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedientia erat iam iuſtus ex morte. Leo ergo, qui priùs peccatoris vitam necauerat, cuſtodiuit poſtmodum cadauer iuſti*. Et homo Chriſtianus, & fortaſſe Religioſus, vel ipſa leonina ferocitate ferocior in pene Interemptum ob tot perpeſſa plagis etiam ſæuiet?

60 Adde, ſi dubius eſſet ad ſummum Superior de perſoua ſubditi, ad bonam, vel malam exiſtimationem habendam, & nihilominus in deteriorem partem ſe inclinaret ob varia (vt dixi) inditia ex ſe grauiter peccare; quia dubia huiuſmodi in meliorem partem deferenda ſuut, quemadmodum docet *Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione ſexta articulo quarto*. Et communiter Doctores apud *Leſſium citatum dubio quarto, numero trigeſimoſecundo*; habere igitur ſe deberet Superior ſaltem negatiuè, etiam obligatione iuſtitiæ. Quod *Sanctus Pater Ignatius noſtræ Societatis I E S V Fundator* publico teſtatum reliquit documento ſub initio *Exercitiorum Spiritualium*. Deinde vel quod denunciatur delictum eſt verum, vel falſum: ſi falſum contra iuſtitiam profectò, & contra charitatem de Subdito à Superiore, de filio credetur à Patre; nec non innocentia immeritò punietur; falſiſque Delatoribus, vt effuſis habenis contra virtutem agant, locus dabitur, contra omne ius, faſque, ipſammet Rempublicam, cuius peſtes hi ſunt ſceleſtiſſimi mortalium: quòd ſi verum fuerit delictum delatum, peccat Superior non inueſtigans veritatem, qua detecta, quæ conſtitutæ ſunt in reum penæ, profectò ſumerentur; ex quo relaxatio proueniret, immo euerſio Eccleſiaſticæ, ſiue religioſæ

diſciplinæ. Tenetur demum moderator ratione officij in certam deuenire notitiã delinquentium, quibns vel prouinciam purget *ex leg. 8. & leg. congruit ff. de offic. prætor. Bald. in leg. Gallus ff. de liber. & poſthum. & ex alijs* vel vt debitis pœnis delicta puniat; neque muneri ſatisfacit ſuo, neque Reipublicæ cõſulit iudicij ſuſpenſione *Nihil enim æque amarum* (aie *Seneca de benefic. libr. 2. cap. 5. quam diu pendere; æquiore quidem animo ferunt præcidi ſpem, quam trahi*. & infra *Acerbiſſima crudelitas eſt, quæ trahi pœnam, & miſericordiæ genus eſt cito occidere, quia tormentũ vltimũ finem ſui ſecũ affert, quod antecedit tẽpus maxima vẽturi ſupplicij ſpes eſt.* Quòd ſi non modò identidem cauſa non peracta, neque delicto ritè cognito in ſubditum animaduerteret Superior, verùm etiam ex quacumque vel leui deſumpta occaſione, alioque quæſito colore illud idem delictnm improbatum, vel dubinm, vel dicto neſcio cuius adumbratum; vel tenuibus notum coniectnris, etiam ſi iteratis vicibus varijs punierit modis, ſempee virens objiciat ſubdito, nonne eiuſdem ferè conditionis, hoc eſſe dixerim, ac peccata, ob quæ æternis crucientur damnati tormentis, quibns nullus eſt finis? quorum inſtar miſerrimus ſubditus in deſperationem omni ſpe destitutus veniç calamitoſum in modum contra Religioſam, nè dicam Chriſtianam charitatem agitabitur.

61 Imitentur eandem quicumque alijs præſune Deum Optimum Màximum orbis hominumque conditorem, ſupremum Monarcham, ac Redemptorem, gratiam, & merita mortificata, per veram pœnitentiam pene rediuiua mortalibus reſtitnentem, vt habet certa doctrina apud Theologos, præſertim *Diuum Thomam 3. part. quæſt. 89. artic. 4. & Magiſtrum in 4. diſtinct. 14.* ac alios, quos ſequuntur, ac referunt *Suarez in relect. de reuiuiſ. meritor. diſput. 1. sect. 2. & Vaſqu. tom. 2. in 1. 2. diſput. 221.* docentes, bona quidem iuſtorum opera, & merita lethali peccato mortificata pee pœnitentiam reuiuiſcere; non autem peccata, quæ, indnlgente Deo, ita prorſus abolentur, vt nec maculã, vel leuem relinquant, vt probè *Angelicus citatus artic. 4. ad 1.* quem reliqui ſequuntur Theologi ex *Ezech. 18. Omnium iniquitatum eius non recordabitur amplius*. Hinc *Gelaſius Papa cap. vltim. de pœnit. diſt. 4. Diuina* (inquie) *clementia peccata ſemel remiſſa, iterum redire non patitur*.

62 Regula vigeſima ſecunda. Quando vel certum; vel probabile, vel dubinm eſſet, Superiorem non paternè, ſed vltra fines denunciationis proceſſurum, non eſt ei denunciatio facienda, quæ pro qualitate delicti dennnciati peccaminoſa eſſet; ſic omnes ferè citati Doctores, & ſequitur ex *regul. 22. à numero 39. ac deinceps*, & defenditur ab Auctoribus ibi citatis. Probatur præterea, quia ceſſante fine, ceſſant quæ ad finem ſunt; ſed finis paternæ denunciationis eſt emendatio Delinquentis non habens coactionem, vt probè *Diuus Thomas de fratern. correction.* ſcribens, & nos *capite primo, & tertio* diximus; ergo vbi ceſſaret hic finis defectu Superioris illum prætergredientis, ceſſabit ſanè ratio licitæ denunciationis.

63 Huius autem eſſe loci opinor, limites communi Doctorum ſententia conſtitutos, Moderatoribus, quibus paterna facta eſt denunciatio, indicare.

Primò non poteſt Superior, qui dennnciationem excepit paternam, iuris ordine procedere, neque iuridicè Snbditum interrogare; quod totum hoc forum ſecretum eſt; ſic *Angles in Flor. part. ſecunda quæſtion. de correction. articul. 1. diff 7. Soar. diſputat. 8. de charitat. ſection. vltima numero 18. Lozan in ſumm. quæſtion. regul. capite 27. numero tertio.* Quòd ſi probari poſſit delictum, poterie interrogare paternè Snperioe; neque ſic confeſſum afficere pœnis, ſi verè promiſerat filius reſipiſcentiam: ſnbditus verò ſi nouerit teſtes eſſe ſufficientes, vel indicia tenetur confiteri delictum Superiori tanqnam patri.

64 Secundò poteſt, ac tenetue ſecretò monere, filiumque corripere, ſi qui delictum ſuum agnoſcat, atque emendationem promittat, vltra progredi non poterit, neque ad vindictam pnblicam, neque ad aliquam infamiam, ita *Soarius Tom. quarto de relig. libr. decimo capite decimo numero 13. Sanch. lib. 6. oper. mor. cap. 18. nu. 56. & licet 1. reg. 2. & 7.* Et licèt 1. Reg. 2. vitio vertatur Heli, quòd non puniuerit filios, quos tamen increpauit; delictum tamen illud erat publicum, qnod ab Heli vt à patre, & vt à Iudice puniendum erat. Comprobatur hæc regula documento *Seraphici Patris Franciſci in epiſtola, quam dedit Fratri Eliæ, & eſt ſexta, relata à Rodulpho libr. ſecundo folio 178. atque à Fratre Luca Vuandin. in epiſtolis eiuſdem Diui Franciſci. In hoc ſolùm cognoſcam, ſi es ſeruus Dei, ſi errantem fratrem miſericordia reducas ad Deum, & ſi grauiter errantem amare non deſieris; & ſi aliquo timore humano id attentare non audeat, pete ab eo, ſi miſericordiam cupiat: & ſi aliquis ſuadente diabolo, ceciderit in aliquod graue peccatum, recurrat ad Guardianum, ille verò tranſmittat ad Prouincialem, & ſi videret*

vel illum eſſe contritum; dicat illi; Vade, & noli amplius peccare. Et licèt mei non ſit inſtituti ex profeſſo diſputare, an Superior, qui iniuſtè aliquod accepit delictum, poſſit vel teneatur iuridicè procedere; breui tamen ſilentio non prætermittam, indicare, ſi iniuſtè Superiori tanquam iudici delatum eſſet delictum, quod non erat, vt ſic denunciandum, eratque deferendum vt patri, non poſſe vlterius procedere, vt iudicem, qua ratione modo dictum eſt; ex quo comperitur falſa doctrina contraria: ſic Superiori ſi diceretur ab aliquo confeſſario delictum pœnitentis, vel delictum ab aliquo acceptum ſecretò, & conſilij gratia, procedendum vlterius non eſſet. Videatur *Loʒana in ſum. quæſt. regul. capit. 27. num. 24. apud quem alij*.

66 Tertiò, Superioris erit occaſiones peccādi ſuauiter amouere, ad quas poſſet mutationem aliquam in munere, vel habitatione Delinquentis facere; in qua maximè cauendum eſt, nè ſequatur ſcandalum, vel infamia ſubditi, alioquin huius denunciationis excederentur fines. Sic *Soarius laudatus n.* 17. Maximèque caueant Superiores, nè ſpecie vitandi occaſiones peccati paternè delati, ab officijs, à muneribus, ab honoribus, quæ quidem omnia longè, ac remotè occaſiones videntur eſſe culpæ commiſſæ, vel ſimilis committendæ; neque enim vno, vel altero lapſu ſtatim vitioſum, incorrigibilem ſubditum, nec minime ei ſidendum eſſe putent, imitati exemplum Chriſti Domini diuini Magiſtri, qui quamuis à Petro ter negatus fuiſſet, quod quidem crimen, homunctionum iudicio, impedimento videbatur eſſe, nè inſidus in columnam in fundamentum Eccleſiæ in ſui Vicarium eligeretur, cui claues Regni Cælorum committerentur; nihilo tamen minus hunc eundem in Pontificem Maximum promouit Dominus. Hinc probè *Caliſtus Papa epiſt. 2. cap.* Ponderet. *diſt.* 50. *Porrò* (ait) *Sanctus Dauid de mortiferis criminibus egit pænitentiam, & tamen in honore permanſit*: & accomodatius *Gregorius Quartus* Can. *licet Plerumq; diſt.* 85. *ſi Dominus ſtatim poſt trinam negationem Petrum Apoſtolum præceptorem noſtrum iudicaſſet, non tantùm ex eo fructum, ſicut fecit, recepiſſet*. Videantur quæ *cap. vlt. præcedentis diſput. n.* 35. dixi. *Bernardi* tamen *de modo viuendi ad ſororem cap.* 14. aurea ſententia hoc punctum concludam. *Ita clemens eſto in alienis delictis, ſicut in tuis, vt non aliter te, & alios aliter penſes*.

67 Quartò, paternè poterit pœnas pater ſecretò minari filio denunciato. Sic *Auctores num.* 35. *laudati, nec non Nauarr. cap. Inter verba concl. 6. n. 238. & Sot. de ſec. mem. 2. poſt concluſ. 6. verſ. ſed reſtat nunc* qui probè ait non ad punitionem præteriti, ſed ad timorem in futurum: quod non video cur difficile videatur *Soario*, cuius erat, meminiſſe finem huius denuntiationis, ſiue paternæ correctionis non eſſe punitionem præteriti, quia delictum vt ſic extra limites euangelicæ correctionis eſt, vt ſæpe diximus tum *cap. 1. tum 3. & 4*. Quamobrem pœna, quam minatur Superior, ex circumſtantijs talis eſſe debet, vt indicatur à Soto; neque vllo modo publica; alioquin ex ea facili negotio in cognitionem deueniri poſſet, vel culpæ denuntiatæ, vel alterius ſimilis, vel rei grauis, ſaltem in genere, cùm detrimento famæ ſubditi. Fines igitur huius fori ſeruandi ſunt, & Reipublicæ alio modo conſulendum eſt; cum maius eſſet malum, illis prætergreſſis, ſecreta pandere delicta, quàm ſi hic, & nunc efficax huic non detur remedium; legantur quæ diximus *cap. 4. à n. 1. ac deinceps, ac Soar. citatus num.* 13.

68 Quintò, poſſet aliquando Superior, qui denuntiationem excepit ſubditum reprehendere, vno, vel altero viro graui, quaſi inteſtem, etiam adducto, atque ad ſecundum actum euāgelicæ correctionis gradū facere: ſeuerè præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ, vt à tali delicto, vel proximo eius periculo deſiſtat filius, quando nimirum neque oſtenderet crimen agnoſcere, neque promitteret correctionem delicti, de quo conſtaret Prælato, ſaltem ex vnius teſtis oculati, omni exceptione maioris, teſtificatione ita *Sot. citatus quæſt. 4. concl. 7. Bagn. 2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 4. concl. 5. Soar. 4. tom. de relig. lib. & cap. 10. num. 14*.

69 Sextò, ſicut concurrentibus, quas expoſuimus, circumſtantijs vni Superiori, qui valet remedium adhebere, prodeſſe, & non obeſſe, facienda denuntiatio eſt; qui quas charitatis expendimus leges ſeruare debet ita ſi hic vel remedium adhibere, vel occaſiones ſuccidere non poſſet, quod id alterius eſſet maioris Superioris, non vtrique, ſed valenti remedium adhibere, facienda eſſet denuntiatio, Prouinciali ver. grat. vel Generali, Epiſcopo, vel Pontifici. Probatur tum *ex reg. 3. tum ex Sanch. citato num.* 16. qui Generali Societatis Ieſu faciendam ait denuntiationem Ambitioſi; cum enim ex eius arbitrio pendeat ſingulorum moderatorum huius Religionis electio, ipſe ſolus poterit, re cognita, malo ambitionis obuiam ire, quæ quidem ratio facili negotio cœteris poterit accomodari caſibus.

70 Septimò. Si, quæ diximus adhibitis remedijs ſubiditus eſſet pertinax, neque admonitionem admittere, neque emendationem ſpondere, nec pericula, occaſioneſque vitare,

delictum verò nec notorium eſſet, nec probabile in iudicio, neque in damnum directè tendens Communitatis, quid prçterea faciat Prælatus non habet, vt probè *Soar. citatus concl.* 18. ſed oret pro denunciato, vigilet, atque occaſiones prò viribus cautè, vti dictum eſt, ſubmoueat, abſque ſcandalo tamen, aut ſubditi infamatione; quippè nec licet eum hac de cauſa occulti delicti infamare, neque ad aliud inquiſitionis genus pergere, vt oſtendimus *cap. 3. num. 10. & 11.* docetque *Soar. cap. 50. num. 15.* Et quidem non ad generalem inquiſitionem, vt ibidem dictum eſt; quod hæc ad iuridicam formam, iudiciumque refertur, ſecundum quod punit, vt probè *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 9. art. 2. Caiet. ibidem* Sot. *de ſecre. mem. 2. quæſt. 6. Nauarr. Cap. Inter verba concl. 6. num. 21. & in rub. de iud. num. 87. Leſſius lib. 2. de iuſt capit. 29. dub. 13. num. 109. & cap. 11. dub. 20. & 30. dub. 6.* Immo quicquid de abuſu in contrarium ſit, peccare contra iuſtitiam ſecus facientes exploratum habeo, ex ſupra diſputatis regulis, & eſt videre apud *Leſſium citatum cap. 29. num. 111.* quodque indubitatum eſt, omnibuſque inconfeſſo, ſi prorſus fuerit occultum delictum, ita vt nec probari poſſet; quia quod probabile non eſt, abſolutè ſub inquiſitione non cadit, neque aliud quàm infamia ex hoc genere reuelationis ſequi poteſt, vt probè *Leſſius citatus n.* 112. Neque per ſpecialem inquiſitionem licebit Superiori inquirere contra paternè denunciatum, an commiſerit delictum nec nè? quod ex generali Theologorum conſtat doctrina; Prælatum etiam regularem quemcumque ſpecialis vti genere inquiſitionis in aliquem, eius non prçcedente infamia minimè poſſe, docet *Diuus Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. ad vlt. Vnde non habet Prælatus poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis niſi in quãtum per aliqua indicia manifeſtantur, puta per infamiam, &c.* Hæc ille: ſubſcribunt *Caiet. ibidem Diuus Antonin. 3. part. tit. 9. cap. 7. §. 8. Soar. cap. 12. num. 1. Summiſtæ omnes verb. Inquiſitio Angel. num. 2. Armill. n. 11. Syluester 1. q. 3. & 2. q. 1. Canoniſtæ in cap. Qualiter & quando il 2. de accuſ. & cap. licet Heli de ſimon.* Nauarr. in cap. *Inter verba coroll. 63. num. præſertim 293. Vmbert. ſuper regulam Diui Auguſtini*: atque expreſsè ſtatuitur *cap. Qualiter. cap.* Cùm *oporteat. cap. Inquiſitionis de accuſ.* Nec refert *Innocentium Tertium in cap. Qualiter*, indicare eundem ſeruandum non eſſe ordinem cum Religioſis, qui cum ſecularibus ſeruatur: tum quia *cap. licet Heli citatum* expreſsè de Religioſis loquitur, apud quos neceſſarium ait Pontifex eſſe *clamoroſam inſinuationem*, ideſt, infamiam, tum quia, vt in ſolutione *3. argum. ſequenti cap.* dicemus de accidentalibus ſolemnitatibus ibi loquitur tantùm Pontifex, non de ſubſtantia iudicij, ac ratione procedendi ad veritatem eruendam neceſſaria.

71 Non tamen inficior, qui excipi ſolent, nonnullos eſſe caſus, in quibus inquiſitionem ſpecialem licet fieri abſque infamia, & clamoroſa inſinuatione, quoſque *ex cap. 3. num. 11.* huc remiſimus. Et quidem aliqui ſub tribus comprehenduntur generalibus regulis. Prima quando non inquiritur ad punitionem, vel ad quaſi pœnam, ſed ad euitandum errorem, ac damnum; vt cum perſonæ merita qualitateſque ad dignitatem, vel ad matrimonium ineundum, vel ad maleficia impedienda, eorumque occaſiones reſecandas, quando huiuſmodi defectus, vel peccata ſecretò Superiori, vel illi, cujus intereſt, aperienda ſunt, & quàm minima poteſt famæ lçſione Proximi: ratio autem eſt quòd niſi hoc, ob has cauſas non liceret, omnia eſſent plena inceſtis, ſacrilegijs, nefarijs coniugijs, ac dignitatibus malè, atque indignè obtentis. Verùm in ſimilibus, vbi de moribus, aeque aliena vita inquireretur, vt alicuius, ver. grat. fœminæ, cui eleçmoſyna, vt nuberet, danda eſſet, ex ſtatuto, honeſtis tantum fœminis præſcripta, nefas etiam eſſet peccata eius detegere occulta; ſed ſolùm per infamiam nota, quæ ſtatuto excluſa videntur; neque de huiuſmodi peccatis liceret inquirere; quòd pluris facienda ſit hominum fama, maximè tum eis, tum Reipublicæ neceſſaria, quàm delictorũ notitia etiam ad dictum finem; licitum tamen eſſet huiuſmodi defectus pauciſſimis notos aperire, quãdo alioquin ſequeretur prçiudiciũ Tertij; quòd illis laborantes ius non habeant ad dignitatem, vel cathedram, vel aliud quippiam dandum, vel diſtribuendum iuxta ſtatutum, vel antecedentem voluntatem præcipientem, vt hominibus illis carentibus culpis darentur ſic *Molin. de iuſt. & iur. tract. 4. diſp. 24. n. 7. & 8.* quæ concinunt his quæ dicturi ſumus *Tom. 2. lib. 5. diſp. 3. 4. 5. & 6.* Secunda quando delictum, de quo inquiritur, eſſet euidens, euidentia iuris vel facti, quæ quidem infamiæ æquiualet, vt bene *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 29. dub. 15. n. 126.* ſic, ſi reus confeſſus fuerit crimen occultum in iudicio, non tamen extra, vel per generalem inquiſitionem procedenti iudici pateſactum, vt proſequitur *Leſsius citatus n. 124. & 125.* Tertia quando delictum eſſet leſæ maieſtatis diuinæ, vel humanæ, vt hæreſis, apoſtaſiæ &c. vel in humanam maieſtatem, etiam, cum de morte Domini contra ſeruos inquiritur, ex *l. 1. C. ad S. C. Syllanum, & contra Nautas nauis ſubmerſa iuxta l. Quoties C. de nauf.*

De alijs vero dubium eſt, ac diſputare eſſet actum agere, extra proprium inſtitutum: legantur *Baſtol. ad l. Iuliam de adult. & l. 2. poſt Gloſſam §. ſi publica. Canoniſta in Cap. Qualiter & quando de accuſ. Sot. de ſecr. mem. 2. quaſt. 6. concl. 3. Leſsius citatus apud quos alij* Idemque cenſet *Molina citatus* de alijs delictis, quibus affectus Promouendus ad talem gradum, magno cum eiuſdem gradus dedecore & ſcandalo futurum eſt, vt in ea relaberetur, vel timeretur notabile detrimentum boni communis.

72 Quid autem ſentiendum ſit de Religioſis noſtræ ſocietatis docet *Soarius citatus n. 70.* Rectè igitur admonuit *Valent. 2. 2. diſp. 3. quaſt. 10. punc. 5. §. 1. colum. 708.* quando in correctione fraterna ad tertium, & vltimum peruenitur gradum, vt Eccleſiæ, ideſt Prælato Eccleſiaſtico dicatur, aperiendum eſſe delictum ei, tum vt patri, tum vt iudici, & præcipuè tanquam patri, vt prò viribus vtroque nomine ille bono conſulat fratris, cui reſpexit Dominus *ſi te audierit lucratus es fratrem tuum*; cui conſulere tenetur non ſolum frater, ſed Superior ex caritate, ac potiori iure, tanquam pater; cæterum à contrario, eiſdem de cauſis, non militat hæc doctrina; quo circa vbi denuntiandum eſt ſoli Prælato delictum, tanquam patri, non eſt ei denuntiandum tanquam iudici; ad quod & plures deſiderantur circumſtantiæ omneſque præcedentes actus, tum correctionis priuatæ, tum teſtium adductionis, præmittendi neceſſario plerumque ſunt; itaque ſemper ve distinctæ hæ habendæ ſunt denuntiationes, quorum fines, ve diſtincti cenſendi; ſic probè *Valent. laudatus §. 2. colum. mihi 716.* Hæc autem dicta volo de omnibus etiam grauioribus delictis, vna hæreſi excepta, de qua ſupra diximus, & alijs etiam directe tendentibus in bonum commune, vt *in cap. 4. à n. 25. ac deinceps.*

73 Cæterum de correctione audire non pigeat *Sanctum Franciſcum* ſpiritu Dei loquentem *in epiſt. 8. apud Lucam Vuand. data Petro Cataneo Generali, & apud Piſanum lib. 7. conf. 12. In hoc volo cognoſcere ſi tu diligis Dominum, & me ſeruum ſuum, & tuum, ſi feceris iſtud, videlicet, quod non ſit aliquis frater in Mūdo, qui peccauerit, quodcumq; potuerit peccare, quod poſt quam viderit oculos tuos, nunquam recedere ſinas ſine miſericordia tua, & ſi non quæreret, tu quæris ab eo, ſi vult miſericordiam; & ſi ille milliès appareret poſtea coram oculis tuis, dilige eum pluſquam me ad hoc vt trahas eum, & ſemper ad bonum, & ſemper miſerearis talibus.*

74 Et in oratione apud *Piſanum lib. 2. conf. 11. quæſt. 23. in ordine. Domine* (ait) *commendo tibi familiam tuam &c. recommendo eam miniſtris, qui teneantur in die iudicij coram te Domine reddere rationem, ſi quis fratrum (propter eorum negligentiam, vel malum exemplum, ſeu aſperam correctionem perierit; &* *in collat. 26. opuſcul. tom. 3. deſcribens Generalis miniſtri conditiones. Conſoletur ait piè afflictos cum ſit vltimum remedium tribulatis; nè ſi apud eum defuerint remedia ſanitatis, deſperationis morbus præualeat in infirmis, vt proternos flectat ad manſuetudinem, ſe ipſum proſternat, & aliquid ſui iuris relaxet, vt animas Chriſto lucrari faciat.* Idemque repetit *in reg. 1. cap. 5. & 6. & in reg. 2. cap. 10. & in eadem collatione* addit. *Ad refugas ordinis veluti ad oues, quæ perierunt viſcera pietatis expandat, & nunquam miſericordiam neget illis, ſciens tentationes illas perualidas, quæ ad tantum caſum poſſunt impellere animam, quas ſi ipſum permitteret Dominus experiri, forte in maius præcipitium laberetur.*

75 Et ſanè nihil magis eccleſiaſticos dedecet Prælatos quam afflictionem addere afflicto, nec magis vlciſci, quam Deo O. M. qui quidem *Exod. 17. verſ. 14.* adiuncto, ſecundum vulgarem hæbraiſmum, iuramento. *Delebo* (ait) *memoriam Amalec ſub Cælo.* cur ita? *Si cauſam* (reſpondet Oleaſter) *plenam quæras huius tam ſeueræ vltionis habes illam Deutor. 25.* vbi Moyſes dicit. *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex AEgypto, quomodo occurreret tibi, & extremos agminis tui, qui lapſi reſidebant ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus,* quod afflictionem nimirum addiderunt afflictis,

76 & quamuis *Leuit. 19.* præceperit Deus. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* & alibi. *Nolite reddere maledictum pro maledicto,* tamen, vt probè idemmet Auctor ait. *Et ſi Dominus nos vt plurimum velit malorum nobis illatorum oblitos: beneficiorum tamen vero memores, eſt tamen tam magnum malum afflicto addere afflictionem, vt in hac re vindictæ vult eſſe memores;* Idque me iudice cauſæ fuit, cur occidens Cainum fratricidam, mortalium peſſimum, diuinum ſententia ſeptuplum puniendus dicatur *Geneſ. cap. 4. Omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur,* grauiore nimirum ſepties pœna puniendus, qua fratricida affectus eſt, ex quo docemur (addit *Oleaſter*) non addendam eſſe afflicto afflictionem; nihil enim magis Prælatos dedecet, nec quod magis Deus vlciſcatur; nam ſatis ſuperque excruciabatur Cain, agitabaturque furijs fratricidij, diuinaque ira perterritus penè ad mortem; non erat igitur magis affligendus.

77 Demum à Theologo inter Sanctiſſimos doctiſſimo, atque inter Doctos Sanctiſſimo

Nan-

Nanzianzenus modnm corripiẽdi ſubditos, & filios accipiant Eccleſiaſtici Moderatores, de qnibus ſpecialiter agimus, *in orat. de moder. in diſputatione habenda. Hanc* (inquit) *rationem tene, vt partim illum corrigas, idq; leniter, & humanè, non vt hoſtis, neque vt durus, & rigidus medicus, neque vt ſectionibus tantum & cauterijs aduerſus morbum ſciens graſſari; partim te ipſum accuſes, infirmitatiſq; tua tibi conſcius ſis*. Accedat, ſummum huic capiti faſtigium imponens *Leo Papa epiſt. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum cap. 1. Plus* (ait) *ergo corrigendum agat beneuolentia, quàm ſeueritas: plus cohortatio, quàm commotio: plus caritas, quàm poteſtas*; ex quo videtur *Trident. Synod. ſeſſ. 13. cap. 1. de reformat.* excepiſſe, quæ ſtatuit de caritate, ac benigintate Prælatorum, de qua ſequentibus libris, Deo dante, dicemns.

CAPVT VI.

Nonnulla deducuntur ad correctionem à Diœceſana Synodo faciendam Epiſcopo, iuxta Tridentinum ſeſſione 25; capit. 14:

S V M M A:

Sine culpa graui à Patribus Synodi Prouincialis non poteſt denunciari Præſulis incontinentia, non præmiſſa correctione fraterna, num. 1.

Probabiliſſimum, nè dicam certum, debet eſſe delictum Epiſcopi, denunciandum, n. 2.

Etiam in delictis publicis, Epiſcopo correctio fraterna facienda eſt, ante Iuridicam denũciationem apud Pontificem habendam. numer. 3.

Delictum emendatum Antiſtitis nullo pacto denunciandum. num. 4.

Quomodo ſubditi poſſint, ac debeant Superiorem admonere, num. 5.

HVc ea, quæ hactenns diſputauimus ſpectant, vt rationem enoluamus. qua cum Epiſcopis agendum ſit prouinciali Synodo: & licèt hanc diſputationem varijs aſpergerim documẽtia, quæ in correctione, ſeu denunciatione Præſulis à Synodo facienda ſeruanda ſint at operæpretium factutum arbitror, ſi ad maiorem lectoris cõmoditatem in vnum locum ea contulerim; ad quod in memoriam reuocanda ſnnt ea, quæ *cap. vltimo ſuperioris Diſputationis* ſcripſimus.

1 Itaque infero primùm. Patres Prouincialis Synodi abſqne peccato, & quidem natura ſua graui, minimè poſſe incontinentiam Epiſcopi Summo Pontifici denunciare, non præmiſſa fraterna correctione à *Cõcilio Tridentino ſeſſione 25. cap. 14.* hiſce indicata: *Et ſi perſeuerent etiam ad ipſum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur.*

Ratio eſt, quia hoc in euentu maximè ſeruandus eſt ordo Euangelicus, quem huc vſque expendimus; cùm de iuridica, & publica denunciatione agatur, apud Summum Pontificem, vt ſupremum Iudicem facienda, in ordine ad pœnam priuationis. Probatur præterea abſolutè ex *cap. Nouit. de Iudicijs*, ex quo neceſſariò ſeruandum eſſe ordinem Euangelicum in denunciatione conſtat; atque ex *cap. cum dilectus. de accuſationibus*, vbi ſpecialiter habetur ſermo de quodam Epiſcopo à nonnullis Clericis iuridicè denunciato, de quo ait Innocentius III. *præfatum Epiſcopum de iam dictis exceſſibus non fuiſſe præmonitum, &c. & ideo à denunciatione repellatis*. Vt eodem pariter titulo cap. *2. Si quis Epiſcopus ab illis accuſatoribus, qui recipiendi ſunt accuſatus fuerit, vt cauſam emendet, & eam corrigere noluerit, &c.* quia, vt probè *Gloſſa* his concurrentibus. *Admonitio ſemper eſt præmittenda ante accuſationem, ante vindictam* (idemque eſt de iuridica denunciatione illi maximè affini) ex multis, quos ibi refert textibus, & *cap. Licèt Heli de ſimonia, vbi Gloſſa verbo inſcriptio* probè notat, quod vbi agitur ad pœnam excommunicationis (& idem iudico à fortiori de priuatione, ad quam denunciatio præſens tendit) præcedere omninò debet admonitio, è quampluribus, qui ibi videri poſſunt, textibus. Modus autem in reliquis delictis procedendi poſt hanc dennnciationem factam, traditur ab *Abbate cap. Innotuit citato num. 53.*

2 Infero ſecundò, delictum Epiſcopi probabile admodum debere eſſe, nè dicam certum. Habetur *cap. vltimo de calumniatoribus*, vbi priuatur Denuncians Epiſcopnm de delicto, quod probare non poterat; alioquin neque ſecretò corrigendus eſſet Epiſcopus admonitione fraterna, nèdum iuridicè denunciandus; vt probauimus *præcedenti diſputatione cap. vlt.* Et quidem maxima cautela opus eſſe, quòd agitur de Epiſcopis, docuimus *cap. 4. concluſ. 4. & 5. & cap. 6. à reg. 10; ac deinceps*. Addo doctrinam *cap. cum in Iuuentute de præſumptionibus*, & verè auream, ex qua liquet quanta cum maturitate Epiſcoporum cauſa tractanda ſit, vt neque Regi, neque quacumque alia dignita-

te donato facilè in Chriſtos Domini credere quis, ſi eorum denunciatio è mala radice naſcatur. Perpendenda præterea ſunt matura Præſulis ætas cum laude tranſacta, merita, quibus à Romano Pontifice in Antiſtitem creatus, ſæpe Senectus venerabilis, ſcientia litterarum, & cœtera huiuſmodi, quæ creditu perdiſſicilem libidinis notam in Epiſcopo arguunt, cuius eo maior deſideratur notitia tum ad correctionem, cum ad denunciationem. Et huius loci eſt, quod nobis Eminentiſſimus Cardinalis Baronius è Prato Spirituali pag. 150. teſtatum reliquit anno Domini 536. Agapeti 2. Iuſtin. Imper. 10. de Sanctiſſimo Præſule calumniã paſſo, quòd Vaſis Eccleſiaſticis ad prophanũ apparatum propriæ menſæ vſus eſſet, cui calumniæ cùm citiùs, quàm par eſſet fidem adhibuiſſet Agapetus Papa è Cælo correptus didicit tandem bibulas non præbere aures delatoribus, pluriſque facere Antiſtitis innocentiam diuinitus illuſtratam miraculis.

3 Infero tertiò, ſi Præſulis incontinentia publica eſſet, & notoria notorietate facti vt *notabili 2. cap. vltim. ſuperioris diſputationis* probauimus; tunc quamuis iuxta Apoſtoli præſcriptum per ſe loquendo publicè peccantes palàm ſint corripiendi, vt etiam habet *Trid. ſeſſ. 24. capit. 8. de reformat.* atque in notorijs non ſeruatur ordo Iuris ex *Abbate cap. licet Heli de Simonia num. 3.* quia tamen de Columnis, & Paſtoribus Eccleſiæ agitur rationi, & Charitati maximè conſentaneum erit, vt quam *cap. 4. ex Adriano numero 5.* attulimus doctrina nobis vſui ſit; atque in hiſce etiam peccatis Euangelicam, ſecretamque adhibeamus correctionem.

4 Infero quartò; certius id eſſe de delicto iam perpetrato, atque emendato, quod denunciandum non eſſe patet tum ex loco modo citato *notabili 8. num. 13. tum è 18. nu. 30. tum ex cap. 34. huius diſputationis nu. 43. tum ex 4 num. 33. tum demum ex cap. 8. nu. 8.* Qua verò ratione, qui delictum incontinentiæ vel periculi nouerint Epiſcopi, eum eo agere ex charitate, & iuſtitia teneãtur è regulis vniuerſalibus *capite 6.* traditis deducendum.

Verùm, ſi ſubditi fuerint, qui admonere ſecretò debeant Epiſcopos vt eos poſſe docent communiter Doctores, inter quos *S. Auguſt. in 3. regula*, quæ habetur *epiſt. 109. ad moniales*, & ab illo expreſſa *tom. 1. ad Religioſos. Non ſolum veſtri, ſed etiam Prælati miſeremini, qui inter vos quanto in loco ſuperiori tanto in periculo maiori verſatur*, & *S. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 4.* rationem affert, quia hic correctionis actus iuriſdictionem non expoſtulat, ſed in coniunctione animorum, & Caritatis fundamentum habet; Caritas autem cæteris paribus maior erga Superiorem eſſe debet, recordentur oportet modeſtiæ, ac quam debent Prælatis Reuerentiæ, pœnes Gregorij documentum in *Cap. Sicut. 2. quæſt. 7. Sicut laudabile eſt debitã Reuerentiam exhibere Paſtoribus, ſic rectitudinis, & Dei timoris eſt, vt ſi qui ſint in eis, qui indigeant correctione; nulla diſſimulatione poſponantur, nè totum corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite.*

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta contraria capit. 2. relata.

SVMMA.

Ex Diuo Thoma præſertim ſoluenda contraria argumenta n. 1.

Soluitur primum argumentum. Deus ſecreta cordis tenet, atque arcana cogitatione peccatores monet. n. 2.

Ad ſecundum argumentum dicimus correctionis ordinem à natura præſcriptum à Ioſepho ſeruatum num. 3.

Peccatum Ananiæ vel fuiſſe publicum: vel Petro reuelatum, vt incorrigibile. numero 4.

Chriſtus Dominus Iudam prius paternè monuit. n. 5.

Ad tertium neque de delicto immediatè contra bonum commune, neque publico neceſſaria ſemper eſt correctio fraterna. n. 6

Ad quartum proclamationes in Religionibus eſſe de culpis leuiſſimis: alias verò occultas immediatè regulariter non eſſe denuntiandas. num. 7.

Soluitur quintum argumentum, & affertur aliarum Religionum corrigendi vſus. numero 8.

Vltimò ſatisfit, neque opus eſſe dicitur correctionis præceptum contineri expreſsè in Decalogo, num. 9.

1 DIuo Thoma præſertim duce contraria ſoluenda ſunt rationum momenta.

2 Ad primum itaque dicimus occultiſſima quæque Deo parere, præſtantiore ratione, atque homini publica imo plerunque etiam ſecreta cordis titillatione, atque inſpiratione peccatores admoneri, ſic *D. Thom. 2. 2. quæſt. 33. art. 7. ad primum.*

3 Ad ſecundum. Correctionis fraternæ ordinem à natura præſcriptum à S. Joſepho ſeruatum fuiſſe aſſerimus, primo fratres corripiendo, à quibus cum ſecretam monitionem negligi cerneret, delictum denuntiauit patri, illis ſubcircumſtantijs, quas propria innocentia dictabat ad obſeruationem præcepti, eo tempore neceſſarias, vt docet *D. Thom. ad ſecundum Abulenſis; Aliq; Recentio-*
4 *res*. Petrus autem Dei reuelatione prius cognouit peccatum Ananiæ, & Zafiræ, & quidem tanquam incorrigibile, vt ait *Durand: in 3. diſtint. 19. quæſt. 4. ad 2. & Valent. diſp. 3. quæſt. 10. punct. 5. col. 707. verſ. item ob ſimilē*, atque, vt exequutor diuinæ ſententiæ illos morte punijt; ſic *D. Thom. ad 2.* vel dices illud peccatum fuiſſe publicum. Chri-
5 ſtus autem Dominus etſi delictum nouerit Iudæ, ſub obſcuris tamen verbis eum primo corripuit, vt probè *D. Thom.* citatus.

6 Ad tertium, vel accuſationem eſſe de peccato in Rēpublicam, vel commune bonum, vt hæreſis, & tunc eadem de illa, ac de denūtiatione ratio erit, cui ſecreta monitio regulariter præcedere non debet, vt *cap. 4. n. 32. ac deincemps, at cap. 6. reg. 6. dictum eſt*, vel eſſe de delicto publico, atque eſt neceſſaria correctio, quia vt ait *D. Thom. hoc ſoluens argumentum loco citato ad tertium*, cum frater in multitudinem peccauerit priuatim corripiendus non eſt ni ſub illis circumſtantijs, quas explicuimus *c. 4. n. 4. & reg. 5. ſup. cap. Excomun. in cap. citato. Qualiter & quando*. apertè dicitur denuntiationi præmittendam eſſe ſecretam monitionem; accuſationi verò inſcriptionē, cum illa ad bonum Proximi, atq; emēdationē hæc ad bonū commune, & vindictam delicti ordinetur.

7 Ad quartum Religioſorum proclamationes, ait D. Thom. eſſe de leuibus culpis, quæ famæ non derogant, ſi tamen eſſent tales, quibus fratres infamarentur, contra Domini præceptum ageret, qui contra modum ab illo præſcriptum vel referret, vel inueſtigare iuxta quam tradidimus præcedenti capite *à n. 6. 3. ac deinceps*. Hæc autem diſtinctio culparum modique eas corrigendi deſumpta eſt à *Caſſiano lib. 4. cap. 16.*

8 Ad quintum argumentum iam diximus maius bonum non ſemper eſſe præferendū temporali, maximè ipſius famæ, quæ ad bona etiam ſpectat ſpiritualia.

9 Demum vltimo argumento reſpondet *Sot. de ſecrèto num. 2. quæſt. 6. ad 2. argum. contrà 6. concluſ.* Correctionis fraternæ præceptum reduci ad præceptum honorandi parentes: verum enim verò me haud percipere connexionem correctionis fraternæ cum honore parentibus debito, libenter fateor; immo ad remotius, vix potuiſſe præceptum reuocari correctionis arbitror. Quare opus non eſſe reor cuncta naturalia præcepta, immo & diuina, ex quibus hoc correctionis eſſe diximus in Decalago expreſſè contineri, vt neque continentur fidei, charitatis, eleæmoſinæ, miſericordiæ, & alia, quæ alibi à ſcriptura iubentur, aut ratione deducuntur per diſciplinam ſapientum, quæque vt concluſiones in ſuis imbibuntur principijs, in decalago expreſſis, vt probè *Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 100. art. 3. in corp. & ad 3. & Vazq. 4. tom. in 3. part. q. 58 art. 2. dub. 3. nu. 3. & 4. Sed quoniam è ſcopuloſis locis* (vt cum Hieronymo loquar ad Eliodorum *epiſt. 1.* ad finem) *enauigauit oratio, & inter canas ſpumeis fluctibus cautes fragilis in altum cymba proceſſit, pandenda vela ſunt ventis, & quæſtionum ſcopulis tranſuadatis lætantium more nautorum epilogi celeuma cantandum eſt.*



LIBER QVARTVS.

De impedimentis ad Epiſcopatum voluntariè contractis.

TVm remotiores, tum remotas Epiſcopatus diſpoſitiones ſuperiores perſtrinxerunt libri. Excipiet præſens huius primi Tomi poſtremus, vnicum, quod ſibi quiſque aliqua ratione ponit impedimentum, religioſæ vitæ voto, vel inſtituto. Præterea cùm interſe cohæreant quæſtiones duæ, an Epiſcopatus obiectum per ſe ſit deſiderij etiam efficacis, & de poſtrema, proximaque diſpoſitione, ordinis ſcilicet ſacri, de his etiam diſſeremus.

DISPV-

DISPVTATIO I.

Num Religioſorum virorum conditio ſtatui opponatur Epiſcopali.

Vt clariùs de Epiſcopatu innoteſcat, num pugnantiam cum Religioſa habeat vita, paulò altiùs inſtitutum Religioſum cum reliquis beneficijs etiam hac Diſputatione componemus.

CAPVT PRIMVM.

Proluſio Diſputationis.

SVMMA.

Secularis incapax eſt beneſitij regularis. numero 1.

Capax eſt Nouitius beneficij regularis; etiam ſi habitum adhuc non receperit. ibidem.

Vnus familiæ Religioſus capax non eſt beneſitij alterius Religionis n. 2.

Neque de ſtylo in hoc diſpenſari ſolet. numero 3.

Non poteſt alter vnius Religionis ſuum cum altero beneficio beneſitiarij alterius Religionis, etiam de licentia Superiorum regularium commutare. n. 4.

Probabilis eſt opinio incapacitatem afferens Regularium ad beneſitium curatum ſeculare. num. 5.

Probabilior tamen eſt contraria, iure antiquo, non nullis non inſerendis exceptis. numero 6.

Ni probibeatur Religioſus ab acquiſitione talis beneſitij ſpeciali ſuæ Religionis conſtitutione. n. 7.

Non poteſt Religioſus è Mendicantibus ſeculari beneſitio curato donari, iuxta nonnullos, & ſi id falſum, habeamus, ibidem.

Vt Religioſus promoueatur in Parochum, neceſſitas, vel vtilitas requiritur Eccleſiæ. num. 8.

Eccleſia danda Regulari actu, non habitu, curata eſſe debet. n. 9.

Vt Regulari parœſia detur, non debet præſcriptio quadragenariæ adminiſtrationis, per Secularem intercedere, cum exclusione Regularium. n. 10.

Monaſterio nè ſit ſubiectus locus requiritur, in quo ſita eſt parœſia concedenda Religioſo eiuſdem monaſterij & ſi contrarium non ſit improbabile. n. 11.

In diſcordia Regularis eligendus non eſt in parochum. n. 12.

In præſentia, iure nouo, nullus Regularis capax eſt beneſitii curati, abſq; Pontificis diſpenſatione. n. 13.

Regularibus curatis ſeruanda eſt bulla Gregorii XV. n. 14.

VT orationem ab alienis materijs reuocemus, quæ ad quæſtionis præſcriptæ dilucidationem facere poſſunt, hac proluſione comprehendenda ſunt ſolum.

1 Notandum primò è Doctorum conſenſu, Secularē beneficij Regularis eſſe incapacem; quod quidem etſi antiquo iuri ſtando *Clementinæ Quia regulares de ſuppl. neglig. Prælat.* & *Clement. Nè in agro § ſane prioratus de ſtat. monac.* dari minime poterat Nouicio, poſt *Trid.* tamen *Conc. ſeſſ. 14. de reform. cap. 10.* non modo Tyroni conferri poteſt, qui nomen iam Religioni dederit, habitumque ſuſceperit, verum qui nec etiam Tyrocinium

nium adierit, neque habitum receperit; dummodo eo ſe induere, ac profeſſionem emittere teneatur; vt *Eminentiſsimorum Cardinalium Congregatio apud Gonzalez* habet *in reg.8.Cancell.Gloſſ.8.num.78.* conuentione ſaltem facta, vt Beneficiarius ad Religionem ſe conferre, certo quidem tempore, teneatur, vt probè *Sanchez* aduertit *lib.7.oper. moral.cap.4.num.24.ad finem.*

2 Deinde neque vnius religioſę familię Regularem alterius eiuſdem ordinis: neque vnius monaſterij alterius monaſterij capacem eſſe beneficij, vt docui *in tractatu de beneficijs* quem Neapoli è ſugeſtu expoſui per *Cap.Cum ſingula* §. *probibemus de praben. in 6.* adeo vt acceptans ineligibilis fiat, atque inhabilis, vt ei iterum conferatur ſic *Rebuff. praxi benef.tit.de diſpenſ. cum regul. num.2. 3.& 4. Nauarr.ſcomm.4. num.23.de regular. Rodriq. quaſt. regul. quaſt.34. art.8. Gonzal. reg.8. cancell.Gloſſ 8.à num.96.*

3 Notandum tertio *ex Ludouico Gomez in tract. expectationum num. 69. Staplyleo de litt.grat.in forma* 8. ſtylum non eſſe, neque in more poſitum, Pontificem Regularibus facere facultatem aſſequendi beneficiũ alterius ordinis, ni eos ad illum transferendo ordinem, ac monaſterium, cui annexum beneficium erat.

4 Nefas eſſet duobus diuerſorum ordinum Religioſis, etiam de ſuorum licentia Prælatorum, regularia permutare beneficia, quòd neuter alterius beneficij capax eſt vt notat *Bellarm.tract.de permut.benefit.part.2. quaſt. 11.num.2.*

5 Quinto, licet probabilis ſit ſententia, incapacitatem aſſerens Regularium ad beneficia curata ſecularia habenda; cum ſolus Epiſcopatus in Iure reperiatur exceptus; & eadem videatur ratio de curato beneficio, ac de alio ſeculari, nè homines diuerſæ ſint profeſſionis; & nè mundo mortuus, ſicut cenſetur Religioſus ad actus ciuiles exercendos eidem, promotione ad curatum beneficium, videatur reſtitui: quam opinionem tuentur *Gonzalez reg.8.cancell.num.52.* aſſerens opus eſſe Epiſcopi diſpenſatione, *Mandoſ.de ſig.grat.verb. diſpenſatio monachorum pro obtinendo beneficio verſ.hodie non ſolum, referens Pauli Quarti Bullam*, qua omnes Religioſos ſecularibus priuauit beneficijs obtentis: qui quidem Auctores ſubſcribunt *Innocentio Cap.Quod Dei timorem paulo poſt principium de ſtat.monach. Archid. Cap.Cum ſingula num.3.verſ.Eccleſiis de præb.in 6. Rebuff.in praxi benef.tit.de diſp.cum regula nu. 5.ac de pacif.poſſeſſ.num.259.verſ.27. Deciſio Rota in antiq.28.in nouis 483. num. unico de præb.& alijs.*

6 Verum probabiliorem iudico contrariam ſententiam, attento iure communi antiquo, nullam, ſcilicet exigi diſpenſationem, vt Regularis ſeculare beneficium curatum obtinere poſſit per *Cap. Quod Dei timorem de ſtat.monach.* atque *ex Innocent.Cap.Paſtoralis num 1. verb. renuntiatum de cauſ. poſſeſſ. & propriet.vbi Auctor additionum, necnon Cardinal.conſ.17.Sanch.in oper.moral lib.7. cap. 29.num.35.& aly.* Confirmatur *ex Cap. Ex Parochia 17. quaſt.1.* nonnullis tamen adhibitis limitationibus.

7 Prima dummodo ſpecialibus Religionis conſtitutionibus id non prohibeatur: ſic *Sanch.citatus nu.36.* Addunt aliqui, nè ſit è Mendicantibus Religioſus, ſeculari dotandus beneficio curato; quod huius generis Regulares incapaces talis videntur beneficij, vt volunt *Rebuff. de pacif. poſſeſſ. num. 258. verſ.28. Manuel. qq. regul. tom.1. quaſt. 34. art.3.* Verum hos probe reijcit, contrariam ſententiam doctè complexus, *Sanch. nu.37.* ſubſcribens *Lambertino de iur. patron. lib.2. part.1. quaſt.7. art.19. num. 21.* fauet *Leſius lib.2.de iuſt.cap.41. dub.12. num.98.* Et quidem licere abſque diſpenſatione Pontificis in vtroque foro *Sanch.laudatus* contra Cordubam probat.

8 Secunda igitur limitatio erit vtilitas Eccleſiæ, cui præficiendus eſt Regularis etiam ſi nulla intercederet neceſſitas; & quamuis *Gloſſ. in cap. Cùm pro vtilitate. verb. vtilitate, & cap.In parrochia, verb.cùm,&c.16. quaſt.1.* nihil ſpeciale de hoc ſancitum eſſe ſcribat circa Regulares Eccleſię curatæ pręficiendus, ſed eodem modo poſſe illos promoueri, ac ſeculares Clericos; cæterùm quam indicamus, limitatio tendenda eſt; nam etſi olim opus fuiſſet ob neceſſitatem Eccleſiæ, concurrere è *Gelaſio per cap.Priſcis diſt.55.* vbi conceditur in graui Eccleſiæ neceſſitate, defectu idoneorum miniſtrorum, præfici Parochos regulares; at hodie ſatis eſt vel neceſſitas, vel Eccleſiæ vtilitas, ex *cap. cum pro vtilitate citato*. Ratio autem eſt; quòd hæc iuris conceſſio manauit ex animarum fauore, quibus conſulere religioſorũ virorum maximopere intereſt, tum verbo, & concionatoris munere, quod in Parocho regulari omnino deſiderant *Antonius cap. Nõ eſt num.4.de voto, & cap. Quod Dei timorem de ſtat. Monach. Roſell.verb. Monachus num. 4. Sylueſt.verb.religio.q.4.* cum alijs functionibus, parocho etiam proprijs; ad quas Religioſi maxime apti videntur; vt probè *Abbas cap.Non eſt num.9 de voto Angles ſum. verb. diſpenſat num.3. Lambert. de iur.patron.lib.2. part.1.q.7.art.19.nu.22.* neque obſtat *cap.citatum num.5. Quod Dei timorem*, quia intelligitur, id eſſe priuilegiũ prędicationis, ideſt animarum curę, & doctrinæ, aliorũq; muniũ,

Ff quibus

quibus Parochi vacant, & Religioſi cenſentur valdè idonei,etſi non concionentur.

9 Tertia limitatio,vt Eccleſia actu ſit curata,non habitu, ceſſante enim exercitio curæ, priuilegium ad illam ordinatū,ceſſare quoque neceſſe eſt,vt probè *Anchar. cap. citato*. *Quod Dei timorem*, *& Ananias ibi numero* 9.

10 Quarta, ni præſcriptio obſtaret quadragenariæ adminiſtrationis per ſeculares, cum excluſione Regularium, ſecus, ſi hi non eſſent excluſi,ſic *Cap. Clement. Vnica in principio num.*19.*quæſt.*21.*de ſupp. neg. prælat.Felin. cap.In noſtra corol.*40.*num.vlt.not.*10.*de reſcrip.* legendus Cardinalis,qui hanc regulam quadragenariæ, contra Regulares non eſſe docet,

11 Quinta limitatio,niſi Monaſterium in loco illo populum ſibi habeat ſubiectum, cuius tunc per aliquem ſuorum Monachorum curam habere nequit,& ſecularis præficiendus eſſet Clericus, ſic expreſsè habetur *cap.* 1.*de capp.Monac.* ac docetur *ab Angel.verb. Monachus num.*5.*ibi ab Armil. n.* 6. *Tabien. num.*4.*quæſt.*3.*in fine,Syluest. verb. religio* 7. *quæſt.*7.*Gregor.Lop.lib.*25.*verb.Igleſias tit.*7.*part.*1.*Manuel quæſt.regul.tom.*1.*quæſt.* 34. *art.*4. quibus ſubſcribo,eo nimirum fundamento,quòd cum temporali Monaſterium potiatur iuriſdictione in populum, & vices gerat Domini; conſonum non videtur rationi,vt ſpirituales eorundem ſubditorum tractent conſcientias,quippe qui varijs de cauſis,quæ ad hunc forum deſiderantur, fiduciam,ac ſecuritatem cum monachis penes cætera ſominis habere non poterunt, quòd ſi hoc ipſum in religioſis familijs arduum ita viſum eſt,vt cauſa fuerit, quòd prudenter præciperet *Felic. record.Clemens Papa Octauus in decreto de reſeruat. caſu. edito* 26.*May anno* 1593.*atque à Domino Noſtro Papa Vrbano Octauo* 21.*Septembris* 1624. *confirmato*. *Quia nonnulli infirmiores interdum conſcientiæ maculas detegere formidant, ne liceat Superioribus Regularium confeſſiones Subditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet Subditi ſponte,aut proprio motu id ab ÿs petierint*.Quàm potiore iure in ſecularibus Subditis id afferendum erit? Cum hoc autem ſtat; vt expoſitiones in eo capite indicatæ à *Gloſſa*,atque allatæ *ab Abbate, & Sanch. nu.* 43. ſentientibus contrarium,probabiles ſint, nimirum, vel ſermonem eſſe in eo capite, ſecundum ius antiquum ſupra *num.* 6. relatum,quod,nulla intercedente neceſſitate, Regularem videbatur prohibere in Parrochum promoueri; vel,nè Parochus ab Abbate tantum promoueretur, vtique ab Epiſcopo promouendus, ordinandus, examinandus,ac viſitandus,vt patet ex *Conc.Trid. ſeſſ.*7.*cap.*7.*&* 8.*& ſeſſ.*24. *cap.*3. *&* 18. *de reform* niſi fortè,vt probè habet *Leſſius lib.* 2. *de iuſt.cap.*41.*dub.*12.*n.* 48. Prælatis ibi poteſtatem quaſi Epiſcopalem exerceat, cuius tunc erit examinare,& approbare ad beneficium parochiale,vt vſus, cui Epiſcopi non contradicunt,docet.

12 Sexta referri limitatio ſolet,niſi in diſcordia ad hoc beneficium parochiale aliquis Mendicantium eligatur, aut alius quiſpiam Religioſus à minore Eligentium numero. Cæterum hæc limitatio è textus expoſitione *cap.*7. tradenda,dilucidabitur, vt *cap. ſequenti* expendemus alterum, de licentia nempe deſiderata proprij Superioris.

13 Sextò notandum, eſto dicta vera ſint antiquo iure ſpectato vti *n.*6. indicatum eſt; at nouo in præſentia nullus Regularis eſt capax beneficij curati abſque Pontificis diſpēſatione,quod quotidiana confirmatum conſuetudine, ac declaratione habetur apud *Sanch.n.*71.*& Mandoſ.in prax.ſig.grat.tit.de diſpenſ.monac.*qui pro obrētis beneficijs hodie non diſpenſari cum monachis ait ad beneficium curatum.

14 Demum ſeruanda eſt, Regularibus quibus incumbit cura animarum *Conſtit. Gregorij XV.ſub anno* 1622.*nonis february edita de exemptorum priuilegÿs* circa curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem *cum nonnullis eius declarationibus poſtea datis*.

CAPVT II.

An religioſus ſtatus Epiſcopalem impediat dignitatem.

S V M M A.

*Status quæſtionis. num.*1.

*Prima opinio, poſſe Religioſos Epiſcopatum inire docet,non autem eo minorem dignitatem. num.*2.

*Poſſunt Regulares ad Epiſcopalem aſſumi dignitatem. num.*3.

*Nouitius,licet ad dignitatem intra religionem non poſſit,valet tamen in Epiſcopum eligi. num.*4.

Religioſi omnes abſq;diſpenſatione ad dignitatem Epiſcopali minorem, aſſumi poſſunt, ſaltem iure antiquo, exceptis mendicantibus. num. 5.*&* 6.

Probabiliùs eſt, poſſe Regularem abſq; diſpēſatione ſeculari Eccleſiæ Collegiatæ præfici,

ci, cui cura impropria ſit animarum. numero 7.

Poteſt Regularis conſtitui Coadiutor Epiſcopi, ſecus Parochi, ſine diſpenſatione, iure nouo, num. 8.

Regularis valet ab Epiſcopo de licentia ſui Superioris in Vicarium eligi: & à Capitulo in Vicarium Capituli, neque excipiuntur Mendicantes. n. 9. & 10.

Subreptitia eſt diſpenſatio à Regulari etiam Epiſcopo impetrata pro Abbatia alterius ordinis, tacita monachatus conditione. num. 11.

Omnes Religioſi ad Carthuſianorum ordinem tranſeuntes etiam Pontificis facultate; ſunt inhabiles ad omnia officia, beneficia, dignitateſq; intra, atq; extra ordinem atq; ad cathedram theologalem; imò tranſeuntes ad aliam quamcumq; Religionem etiam arctiorem ad beneficium ſeculare habens curam animarum. n. 12.

Non tamen ad Epiſcopatum. n. 13.

Seruanda à Religioſo in Epiſcopum promoto. n. 14. remiſſiuè.

Reſpondetur ſententia contraria. n. 15.

ETſi ex *cap. 2 diſp. 3. lib. 3.* huius ſolutionem quæſtionis deducere perdifficile non eſſet, ad eam tamen clarius dilucidandam, & per ſua membra expendendam.

1 Notandum primò vel de Epiſcopali dignitate, vel de ea minore: Iterum vel de quocumque Regulari ad eam promouendo, vel de Regulari mendicante, vel de Nouitio, vel demum de Regulari voto ligato, quo aditũ ſibi clauſit ad dignitates, diſputare nos poſſe. Atque in primis de hoc vltimo hic nobis agendum eſt, quod ſequens diſputatio dilucidabit, vbi de voto non acceptandi, vel ſibi non procurandi honores, ac prælaturas diſceptandum eſt.

2 Nonnulli relati à *Gloſſa Clem. 2. verb. ſecularis de elect.* concedentes, integrum eſſe religioſis viris Epiſcopalem adire dignitatem; his tamen minores abſque diſpenſatione eis negant: ſubſcribit *Bonifacius ibi n. 165.*

3 Prima concluſio. Poſſunt Regulares ad Epiſcopalem dignitatem aſſumi abſque diſpenſatione. Conſtat *ex cap. Primo 18. q. 1. cap. ſi Abbatem cap. ſi Religioſus, cap. Quorundam de elect. in 6. Clem. 1. in fine de elect.* vbi Scribentes atque Expoſitores, & indicauimus *lib. 1. diſp. 2. cap. 6. n. 6.*

4 Secunda concluſio. Quamuis Nouitius ad aliquam religioſi ordinis prælationem eligi non poſſit (neque enim ad id ſatis eſſet profeſſio tacita, ſed expreſſa deſideratur, aliàs irritum foret quod intentaretur) poterit tamen in Epiſcopum eligi tam ſecularis, quàm regularis Eccleſiæ. Vtrumque expreſsè decernitur *c. Nullus de elect. in 6.* hoc enim videtur Epiſcopali debitum dignitati, qua qui cenſetur dignus, nil mirum ſi aptus habeatur, vt præſit cathedrali Eccleſiæ etiam Regularium ver. grat. Canonicorum; quam rationem *Gloſſ. ibi verb. Regularibus* indicat, cui ſubſcribit *Sanchez lib. 7. oper. mor. cap. 29. num. 32.*

5 Tertia concluſio. Religioſi omnes ad Eccleſiam, ac dignitatem ſecularem aſſumi poſſunt, Epiſcopali minorem abſque diſpẽſatione, iure ſaltem antiquo, ſic *Gloſſ. Clem. 1. verb. Secularis de elect. ex alijs textibus. Imol. ibi num. 4. & 41. Ioan. Andr. cap. Si Religioſus in princ. de elect. in 6. ibi Anch. num. 2. Franc. num. 1. notab. 2. Domin. in 6.* Fundamentum autem eſt, quia eadem intercedit ratio regiminis animarum, tum in Epiſcopatu, tum in alijs.

6 Excipiuntur Mendicantes à nonnullis, quos ſine licentia Summi Pontificis, neque poſtulari ad Eccleſias Cathedralibus inferiores poſſe, docent *Lapus apud Francum cap. Quorundam num. 2 not. 3. de elect. in 6. & ibi Domin. §. volumus num. 6. Sanch. lib. 7. oper. mor. cap. 29. num. 33.* probantque per *Extrau. Diſpendijs de poſt. Prælat.* Verùm cum *Ioan. 22.* minores viginti ſeptem annis ſeculares, vel mendicantes Religioſos ad certas Eccleſias, ibi tantùm prohibeat poſtulari, puniatque tum poſtulantes, tum poſtulatos contra facientes, non video, qua ratione ex eius Extrauaganti deduci ad hoc punctum probandum argumentum poſſit. Deinde cum *cap. præcedenti* dixerimus hos Mendicantes capaces quidem eſſe beneficij Parochialis, ſecundùm ius antiquum, abſque diſpenſatione, & cum; *num. 10.* mox cũ iiſdem Auctoribus docturi ſimus, poſſe hos eoſdem Mendicantes ad Vicariatus officiũ ſine diſpenſatione promoueri: neque alicubi in contrarium aliquid inueniri ſancitum; hinc eſt, vt neque citatis Auctoribus quo ad hoc ſubſcribere, neque eos ab inconſtantia in dictis excuſare queam. Dixi; iure ſaltem antiquo; cùm iure nouo ad huiuſmodi dignitates curatas ex conſuetudine, & ſtylo ad minimum, abſque diſpenſatione, aſſumi non valeant Regulares, vt *ſuperiori capite numero 13.* indicaui.

7 Ex his colligo, vniuerſaliter verùm non eſſe, quod *Soarius tomo 3. de Relig. libr. 5. cap. 16. num. 15.* ſcribit; promotionem Nouitij ad dignitatem Epiſcopali minorem illicitam eſſe; nam eſto perfectior ſit ſtatus Religioſus; nihilò tamen minùs, vt poteſt Religioſus licitè ad hanc promoueri ex neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, ſic etiam

Nouitius, vt conſtat ex *num. 4. aſſert. 2. huius cap.*

8 Quarta concluſio, licèt probabile ſit, abſq; diſpenſatione non poſſe Regularem Eccleſię collegiali, ac ſeculari præfici, cui cura propriè non ſit animarum, ſed impropriè reſpectu illorum, qui pertinent ad illud Collegium; probabilius tamen eſt contrarium. Prima pars defenditur ab *Hoſt. ſum. tit. de ſtat. Monach. num. 6. Ioan. And. cap. Quod Dei timorem num. 16. de ſtat. Monach. & ibi Anchar. num. 12. alijque apud Gonzalez in reg. 8. Cancell. Gloſſ. 7. num. 31. è reg. 42.* generaliter prohibente, nè dũ titulus beneficiorũ Regularibus concedatur, licèt *Io. And. & Anch.* poſſe in hoc, de Capituli conſenſu, Præſulem diſpenſare doceãt, vt erat olim in more poſitum, *Henrico n. 9. teſte citato à Gõzalez.* Ratio autem eſt, quia fauore propriæ curæ animarum indultum eſſe Regularibus videtur; vt ad Parochialia promoueri beneficia poſſint. In ſecundam autem partem magis propendet *Gloſſ. Clem. 1. verb. Secularis de elect.* tametſi pontificiam deſideret declarationem: fauet *Ancharanus ibi citatus numer. vltim. Ioann. de Liguano, & Paulus ibidem apud Cardinal. numer. 24. quæſtion. 27.* aſſerentem ſe ita conſuluiſſe Florentiæ. *Abbas capit. Quod Dei timorem numero quinto de ſtat. Monachor. Domin. cap. finali num. 6. diſt. 58. Azor tom. 1. inſtit. mor. lib. 12. cap. 19 quæſt. 13. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 41. dub. 12. & cap. 19. dub. 13. Sanch. lib. 7. oper. mor. cap. 29 numero 73.* apud quem alij quam plures: Fundamentum eſt, quòd eadem de hac dignitate, ſiue præpoſitura ratio videtur eſſe, ac de Epiſcopatu; ſicut enim Epiſcopus cum ſuo capitulo vnum conſtituit corpus, ita ſuprema Collegij eccleſiaſtica dignitate Donatus cũ ſuis, ad quorum curam videtur electus.

9 Quinta concluſio. Poteſt Regularis conſtitui Coadiutor Epiſcopi abſolutè, Parochi verò, ſolo iure antiquo, habita tantum Superioris ſui licentia, ſic *Abbas cap. Finali numero 4. de cleri. ægrotan. & ibi Card. quæſtion. 10. numero 9. & Clem. 2. quæſt. 17. numero 18. de reſcriptis, Azor tom. 2. inſtitut. mor. lib. 3. capitulo 2. quæſt 8. Sanch. libro 6. oper. mor. capitulo 29 numero 84:* Quam tamẽ aſſertionem, ſecundum ius vetus, iudicarem certam de beneficio curato, vt indicaui, ſecus ſecundum nouum: Ratio autem horum Auctorum eſt, quia, cum vtriuſque officij principalis ſit capax Regularis abſque diſpenſatione, vt & *ſuperiori capite, & hoc* dictum eſt, erit ſanè conſequens, vt etiam ſit capax Coadiutoris vtriuſque muneris. Verum de Epiſcopatu, eiuſque Coadiutore argumentum ſatis habere momenti, ac roboris, libenter aſſentior, ſecus vero de beneficio curato, cuius ſecundum praxim, quæ eſt in vſu, non eſt capax Regularis abſque diſpenſatione Pontificis vt *præced. cap. num. 13. ex eodem Sanch.* indicaui, ex quo conſequens ſit, vt neque ſine eadem Coadiutor Parochi queat eſſe.

10 Sexta concluſio. Monachus, vel Religioſus poteſt ab Epiſcopo de conſenſu Abbatis ſeu Superioris regularis Vicarius inſtitui, ſic *Gloſſ. in cap. de præſent. 16. quæſt. 1. & in cap. ſi quis 58. diſt.* Decreuit *Rota Romana deciſ. 3. de offic. vicar. in antiquis Fuſcus de iuſt. lib. 2. cap. 15. num. 100. Aloyſ. Ricc. collect. 143. in fine Nauarr. tom. 2. de regul. num. 88. Barb. tom. 3. alleg. 44. num. 12. Abbas cap. finali num. 4. de cler. ægrot. Card. Clem. 2. num. 17. quæſt. 16. de reſcrip. & ibi Imol. num. 25. Azor tom. 2. lib. 3. cap. 43. quæſt. 10. Sanch. lib. 9. operis mor. cap. 13. num. 98. Sbrozius lib. 1. quæſt. 38. num. 4.* qui etiam *numero 11.* idem dicendum eſſe docet de Vicario Capituli, ſede vacante, vel de Viceſgerente Vicarij; excipit tamen Mendicãtes, quos ait incapaces eſſe huius muneris ex *Clem. 1. §. ad Prioratus de Regular.* quia eſt contra profeſſionẽ illorum *Clem. in plerìſque de elect.* docẽtque *Card. Alexand. cap. Si quis in fine diſt. 58. Rebuff. eodem titul. de Vicar. Epiſc. num. 32. Barboſ. modò laudatus, & Azor quæſt. illa* 10. Cęterùm, vt *hoc cap. num. 6.* hanc limitationem de Dignitate Epiſcopatu minore, ab his Mẽdicantibus ineunda, reieci, ſic neque de Vicariatu admitto, cum *Sanch. nu. 88.* quia citata in contrarium *Clem. In plerìſque* nequaquam agit de Mendicantibus, neq; *Clem. 1. §. Ad Prioratus de Regular.* illud abſolutè hoc prohibet, ſed de eis tantùm loquitur, qui ad non Mendicantium Religionem è Mendicantibus ſe conferunt; quocirca potiùs hos Mendicantes in Vicarios promoueri, quàm contrarium poſſe ſupponit: quamobrem *num. 6.* meritò dixi, capaces eſſe Mendicantes Dignitatis Epiſcopatu minoris.

11 Septima concluſio. Subreptitia eſt diſpenſatio à Regulari, etiam Epiſcopatu donato, impetrata, pro Abbatia alterius ordinis, tacita Religionis qualitate, ſic *Rebuff. reſponſ. 14. libr. primo*, quem referunt, ac ſequuntur *Manuel quæſtion. Regular. tomo ſecundo quæſtion. 58. articulo quinto*, quia ſpecialiter Regularibus eſt interdicta hæc pluralitas beneficiorum ex *capit. Cum ſingula in principio de præbendis numero ſexto.*

12 Octaua concluſio. Quicumque è Mendicantibus tranſiens ad Carthuſianorum, vel aliorum non Mendicantium Religionem, etiam cũ facultate Pontificis redditur inhabilis

bilis ad omnia officia intra, vel extra ordinem obtinẽda, ordinata ad animarum curã, atq; ad omnia officia etiam nomine Vicarij, ſeu Viceſgerentis, vel Locumtenentis obeunda, caretque voce actiua, & paſſiua in Capitulo, vt patet ex *Clemen.* 1. *Vt profeſſores de regul.* vbi ſub nomine officij Expoſitores intelligunt munus etiã Lectoris Theologiæ, & Prædicatoris. Addo ſingulos Religioſos ad aliam, etſi arctiorem Religionẽ, ſe conferentes, incapaces eſſe ſecularium beneficiorum, etiam Curatorum, cùm deinceps manere debeant in clauſtro per *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 11.

13 Verùm, cùm neque dignitatis mentio à Tridentino, vel à relata *Clementina* fiat, & licèt fieret; cùm nomine dignitatis non ſemper veniat Epiſcopatus, vti *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 12. diximus, & omnibus etiam Religioſis, cùm abſolutè concedatur in Epiſcopum eligi poſſe, vt ſupra *num.* 3. probatum eſt, nè correctio iuris detur; quòd iura poſteriora generatim loquentia per priora ſpecialiora explicanda ſunt, ſi expreſſis verbis illis non contradicant, etiamſi in lege non eſſet clauſula non obſtanti, &c. idcirco ab hac dignitate, vel ab eius Vicariatu reijciendos non eſſe huiuſmodi Religioſos arbitror, ni in eos aliquod peculiare obſtaret deciſum, quod me præterit. Doctrina autem, quam modò tradidi de correctione iuris vitanda, & iuris veteris interpretatione eſt, *l. ſed & poſteriores ff. de leg.* ibi poſteriores leges ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint: qua ratione *Gloſſ. l. ſciendum, verb. non compelli ff. qui ſat. dar. cogunt. & ibi Bart. in principio num.* 1. *Iaſ. num.* 4. *Abbas conſil.* 24. *numer.* 1. *verſ.* 2. *principaliter, & alij*, quos citat, & ſequitur *Sanchez libr.* 2. *de matrim. diſput.* 24. *num.* 6.

14 Quæ autem ſeruare tenetur Epiſcopus Regularis ex ſuo Religioſo inſtituto tertio tomo dicturi ſumus, ſequenti verò capite de licentia Superioris ad conſenſum præbẽdum neceſſaria, vt licitè Regularis promoueatur in Epiſcopum ſubijciam.

CAPVT III.

Quæ, & cuius Superioris facultas in Regulari in Epiſcopatum promouendo deſideretur.

SVMMA.

Status quæſtionis, n. 1.

Non poteſt Religioſus ſub poteſtate Prælati exiſtens in electionem, vel promotionem ſui ad Epiſcopatum conſentire ſine aliqua facultate, aliter conſenſus, atque electio erit nulla, n. 2.

Excuſaretur ob ignorantiam, metum, &c. ibid.

Iuxta nonnullos, vt Religioſus electus in Epiſcopum ſine facultate Superioris non poteſt cõſentire, ita nec poteſt diſſentire, n. 3.

At contrarium ex proprio fundamento, plerunque probabilius eſt, ibidem.

Nequeunt Regularium Superiores ad acceptandum Epiſcopum ſubditos cogere. n. 4.

A ſummo Pontifice poſſunt cogi Regulares ad acceptandum Epiſcopatum, non tamen ex vi voti obedientiæ, ibid.

Abbas, vel Religioſus Superior nequit in electionem Subditi immediatè conſentire. n. 5.

Non eadem eſt ratio de renunciatione Eccleclesiæ iam poſſeſſæ, & ad quam quis eligitur. num. 6.

Facultas conſentiendi in propriam electionem Religioſo dari poteſt à Superiore, ſine conſenſu Conuentus, ſeu Capituli, n. 7.

Etiam in electionem ad beneficium parochiale, n. 8.

Non modò irritatio, ſed obligatio, nè licitè detur hic conſenſus ſine facultate, ex iure prouenit Eccleſiaſtico, & non ex voto obedientiæ, num. 9.

Superior iniuſtè denegans ſubdito facultatem conſentiendi in ſui electionem cogendus eſt à communi, tum ſui, tum electi Præſule, inſtante neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, n. 10.

Expectandus eſſet Religioſus, donec cogeretur Superior iniquè denegans facultatem conſentiendi in ſui electionem. n. 11.

Non modò Papa poſſet adiri, ſed Prælatus etiã, tum ſubditi, cui denegatur facultas conſentiendi, tum ipſius immediati moderatoris denegantis, n. 12.

Non ſufficit Generalis licentia, num. 13.

Satis eſt ſpecialis licentia ſub conditione, ſi in talem Eccleſiam electus fuerit Religioſus, valeat cõſentire, cõtra quãplures, n. 14. *&* 15

Pœnæ non ſunt extendendæ, præſertim vbi caſuum eadem non eſt ratio. n. 14.

Conſentiens ex licentia ſpeciali, etiam ſub cõditione tradita, non incurret pœnas ſtatutas in conſentientem, vel abſque licentia, vel cum licentia generali, num. 16.

In Societate Ieſu ſolius Generalis Præpoſiti eſt facultatem concedere Subdito conſentiendi in Prælaturam, & quomodo, n. 17.

Non conualeſceret electio abſque licentia acceptata à Religioſo, etiam ea poſtmodum obtenta, n. 18.

Cur eadem non ſit ratio de beneficiario ſeculari abſque licentia Epiſcopi, num. 19.

Regularis ex legitima licentia ad vnum Epiſcopatum promotus, ad alterum ſi promoueatur, noua non indiget licentia, neque cõ-

prebenditur Capit. Quorundem de elect. in 6. *num.* 20.

Idem eſt de Religioſo Societatis Ieſu ex vna dignitate ad alteram tranſeunte n. 21.

Regularis electus in Summum Pontificem ad conſenſum non indiget licentia Superioris Regularis. num. 22.

Valida erit electio Regularis in Pontificem, abſque licentia, qui neque tenebitur ſe ſuæ Religioni reſtituere num, 23.

Nulla tenetur obligatione Religioſus electus Pontifex ad Religionem redeundi, numero 24.

Non peccat Religioſus, abſque facultate Superioris, acceptans Papatum. n. 25.

Religioſus ex certa ſcientia à Papa *promotus in Epiſcopum nulla indiget licentia. numero* 26.

Regulari opus non eſt licentia ad impetrandum beneficium à Papa, neque ad procuratorem conſtituendum per ſe loquendo ad illud procurandum. n. 27.

Licèt electio fuiſſet nulla, ſi tamen à Papa poſtea Religioſus promoueretur, validè id fieret. num. 28.

1 QVamuis iure nouo, ſaltem ex ſtylo & praxi, *cap.* 1. *num.* 13. indicata, quam expreſſit *Sanch. lib.* 7. *oper. mor. cap.* 29. *num.* 71. *ex Sanctiſſimo Greg.* XIII. Qui noluit licere Canonicis Regularibus, etiam de licentia ſui Generalis, abſque permiſſu ſummi Pontificis, aſſumere curam animarum, etiam ad tempus, multoque minus, beneficium curatum ad tempus; cuius Pontificis decretum neque per *bullam Pij Quarti incipientem Sedis Apoſtolicæ ſolertia,* 3. *nonas Aprilis anno* 1566. *datam ad* ius commune *reducentem alteram Pauli Quarti. Poſt quam diurna bonitas,* 17. *Kalendas Auguſti vulgatam, anno* 1558. in fauorem huius, quam tractamus, diſpoſitionis, ſuum emittere robur docet *Sanch. citatus num.* 75. quia tamen de cura parochiali animarum, ac de Epiſcopatu diſpar eſt ratio; vt ex præcedentibus conſtat capitibus, operę pretium erit, cur indigeat facultate ad ineundum Epiſcopatum Religioſus hic exponere.

2 Sit prima concluſio. Non poteſt Religioſus actu ſub poteſtate Prælati exiſtens in electionem, vel promotionem ſui ad Epiſcopatum conſentire, niſi petita, atque obtenta licentia proprij Prælati, alioquin conſenſus eſt inualidus; & in eius pœnam electio ipſo facto eſt irrita; neque ex *cap. Quam ſit* 18. *quæſt.* 2. id probare contendam, ſed ex *cap. ſi Religioſus in principio de elect, in* 6. *ſi Religioſus electioni de ſe ad prælationem aliquam, extra ſuum monaſterium, vel ſuam Eccleſiam celebratæ, ſui ſuperioris, qui dare ipſum valeat, non petita, & obtenta licentia præſumpſerit conſentire, ſic præſtitus non tenent & in pœnam præſumptionis illius electio eodem ipſo facto viribus euacuetur omnino.* Circa quam clariſſimam Pontificis mentem, duo ſolum adnotare habeo, vnum ex *Gloſſa verb. obtenta,* quod debito ſcilicet modo, & non per extorſionem hęc licentia habēda ſit, vt eodē ſcribitur titulo *cap. Quorundam, & cap. Primo de his quæ vi met. cauſ. fiūt;* alterum quod, cum ex præſumptione, ſæpe in textu repetita, habendus dicatur hic conſēſus à Religioſo, abſque facultate ſuperioris, vt tali plectatur pœna; excuſabitur quidem ab ea ſi non ex præſumptione, ſed ex ignorantia conſentiet, iuxta ſæpe dicta, præſertim *lib.* 2. *diſp.* 3. *cap.* 4. quamuis in foro externo hęc ignorantia non præſumeretur, vt diximus *lib.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 1. *& cap.* 4. *à num.* 8. *& lib.* 3. *diſp.* 7. *c.* 2. *aſſert.* 2. Ex metu etiam cadente in conſtantem virum, excuſaretur pariter vti dictum *eſt lib.* 3. *diſp.* 7. *cap. vlt. nu.* 37. *ac deinceps.* Ratio autem concluſionis in qua deciſio videtur fundata Pontificis, eſt quia Monachus nequé velle, neque nolle habet, vt dictum eſt *cap. ſi Religioſus citatus.* Cur verò Religioſus conſentire non poſſit in ſui electionem, abſque licentia Superioris, poſſit autem Canonicus abſque Epiſcopi facultate; ſine qua tamen nequit dignitatem adire, affertur ab *Innoc. cap.* 1. *de poſtul. num.* 2. atque ex vtriuſque ſtatu longè diſtincto facilè deducitur.

3 Obijcies. Poteſt Religioſus electus, inſcio Superiore, diſſentire electioni de ſe habitæ ad Epiſcopatum; ergo poterit conſentire, vel ſi non poteſt aſſentiri, quia non habet velle, nec etiam poterit diſſentire, quia non habet nolle. Reſpondeo, non deeſſe Doctores, qui modo citato textu nixi illatam concedant vltimam partem ſequelæ: ſic *Franc. ibi num.* 2. *Anchar. ibi num. vlt. Imol. cap. Raynutius num.* 71. *deteſtam.* cum Religioſus vt velle, ita nolle non habeat. Cæterum, licèt par ratio eſſe videatur; neque vrgeat quod ait in contrarium *Sanch. num.* 1. *laudatus,* Religioſum nempe habere nolle in ijs, in quibus non tenetur obedire, quia eodem pacto quis diceret pariter habere velle in ijs, ad quæ non habere non ſe obligauit, neque rei ſpecialis ſe deuinxit voto, vt ad inſtar Religioſi Societatis IESV Profeſſi, qui non acceptandi Prælaturam vouit, neque ex vi aliorum votorum talem Religioſus ſibi obligationem impoſuit. Quamobrem ea faciliori ratione poſſet aliquis, quo ad hæc, Religioſis concedere velle, ac nolle, nec non vterque actus honeſtari etiam poſſet

ſet ex varijs motiuis formalibus bonis: neque aſſignatu facilis erit diſparitas ab intrinſeco. Verum quia ſupra laudato Canone prohibitus eſt conſenſus in electionem dignitatis Religioſo, magis ex materia, circa quam verſatur velle, aut ipſius nolle, quã ex eiuſdem obligatione, deſumendum eſſe diſcrimen arbitror, cum igitur cõſenſus in prælationem, varijs pateat ambitionis, atque animi periculis; cumque Superiori cura ſit animæ Subditi, rationi maximopere conſentaneum eſt, nè aſſenſum, illo inconſulto, Religioſus pręſtare queat; ſecus autem ſe res habet plerumque in diſſenſu, cui ſubeſſe tot pericula non ſolent, ideoque abſque conſenſu Prælati poterit dari, vt ex alio fundamento docet *Sanch. lib. 7. quæſt. mor. capit. 29. num.* 70. quod ſi in aliquo caſu ex diſſenſu imminerent *Religioſo* pericula, ſubſcriberem *Franco, & Ancharano ſupra citatis*.

4 Hinc conſequenter fit, Generales Religioſorum non poſſe Regulares ad acceptandum Epiſcopatum compellere; idque ſolius eſſe Pontificis, quia poteſtas, quam Religionum Superiores habent ad commune, per ſe, refertur bonum Religionis, vel priuatum ſubditi; neque latè patet ad vniuerſale regimen, vel prouidentiam Eccleſiæ; Epiſcopatus igitur cum, ex ſe, plerunque ad bonum non ordinetur Religioſi, ſed ad vniuerſale Eccleſiæ, idcirco ad hoc non ſe extendit poteſtas religioſorum Moderatorũ; nec ſubditus tenetur parere in ijs quæ ſecundum regulam non ſunt, neque ad religioſum ſpectantia ſtatum, à quo potius reuocat Epiſcopalis dignitas. Itaque eius tantum intererit cogere ad Epiſcopatum, cuius eſt Epiſcopum confirmare, qui ſummus eſt Pontifex; cuiuſque poteſtas etiam opus eſt, vt ſe extendat, ad cogendum quemque pro vt Eccleſiæ expedire iudicauerit, ad Epiſcopale munus. Cum igitur Eccleſiæ ſuæ omni ex parte Chriſtus conſuluiſſet, exploratum quidem eſt, hanc ſuo Vicario commiſiſſe facultatem præſtantiorem ciuili, quæ ad *Rei*publicæ munera capeſſenda ciues etiam cogere poteſt *leg. ſi Magiſtratum* C. *de decurion. lib.* 11. *& integro titulo de excuſ. mun. eodem lib.* Et licèt non ex obedientiæ voto, quod emiſerunt Religioſi compelli queant à Papa; at eadem immo præſtantiori ratione, quàm ſeculares Clerici; cum ei ſubditi ſint, quod probè notauit *Leſſ. li. 2. de iuſt. & iur. cap. 41. dub. 9. num.* 74. ſubſcribunt vniuerſæ doctrinę *Cardin. in expoſitione regula Diui Franciſci cap. 10. quæſt. 2. dict. 2. Valent. 2. 2. diſp. 10. quæſt. 3. part. 3. colum. 5. conc. 6. & alij quos laudat, & ſequitur Sanchez lib. 6. oper. mor, cap. 2. num.* 49. neque alium Superiorem intelligunt *Sanctus Thom. 2. 2. quæſt. 185. art.* 2. & alij cum dicunt teneri ſubditum obedire ei præcipienti acceptare Epiſcopatum quam Summum, vt modo dicebam, Pontificem.

5 Fit etiam ſecundo, ſolum Abbatem, vel alium Regularem Superiorem, abſque conſenſu ipſiuſmet Religioſi electi, non poſſe conſentire in illam electionem, cum nequeat actum efficere, perſonam monachi neceſſario reſpicientem, à cuius voluntate, quam non poteſt cogere, ille actus omnino dependet; ſic *Imola cap. Rainutius num.* 71. *de teſt. Bart. Socin. lib. 1. num. 20. ad finem de vulg. Aret. cap. In Præſentia num. 89. de probat.* qua ratione probatur, neque etiam ſolum Abbatem poſſe renunciare abſque Monachi conſenſu; quod noſtro argumento *num.* 3. exarato, nolle, & velle Regularis æquiparanti maximè fauet, ac docetur ab *Imola citato, Socino, & Sanchez libro 7. oper. mor. capit. 29. num.* 70.

6 Dices ex *cap. Admonet de renunt. adiuncta Gloſſa verb. Expoſitores* inconſulto Epiſcopo, & abſque eius conſenſu, Eccleſias, vel beneficia dimittere non licet; ergo neque Religioſus poterit renunciare electioni ad Epiſcopatum ſine conſenſu Superioris. Concederent ſequelam Auctores *num.* 3. relati; Verùm penes, quam ibi ſequuti ſumus, ſententiam. Reſpondeo, Eccleſiam iam poſſeſſam, cui ſe dicauit Religioſus electus Epiſcopus, non poſſe ſine facultate Summi Põt. relinqui, ſecus autẽ eſt de renunciatione electionis, per quam ius in rigore poſſeſſiuum illius Eccleſiæ non accipit Religioſus, ſed admodum imbecille, è cuius renuntiatione tot non ſequuntur abſurda, quàm ex renunciatione Eccleſiæ, vt ad oculum patet.

7 Secunda concluſio. Poterit à Superiore fieri facultas conſentiendi in electionem Regulari ſubdito abſque conuentus conſenſu; ſic habetur expreſſe *capit. citato ſi religioſus de electiõn. in 6. per ea. Num à ſuis Superioribus ſine Fratrum conſilio licentia dari poſſit?* quod erat incidens dubium ibi à Pontifice propoſitum, cui his facit ſatis. *Decernimus vt ijdem Superiores (ſuis inquiſitis conuentibus) electis huiuſmodi conſentiendi, & tranſeundi liberam dare valeant facultatem*; ex ea nimirum, quam ibidem Pontifex indicat ratione, nempe. *vt ordinationes Eccleſiarum, ac Monaſteriorum, in quibus tales electi extiterint celerius, & facilius valeant expediri.*

8 Hæ autem duæ aſſertiones ad quamcumque dignitatem, de qua expreſsè citatus textus, ad quodcumque beneficium parochiale contrahuntur à Doctoribus; cum ad acceptandum quodcunque illud ſit beneficiũ,

velle

velle non habeat; vel nolle Religioſus, vt aduertit *Sanchez libro 7. oper. mor. cap. 29. num. 57.*

9 Tertia aſſertio. Non modo irritatio, ſed etiam obligatio, nè licitè detur dictus conſenſus à Religioſo, prouenit ex iure Eccleſiaſtico, non autem ex natura votorum religioſorum. Prima pars eſt manifeſta, quòd verba textus *cap. ſi Religioſus* ſæpe citati, irritantia ita ſunt, vt neque *Soar. laud. num. 15.* neget. Quamobrem votum obedientiæ, cui potiſſimum irritatio adſcriberetur, hanc nunquam habuit vim, electionis in Epiſcopatum, vel aliam dignitatem irritandæ. Secunda verò pars, quæ eſt contra *Soarium citatum*, probatur, quia per hunc eundem Auctorem, de poſſibili vtroque modo, atque animo religioſæ obedientiæ votum emitti poterat: Primùm & ſe obligandi ad non relinquendum religioſum inſtitutum, etiam per aſcenſum ad dignitatem Epiſcopalem, cuius ſtatus eſto perfectior ſit, vti *lib. 1. diſp. 2, cap. 6.* dictum eſt, multis tamen patet periculis, ex libertate, potentia, honore, diuitijs, cuta cum obligatione animarum obuijs. Secundùm, ea intentione poterat votū nuncupari, non relinquendi ſtatum religioſum ſine conſenſu ſuperioris, ni alterius occaſione ſtatus natura ſua perfectioris, ſiue Religioſi, ſiue Præſulatus, quam quidem intentionem & rectam, & contra ſubſtantiam Religioſi ſtatus nequaquam eſſe per ſe liquet, ac fatetur ex communi ſententia *Soarius*; ex quibus in hunc modum ſtabilitis, ſanè deduco, dubium ſaltem eſſe, vtra ſe voluerint Religioſi intentione, atque animo ligare: vtra Regulares ab initio vouerint: atqui in dubio actus præſumendus eſt ita geſtus, vt minus quàm fieri poteſt oneroſus ſit, quemadmodum probaui *Superiori libro capenult. reg. 7. num. 7.* ergo &c. Deinde, ſi ex ſua natura, & vi voti obedientiæ eſſet illicitus conſenſus in dignitatem præſtitus à Religioſo, abſque facultate Superioris, atque etiam ex vi legis per adductum textum expreſſæ, quod nec negat *Soarius*, duplici profecto ſequeretur peccato Religioſum peccare conſentientem in electionem ſui, ſine facultate Superioris. Primo contra votum obedientiæ. Secundo contra præceptum Eccleſiaſticum: non ſecus, ac ſi quis ex voto, & præcepto Eccleſiaſtico teneretur ad caſtitatem, vt probauimus *lib. 3. diſp. 6. cap. 1. & 2.* ex quibus, quod ſequitur, abſurdum manifeſtè conſtat. Quamobrem Religioſus Societatis Ieſu non profeſſus, ſed ſcholaris approbatus, electus in Epiſcopum, ſi abſque licentia Præpoſiti Generalis (cuius in hac Religione illam intereſt dare) acceptaret, atque in ſui electionem conſentire præſumeret, peccaret profectò grauiter, non tamen ex vi voti obedientiæ, vt non rectè *Soar. to. 4. de relig. lib. 6. cap. 9. num. 19.*

10 Quarta concluſio. Si Religioſo Superior non ex iuſta cauſa licentiam denegaret, vt ritè conſentiret electioni de ſe factæ in prælaturam, cogendus eſſet ad conſenſum per communem Prælatum tam ſubditi electi, quàm Superioris immediati facultatem denegantis, per *arg. cap. Nullus de iur. patron.* vbi decernitur Epiſcopo abſque iuſta cauſa nolente conſentire, vt decimæ offerantur, Pontificem adeundum eſſe, à quo cogatur: ſic etiam docent *Gloſſ. cap. Quam ſit, verb. ad ordinandum 18. quæſt. 2. Innoc. cap. Poſt tranſlationem enim de renunt. & ibi Hoſtien. num. 4. & cap. Quod Dei timorem num. 8. de ſtat. monach. & ibi Io: And. num. 4. Abbas num. 12. Lamb. de iur. patron. lib. 2. part. 1. quæſt. 7. art. 19. num 13. Roſel. in ſumm. verb, monach nu. 6. Sylueſ, verb. religioſus 7. quæſt. 9. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 41. dub. 12. num. 97. Sanch. lib. 7. oper. moral. capit. 29. numer. 68.* apud quos alij, quibus Recentiores ſubſcribunt. Ratio eſt quod iniuriam inurit Superior regulari Subdito, facultatem immeritò denegans; & licet *Gloſſa* atque *Ancharanus* ſolam videantur aſſerere neceſſitatem Eccleſiæ requiri, vel dignitatis, ad quam eligitur Religioſus, nihilò tamen minùs, vel hanc, vel vtilitatem ſatis eſſe conſtat ex his, quæ ſupra *cap. 1. num. 8.* dicta ſunt, & pro hac aſſertione maximopere faciunt, quam ſic explicatam docent *Abb. Roſell. Sylueſt. Leſſ. ac Sanch. modo laudati.*

11 Sed obijcit *Franc. cap. citat. ſi Religioſus de elect. in 6. num. 3.* quam attulimus doctrinam, redundantem prorſus eſſe, quia ſi Superior conſentire noluerit, electus ſtatim, ipſo facto priuatus eſt iure ex ea electione ſibi cōparato, ita vt ad aliam illico poterint electores electionem procedere per *Gloſſ. Capit. Quam ſit verb. obtinere in fine & verb. facultatem de elect. in 6.* atque ex eo conſtat textu vbi habetur, Religioſo non obtinente facultatem, iuxta tempus ibi præſcriptum, integrum Electoribus eſſe alteram inire electionem: quo circa coactio à Superiore adhibenda ſuperuacanea prorſus erit. Cæterum iniquum prorſus eſſet, & contra ius faſque, ſi malitia Superioris tantum detrimenti ſubdito innocenti afferre poſſet. Quamobrem tum *ex textu*, tum *ex Gloſſa verbo obtinere*, conſtat non eſſe rem momēto temporis librandam, ſed, ſicut abſolutè cæteris electionibus menſis vnius interuallum plerunque datur ad conſeſum præſtandum; ita ad minimum Religioſo concedēdum eſſet: intra quod ſpatium poterit compelli iniquus moderator ad facultatem dandam

non

non videtur igitur doctrina, quam adduximus, ſuperflua, vt malè *Francus* opinatur. Deinde textus citatus explicandus eſt, vbi per Religioſum electum ſtater, qui culpabili eſſet in mora obtinendæ licentiæ, atque ad communem recurrendi ſuperiorem, à quo immediatus iniuſtè denegans cogeretur, vt probè nonnulli apud *Gloſſam citatam*, quibus tametſi illa non adſtipuletur, ita tamen à *Dominico* §. *niſi forſan num. 2.* explicatur textus & rationi ſanè conſonum eſt, vt electus inſtet, atque expectetur, donec irrogatam iniuriam denegatæ facultatis propulſet.

12 Quinta concluſio. Non modo Papa, ſed communis Superior adiri poterit, qui iuriſdictionem habeat tum in Electum, tum in Superiorem immediatum Electi licentiam iniuſtè denegantem. Ratio mihi eſſe videtur, quia ſi immediato moderatori ſit ius talem concedendi facultatem, conſequens eſt, vt plerumque ſit etiam eius Superiori iuriſditionem pariter babenti ſupra Electũ. Quòd ſi caſus daretur, in quo ſolus Superior immediatus Electi hãc valeret facere facultatem, quam tamen negaret, tunc eam cenſerem deuolutam Superiori eius, qui aliàs non haberet, etiam in extraiudicialibus iuxta textum & ibi adnotata *cap. Quamquam de elect. in 6. adiuncta Gloſſa. verb. alium & cap. Romana de ſupplen. neglig. Prælat. eodem lib.* ſic docent *Imola relatus ibi à Dominico num. 8. Lamb. de iur. patron. lib. 2. par. 1. quæſt. 7. col. 19. num. 13. Roech. eodem tractatu verb. bonorificus quæſtion. 4. numero 13. Leſſius pro tertia concluſione laudatus & Sanch. ibidem num. 69.*

13 Sexta concluſio. Licentia generalis à regulari Superiore conceſſa, non ſufficit ad validum aſſenſum præbendum electioni in Epiſcopum: ſic decernitur. à *Clem. finali de elect. Cum conceſſa Religioſo à Superiore ſuo licentia* (generalis ſcilicet, de qua loquitur) *vt electioni vel prouiſioni* (*ſi quam de ipſo contingerit fieri*) *ſuum dare poſſit aſſẽſum ambitionis vitio viam paret, nullius eam exiſtere volumus firmitatis*, vbi nomine prouiſionis, quicumque intelligitur promouendi modus, etiam præſentationia, vt docent *Gloſſ. verb. prouiſionis* Card. *ibi quæſt. 10. num. 13. Imol. num. 10.*

14 Septima concluſio. Satis eſſe cenſeo ſpecialem licentiam ſub conditione datam, qua concederet Superior Regulari, vt, ſi in talem Eccleſiam Epiſcopus eligatur, in ſui valeat electionem conſentire. Scio hanc aſſertionem videre contra Gloſſam *Clem. Superiori concluſione citata verb. ſi quam, & cõtra Paulum ibi*, quem referunt, ac ſequuntur *Card. ibi quæſt. 10. num. 13. Imol. num. 11. Bonif. nu. 26, Sanch. lib. 7. oper. mor. cap. 29. num. 59.* Verùm moueor primò, quia per citatam Clementinam, ſicut per hos eoſdem, quos modo in contrarium retuli, Auctores, generali tãtum licentiæ robur adimitur, nòn autem ſpeciali, ergo non eſt nullitas alicuius conſenſus extendenda ad conſenſum ex ſpeciali facultate habitum. Probatur conſequentia, quòd nullitas electionis *in c. ſi Religioſus de elect. in 6.* Sæpe citato, quod præ manibus habemus clarè dicitur in pœnam inducta per ea. *Et in pœnam præſumptionis illius electio eadem ipſo facto viribus vacuetur omnino* Nullitas etiam cuiuſcumque actus, ſiue conſenſus, ſiue electionis, abſolutè ſumpta, eſt pęna per *leg. Senatus ff de cõtrah. empt. Bart. leg. Turpia de legation. 1. Vant tract. nullit tit. quod ſit nullitas num 15. & vberius Felin, in cap. 2. num 6. & In noſtra num. 13. in fine de reſcrip. & in cap. Querelam nume. 2. de iur. iurand. Menoch de arbit. iud. lib. 2 caſ. 276. num. 8.* Qui verum ait, abſque dubio hanc eſſe ſententiam quando, de nullitate agitur, de qua ex legis prohibitione ſtatuitur, vt in caſu noſtro: cum igitur nullitas hæc, tum conſenſus, tum electionis pœna ſit, & ſoli impoſita cõſenſui ex generali licentia Superioris regularis habito: extendẽda profectò nó eſt ad conſenſum præſtitum ex facultate ſpeciali ad talis Eccleſiæ dignitatem; reſpectu cuius poterit, quod ſubeſt in generali conceſſione, abſurdum non interuenire, & per quod non expediret huic Religioſo tali vel tali Eccleſiæ præfici, varijs de cauſis contra electionem vel in perſonam electam facientibus; nam, cum Superior certę huic Eccleſiæ electioni conſenſerit, & non alteri fecerit facultatem, conſultò honeſtate electionis motus, alijſque perpenſis circumſtantijs, cẽſetur id feciſſe, quod neque *Gloſſa* neque laudati Doctores negant. Secundo quod in pœnalibus ceſſare regulariter debent extenſiones, vtpote in odioſis, & pœna alicui non eſt inducenda, niſi expreſſo cauta ſit iure. *l. At ſi quis* §. *Diuus ff. de relig. ſumpt. funer. tur. in Authent. de non eligend. 2. nubent* § *eum igitur collat. 1.* quod quidem morale principium multis eruditè perpendit *Menoc. de arbit. iud in caſ. 276.* ergo cum expreſſo iure pœna in conſenſum, ex ſpeciali licentia Superioris habitum, ſtatuta non ſit, non eſt cur aſſeratur: Accedit quod neque per identitatem rationis, vel fortius illius momentum, conſtitutiones pœnales extendendæ ſunt *de pœnit. diſtinct. 1. pęna.* quod notat *Ant. And. in reg. Odia de reg. iur. in 6.* Et licet hoc principium à Doctoribus in dubium reuocetur vt in *Poſtillis ad Abbatem Diui Zacchariæ ad num. 40 Cap. Etſi Clerici de iud.* eſt *videre*; nihilo tamen minus, vt probè *Abbas*

num.

*num.*50 *cap. Extirpandæ de præb.* illa videtur clariſſima, veriſſima, & indubitata ſententia, quod vbi non omnino eadem eſt ratio in caſu, de quo quæritur, conſtitutio pœnalis extendi non debeat, ſic etiam *Io: Andr. & eſt Gloſſa notab. 1. cap. 1. de temp. ordin. verbo Italiæ*, vbi multa ad rem noſtram notantur; quæ ex alijs probari poſſunt iuribus laudatis ab Abbate: hic autem eadem non eſt ratio, tum quia nemo mihi negabit longè maius eſſe periculum ambitionis, ſi Religioſo generalis fiat facultas in quamcumque cõſentiendi dignitatis electionem; quam ſibi varijs modis poſſet Regularis procurare quam ſi perpenſis circumſtantijs ei concedatur à Superiore licentia ad vnam certam Eccleſiam, ſi fortè fortuna in eam promoueatur. Deinde reliqua ceſſant abſurda, vt aſſertum eſt, quæ quidem ex generali licentia emergerent.

15 Hinc deducitur nõ modo ſpecialẽ ſufficere licentiã, qua Prælatus Religioſo nõ electo concedit, vt acceptare poſſit ſi eligatur ad talem Eccleſiam, fortè vacantem, ob dicta; verùm etiam ſatis eſſe licentiam ad hanc dignitatem ſub conditione, ſi fuerit iam ad illam electus Religioſus, quod docet *Bonifacius Clem. finali verb. ſi quam numero 28. & ex eo Sanchez modo laudatus numero 61.* quam conſequenter ad ſua principia ipſi videat.

16 Fit ſecundò, etiamſi conſentiat Religioſus ex vi facultatis ſpicialis *num. præced. atque aſſert. 7.* declaratæ, pęnas non incurrere ſtatutas per *cap. ſi Religioſus in prin. de elect. in 6.* ſæpe relatum, quia cum ea licentia ſit ſufficiens, nõ faceret contra decretum Textus, verùm ſi aſſentiretur ex generali licentia, quam *concl. 6. num. 17.* inſufficientem aſſeruimu, eas profectò ſubiret, quod cum generalis facultas prorſus ſit irrita, ex ea ita ſe haberet aſſenſus, ac ſi abſque nulla præſtitus eſſet, vti tradunt *Gloſſ. Clem. Finali verb. firmitatis, & ibi Card. quæſt. 12. nu. 15. Imol. n. 12. Sanch. citatus nu. 72.*

17 Fit tertiò, in Religione Societatis Ieſu ſolius Generalis Præpoſiti eſſe facultatem concedere Religioſo ſubdito conſentiendi in ſui Electionem ad dignitatem Epiſcopalem, vel aliam extra Societatem, quam tamẽ ei, neque ipſe facere poteſt, ni ex præcepto Pontificis cogatur. Si autem Generalis ipſe eſſet electus, vel promotus, abſq; Societatis conſenſu, acceptare dignitatem nequiret, quem, non pręcipiente Summo Pontifice, nec etiam poſſet ipſe præſtare, ſic *Soar. 4. tom. de relig. lib. 6. cap. 9. num. 18. & Sanchez. lib. 7. oper. mor. cap. 29.* qui tamen limitat corollarium, atque intelligendum eſſe ſolum ait de Epiſcopatibus, quibus honor, atque opes annectuntur; ſecus verò de his, pompa, ac diuitijs nudatis, ſpiritualiter tamen diuitibus ob exantlandos labores, ac ſummam paupertatem, vt ſunt Patriarchatus & Epiſcopatus Æthiopiæ, atque Indiarum ad quos acceptandos poſſet Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu facultatem facere. Cæterum non ſine præcepto ſummi Pontificis, vt melius, me indice, ſubdit *Soar. cap. 18. num. 25.* idque compertum habeo de nonnullis, etiam apud Indos Epiſcopatibus, diuitijs affluentibus.

18 Octaua concluſio. Electio, in quam ſine legitima facultate, Regularis conſentit, vires non aſſumet, obtenta poſt conſenſum præſtitum, licentia: ſic *Dominic. cap. ſi Religioſus in princ. num. 8. de elect. in 6.* quia, cum electio illa fuerit nulla, conualeſcere nequit *Reg. Non infamatur de regul. iur. in 6.* Confirmatur ex his quæ *ſequenti capite notab. 13.* dicenda ſunt.

19 Obijcies. Beneficiati abſque auctoritate Præſulis beneficia dimittere non valent, vt conſtat ex *cap Admonet de renunc.* & docet *Abbas ibi in princip.* atqui, ſi id fecerit abſque Præſulis auctoritate, docet *Gloſſa* Epiſcopum ratam habere renunciationem poſſe; igitur à pari eadem erit ratio in noſtro caſu. Reſpondeo, illam ceſſionem illicitam forſitan fuiſſe, non autem inualidam, vt indicatur *capit. ſi quis vero per Gloſſ. verb. recedant 7. quæſt. 1.* at verò electio hæc eſt inualida, ideoque non conualeſcit, & ſicut in *eadem Gloſſa* dicitur electus Clericus vnius Eccleſiæ validè poſſe ad aliam eligi; impetrata poſtea licentia ſui Epiſcopi, qua licita habeatur electio; ſic in caſu propoſito, non de validitate, ſed de bonitate actus ſermo erat.

20 Nona concluſio. Regularis ad vnum Epiſcopatum promotus, quem ex legitima acceptauit licẽtia, ad alterum poſtea ſi promoueatur, nona non indigebit Prælati Religioſi licentia. Fauet *Anchar. cap. Si Religioſus numer. vlt. de elect. in 6. Lapus ibi apud Francum ibidem in principio num. 3. verſ. Quòd autem*, qui autem anceps remanet. *Sanch. libr. 7. oper. mor. cap. 29. num. 64.* Ratio eſt, quia Religioſus ſemel effectus Prælatus, à Moderatoris regularis obedientia abſolutus eſt (vti Deo dante dicemus *tom. vltim.*) quocirca minus probabile forſan erit (quod *ſequenti capite* proſequemur) aſſerere, Mendicantem iam factum vnius Eccleſiæ Prælatum, electum poſtea, vel poſtulatum ad Archiepiſcopatum, vel Epiſcopatum alterum ſub prohibitione *cap. Quorundam de elect. in 6.* comprehendi, vt iudicat *Gloſ. verb. Mendicantium*: ob modò indicatam rationem, & quia non eſſet ex his, qui

vt

vt ait *Bonifacius*, *Retrò reſpiciunt ad aratrum manu miſſa*, quippequi è Religioſo cętu ad Eccleſiæ regimen gradum iam fecit, atque inter eius Paſtores, quorum intereſt cura totius Reipublicæ Chriſtianæ, conſtitutus eſt.

21 Ex hac aſſertione deducere licet, etiam Religioſum Societatis Ieſu ſemel tranſlatū ad Epiſcopalem ſtatum; ſi ad alterum poſtea Epiſcopatum, vel Archiepiſcopatum, aliamque dignitatem gradum faciat, facultate ſui Præpoſiti Generalis, cuius aliàs eſſet illam concedere, haud indigere, vti docet *Soar. 4. tom. de Relig. lib. 6. cap. 9. num. 17.* Idcirco in prima concluſione de Religioſo, qui actu ſub poteſtate Prælati Religioſi eſt, meritò locutus ſum.

22 Decima concluſio. Si Religioſus in Epiſcopum Epiſcoporum, Summum ſcilicet Epiſcopum Romanum eligeretur, ſui non indigeret licentia Superioris regularis. Sic ſentio cum *Card. cap. licet. num. 12. quæſt. 28. de elect. & Clem. Finali quæſt. 2. num. 6. eodem titulo, & ibi Anchar. num. 2. not. 2. Imol. ibi in fine Felin. cap. Cum. 1. & ad finem de ſent. & re iudic. Syluest. ſum. verb. votum 3. quæſt. 4. ac alijs quos laudat, ac ſequitur Sanch. modo citatus num. 58. contra nonnullos, quos idem ibidem refert.* Ratio eſt, quia electio in Pontificem eſt ipſius confirmatio, qua abſoluitur Regularis à iugo monaſticæ Profeſſionis. Secundo quia, *vt cap. licet de elect.* ſancitur, contra Pontificem à duabus Cardinalium partibus electum, nulla exceptio, vna hæreſis dempta, ac ſymonia fortaſſis, vt fuſius proſequemur *ſequenti tom lib. 5. diſp. 3. cap. 1.* opponi valet; ergo nec defectus licentiæ Superioris regularis. Neque obſtat Religioſum non habere proprium conſenſum; quia vt probè *laudatus Sanchez* id ex fictione iuris eſt; habet enim velle naturale, quod ad hoc latis ſuperque eſt; cum cætera moralia ſublata ſint impedimenta.

23 Hinc colligo talem electionem non eſſe irritam: tum ob dicta: tum quia, cum valde ſpecialis caſus ſub generali clauſula minimè comprehendatur, vt iuris habet regula, hic electionis in Summum Pontificem comprehenſus non erit per *caput citatum ſi Religioſus.*

24 Colligo ſecundo, nulla teneri obligatione Religioſum electum in Pontificem ad Religionem redeundi, ſic *Soar. tom. 3. de relig. lib. 10. cap. 10. n. 9. per Gloſſam cap. Quam ſit verb. ad ordinandum*, ex qua conſtat apertè, Religioſum verè effici Papam, & conſequẽter iugo cuiuſcunque humanæ ſubiectionis ſolutum eſſe, non quo ad vim coactiuam modò, verùm etiam directiuam propriè quippe ad ſuas tantùm ſeruandas leges Papa tenetur potiùs naturali iure, quàm iure poſitiuo; igitur neque voto obedientiæ quo eſt ſolutus Regularis, neque alio diſtincto, quod non emiſit, neque alia ſubiectione tenebitur, & eſto peccaſſet, non tamen peccatum illud eſſet contra iuſtitiam, neque obligans ad reſtitutionem, ſed contra Religionem: Quod ſi etiam daremus peccaſſe contra iuſtitiam non teneretur tamen, cum tanto diſpendio, nuntium dare Pontificatui, ſeque reſtituere Religioni, vt probè *Soar. citatus num 9.*

25 Colligo tertio, nullo pacto peccare Religioſum acceptantem Pontificatum, cum id contra nullum ſit ius poſitiuum naturale, aut diuinum, vt probè *Soarez num. 10.* etiam ſi fuerit Religioſus Societatis Ieſu, de quo fusè hic idem *Auctor tom. 4. de relig. lib. 6. cap. 9 à num. 5.*

26 Vltima concluſio. Si Pontifex Religioſum ſcienter promoueat, alia non deſideratur immediati Superioris Regularis licentia, ſic *Suarez 3. tomo de relig. lib. 10. capit. 10. numero 14. & 16 quod in capit. ſi Religioſus de elect. in 6.* per Superiorem intelligitur Papa, vt ibidem in Additionibus, tum quia Papa Superiorum eſt Superior, quem *Vice Dei ſupra caput ſuum maximè poſuit Religioſus*, vt habet textus citatus: Dixi, ſcienter, quia ſi neſciret illum eſſe Regularem, non cenſeretur ei facultatem facere acceptandi, ob ea quæ diximus *lib. 2. diſp. 5. cap. 7. à num. 9. ac deinceps*, nam eſto in rigore non videatur diſpenſatio hæc, in aliquod propriè impedimentum cadere, æquiualenter tamen ita ſe habere negari nõ poteſt, ac proinde quæ eo *capite* dicta ſunt, hic facere cenſeo, ex quibus hæc aſſertio facilè roboratur, vt etiam ex *huius capitis concluſione 3. num.*

27 11. Hinc rectè *Sanch.* admonet *lib. 7. oper. mor. cap. 79. num 57.* Regulari opus non eſſe licentia ad impetrandum beneficium à Põtifice, quippequi ſupremus eſt Religioſorum Prælatus, atque ex conſequenti, neque ad conſtituendum Procuratorem, impetrandi gratia beneficium ab eodem, nam quod quis per ſe poteſt, per alium etiam poteſt *Reg. Poteſt de regulis iuris in 6. Milis in report. verb. Religioſus numero quarto verſic. Religioſus non poteſt conſentire in electionem.* Hanc autem concluſionem veram arbitror, etiam repugnante Abbate, vel religioſo Superiore, vt bene modo laudatus *Soa-*

28 *rius*. Addo licet electio aliàs fuerit nulla propter defectum licentiæ Superioris regularis, ſi Papa deinde ſcienter promoueat Religioſum electum, ſupplere defectum, vt deducitur ex *Soario num. 19. in fine*

CAPVT IV.

Declaratur Textus Cap. Quorumdam de electione in 6.

SVMMA.

Quæ diſputandæ ſunt quæſtiones, nu. 1.
Quæ à Bonifacio Papa per caput Quorundam *prohibentur*, nu. 2.
Quod inter electionem Mendicantium, & non Mendicantium diſcrimen, nu. 3.
Ratio motiua & finalis Bonifacij fuit reprimere Religioſorum ambitionem, nu. 4.
Ex proœmio mens deducitur legiſlatoris, ac germanus decreti ſenſus, ibidem.
Canone Bonifacij, omnes comprehenduntur Mendicantes, num. 5.
Mendicans, qui ad non mendicantes tranſit, & legitima diſpenſatione in Prælatum extra ordinem eligitur, neceſſariò eligendus non eſt in concordia, num. 6.
Probabilius eſt, Mendicantes, ſeu non Mendicantes ex vna iam dignitate legitimè adeptæ deſtinatos ad aliam, non eſſe neceſſariò eligendos in concordia omnium votorum, neque hoc Caput Quorumdam *comprehendi*, num. 7.
Probabilius eſt, requiri vota excommunicatorum, ſuſpenſorum atque irregularium ad electionem in Epiſcopatum Mendicantis, num 8.
Secus eſt de abſentibus, vel de his, qui renuntiant iuri eligendi, vel nunquam illud habuere, num. 9.
Mendicantis electio in Epiſcopum quomodo ex maiori votorum parte facienda ſit, num. 10. 11. 12. & 13.
Si præſentandus ad Prælaturam ſit è Mendicantibus aliquis, nullo diſſentiente à patrono præſentatio habenda. n. 14.
Quid ſentiendum ſit de præſentatione non Mendicantis, ibidem.
Textus huius capitis Dignitates extra ordinē religioſum comprehendit, num. 15.
In hoc eodem textu de paſſiua tantum electione mentio habetur ad actiuam non extendenda. num. 16.
Lex declarans declaratæ legis reſtrictiones, ac declarationes ſubit, ibidem.
Nomine dignitatis in hoc textu non veniunt Canonicatus vel alia officia remiſſiuè, num. 17.
Electio Mendicantis in diſcordia primum habita non conualeſcit per vota omnia poſtmodum accedentia, nu. 18.

1 Hactenus licentiam Superioris, qua Religioſus, ſine cōtrouerſia electus indiget Superioris expendimus, in præſentia electionem eiuſdem in diſcordia factam, contra quam *Bonifacius Octauus* textu adſcripto agit, explanabimus; ad quod, vt claritati conſulamus; Primo quid hoc ſtatutum ſit textu perpendemus, vt limitatio innoteſcat, quam ſolent Doctores regula generali de validitate electionis perſonæ religioſæ adhibere. Secundo quæ ad perſonam electam. Tertio Electoris. Quarto Dignitatis. Quinto quæ admodum electionis ſpectabunt enucleanda ſunt.

2 Noto primum. Duo à *Bonifacio Octauo Textu Quorundam de elect. in 6.* videri decreta. Alterum, nè Religioſi Mendicantes, etiam de ſuorum Prælatorum licentia conſentire poſſint electioni, poſtulationi, ſeu prouiſioni de ſe, in diſcordia factis, ad aliquā adminiſtrationem, prælaturamque extra proprium ordinem, ſecus ſi fiat, omnia ſibi iure comparata, ſint irrita, alterum nè alij non mendicantes Religioſi, de ſuorum etiā licentia Superiorum regularium, electionibus, poſtulationibus, prouiſionibus, aut vocationibus à minori parte numeri factis ad Prælationes quaſcumque valeant conſentire, ſecus ſi fiant, nullum ſibi acquirant ius, cunctaque irrita ſint.

3 Notandum ſecundo, licet nomen, diſcordia, poſſit ſubire varias expoſitiones, ac proprias, quia tamen *Clemens Quintus in ſua Clem. Quod circa de elect.* ſic *Bonifacij* textum interpretatur. *Quo circa Religioſorum electiones ſuper diſcordia & minoritate numeri Bonifatiana conſtitutione cauetur de diſcordia, & numeri minoritate, quæ in facto, non in fictione, vel iuris effectu conſiſtunt, debere intelligi declaramus*, omni cum rigore exponendum eſſe. Quamobrem diſcrimen, quod textus eos inter Religioſos ſtatuit, hoc videtur eſſe, vt ad valorem electionis Religioſi Mendicantis concors deſideretur cunctorū eligentium votum, ita vt, vel vno deficiente calculo, ſemel aut iterum, aut ſæpius habita, ſemper in diſcordia facta, & conſequenter nulla, cenſeatur electio: ad valorem autem electionis Religioſi non mendicantis maior ſufficiat eorum eligentium pars, minore etiam contradicente, ſic *Gloſſ verbo in diſcordia* & *primo Berdachin. tract. de Epiſc. libr. 2. part. prima quæſt. 37. num. 65.* Verum autem in his electionibus locum habeat *cap. ſecundum de his quæ fiunt à maiori parte Capituli*, à qua ratione, minori parte diſcrepante, irrationaliter, terminus præfigendus, vel non præfigendus ſit, iuxta *cap. Nulla Eccleſiaſtica de conceſſ. præb. adiuncta Gloſſa*, & *iuxta Gloſſam cap. ſi electio de elect. & electi poteſt.*

poteſtā in 6. verb.integrum, *& verb.aliam*; & an, decurſo tempore præfixo, deuoluetur ad Superiorem electio; per ea, quæ, tũ in modò cit. *Gloſſ.* tum quæ ſcribentur *c.Cũ Eclefia de elect.ab Abbate n.* 12. ſeq. Tomo dicendum.

4 Notandum terriò. Minimè mibi arridere rarionem huius rigoris contra Mendican- qnam probat *Sancb.lib.7.oper.mor.cap.29.n.44.ex Lambert.de iur.patr.lib.2.part.1. quæſt.7.art.28. num.pcnult.* qoia nimirum Mendicanres duriora, atque arctiora cum ſubeaot Religionis inſtituta Proximorum etiam ſaluti conſulendæ aptiora, quam maximè à litigioſis abſtinere negocijs, dignitatum præſertim aucupandarum prò viribus debent, vt maiori conatu Deo, ſibi, Proximiſque vacent, quam ob cauſam Bonifacius Papa hunc condidiſſe Canonem videtur, quo difficiliorem ad honores eis redderet aditum. Quòd licèt hæc honeſtiſſima fuiſſet ratio, minimè tamen à Pontifice fuiſſe intentam, ex textu clariſſime liquet; ſed (quod pudet dicere) cũ ambitioni frænum inijcere Regularium Papa decreuiſſet; fortiori fræno opus eſſe arbitratus eſt Mendicantibus, qui quidem effrænatiùs tunc temporis ſuperbiæ ſtimulis acti ruebant in dignitates ſibi procurandas. *Quorundam oculos* (ait) *ſic vitium ambitionis excacat, quòd quaſi ſua profeſſionis immemores, qua contemptis honoribus, abiectis diuitijs, ſpretiſque delicijs arbitrium proprium ſubiugarunt alterius diſpoſitioni, retrò reſpiciunt, ad aratrum manu miſſa, dum pracipitentur ruunt in litigiorum anfractus, cauſarum ſtrepitibus ſe inuoluunt, &c. Volentes igitur huic peſti ſalubre remedium obuiare*, &c. Confirmatur, quòd ex inſtitutionis proœmio mens deducitur Legiſlatoris, ac verus decreti ſenſus, & limitatio, vt probè *Tiraq.tract.ceſſan.cauſ. limitat.1.num.65. Alexand.de Nevo conſ.3.n.3. Molin.lib.1.de primog.cap.5.num.3.4.& 5. Guttier.3.practic.qu.17.num.90.& 91. Sanch. lib.2.de matr.diſput.37.num.2. in 2.rat.* eſtq; rationi conſentaneum, vt propoſitio decreti finem, qui prior eſt intentione, animoq; conceptus, amplectatur exponendum poſtea, in quem, quæ ſubijciuntur, collimare videntur, cum autem ratio, qoam indicauimus in conſtitutionis procemio exponatur, vti germana præ omnibus ſanè habenda eſt.

5 Notandum quartò Non modò Religioſos S. Dominici, Minores, & Hæremitas S. Auguſtini in textu nominatos, eo contineri, verũ etiam cęteros omnes ex clauſula vniuerſali eiuſdem textus, vt ſunt Carmelitæ ex *c.vnic. §.ſanè de relig.dom. in 6.* Serui B. Mariæ, qui ex declaratione *Pij V. Pont. Max.* Mendicantes declarãtur per *Conſtit.cuius initium Rom. Pontifex, dat.Kalend.Oct.* 1568. Minimi Diui Franciſci à Paula, atque ordo S. Hieronymi, Ieſuatorum ex *Conſtitut. Pij V. qua incipit Apoſtolica.9.Nouembris* 1567. *& altera incipiente, Romanus Pontifex 19.Nouembr.eiuſdem anni.* Religioſi Societatis Ieſu *ex ead. Pij V. Conſtitutione incipiente. Dum indefeſſè 7. Iulij anno* 1571. Carmelitæ Diſcalciati *ex Conſtitut.incipiente, Romano Pontifice, 20. Auguſti anno* 1603. *ex Clemente Octauo edita*, atque alij, de quorum Religionibus, recentioribus Mendicantium, vt cum *Soar.4. tomi de Relig.libr.1.de variet.relig.cap.8 num 15.* loquar, certum ferri iudicium non poteſt, ſed earum ſtandum eſt conſtitutionibus, in quibus, an ſint ad Mendicantes neceſſaria requiſita videre eſt, earumque conſulenda ſunt priuilegia. quod mea non intereſt.

6 Notandum quintò. Si Mendicans legitimè tranſeat ad non Mendicantes, vbi ex diſpenſatione valida ad Prælationem extra ordinem, eligatur, opus non eſſe electione in concordia, quam paulò ante declaraui, ſed ſatis eſſe maiorum votorum partem; quòd verè non ſit Mendicans, neque vt talis electus, ſic *Franc.c.Quorũdã n.4. Gloſ.verb.Mẽdicantium, Sanch.lib.7. oper.mor.c.29. n.53.*

7 Notandum ſextò. Licèt probabile ſit ab extrinſeco comprehendi hoc *Cap. Quorundam*, Epiſcopos Prælatoſque Religioſos, ſeu Mendicantes, ſeu non Mendicantes eligẽdos in Archiepiſcopos, vel in aliam Eccleſiaſticã dignitatem, & conſequenter Mendicantes indigere omnium concordia votorum: non Mendicantes verò maiore Electorum parte iuxta dicta *n.3.cum Gloſſ.verb.Mendicantiũ, ac alijs ibi citatis, & à Sanc.n.48.* Probabilius tamen iudico contrarium: tum ob ea, quæ *praced.cap.num.30.in fin.* dixi; tum quia vt per *exordium* patet *praſentis cap. Quorundam*, de his ſermo eſt, qui extra adminiſtrationem proprij Ordinis ſolum Prælaturæ conſcendere moliũtur, quales non ſunt Religioſi, qui iam extra ſuas Religiones, dignitate potiuntur Prælaturæ; neque his conuenit, quod ibidem dicitur, *prabẽdi aſſenſum à ſuo Superiore nonnunquam extorta licentia, potius quàm obtenta*. Siquidem his opus non eſt licentia Superiorum, vt *num. modo laudato* 20. diximus, ad alteram licèt promoueantur dignitatem. Demum, quia ceſſat germana conſtitutionis, ac præſentis decreti ratio; etenim conſentaneum non eſt malè de viris Epiſcopatu dignis adeò ſentire, vt de eis infula iam donatis efferre quis poſſet *ne pracipitanter ruerent in litigiorum anfractus & cauſarum ſtrepitibus ſe inuoluere*, vt habet textus; ac de eiſdẽ ſentire, vno tãtũ ſuffragio deficiente, in alterã eligi nõ poſſe Prælaturã, quod quidẽ ex aſſerta citatorũ Auctorũ opinione neceſſariò ſequitur. Cæterũ ſententiæ huius, quia neminem alium Auctorem ha-

 beo,

beo,neque affirmata res mea opinione, nec
pro vana tot, quæ protuli rationum momẽ-
tis roborata, prætermiſſa habeatur; penes
quã,quæ ſeruandæ ſunt regulæ pro alijs, qui
neq;Mendicãtes, neq;Religioſi ad alias Præ-
laturas promoti eſſent;eædẽ vſui,eſſe poterũt
pro his Religioſis ſecundùm ius commune.
8 Notandum ſeptimò. Quamuis ex vi tex-
tus, quem expendimus, computandi meritò
non viderentur excommunicati,ſuſpenſi, ir-
regulares, vel eligendi facultate pro ea ſal-
tem vice priuati, quorum calculis etiam per
diſcordiam denegatis Electo, dummodo cę-
terorum accederent legitimorum electorum
ſuffragia, legitima omninò haberetur ele-
ctio; verùm cum *Clem.num.3.citata* cunctos
computandos eſſe electores decreuerit,rea-
liter,ac phyſicè,vt ita dicam, qui Religioſo
eligendo ſuffragantur (quamuis iuris fictio-
ne, ac ſi non eſſent haberentur) abſque du-
bio omnes ad validam mendicantis electio-
nem conſentire neceſſariò debent ex *Gloſſa*
huiuſmet cap.verſ.in diſcordia in fine, Archid.
ibi num.6. & 7 Domin.ibi §.volentes ad finẽ,
*& circa num.2.Gloſſ.*Clem.*citata, verb.qua in*
*facto,& ibi Imola.Anton.*Cucu, *libr.4.inſtit.*
maior.tit.1.1.num.264.Sanch.lib.7.oper.mor.
9 *cap.25.num.45.* Secus autem ſe res habet de
de votis abſentium,qui ad electionem acerſi-
ti renuerunt, vel eligendi renunciarunt iuri
vel qui nunquam illud habuere, quòd ordi-
ne,carent, aut ætate,aut profeſſione requiſi-
ta, ſicut Religionum Tyrones, qui omnes
numerum non faciunt, neque fictione iuris
quòd neque de iure,neq; de facto vnquã ha-
buerũt,& priuati aliquo pacto dici poſsũt,
atq;excluſi conſequẽter vt ſic à *Clem.* citata.
10 Notandum octauo: Quando eligitur ad
Epiſcopalem,vel aliam dignitatem Regula-
ris non Mendicans, vel dimidiam habet vo-
torum partem, altera in alterum quempiam
declinante, vel hanc eandem ſub diuiſam in
alios; vt,ſi ſint viginti Electores,quorum de-
cem Paulum Religioſum eligant in Epiſco-
pum: reliqui Petrum, vel ex his quinque
Petrum, reliqui Ioannem nominent; ſi ele-
ctio fieret ſecunda ratione expoſita Paulus
Regularis ritè cenſendus eſſet electus; quia
textus petit non fieri à minore electorum
numero, media autem pars minima nequa-
quam dicitur, vt probè *Ioan.Andr. ibi num.*
2.Franc.num.2.not.5.Domin.ibi §.circa num.
*2.*Fauetque *Sanch.lib.7. oper. mor.cap.29.nu.*
54. qui bene notat, tunc ceſſare, neque ali-
quem eſſe litibus, & controuerſijs locum.
11 Nec ſufficit etiam partem minorem eſſe
ſeniorem; cum textus partem tantùm petat
non eſſe minorem, ſic *Gloſſa verb. numerus*
12 *Dominic.eod.num.2.* Nec refert ſiue diuerſę
electiones fiant,diuerſo contextu,ſiue vnico,
ſic *Ioan.Andr.Domin.& Sanch.citati.*
13 Quòd ſi prima ratione deſcripta *num.* 10.
habeatur electio,tunc inualida cenſenda eſt;
nam, licèt dimidia minor non ſit pars; vr-
get tamẽ ratio textus; nam vbi vota ſunt pa-
ria,lites,atque iurgia oriuntur, atque meri-
ta, & demerita eligentium perpenduntur,
quam declinare diſcordiam contendebat
Pontifex, quo circa maiorem ad electionis,
valorem eligentium deſiderari partem, eo
tunc aſſerendum eſt: quo ſenſu ſubſcribo
*Lambert.*de iure *patron. lib.2. part.1. quaſt.7.*
art.2.num.8. Neque ab hac excludo electio-
ne,quos *numer.3.* citati textus, vbi minor
pars eligentium irrationabiliter maiorem
aliquo pacto impediret.
14 Notandum nonò. Si præſentandus ad
Prælaturam ſit Regularis è Mendicante fa-
milia, præſentatio ita in concordia facien-
da eſt,vt nullus patronorum diſcrepet, ſiue
collectiuè, vt eſſet Collegium, ſiue ſinguli,
quorum intereſt, illum præſentarent, alio-
quin inualida eſſet, cum pateret oſtium di-
ſcordiæ,litigijſque,vt probè *Lambert.de iur.*
patron.lib.2.par 1.quaſt.7.ar.20.num.8. Quod
ſi Religioſus ex non Mendicantibus præſen-
tandus ſit, vel hæc præſentatio facienda erit
iure Collegij, vel iure ſingulorum? Si iure
Collegij, aut à maiori parte reſpectu Colle-
gij, aut reſpectu ſingulorum præſentatio ha-
benda: ſi ex parte Collegij viginti perſonis
conſtantis verb.grat. duodecim quempiam
præſentarent, eius valida eſſet præſentatio,
quòd ſi quatuor eundem præſentarent, ſex-
decim verò in varios ſua diuiderent vota,
vt nulli totidem accederent, ac Primo, cui
quatuor ſuffragantur,tunc inualida talis eſ-
eſſet præſentatio;quia,licèt hic maiorem ha-
beret reſpectu præſtantium partẽ, cum ſin-
gulis reliquorum comparatam; non tamen
haberet maiorum patronorum numerum,
qui planè deſideratur, quippe hæc præſen-
tatio ad inſtar eſt electionis, ad cuius valo-
rem maior requiritur Collegij pars. Verùm,
ſi præſentatio fieret iure ſingulari,maior ſuf-
ficeret pars, etiam comparata cum alijs ſin-
gulorum præſentatorum, & ſuper in exem-
plo relata,atque electio valida cenſebitur cũ
pluribus ſuffragijs ille præſentatur, quam
ſinguli alij potirentur, licèt in eum plures
non conuenirent patroni: quamobrem cùm
textus *cap. Quorundam* præſcribit, nè præ-
ſẽtatio à minori parte numeri habeatur, du-
pliciter,iuxta modò allatam diſtinctionem,
intelligendus eſt;vel de minori patronorum
parte. præſentantium, non iure ſingulari,
ſed Collegij,quòd, cùm in maiori parte
conſiſtat ſuffragium, hac deficiente non
dicetur ſufficienter præſentare, vel de
minori, reſpectu etiam ſingulorum, ab alijs
patro-

patronis præſentatorum, quæ quidem expoſitio conformis eſt iuri antiquo *cap. Quoniã & cap. Nobis de iure patron.* quorum vt vitetur odioſa correctio, vti ſæpe dictum eſt, præſens exponendus eſt textus.

15 Notandum decimò, præſenti textu non dignitatem, vel prælaturam intra clauſtra, vel propriæ Religionis, ſed extra habendam, comprehendi, ad cuius valorem concors omnium ſuffragiorum præſcribitur conſenſus, patet ex illis verbis *extra adminiſtrationem ſui Ordinis*, adiuncta *Gloſſa verb. Ordinis, & verb. alios*; ſubſcribuntque *Ancharanus num. 2. not. 3. Dominic. num. 2. aliyque recentiores*; idemque iudico, probabilius eſſe de electione Regularium etiam non Mendicantium, quod doctè probat *Sanchez*, cui quid addam non habeo *libr. 7. oper. mor. cap. 29 num. 49. ex Gloſſa huius capitis verb. quaſlibet ibi Ioan. Andreas ad finem Anchar. num. 4. & alys.*

16 Notandum vndecimo, ſiue de Mendicante, ſiue de non Mendicante ſermo ſit, a præſenti textu paſſiuam tantùm electionem, nõ autem paſſiuam comprehendi; & quamuis *Clem. Quòd circa*, loqui videatur indiſtinctè, ibi *quòd circa Religioſorum electiones, &c.* cùm tamen edita ſit ad exponendum, quem præ manibus habemus, textum *cap. Quorũdam de elect. in 6.* qui expreſsè de paſſiua Religioſorum loquitur per ea *electioni de ſe facta*, & infra *electionibus de ſe factis*; non eſt, cur ad electionem actiuam tantùm detorqueamus, quia lex explicans alteram, omnes ſubit declarationes, atque ipſiuſmet legis declaratæ reſtrictiones ex *Textu, & Gloſſa Clem. ſtatutum verb. conſuetudine de elect. & cap. Is qui, verb. vel electi, eodem titulo in 6.* Idque verum eſt, licèt lex declarans non loquatur ſtrictiùs, *Argum ex Authent. de fil. ant. dotal. inſtrum. nat. collat. 5. ad finem*; ibi. *Cum omnibus manifeſtum ſit, oportere ea, quæ adiecta ſunt per interpretationem, in illis valere, in quibus interpretatis legibus ſit locus.* adiuncta *Gloſſa finali vtque ex Bartolo, & quampluribus docent Aretin. conſ. 59. in fine Beron. cap. Nulli num. 85. de reb. Eccleſiaſt. nõ alien. Sanc. lib. 7. mat. diſp. 46. num. 71.* In hoc autem ſentimus cũ *Gloſſ. Clem. citata, Quod circa verb. elect. & ibi* Card. not. 1. *Imol. n. 10.*

17 Notandum duodecimò. Nomine dignitatis in hoc textu non venire Canonicatum, vel aliud officium, quod cum noſtra non interſit, legat qui ſcire cupit *Io. Andr. in hoc cap. Quorundam num. 2. verſ. quod videtur contra Lambertinum de iur. patron. libr. 2 par. 1. quæſt. 7. art. 2. num. 1.*

18 Notandum decimotertiò. Quoadmodũ electionis, electionem Mendicantis ad Prælaturam in diſcordia factam non reddi validam, omnibus, cunctorum etiam poſtea Electorum accedentibus calculis; probatur hoc ex his, quæ *cap. præcedenti concluſ. 8. num. 18.* diximus. Secundò, quòd initium ſpectandum eſt, vt clarè textus decreti demonſtrat, per ea *in diſcordia celebratur*, & ibi *in diſcordia de ſe facta*. Tertiò, quia ſpeciale in electione Summi Pontificis cenſetur eſſe, vt ſatis ſit concordia ſuperueniens, atque in electione Monialium, *cap. indemnitatibus § ſi autem de electione in 6.* & ſic docent *Ioan. Monach. cap. Quorumdam*, ibique *Archidiac. n. 3 verſ. in diſcordia. Ioan. Andr. num. 2. in fine*, *Anchar. num. 3. verſ. Item nota*, & alij, quos ſequitur *Sanch. lib. 7. oper. mor. cap. 29. n. 52.*

CAPVT V.

An votum Religionis impedimento ſit Epiſcopatui.

S V M M A.

Statur quæſtionis, eiuſque membra diſputanda, num. 1.

Affertur Cap. Per tuas de voto, & voti valor, *explicandum num. 2.*

Pontifex non loquitur de voto ſubſtantialiter, ſed accidentaliter ſolemni n. 3.

Probabilius eſt, textum inuoluere præceptum; & ſub qua ratione num. 4.

Quo ſenſu contineat etiam conſilium, & quis proprior ſenſus n. 5.

Ex regula generali, licet in Epiſcopo, de quo textus loquitur, non præſumatur dolus, nec fraus; præſumitur tamen ex alys coniecturis num. 6.

Vnuſquiſq; à natura bonus cenſetur, in quem non ſit doli, vel fraudis præſumptio ibid.

Non eſt ſupponendus dolus, ſi damnum illum habenti inferret, vel non afferret lucrũ, ib.

Prima ſententia, votum efferens Religionis, neque extingui, neque adimpleri per Epiſcopalem ſtatum initum n. 7.

Secunda ſententia, extingui votum Religionis per Epiſcopatum docet. n. 8.

Materia voti de meliore bono eſſe debet, & quo ſenſu num. 9.

Votum Religionis, & perſeuerãtiæ in Religione diſtinguuntur, & quomodo, num. 10.

Collatio electionem, nominationem, & promotionem inuoluens Epiſcopatus facta votum habenti Religionis, eſt valida n. 11.

Irretitus voto Religionis, ſi ſcienter à Papa in Epiſcopum promoueatur, & validè, & licitè, abſque alia diſpenſatione, dignitatem acceptare poterit n. 12.

Religionis voto ligatus, neque peccat acceptã-do Præſulatum, neque eo ſe abdicare tene-tur, num.13.

Habens votum perſeuerantiæ in Religione, neque per ſe peccat inſulam acceptando, neque renunciare abſolutè, ac per ſe tenetur, qua cenſetur votum Religionis extinctum, num.14. & 21.

Statu perfectiore inito, votum extinguitur ſtatus imperfectioris, etiam diſtincti generis, num.15. & 16.

Ratione arctiſſimi vinculi Epiſcopatus, de potentia ordinaria inſolubilis votum Religionis ſimplex extinguitur, n.17.

Neque obſtat, Religioſum factum Epiſcopum pergere etiam eſſe Religioſum, ut vouens Religionem, ſolui voto per Epiſcopatum dicatur, & quo minus à fortiori demoſtretur, ſi Religioſus poteſt inire Epiſcopatum, poſſe etiam voto ſimplici ligatum Religionis, num.18. & 19.

Ex præſtantiori munere Præſulatus Epiſcopus non poteſt Religionem inire, n.20.

Ligatus voto Religionis, atque in Epiſcopum electus, tenetur Papæ ſuum tantum deſiderium aperire, n.21.

Voto deuinctus Religionis electus, vel eligendus in Epiſcopum ſuum, non tenetur votum manifeſtare Pontifici, num. 22.

Epiſcopatu iam inito non tenetur Prædictus ſe abdicare, ſed ſuum animum Papæ reſerare, num.23.

Epiſcopus confirmatus, vel conſecratus non tenetur votum, quo prius ſe obſtrinxerat Religionis Papæ manifeſtare, num.34.

Religioſus emittens votum alicuius rei, aliàs abſque facultate prohibita, illud opus non habet declarare num.25. & 26.

In eorum ſententia qui volunt neceſſariam eſſe diſpenſationem ad Epiſcopatum acceptandum, atque ineundum ab eo, qui Religionis voto eſt ligatus, ſi fuerit perſeuerantia in Religione, poterit Epiſcopus electus, & confirmatus ſecum ipſemet diſpenſare, num.27.

Et à fortiori poterit Epiſcopus diſpenſare, vt tantum liceat experiri, num.28.

Satisfit argumento primo pro prima ſententia adducto, num.29.

Quando eſt dubium, ad quid obligat votum? plerunque ad quod minus eſt, obligat ibidem.

Reſpondetur ſecundo argumento, num.30.

Diluitur tertium, ac ratio aſſeritur, cur votum Epiſcopatus validum non ſit, numero 31.

Soluitur. Quartum, & Quintum Argumentum, num.32. & 33.

HAnc quæſtionem è *lib.1. diſput. 2. cap.6.* ne ex propria educeremus ſede huc remiſimus, quæ Religionis votum ante Epiſcopatum nũcupatum directè comprehendit, neque ad votum Religionis ab Epiſcopo emiſſum propriè ſe extendit, quamuis de hoc quid ſentiendum ſit, quaſi per tranſennam indicabimus.

1 Tria mihi quidem ad quæſtionis dilucidationem præſtanda ſunt. Primum an votum, quo quis Religionem ingredi Deo promiſit, adimpleatur, vel extinguatur ipſo Epiſcopatu. Secundum, an is peccet Epiſcopatum acceptando, antequàm dictũ adimpleat votum, vel diſpenſationem habeat. Tertium, an teneatur Eccleſiæ renunciare, quam voto Religionis irretitus iniit. Cæterum, cum hæc omnia ex *cap. Per tuas de vot.* &c. pendeant, operæ pretium me facturum arbitror, ſi illud præ alijs expenderim.

2 *Per tuas itaque* (ait Pontifex) *literas intimaſti, te in Grationapolitana Eccleſia ſuſcipiendi habitum regularem votum ſolemne emiſiſſe, & poſtea promiſſe in manibus Prelati eiuſdem Eccleſiæ, infra duos menſes, poſt quàm ab Apoſtolica Sede rediſſes, votum quod emiſeras impleturum, cumque, termino ipſo tranſacto, non curaſſes, quod voueras adimplere: tandem exiſtens voti tanſgreſſor vocatus fuiſti ad regimen Eccleſiæ Gebennenſis &c.* & infra. *Nos igitur tuæ diſcretioni conſulimus vt, ſi tuam ſanare diſideras conſcientiam, regimen reſignes Eccl:ſiæ memoratæ, ac reddas Altiſſimo vota tua.* Quæ ipſiſſima Pontificis verba non abs re hic tranſcripſi, cum pleraque ad exactam ſententiæ notitiam, ſibi vendicent difficultatem, neque neceſſe habeo ſingulas circa illa referre, ac reijcere Auctorum interpretationes, quod fusè præſtiterunt *Sanc. infra citandus ac Suar. to. 3. de relig. lib.1. cap.19. à num. 5.* ſed nonnullam ad rem, magis neceſſariam interpretationem adhibere.

3 Notandum igitur primo. Quamuis votum, de quo Pontifex loquitur, ſolẽne dicatur, non de ſubſtantiali tamen eſſentialique ſolemnitate exponendum eſſe, cum re vera ea caruerit, ac ſimplex fuerit, ſed de futura nimirum habitus ſuſceptione, accidentaliter ſolemni, quòd coram Abbate, multiſque votum emiſſum fuiſſet, idque deducere licet ex *Innocent. in præſenti capit. Per tuas, numer. vnico verb. ſolemniter, Hoſtienſ. initio Ioann. Andr. numer. primo, Abbas. numer. primo Cardin. numer. primo, oppoſit. 1. ac reliquis.*

4 Notandum ſecundo licet non deſine Doctores, conſilium tantum contineri textum hunc aſſerentes, non autem præceptum, vt

Henriq.

Henriq. lib. 1. de ſacram. Ord. cap. 32. numer. vlt. in comm. litt. S. Eman. Rodriq. in ſum com. tom. 2. cap 6. & Card. citatus, ac fauet verbum *Conſulimus*; verùm, nè difficultatem declinare potiùs, quàm diluere videamur: Damus, verba textus præceptum continere, per ea præſertim, *Si tuam ſanare deſideres conſcientiam*, eoque tantùm ſenſu, conſilij nomen vſurpaſſe Pontificem, quòd in forma iudicij non procedebat, penes quam omninò aliàs, illum coegiſſet Epiſcopum, vt probè *Innocentius num. vnic. verb. conſulimus, Hoſtienſ. num. 1. eodem verbo, Ioann. Andreas num 4. Anchar. num. 3. not. 4. Cardin. initio notab. 1. Sanch lib. 4 oper. mor cap. 7.* atque, vt indicaret, obligationem à Præſule contractam in conſcientia fuiſſe, aliquo pacto diſtinctam à præcepto, quod coactionem non induxit, ſed neceſſitatis tantùm declarationem.

5 Notandum tertiò. Hunc textus germanum eſſe ſenſum, vt, ſi vellet conſcientiam propriam ſanare Præſul, vota ſua Domino redderet, quibus non præceptum ſubſequẽs, illum obligans, oſtenditur ad Religionem ineundam, ex vi ſolius voti, ſed vulnus antecedens demonſtratur, quod è ſcandalo, ac præſumptione in populo orta ob ipſius incontinentiam, atque ambitionem contraxerat; hac enim de cauſa ſolemnitatis voti mentionem fecit Papa, nec non publicitatis, vt *num.* 3. docuimus, ideoque terminum expreſſit Epiſcopo duorum præſcriptorum menſium: quo elapſo voti tráſgreſſor effectus erat: hac etiam de cauſa ſi ſanare cuperet propriam conſcientiam, declarat, vota Deo reddenda, quo ſenſu *Abbati num. 6. alijſque* ſubſcribo, qui conſilium eſſe contendebant, & meritò ſi ad ſolum votum compararetur, quod adimplere, factus Epiſcopus, ex ſe, non tenetur; licèt ratione ſcandali, & præſumptionis, quam populus de illo non immeritò conceperat, cuius grauiſſima declaratur obligationis neceſſitas adimplendi votum, qua ſecluſa, vt mihi ex *Card. ſum. quæſt.* 153. deducere videor, acceptando Præſulatum per ſe conſideratum ille non peccaſſet, de quo puncto nihil decernit Pontifex. Neque ad peccatum expreſſum ſcandali ſufficere videbatur ſola pœnitentia à Papa præſcripta, vt indicant *Soar. num. 9. & Sanch. numer.* 5. quippe non modò de peccato tractabatur, quomodolibet à Præſule contracto, verùm etiam de ſcandaloſo; quod pepererat opinionem inconſtantiæ, tergiuerſationis, atque ambitionis Electi, contra quem maximopere præſumptio vrgebat, ad quæ delenda, & populo conſulendum; non pœnitentia quæcunque ſolùm neceſſaria erat, verùm etiã adimpletio voti, quæ pars aliquo pacto veræ erat pœnitentiæ deſideratæ; qua adhibita, non ex ambitione, aut propria cupiditate, neque ex malis alijs artibus, ſed è ſpontanea electione, vtilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ compellente promutionem habitam eſſe planè conſtaret; quamobrem non de ſola perfractione voti Pontifex in caſu textus interrogatur; ſed de ea illis affecta circumſtantijs, quibus expungendum erat ſcandalum, & puſillorum ægritudini ſpirituali conſulendum, ad quod abdicationem Eccleſiæ Pontifex
6 pronunciat fuiſſe neceſſariam. Et, licèt nec dolus, nec fraus ex regula generali præſumatur *l. dolum, C. de dolo, & l. Creditur C. de pignor. action. & ibidem Doctores apud Menochium lib. 5. præſumpt. 3. à num.* 14. Cuius ratio eſt quòd, cum vnuſquiſque à natura Bonus præſumatur, ceſſare cenſetur doli, vel fraudis præſumptio, quando præſertim illius cauſa non poteſt excogitari, vt *Aret.* ſcribit *conſ. 65. col. 3. verſ. in cõtrarium arguitur Cornel. in cõſ. 189. ad finem lib. 2. & alij apud Cranett. in conſ. 6. num. 22. & in conſ. 8. num. 19.* & multò minus, quãdo dolus, vel fraus nullum afferret lucrum, vel commodum, vt reſpondet *Bald. conſ. 250. in q. col. 2. lib. 1. Decian. cõſ. 57. num. 36. lib. 3.* longeque diſtaret, ſi damnũ afferret, vt ex ſententia *Socin. Senior. conſ. 277 col. 2. verſ. non enim poſſumus, Cranet. in conſ 8 num. 4.* qui quidem iudicat, quando lucri potiùs adeſſet iactura, vel quando tenue admodum ſequeretur lucrum in *conſ. 75. num. 18. & 319. num. 13. & Ricc. conſ. 8. ad finem lib. 4.* Verùm enim verò exploratum omnibus eſt, coniecturis dolum, fraudemque detegi, probarique poſſe *l. Dolum C. de dolo.* traditque *Caſtren. in l. Quòd Nerua nu. 3. ff. depoſiti Barbat. conſ. 17. num 28. lib. 2 Curt. Senior conſil. 44. col. 10. verſ. dolus*, atque alij, quos laudat, & ſequitur *Menoch. libr. præſumpt. 3. num. 4.* & ratio eſt, quòd ſiue fraus, ſiue dolus internam animi malitiam, atque intentionem circumueniendi continent, quæ coniecturis nobis innoteſcere poſſunt, & quidem vrgentibus, ex *Caſtrenſ. in dicta l. Dolum C. de dolo, & Rota Genuenſ. dec. 168. n. 13 & 14.* duaſque ſufficere docuit *Decian in conſ. 32. lib. 4. n. 3.* Et quidem, vt quam adduxi doctrinam noſtræ componamus rei, atque à contrario coniecturas vrgẽtes in caſu noſtro reperiri demõſtremus; quæ cauſa fraudis commiſſæ, ſeu doli in differenda voti adimpletione clarior excogitari poterat, quam aſſumptio mox futura, atque ei, qui vouerat imminens ad Epiſcopatum? & quod ex ea dilatione poterat euidentiùs ſequi lucrum, atque honos, quàm Epiſcopalis dignitatis? cuius iacturæ periculo, dicans ſe ille Religioni, manifeſtò ſe exponebat. Deinde, ſi ſufficiens, coniectura doli, vel

fraudis commiſſæ eſt grauis perpetratio delicti, hic qui reus factus erat, ob voti tranſgreſſionem, Deo infidelis cur ex fraude, ac dolo accepandi Prælulatus, non dicendus id comiſiſſe? *ex leg.1.ad leg.Cornel.de ſicar. aliſque textibus probè à Menochio citato nu. 46.expenſis*. Iterum lex dolum præſumit ex mendacio *leg.ſi quis affirmauerit §.1. & leg. Quod venditio ff.de dolo, & alijs quos ſequuntur, & explicant textibus Anchar.conſ.226. col.2.Roma conſ.8 num.2. Maſcar. conſ.131. num.19.Menoch lib.5.de præſ præſ.3 num.31* ſi igitur dicta menti non conformare, dolum fraudemque arguit: facta promiſſioni Deo emiſſæ, atque habitæ non aptare, dolum, feudemque oon indicabit? imo ſi lex coniecturam ad dolum probandum arbitratur ſufficientem, quando quis promiſſa noo ſeruat homini, potiori quidem iure in re noſtra, cum ille Deo nequaquam fidem ſeruauerit *leg.Dolus, & leg. ſi procuratorem 5.dolo ff.mend.& leg.t.5.eſt autem ff.de pont.& tradidere conſ.52.col.1.& conſ. 84.col. 2. lib.6. Alexand.Corn.in conſ.136.Maſcard. tract. de probat conſ.531.& alij, quos citat ac ſequitur Menoch.laudatus num.63*, Quæ cum ita ſint, firmum ex hoc textu argumentum, qood de mera obligatione probet, adimplendi votum, deduci non poſſe, liquido conſtat, clariuſque patebit ex ſolutione primi argumenti contrariæ ſeotentiæ *numero* 29. ſubijcienda.

7 His prælibatis. Prima ſententia docet, votum Religioois, neque extingui, neque adimpleri, per gradum ad Epiſcopatum; atque ex coofequenti eum peccare, qui antequam tale ſoluat votum, non diſpenſatus Epiſcopatum inear; & noo modò, ſi abſque diſpenſationis petendæ animo infulam acceptaſſet, grauiter peccauiſſet, verùm etiam, eo acceptato, ſeabdicare teneretur. Hanc opinionem ex multis defendunt *Abulenſ. quaſt.94.in c. 30. Numeror. Sãch.lib.4.oper. mor.cap.17.Miraud. in manua. Prælat. regul. tom.1.quaſt.20.art.9.Soar.3.tom. de relig. lib. 3.cap.19. num. 3.* Probatur prima hæc ſeotentia ex *cap. Per tuas*, quod ouper declarauimus, quod ad hunc caſum exteodere contendunt hi Doctores. Secundò votum Religionis impletum aliquid Epiſcopatui perfectionis addit; cum verè Religioſus maneat, qui ex religione gradum ad Epiſcopatum fecit, atque ad multa conſilij opera teoetur, ad quæ ſecularis clericus præſulatum aſcendens non obligatur; ergo qui huiuſmodi votum emiſit, prius adimplere, & profeſſiooem emittere religioſam tenebitur, quàm Epiſcopatum admittat; nè religioſa perpetuo perfectione careat. Tertiò religionis ſtatus eſt perfectionis acquirendæ, Epiſcopalis autem acquiſitæ; & potiùs alienæ, vt ait *Caiet.* citandus, quàm propriç; ita vt nec materia ſit voti abſoluti: ergo à fortiori ſequitur, votum Religionis nõ eſſe commutabile in ſtatum Præſulatus: Quartò, admittens Epiſcopatum, impedimentum contrahit promiſſam ineundi Religiooem; nam, licèt non repugnet, Religioſum fieri Epiſcopum: Epiſcopum tamen Religioſum fieri prohibitum eſt. Quintò ex *Caiet.2.2. quaſt. vlt. art. 3. circa ſolut. ad primum dub.2.* tunc aſſumptio perfectioris ſtatus ſufficit, nè dicatur votum imperfectioris infringi, imò, vt dicatur extinctum, quando ſunt eiuſdem pene rationis, ita vt in vno alter imbibatur; ſecus vbi penè diſtracti ſunt, quẽadmodum eſt Religioſus, & Epiſcopalis ſtatus.

8 Secunda ſententia, non frangi votum Religionis, ſed extingui docet, & conſequenter perſonam voto Religionis ligatam, admittentem Epiſcopatum, nulla ſe inficere culpa, neque ad relinquendam Eccleſiam: ſam initam teneri: ſic *Abbas, Anton.& Heriq.libr.10.de ſac.ordin.cap.32.in fine*. Licèt probabiliùs dicat contrarium *Emanuel Sà, verb.Epiſcopus, num. 2. & Rodriq. in ſumm. tom.1.cap.6. num.6. ex quampluribus Doctoribus Salmaticenſibus*. Probatur: ſtatus Epiſcopalis perfectior eſt Religioſo, ergo Religionis votum per Epiſcopalem ſtatum in melius mutatur, & perfectiori ratione impletur, iuxta *cap.ſcriptura de vot. & cap.Peruenict de iur.iur.* Secundo vinculum maius ſoluit minus, ſic carnalis matrimonij vinculo extinguitur ſimplex Religionis votum; igitur multo magis votum Religionis extinguetur à vinculo ſpiritualis matrimonij, quod Antiſtes cum ſua Eccleſia contrahit, & quidem ſine peccato, in quo carnale matrimonium à Spirituali vincitur; quod annexam habeat maiorem vitæ perfectionem. Tertio votum ſtrictioris ineundæ Religionis profeſſione laxioris extinguitur ex *cap. penult.de regul.in 6.* igitur à pari, immò à fortiori. Quarto Religioſus profeſſus licitè tranſit ad Epiſcopatum, vt *Superiore capite* docuimus; ergo potiori ratione, qui tantum ſimplici teoetur voto religionis, cuiuſ: ois argumenti ioſra expendetur *numero* 18. & 19.

9 Ego autem, vt rationem, ac veritatem, quocumque me ducente ſequar, præmitto, voti materiam, quæ Theologorum conſenſu de meliori eſt bono; non de abſoluto accipiendam eſſe, ſed de reſpectiuo, vt ita dicam, ac relato ad ſpiritualem vouentis profectum. Ratio eſt, quia voti materia diuinæ conſentanea voluntati neceſſariò debet eſſe, alioquin, neque à Deo acceptetur,

retur, neque promiſſioni robur conferret, aut ius obligandi: atqui ex *Apoſt. 1. ad Teſſalon. cap. 4. Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra*; igitur illa materia diuinæ conſona erit voluntati, quæ ad ſanctificationem ſpectat vouentis; ergo materia voti de meliori bono, ita debet eſſe, vt ad bonum relata ſit ſpirituale vouentis, reſpectu cuius melior ſit quàm oppoſita: quod pulchrè indicauere *Bonau. in 4. diſt. 38. art. 1. quæſt. 2. Gerſ. in tract. de conſ. euang. Alphabet. 67. litt. S.* hiſce: *Cum conſilia dicantur eſſe de meliori bono, non fieri comparationem ad præcepta, ſed ad ſua contraria*, & benè declarauit Tol. *lib. 4. ſum. cap. 27. num. ex quo alij Recentiores*. Hinc fit, ea quæ ſecundum ſe, diuino videntur oppoſita conſilio, apta eſſe aliquando voueri, vt matrimonium, cuius votum validum eſt, quando in remedium emittitur concupiſcentiæ iuxta doctrinam *Pauli 1. ad Chor. 7. Melius eſt nubere quàm vri*: neque officit caſtitas, quæ abſolute melius eſt bonum; cum huic perſonæ matrimonium, & coniugalis continentia melius cenſeatur bonum; ſic *Nauarr. ſum. hiſp. & lat. cap. 12. num. 43. in fine Bellar. lib. 2. dub. vlt. de Monac. cap. 14. Henriq. libr. 11. de mat. cap. 6. num. 5.* Molin. *tom. de iuſt. tract. 2. diſp. 149. §. verum enim vero; Azor lib. 11. cap. 14. quæſt. 9. Tol. lib. 4. ſum. cap. 17. num 18. Sanch. lib. 1. de mat. diſp. 4. num. 7. & lib. 4. ſum. cap. 8. num. 33. Soar. 2. tom. de relig. lib. 2. de mat. vot. cap. 9. num. 12. & alij apud hos.*

10 Secundò præmitto, diſtinctum quid eſſe, vouere Religionē abſolutè, ac vouere perſeuerantiam in Religione: cùm primùm, ſiue quis promittat futurū ſe Religioſum, ſiue ingredi ad Religionem ad perſeuerantiā nō obliget, vt obligat ſecundum; ſic *Azor lib. 11. cap. 22. q. 8. Eman. Sà ſum. verb. votum num. 12: atque ex alijs Sanch. in oper. mor. libr. 4. cap 16. à num. 33. ac deinceps præſertim num. 83.* Primum igitur illud votum Vouentem obligat ad moralem diligentiam præſtandam, vt in Religionem admittatur; ſic probè *Sanctus Thomas à reliquis receptus 2. 2. quæſt. 88. art. 3. ad 2. & quæſt. vlt. art. 3. ad 2. Sanch. laudatus num. 33.* contra quam diligentiam non erit auerſionem ad illum ſtatum Superioribus aperire, vel impedimētum aliquod perpetuum, quo laboraret, quodque non aduertit, vel non habebat, dum vouit, ea verò præſtita, ſi repulſam patiatur ab habente facultatē eam dandi, prò varietate conſtitutionum, & vſus cuiuſcumque Religionis, in perpetuum ad nihilum tenebitur: ſi verò temporali laborat impedimento, illud expectare tenetur, vt probè Caiet. *2. 2. quæſt. 88. art. 3. ſolut. ad 2. Valent. 2. 2. diſput. 6. quæſt. 6. punct. 4. col. penult. Azor. lib. 11. conſtit. moral. cap. 22 quæſt. 5. Sanch. laudat. num. 52. & 53.* neque votum ſuum aperire, vt probabilius videtur, ac docetur ab *Azor. citato, & Sanch. num. 54.* etſi contrarium probabilitate non careat, ex *Caiet.* Quod ſi Religionem ingrediatur bona fide, atq; animo Religionis experiūdę licet, egrediatur, ſatisfaciat voto. Votum verò perſeuerātiæ tametſi penes *Sotum lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. art. 1. ad 3. verſ. ex hac autem definitione Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 3. circa ſolutionem ad 2. concl. 2. verſ eſt aliud dubium Petr. de Ledeſ. 2. tom. ſum tract. 10. cap. 3. dub 7. caſ. 4.* fauet *Emanuel. sà ſum. verb. votum, in principio num. 3* nil differat à voto ſuper explicato ingreſſus Religionis, ac proinde vtrumque compleri ſolo ingreſſu bona fide facto; longo tamen diſtare interuallo, hæc inter ſeſe iudico probabilius; nam voto perſeuerantiæ non liberatur quiſquam per egreſſum, ex cauſa iuſta habitum, ſed iterum ingredi, ac profiteri, illa ceſſante, obligatur, vti docent cum *Diuo Thoma plerique Doctorum 2. 2. quæſt. vlt. art. 4. in corpore, quos videre licet apud Valent. 2. 2. diſp. 6. punct. 4. quæſt. 4.* Couar. *de pact. 1. part. §. 3. ad finem Azor lib 16 cap 22. quæſt. 8. Sanch. lib. 4. oper mor. cap. 16 num 87.* In dubio autem, quod ex his votis quiſque emiſerit, probabilius Religionem tantum, vel eius ingreſſum, non verò perſeuerantiam vouiſſe cenſendus, quod in dubio obligat votum ad id quod minus, vt ex multis probè *Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 10. num. 16. & lib. 4. cap. 14 num. 17.*

11 His igitur in hunc modum conſtitutis, Prima ſit aſſertio; Collatio, propoſitionem, electionem, vel quemcumque alium nominandi, & conferendi modum ad Epiſcopatus dignitatem ineundam comprehèndens, valida eſt, etiam habenti votum Religionis: Ratio eſt; tum quia, licèt irretitum voto, eam admittentem electionem, peccaſſe concederemus; pœnitentia tamen poſſet poſtea deleuiſſe peccatum: tum quia, licet in peccato eſſet etiam ex illicita dilatata voti ſolutione, dum actu electus acceptat, promoueturque in Epiſcopum; ex illo tamen non redditur nulla electio, vel irritanda, vel Epiſcopatui nuntium Electus dare tenetur, cum à nullo canone huiuſmodi pœna in eum legatur inuſta; quod ſi à iudice priuari alia de cauſa poterit, ad rem noſtram non facit, vt nec, ſi aliquo pacto alia poſſit affici ob hoc delictum pœna, vti probè notauit Soar. *3. tom. de relig. lib. 1. cap. 19. num. 3.* Huic autem ſubſcribunt concluſioni nonnulli pro prima ſententia laudati Doctores, *Hoſtien. Io: And. Ant. ibidem num. 7. Henriq. ibi num. 3. Riccard. 4. diſt. 38. art. 5. quæſt. 1. ad 3.* Card. *ſum. quæſt. 153.*

Secun-

12 Secunda aſſertio. Qui votum emiſit Religionis, ſi à Papa ſciente promoueatur in Antiſtitem, licitè, nè dum validè, ſine diſpenſatione, poteſt Epiſcoparum acceptare atq; inire. Hanc concluſionem, eſto apud nullum, quem legerim, expreſſam inuenerim; exploratam tamen habeo *ex doct. cap. 3. aſſert. vlt. numero 25. allata, atque ex locis ibi citatis*.

13 Tertia concluſio. Habẽs votum Religionis tantum *num.* 10. declaratum, acceptarea, tq; inire Præſulatum poterit, quo inito, non tenetur ſe abdicare; ita ſentio cum Auctoribus primæ ſententiæ, qui huic ſubſcribere aſſertioni tenentur. Probatur tum quia præcipua ratio Aduerſariorum, quam *num.* 7. ſecundo loco retulimus nihil contra hanc probat concluſionem, quippe hoc votum varijs impleri modis poteſt, quin Religioſus remaneat is, qui illud emiſit. Secundo probabitur à fortiori rationibus pro ſequente aſſertione adducendis. Tertio quia qui vouit Religionem ſolam, vel ſtrictioris Religionis ingreſſum, non modo validè profeſſionem emittit in Religione laxiore, vinculum extinguendo priſtini voti, ſicut de vouente etiam perſeuerantiam in Religione ſtrictiore, ſequenti concluſione dicemus; ſed neque etiam peccat, vt bene *Palud. 4. diſt. 38. quæſt. art. 1. num. 12. & quæſt. 4. art. 3. nu. 32. Diu. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 8. Sanch. lib. 4. c. 16. n. 17.* Quare, nec peccabit cõmutãdo illud votum, in votum profeſſionẽ emittendi in laxiore Religione, quam poſtea ingrediatur, vt citati Auctores docent, *Sylueſter verb. votum 4. quæſt 7.* ergo idem erit de officiò, & ſtatu inito Præſulatus, quo acceptato atque inito, tametſi concederemus, imperfectiorem eſſe religioſo ſtatu, extinguet ſanè quotuſquiſque ſimplex votum Religionis, quo ſe obſtrinxerat, & quidem ſine peccato, cum per illud non teneretur perſeuerare, ſed ſi experimento comprobatam Religionem rationabiliter putaret ſibi non idoneã, egredi poſſet; At ratione Pręſulatus tenetur in eius munere perſeuerare; ergo per hunc ſtatum à fortiori, priſtino voti religioſi vinculo quicumque cenſendus erit abſolutus. Addo ex *Sanch. num.* 18. quamquam non animo commutandi primum votum quiſpiam emiſiſſet votum profeſſionis faciẽdæ, vel illam emitteret in Religione laxiore, adhuc primum ſtrictioris votum extinguet; igitur à pari in noſtro caſu, dum aliquis acceptaret, & conſequeretur Epiſcopatum; eo vel maxime, quod ſine vllo voto profeſſionem emittendi in Religione laxiore, ſed ſola voluntate efficaci, vel ipſo ingreſſu cum eo profitendi animo, cenſetur votum prius in hanc ſecundam voluntatem, atque ingreſſum commutatum, vt doctè *idemmet Sanch num.* 19. quod vrgentiorem facit paritatem noſtram, in quam ſolutio *Caietani eiuſdemque Sanchez, & Soarij infra num.* 15. referenda, minus habere vitium ex terminis ipſis patebit.

14 Aſſertio quarta. Ligatus voto perſeuerantiæ in Religione, neque ex ſe peccat Epiſcopatum acceptans, neque eo ſe abdicare abſolute tenetur, quo cenſeretur votum Religionis extinctum, & in hoc ſenſu ſubſcribo ſecundæ ſententiæ, dummodo per ſe, ac natura ſua votum Religionis cum Epiſcopatu conferatur. Et primo probatur expoſitione *cap. Per tuas num. 4. & 5.* tradita, qui maximopere inniti Auctores contrarij videntur; cum ex eo firmum rationis momentum ducere non poſſe ad rem, ſatis ſuperque, ni fallor, oſtenderim. Præterea probatur ſecundo, pro ſecunda ſententia facto argumento; quod maximum habet robur ex his quæ *lib. 1. diſp. 2. cap. 6.* docuimus. Et confirmatur, ſi quis votum ieiunij, vel audiendi ſacrum in votum copioſę commuter eleemoſynæ, vel aliam piam operã, quæ Deo gratior cenſeatur, etiamſi neque formaliter, neque eminenter à ieiunio, vel auditione contineatur ſacri: rectè abſque vlla diſpenſatione commutatet; igitur à fortiori in re noſtra, cum Antiſtitis ſtatus perfectiſſimus ſit, neque acquiſitæ atque exercendæ perfectionis tantum, ſed acquirendæ, & propriæ ſit, & ex ſua natura longè Religioſo præſtantior, quem aliquo pacto eminenter continet, vt *lib. 1. diſp. 2. cap. 1. & 2. à num. præſertim decimo ac deinceps, & cap. 6.* ratione, Doctorumque teſtimonio demonſtratũ eſt. vnde huc tertium adducere argumentum ibi factum, operæ prętium erit, quo confectum eſt per ſe, vt hac etiam diſputatione confirmátum eſt, è Religione ad Epiſcopatum gradum facere, ſecus ab Epiſcopatu ſine facultate Põtificis licere tranſitum ad Religionem; quia nulli licet à perfectiori ad imperfectiorem ſtatum ſe conferre.

15 Reſpondent ex *Caietano 2. 2. quæſt. vlt. art. 3. circa ſolutionem ad 1. dub. 2. Soar. citatus num. 20. & Sanch. lib. 4. oper. mor. cap. 17. nu. 3.* tunc per aſſumptionem perfectioris ſtatus votò minus perfecti ſtatus ſatisfieri, quando vterque eiuſdem eſt ordinis, ſeu generis, quorum alter altero comprehenditur, vt duæ ſunt Religiones; verum in præſentia Religionis & Epiſcopatus ſunt diuerſæ rationis ſtatus, cum Epiſcopatus eſſentialem Religionis perfectionem non claudat; quam ob rem abſque diſpenſatione Pontificis votum Religionis Epiſcopatu non poterit extingui.

16 Verùm enim verò præter quàm quod *lib. 1. diſp. 2. citata cap. 1. 2. & 6.* & perfectiſſimum, & præſtantiori nomine, quod perfectionis habet Religio, ſuo ſibi iure vendicare docuimus Epiſcopatum, gratis quidem aſſeritur, in his perpetuis alterum in alterũ minimè commutari poſſe, ni eiuſdem ſint rationis; cum in alijs, vt demonſtrauimus exemplo eleemoſynæ modo relato aliter ſe res habeat, ex quibus à pari deducere argumentum licet. Deinde *cap. Peruenit de iur. iuran. adiuncta Gloſſ.* abſolutè non frangi promiſſum vel votum docet ab eo, qui in melius commutat; neque peregrina limitatio, quam ex *Caietano* ibi accomodant *Sanch. & Soarius*, alibi fundamentum habet, quàm in proprio ſenſu. Adde generali votorum doctrinæ traditam ab his Auctoribus expoſitionem limitatam, ac ſuperiori numero expoſitam, minimè conſentaneam eſſe; nam ſi de meliori bono votum ita eſſe debet, vt, ſi commutetur, in aliud erit ſanè commutandum, quod Deo gratius cenſeatur; non video, cur hoc vrgere debeat in rebus eiuſdem generis, & non diuerſi. Demum fac, quempiam vouiſſe ieiunium perpetuum, vel quodcumque aliud opus virtutis, nonne in perpetuam religioſam vitam commutari hoc votum ritè abſque alia diſpenſatione poterit? & tamen diſtinctorum hæc eſſe generum, & rationum bona, docent *Sanctus Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 12 ad 1. & Gloſſ. cap. Monache verb. vouerit. 20. quæſt. 4. Abbas cap. Peruenit il 2. ſupra citato num. 2. de iur. iur. & ibi Aleſſand. de Neuo num. 4. Abulenſ. cap. 30. numer. Sanch. lib 5. oper. mor. cap. 5. num. 38.* Eo vel maximè quòd vt *lib. 11.* citatis capitulis demoſtratum eſt, paupertas, caſtitas, atque obedientia prò ratione præſtantiſſimi finis Epiſcopatus ab eo continetur ac præterea alia præſtantiora virtutum munera, quæ ad ſtatum religioſum per ſe minimè ſpectant. Et licet *ſuper allatum capitulum Scripturæ de voto, & voti redemp.* de temporali ſolum obſequio loqui videatur, vt ab *Hoſtien. ſum. tit. de vot. §. ſiquis vouere poſſit num. 7. & Soar. citatus num. 23.* expenditur; nihilo tamen ſecius, cum in his etiam perpetuis eædem militènt rationes, & Auctorum indiſtinctè loquentium doctrina, ad omnia pateat vota, vt paulò ante dicebam; & nomine temporalis obſequij ſignificetur ibi particulare, quo non in omnibus indicatur Vouens Deo dicatus, idcirco vbicunque eadem interceſſerit ratio, idem concedendum eſt robur iuri; Cum igitur in maius Religionis bonum, cætera peculiaria commutari ſanè poſſint, cur Religionis votum ſimplex in perpetuum Epiſcopatus ſtatum per ſe loquendo commutari non poterit? eo potiori iure quòd prima commutatio, vel ceſſatio voti, non modo ſit Eccleſiaſtico iure conceſſa vt docuit *Sot. lib. 7. de iuſt. q. 4. art. 3. in ſolutione ad 1.* ſed ex iure naturali diuino, quod optimè ſcripſit *Palud. 4. diſt. 38. quæſt. 4. art. 1. num. 15. concl. 6. Caiet. 2. 2. quæſt. 88. art. 12. circa ſolut. ad 1. & 2. 2. quæſt. vlt. art. 3. circa ſolutionem ad 3.* addens, nullam intentionem exigi, *Sanchez lib. 5. oper. mor. cap. 5. num 38.* apud quem alij, cum amplius, & cumulatius votum Religionis Epiſcopatu per ſe ſpectato adimpleatur, & ſoluatur. Confirmatur, qui promiſit etiam cum iuramento matrimonium, poteſt Religionem inire, quin faciat contra iuramentum, *cap. Commiſſum de ſponſal. adiuncta Gloſſa, & cõmuni Doctorum ſenſu*, quamuis matrimonium natura ſua, & Religionis ſtatus perpetuitatem pariter habeant, atque indiſtincto genere ſint; ergo nulla eſt *Caietani, Soarij, & Sanchez* ſolutio, requirentium, in commutatione rerum perpetuarum eundem ordinem, & genus vt ſupra. Ex his autem, quam habeat vim tertium, quod pro ſecunda ſententia retulimus argumentum, liquidò conſtat, quodque eludere fruſtra conantur Aduerſarij ex varietate perfectionum, quas Religioſus, & Epiſco-
17 palis ſtatus amplectuntur. Confirmatur, quia Præſulatus tale contrahit cum ſua Eccleſia vinculum, quod, quam à Summo Põtifice, grauibus etiam de cauſis, ab alio ſolui non poteſt, idque abſoluta, qua præditus eſt poteſtate; igitur, quamuis non eſſet Præſulatus tantæ ac eſt perfectionis, & quidem maioris ipſo ſtatu religioſo, ob maius ſanè, quod continet, vinculum; minus ſimplicis voti ligamen procul dubio ſoluet. Nec refert, hæc duo vota compoſſibilia prima frõte videri, cum Epiſcopus teneatur quidem ſuam, quam nactus eſt Eccleſiam, non relinquere; at non tenetur relinquere prius Religionem, ex qua, adimpleto iam voto, gradum poſtea poſſet ad Epiſcopatum facere: non inquam refert; quia, ſi penitius hæc inſpiciantur; incompoſſibilia ſane comperiẽtur; quòd per Epiſcopatum tradit ſe Præſul Eccleſiæ in perpetuum, neque ab alio, quàm à Papa, vt dictum eſt, mutandus; atq; Eccleſia pariter mutuo pacto ſe habet cum Epiſcopo vt *lib. 1. diſp. 1. cap. 4.* demonſtratum eſt; ergo non poteſt tale pactum Præſul inire, abſque animo adimplendi, & cum oppoſito ad Religionem tranſeundi: ſicut de vouente ſtrictiorem Religionem, qui profitetur poſtea laxiorem dixit *Caiet. 2. 2. quæſt. vlt. art. 8 ad 3. & Palud. 4. diſt. 38. quæſt. 3. art. 1. num. 11. & quæſt. 4. art 3. num. 32 Diuus Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 8. Palat. 4. diſt. 38. diſp. 1. poſt. 4. concluſ. Sanch. oper. mor. lib. 4. cap.*

4.*cap.6.num.* 16. Neque in caſu noſtro peccaret quis Epiſcopatum acceptans, quòd adiuncta eſt etiam maior perfectio ſtatus, cum minor ſatis eſſet, vt de vouente ingredi Religionem *num.* 17. ſcripſimus.

18 Probatur præterea quarto argumento ſecundæ ſententiæ, quam noſtro modo amplexi ſumus: cui reſpondent *Maior in* 4. *diſt.*38.*art.*5.*quæſt.*6.*&* *Soar.tom.*2. *de relig. cap.*19.*num.* 23. diſparem eſſe rationem, quia Profeſſus gradum ad Epiſcopatum faciens, non deſierit eſſe religioſus 16. *quæſt.* 11.*cap.*3.*&* *cap. vnico* 18.*quæſt.* quo circa ſtatum ſuperiorem iniret tunc aliquis, non deſerens inferiorem; at verò, ſi ante profeſſionem iniret Epiſcopatum, ſtatu priuaretur religioſo, ad quem obeundum voto ſe ligauerat.

19 At ſolutionem hanc, vt probabilitate non carere abſolutè ſumptam, ita nullam habere vim contra noſtram ſententiam conſideranti patebit. Nam in primis qui votum Religionis emiſit, ſolùm ineundo nouitiatum, ſoluere poteſt, & poſtea ad Epiſcopatum tranſire, & hoc pacto non eſſet Religioſus, atque ad obſeruantias regulares tèneretur; igitur abſolutè, qui vouit Religionem, poterit abſque diſpenſatione Præſulatum aſcēdere, non ſecus ac Religioſus iam exiſtens, poſſet. Deinde, licet aliqua ratione Profeſsū in Epiſcopū promotum, religioſum manere non inficier, at multum religioſæ diſciplinæ, non nihil obedientiæ ac paupertatis deperdere Præſulem religioſum negabit mihi nullus vti *lib.*1.*diſp.*2. *cap.* 6. dictum eſt; cæterum eſto ad multa religioſæ diſciplinæ non obligaretur Religioſus factus Epiſcopus; hoc tamen detrimentum non tanti faciendum merito putatur; quo minus poſſit ad Epiſcopatum tranſire, abſque diſpenſatione, quòd maioris iudicatur eſſe perfectionis ſtatus, quem init Epiſcopalem, ac pluris faciendus, quàm detrimenti afferat, nonnulla iudicata religioſæ diſciplinæ iactura. Quibus in hunc modum conſtitutis argumentor ſic: detrimentum perfectionis religioſæ, ſiue inſtrumentarij medij ad perfectionem, abſolutè acquirendam, iuxta dicta *cap.*6.*citato* tanti momenti non eſt ex communi Theologorū, & Canoniſtarum veriſſima doctrina, vt Religioſum impediat ab ineundo Præſulatu, ob maiorem, quæ in eo claudirur eſſentialem perfectionem: igitur detrimentum perfectionis religioſæ in habente votū religioſæ perſeuerantiæ, ſi prius Religioſus non fieret, non eſt tanti faciendum, quo minus poſſit votum illud munere Præſulatus ineundo extingui: patet conſequentia, quia ſi rectè perpendentur ea, ad quæ tenetur Religioſus factus Epiſcopus, atque exſpectantia ad obedientiam, paupertatem, religioſamque diſciplinam, ad quæ non tenetur; pluris æſtimanda hæc procul dubio ſunt, quàm illa. Et quidem ad caſtitatem pari ratione teneri Religioſum, atque Epiſcopum iam conſacratum: ex voto nimirum, vt ſupra explicatum eſt, abſque dubio ſuppono certum: do etiam Religioſum factum Antiſtitem abſolutum paupertatis, & obedientiæ voto prorſus non eſſe, contra *Angl.Flor.*2.*par.quæſt.varia de vot ar.*2.*poſt.* 13.*difficultatem dub.*5. At maximum eſſe diſcrimen inter paupertatem atque obediētiam Epiſcopi Religioſi, ac ſolius Religioſi, non eſt qui non intelligat, & certè obedientiæ voto in omnibus, etiam ſecundum regulam imperatis, à quocumque regulari Superiore, omnium conſenſu, Religioſus factus Epiſcopus eximitur, licet vni Pontifici teneatur parere, non ſecus ac alij Epiſcopi, nō modo generali, quà cæteri fideles, ſed ſpeciali tenentur obligatione, vt *ſequenti tomo* Deo dante dicemus; quis autem lippis adeo fuerit oculis, vt cæcutiens non videat, quam plura eſſe, quibus eximitur ſiue reſpectu tot Prælatorū regularium, quibus ſuberat Religioſus profeſſus, ſiue rerum, quæ ſecundum regulam ei in diem iniungebantur, quàm quæ à Pontifice ſolo præcipiuntur, cui aliàs etiam peculiari obligatione, quamuis ſecularis fuiſſet obligatus eſſet obedire? Clarius de paupertate hoc licet cernere; nam eſto, in præſentia ad maius robur argumenti, nō ſentiamus cum his, qui Religioſum factum Epiſcopum ab ea prorſus liberant: vt indicant *Sot.lib.*7.*de iuſt.quæſt.*4.*art.*2.*ad vlt.* *&* *lib.vlt.quæſt.vlt.art.vltimo col.*4. *Vazq.* 1. 2. *diſp.*162.*cap.*8.*num.*19.*ad finem ac num.*104. *alijq.* quorum ſententiam expendemus ſuo loco ſequentis tomi, ac penes quam euidentius noſtra ratiocinatio conuincit; illud ſanè omnes fatentur, liberam eſſe huic Religioſo facto Epiſcopo bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem in omnem decentem vſum, quæ præter dominium, illi ante promotionem ad Epiſcopatum prorſus erat interdicta, abſque facultate Superioris Regularis, qua nunc non indiget; immo probabilius forſitan erit, quamuis non ſit à paupertate prorſus liber Religioſus Epiſcopus; hac tamen in parte ita ſolutum eſſe, vt fructibus ſibi obueniētibus vti poſſit ad libitū, quin reſtituere teneatur; quemadmodum neque ſeculares Epiſcopi, (quod ex multis, vt conſcientiæ ſcrupulis conſulat Epiſcoporum, rectè docet *Sanch.lib.*6.*oper.mor.cap.*6. *n.*13.*&* 14.) & poſſe adeo liberè inter viuos Religioſum Epiſcopum de redditibus Epiſcopatus diſponere, quàm licitè poteſt Epiſcopus ſecularis: Deinde exploratum eſt

Re-

Religioſum factum Epiſcopum, ac Magiſtrum perfectionis, religioſarum vinculo regularum quo ad pœnas minimè teneri, neque illis obligari, quæ vel muneri Præſulatus obeundo obſunt, vt nimiæ eſſent vigiliæ, abſtinentiæ immoderatæ, ſilentium, ſolitudo, & huiuſmodi aliæ, vel quæ ſtatum dedecent Epiſcopalem, immo neq; quoad obſeruantias, quæ nec ſemper iuuant, nec ſemper obſunt, in quibus ſecum Epiſcopus poteſt diſpenſare. Qua propter ad pauca redigitur Epiſcopi Religioſi obligatio, quæ vti diſpoſitiones, atque ornamenta, fouent potius Epiſcopalem formam, ac ſtatum, quàm dedeceant, vel obſtent, vt deducitur ex *Diuo Thoma 2.2.quaeſt.183.art.8.aliſq. Doctoribus communiter*, Quę cum ita ſint, euidentibus confectum eſſe rationibus arbitror, pluris eſſe momenti ea, ad quæ non tenetur Religioſus Epiſcopatum aſcendens, quàm ea, ad quæ tenetur; igitur ſi poteſt ex religioſa diſciplina, ſine diſpenſatione, gradum ad Epiſcopatum facere, vrgentiori quidem ratione poterit, ex voto ſimplici Religionis ineundæ, religioſęque perſeuerantiæ ſine diſpenſatione Epiſcopatum inire, quod meo lectori, vel hanc ſolam rationis vim perpendenti ni fallor, liquidò conſtabit.

20 Tandem ad maius argumenti robur, quod *lib.1.diſp.2.cap.6.laudato* artuli, ab Epiſcopali nempe ſtatu ad religioſam vitam tranſire ſine ſpeciali Pontificia licentia Præſulem non poſſe, ſicut à Religioſa vita ſe ad Epiſcopatum conferre abſque diſpenſatione poſſe, textum adduco *cap. licet de regul.* vbi poſt multa, quæ *tomo ſequenti* expendēda ſunt, vbi de votis emiſſis poſt Epiſcopatum agēdum eſt, §. *ſi verò*, conſtat, non prohibere Pontificem Epiſcopo tranſitum ad Religionem, nè Eccleſiam, eo inconſulto relinquat; licet ex hoc quàm plurima ſequerentur abſurda, ſed quod Epiſcopalis ſtatus longè perfectior ſit Religioſo: Quamobrem concludit. *Vnde quando poteſt Epiſcopus praeeſſe, pariter, & prodeſſe, non debet cedendi licentiam poſtulare aut etiam obtinere*. Quid ergo clarius? Quid luculentius ad maiorem Epiſcopatus perfectionem commendandam dici poterat? quam aſſerere, nec bono Præſuli licere facultatem ad Religionem tranſeundi petere, quod vt probè *Abbas ibi nu. 6. Epiſcopus non poteſt deſerere Eipſcopatum, vt tranſeat ad religionem, nec ſufficit ſibi petere licentiam tranſeundi: vnde nec ipſi petere, nec ſuperior concedere debet, ex quo poteſt ſuis ſubditis prodeſſe &c.* vbi rationes muneris perfectioris varias Epiſcopatus ſubdit. Et dubitabit quiſpiam aſſerere ſimplici ligatum, voto Religionis tranſitum abſque diſpenſatione ad Epiſcopatum facere poſſe?

21 Quinta aſſertio. Qui votum Religionis quomodolibet emiſerit, ſuum aperire animum tenetur Pontifici, vt videat, an ei magis Epiſcopatum acceptare, vel Religionem ingredi, expediat; penes quem ſenſum ſubſcribo Auctoribus primæ opinionis, atque hac de cauſa præcedenti cōcluſione de Præſulatu ſecundum ſe cum Religione comparato, atque abſolutè loquutus ſum *num.* 14. Probatur itaque primo noſtra concluſio ex doctrina, quam *num.* 9. præmiſi. Conſtat materiam voti non modo de meliore quolibet bono, verùm de relato ad Voventis ſpiritualem profectum eſſe debere; ſed Epiſcopatus, etſi ſummam ſibi vendicet perfectionem, multa ſortitur pericula, multaſque requirit dotes, animique virtutes, ſine quibus malè conſultum eſſet cum eum Acceptante; ergo ad iudicandum num huic magis expediat, nec nè Præſulatus, Pontifici maximo, cui vniuerſalis omnium incumbit cura perſonarum atque Eccleſiarum, electæ perſonæ conditio exponenda eſt. Dices, etiamſi hic non eſſet voto ligatus, Pontificis intererat, antequam confirmaret, eius expendere conditionem, & qualitatem; ergo nil peculiare circa hunc voto Ligatum adſtruimus, ad quod ſi voto etiam, eſſet ſolutus, ille non teneretur. Verùm, etſi Pontificis ſit, cuiuſcumque in Epiſcopum promouendi qualitates perpendere; cum tamen in ligato Religionis voto longè diſtincta ſit animi conditio, ex qua vel affectus ad ſolitudinem, vel mentis anguſtiæ, nimius timor, ineptitudo in agendo cum proximis, carentia neceſſariæ prudentiæ ad regimen animarum, ad contemplatiuam potius vitam aptitudo, atque alia huiuſmodi, quę Apoſtolico muneri præſulatus maximè ſunt impedimento, poſſunt innoteſcere; idcirco merito cenſemus, opus eſſe ſpeciali examine à Pontifice de huius perſona habito, quæ voto ſe obligauit religionis. Dixi eius conſilij, atque animi expoſitionem neceſſariò eſſe faciendam Papæ, nam verum ipſummet votum aperiendum ſit, ſequenti mox dicemus aſſertione. Confirmatur à paritate commutationis nonnullorum votorū Pontifici reſeruatæ, etiamſi commutanda eſſent in bonum euidenter melius, de qua probè *Sot. lib.7. de iuſt. quaeſt.8. art. 3. conc.4. verſ. at verò quādo Suar. 2. tom. de relig. tract. de vot. lib.6. cap.21. n.17. Azor tom.1. lib.11. cap.18. quaeſt.4. Sanch. lib.4. oper. mor. cap. 54. num.4.* Quæ quidem commutatio, cum ſimpliciter non interdicatur fieri in maius bonum, ſed perſcribatur modus tale bonum eligendi, vt ſit Pontifici reſeruatus, ſternit nobis viam vt pariter in noſtro caſu dicamus, eſto Pręſulatus maius ſit bonum, quàm

Re-

Religioſus ſtatus, ob rationes tamen indicatas à Pontifice iudicandum eſt, num expediat ei, qui voto ligatus eſt, animumque habet propenſum ad religioſam vitam; fauet *Innoc. Papa cap. Peruenit ii 2. ſupra citato* docens, quando eſt dubium an materia voti ſit maius bonum, ſuperioris eſſe indicare num expediat; hic autem, & nunc ex grauitate materiæ abſque dubio eſt Papa Superior, ergo &c. ſic *Diuus Antonin. apud Abbatem ibi num.* 1.

22 Sexta aſſertio. Nõ tenetur electus, vel mox ad Epiſcopatum eligendus Summo Pontifici, Religionis, quo ſe obſtrinxerat, votum aperire. Huic concluſioni non modo ſecundæ ſententiæ ſupra relatæ Doctores ſubſcribere tenentur, quippe qui propria auctoritate in Epiſcopatum conſentire docent, eum poſſe, qui voto deuinctus erat Religionis; verum quam plures ex Auctoribus primę; qui quidem, vt *concl. 8. num.* 24. dicemus, ab hoc deobligant onere Epiſcopum; qui poſt talis voti vinculum, Epiſcopatu iam potitur, quo, vt ſe, de licẽtia Pontificis, abdicet ſecundum eorum opinionem, opus non eſſe ſcribunt Pontifici aperire dictum votum. Probatur concluſio, quia Religionem tantum hic vouerat, non autem declarandi ſuum votum promiſit. Deinde hoc votum non eſt aperiendum ad diſpenſationem à Pontifice habendam, quæ quidem, vt *aſſer.* 4. oſtendimus neceſſaria non eſt: nec tale votum conditionem, ſtatumque perſonæ in ordine ad Epiſcopale, quod ei ſubeundum eſt munus, variat; cum ea quæ poſſent huic dignitati, munerique officere, poſſent ſane ex firmo propoſito atque animi decreto æque, atque ex voto innoteſcere; igitur &c. Confirmatur quia ad renuntiandam Eccleſiam; quam poſſidet, non ſolum Auctorum ſecundæ ſententiæ iudicio, ſed primę etiam, hic, ab exponendi ſui voti obligatione liberatur; ergo à fortiori immunis ab ea cenſendus, antequàm Epiſcopalem Eccleſiam admittat; cum pluris momenti ſit Epiſcopatui renunciare, quàm eum non acceptare. Confirmatur, qui votum emiſit Religionis, dum moralem, vt in Religione admittatur diligentiam facit, non tenetur Superioribus Religionis proprium aperire votum; quamuis eius notitia non nihil ad executionem Religionis conducere poſſet, vt probè *Azor. lib. 11. inſt. mor. capit. 22. quæſt. 9. & Sanch. lib. 4. oper. mor. cap. 116. num.* 54. ergo à pari in re noſtra, vti *concl.* 8. amplius confirmabimus.

23 Septima aſſertio, Epiſcopatu iam inito, habens prius votum Religionis, non tenetur ſe abdicare, ſed ſolum ſuum animum Põtifici pateſacere; qui, vt vniuerſalis paſtor, quid Eccleſiæ bono expediat iudicabit: Melioris notæ pro prima opinione laudati Auctores in aſſerenda huius neceſſitate licentiæ à Pontifice habendę conueniunt, ſic *Azor lib. 11. cap. 16. quæſt. 2. & capit. 22. quæſt. vlt. Sanch. lib. 4 mor. cap. 17. num. 6. Hoſtienſ. in cap. mox citando Per tuas, apud quos alij*: & quamuis admittamus *capit. Per tuas de vot.* &c. de Epiſcopo confirmato, vel conſecrato ſermonem tantum habuiſſe, ſicut nonnulli volunt, adhuc licentiam indigere Præſulem, in hac illorum opinione, probabilius eſt ex *cap. Inter corporalia de transl. Epiſcop.* vbi non poſſe deciditur Epiſcopum confirmatum, inconſulto Papa, & abſque eius facultate Epiſcopatum renunciare; quæ quidem facultas generaliter minimè fit omnibus Epiſcopis ex *capit. Per tuas citato* quod ſanè peculiarem, quam Epiſcopus ille contraxerat obligationem, declarat, facultatemque concedit ad eam ſoluendam, non autem ad caſus futuros, reliquis omnibus Epiſcopis ſe extẽdit, ad quos variæ perpẽdẽdæ ſunt circumſtantiæ *num.* 20. indicatæ; quæ vrgentiores eſſe profectò debent ad vinculum arctiſſimum inter Præſulem, atque Eccleſiam iam contractum diſſoluendum iuxta dicta *lib. 1. diſp. 1. cap.* 4. In noſtra verò ſententia cum diſpenſatio neceſſaria non ſit ad votum Religionis, quod ipſo Præſulatu aſſumpto extingui, ſecundum ſe, docuimus, ſolùm ad aperiendum Pontifici teneri Præſulem ſentimus ſuum primum conſilium; ac tranſeundi deſiderium ad religioſam quietem, eiſdem de cauſis quas *aſſert.* 5. indicauimus.

24 Octaua aſſertio. Epiſcopus confirmatus, vel conſecratus, nullo pacto votum quo ſe obſtrinxerat Religionis Papæ tenetur aperire. Huic concluſioni non modo primæ ſententiæ Doctores ſubſcribere tenentur, qui vti nos votum Religionis, Epiſcopatu inito, extinctum docẽt, ſed quam plures etiã doctiſſimi pro prima ſententia citati tum *num. 7. tum ad finem aſſert.* 6. & expreſſe præſtat, *Sanch. cap. 17. num.* 7. ratio eſt quia id fieri nequiret, in ſententia horum Auctorũ, abſque detectione peccati Præſulis ipſius acceptantis Epiſcopatum, ad quem Præſulatum reijciendum tenebatur ex vi voti; in noſtra vero ſententia dum tenebatur, ſuum tantum animum ante acceptationem aperire, vel cum hoc propoſito acceptare, ex quo Papæ, ſtatus, & conditio ipſius conſtaret, ad iudicium ferendum, de illius ad tantum munus obeundum idoneitate, & id ni præſtiterit peccauit: quod quidem peccatum, Pontifici neceſſariò conſtaret, ſi Præſul propriũ Religionis votum aperire teneretur: hinc fit ad hoc euitandum inconueniens, nullam

eſſe

eſſe obligationem talis voti detegendi; tum
etiam quia vt *aſſert.*6. dictum eſt, nunquam
hic promiſit ſe votum aperiturum. Con-
25 firmatur, quia vt verior habet ſententia, Re-
ligioſus emittens votum de re ſibi prohibi-
ta, licet ad licentiam à Superiore obligetur
petendam, non tamen ad votum obligatur
aperiendum, vt probè *Soar. lib.*6. *de vot. cap.*
7. *& Sanch lib.*4. *cap.*25. ergo à pari. Ne-
26 que vt efficaces pro Auctoribus citatis has
ego rationes adduxerim; ſed vt à fortiori
noſtram probantes concluſionem; etenim
magis cohærenter loqui *Soarium* puto *tom.*
3. *de relig. lib.*1. *de ſtat. perfect. capit.*20. *num.*
10. qui Epiſcopum ad aperiendum Papæ
Religionis votum, factum ante Præſulatum
initum obligat ſaltem, poſt quam petita
diligenter licentia, haberi non potuit; alio-
quin, vt probè idem ratiocinatur, Papa non
poterit ex ſufficienti, quæ deſideratur cauſæ
cognitione, vel diſpenſare in voto, vel licen-
tiam renunciandi negare; quod non ita ſe
habet in voto emiſſo à Præſule, poſt adep-
tum Epiſcopatum, ſemper conditionem im-
bibente ſiue explicitam, ſiue implicitam,
ſi Papa facultatem renunciandi fecerit, vt
proſequitur à *num.*3. *vſque ad* 11.
27 Penes primam opinionem, probabilitate
non carentem, quamuis eius auctores diſpē-
ſationem omninò neceſſariam, cuius tantū
memores, fuere dixerunt.

Sit nona aſſertio. Si votum, ante Præſulatū
habitum, perſeuerandi fuerit in Religione,
vel in ea profeſſionem emittendi, vt *nu.*10.
declaratū eſt; etſi peccauerit is, qui illud emi
ſit acceptando Epiſcopatū, vt ſupra, poterit
tamen acceptato Epiſcopatu, atq; in eo con-
firmato, vel ex Pontificis iuſſu, etiā neſcien-
tis votum, Promotus, ſecum, vel immediatè,
vel medio ſuo Confeſſario diſpenſare. Ra-
tio eſt, quia Præſul electus, & confirmatus,
vel Pontificia promotus ſolùm auctoritate
modo, quo dicturi ſumus *lib.*8. valet vota
diſpēſare, vel commutare etiam propria po-
teſtate immediatè per ſe, vel mediatè per ſuū
Confeſſarium: atqui hoc votum fines non
excedit, neque aliorum votorum, neque Epi-
ſcopalis poteſtatis; ergo poterit in eo diſpē-
ſare Præſul, vel commutatione vti, ita vt
minimè teneatur perſeuerare, ſed bona tan-
tùm fide, ingredi, & experiri Religionem, vel
debita cum diligentia eius petere ingreſsū;
nec tenebitur poſt exitum, ceſſante iuſta
cauſa, iterum ingredi, vt *num.*10. diximus.
Probatur maior propoſitio, quia Prælati, in
quibus votis cum ſubditis poſſunt diſpenſa
re, vel ea commutare, valent pariter ſecum
medio proprio Confeſſario, vt *tomo tertio*
Deo dante dicam cum *Sanch. libr.*8. *de matr.*
*diſput.*3. *& libr.*4. *oper. mor. cap.*37. *num.*41.

quem laudaui, & ſequutus ſum in ſimili caſu
*lib.*2. *diſp.*5. *cap.*4. *num.*13. *ac deinceps*: immò
& immediatè id ſecum præſtare poſſe, dicam
eſſe probabilius; vt loco laudato etiam do-
cui; cùm autem diſpenſatio, vel commuta-
tio voti actus ſit iuriſdictionis, vt ibidem
etiam indicaui, & *tomo ſequenti, ac tertio* ex
profeſſo probabo, Epiſcopo confirmato, vel
à Pontifice promoto, & nō conſecrato cōm-
petit, Minorem verò ſic probo, quia quam-
uis Pontifici reſeruetur votum ingreſſus,
non autem perſeuerantiæ in Religione,
ab eo diſtinctum modo *numero decimo*
adnotato; quia tantùm eſſet in qualitate
voti diſpenſare, quæ nullibi reſeruata eſt.
Deinde iuo iudice, atque opinione lis eſt,
an hoc votum præcisè ad perſeuerantiam
obliget; an potius liceat exitus ex iuſta cau
ſæ, Tyrocinij tempore, ſicut quando aſtri-
ctius Religionis votum; vt oſtendit *Sanch. lib.*
4. *oper. mor. cap.*16. *num.*32. *ac deinceps*. Sed
in huiuſmodi dubijs poteſt Epiſcopus diſpē-
ſare, vt idemmet *Auctor tum loco cit. cap.*40.
*numer.*26. *&* 75. *tum libr.*1. *cap.*10. *numer.*74
*Soar. tom.*2. *de relig. tract. de vot. lib.*6. *cap.*26.
num. 6. & nos ſuo loco *Tomi tertij* dicemus;
ergo, &c. & hanc ipſam Epiſcopi facultatem
in re noſtra probè docent *Hoſtien. in ſumma*
*tit. de vot. & Sanc. lib.*4. *oper. mor. cap.*40. *nu-*
*mer.*75.
28 Hinc ſequitur, Epiſcopum conſecratum,
à fortiori, poſſe in voto aſſerto diſpenſare,
nè ipſe teneatur perſeuerare in Religione,
ſed ſi per Pontificem licuerit, tantùm eam
experiri, vt ſupra in ſimili diximus *lib.*2. *di-*
*ſput.*5. *cap.*4. *num.*13. *ac deinceps*.
29 Ad primum primæ ſententiæ ex *cap. Per*
tuas adductum argumentum *num.*7. dicimus
ex eo capite nil concludi, vt *num.*5. *&* 6. pro
batum eſt, & docet *Sà verb. Epiſcopus num.*2
Addo, negari mihi non poſſe, dubium eſſe,
ad quod nam, votum illud Epiſcopi obliget:
in dubio autem obligat votum ad id, quod
minus eſt, & non ſemper ad tutius, vt docet
*Sanch. lib.*4. *cap.*16. *num.* 86. *& lib.*1. *cap.*10.
*num.*31. *&* 36. Immo etiamſi certi ſumus de
lege, vel præcepto, vt de hoc ſumus Pontifi
cis decreto, dubitaremus autem, an votum
Religionis emiſſum, Emittentem obligaret,
vel quia Pontifex id non propriè præciperet,
ſed conſilium dederit, vt multi in eo textu
ſentiunt, docentque ſecundæ opinionis Au-
ctores: vel quia non ex vi voti, ſed ob ſcan-
dalum, atque ob alias rationes id decreuerit
Papa, ſicuti nos *numero quarto, &* 5. tradi-
dimus, ac proinde, an canon, quem præ ma-
nibus habemus ipſiſſimum noſtrum ample-
ctatur caſum, dubia res eſſet, in hoc inquam
dubio, probabilius cenſet *Salas* 1.2. *quæſt.*21.
*art.*8. *diſput. vnica ſect.*25. *num.*258. *& Sanch.*

libr.1.oper.mor.cap.10.num.33. non obligare, quia tunc perinde eſt, ac dubitare, an ſancita ſit lex de illa re: intercedente verò dubio, num lex lata, nec nè ſit, compertum mihi eſt non obligare, vti probè *Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 45. n. 3. in comment. littor. P. Eman. Sà ſum. verb. dubium* Soar. *5. tom. in 3. part. diſp. 40. ſect. 5. num. 18. & alibi, pluresque alij apud hos*; cum tota poſſeſſio pro voluntatis libertate ſit. Deinde, quia nullus obligatur, lege ſufficienter ei non propoſita; ſed quando moralem poſt diligentiam aliquis manet anceps, an ſit lex in hoc caſu lata, non cenſetur ei ſufficienter propoſita; igitur etſi ſpeculatiuè dubius maneat, an lex ſit lata; practicè tamen reddere ſe ipſum certum quis poteſt non obligari.

30 Secundo reſpondemus argumento. Votum ſolius Religionis impleri poſſe, quin aliquid addat Epiſcopatus perfectioni; quando nimirum quis, vel facta morali diligentia, atque admiſſus, a[illegible] [illegible]liud non teneretur, vel nouitiatui adſcriptus, atque experimento doctus, ſibi non expedire ſtatum Religioſum ex ipſa Religione egrediens, nec etiam teneretur, vt ſupra dictum eſt. Quamobrem abſolutè ſumptum, falſum eſſe argumentum allatum liquidò conſtat. Deinde licèt per profeſſionem religioſam votum compleatur vel Religionis, vel perſeuerantiæ, non eſt tamen tanti faciendum id; ad quod Religioſus factus Epiſcopus tenetur, quanti æſtimandū id, ad quod non tenetur, vt *aſſert. 4. num. 19.* demonſtraui; & tamen ſi Religioſus profeſſus poteſt abſque diſpenſatione gradum facere ad Epiſcopatum, quid ni poterit ſimplex tantum Religionis votum habens, illud extinguere, ſumma Præſulatus perfectione?

31 Tertium argumentum omninò negamus, vti falſum à nobis demonſtratum *lib. 1. diſp. 2. cap. 1. & 2.* Ratio, autem cur votum Epiſcopatus validum non ſit, prò præſenti inſtituto, infra tamen luculentiùs examinanda, illa quidem eſt, tum quia de facto alieno, atque illius, cuius eſt eligere, vel promouere ad Epiſcopatum votum cenſeretur nuncupatum: at omnium conſenſu, factum alienum materiam per ſe non eſſe voti, conſtat; neque valet dicere dictum votū eſſe de adhibenda diligentia ſibi Præſulatum procurandi, quòd hanc plerumque illicitam eſſe *ſeq. diſput.* dicemus, ex cuius dilucidatione hæc omnia clariùs patebunt; tum quia, vt *numer. 21.* habuimus, non eſt proprij arbitrij, atque iudicij ſe aptum ad tantum munus iudicare, ni audaciſſimus, ac ſuperbiſſimus velit quis eſſe mortalium, ſed Summi Pontificis, cui vniuerſalis incumbit Eccleſiæ cura, vt *ſequ. diſp. cap. 1.* vberius dicendum eſt, & vt *cap. 2.* an votum acceptandi validum ſit.

32 Ad quartum, nihili faciendum eſſe reſpōdemus detrimentum Religionis amiſſæ, cui Epiſcopatum fatemur eſſe impedimentum, ea ſola ratione, quam ex *Innocentio III. Pontifice Maximo* indicauimus *num. 20.* ob ſummum, quod intereſt diſcrimen inter vtramq; vitam, & ſi religioſa Epiſcopalis longè præſtantior ſit.

33 Quinto demum argumento nihil eſſe vitium oſtendimus *aſſert. 4. num. 19.*

DISPV-

DISPVTATIO II.

Præſtantiſſima dignitatis Epiſcopalis ſedes procuranda nè, vel fugienda ſit?

Quam è ſuperiori diſputatione ſibi vendicaret facilitatem hæc quæſtio, ipſius mihi materies denegat; *tollit enim* (vt cum Romano Oratore loquar) *ſimulatio iudicium viri, idemque adulterat*. Et quidem operoſum non eſſet ab Epiſcopali dignitate ambitioſos arcere, virtute verò, ſapientiaque præditos accerſere; at vbi hinc vrgent, qui humilitatis perſona nauſeant, ac ſpecie recuſantium flagrantiſſimè cupiunt infulam: hinc ſinceri, qui ſanctiſſimorum virorum veſtigijs inhærentes prò viribus eam fugiunt, quis cometas à ſtellis, cicindelas à luncernæ flammulis diſtinguet, mihi magnus erit Apollo. Illud me, non ſine animi dolore, non præterit, hac noſtra tempeſtate, in odium nonnullorum paſſim Epiſcopale munus carpentium illud adeò incurriſſe, vt prorſus videatur iacere, ac reliqua, quæ apud quoſque improbantur: neque prudentis, neque ſapientis eſſe facilè reor, quod à Deo optimo maximo culmen perfectionis; Doctoris nempe, ac Paſtoris officium Reipublicæ Chriſtianæ datum, id in vitio eſſe docere, atque exoſum reddere, cuius penè nomen horreant mortales; & quod caput eſt indiſcreto, nè dicam liuido, nonnullorum crebro ſermone perfici, vt adeò in malis Præſulatum eſſe, plerique ducant, quod præſcitorum numero Antiſtites quoſque ad ſummam perniciem Eccleſiaſticæ dignitatis, atque regiminis comprehendi parum abeſt, quin imprudenter, ac temerariè aſſerant. Quamobrem cauendum maximè cunctis eſſe putauerim, nè hoc præiudicio ab Apoſtolico munere viri tali dignitate digni abducantur; Epiſcopatuſque votis pateat homuncionum. Demum bono Præſules animo eſſe iterum, atque iterum rogo; dum Epiſcoporum, atque animarum noſtrarum Epiſcopi Chriſti inſiſtunt exemplo, cuius myſterium, ac Seruatoris munus alijs ſtultitia, Auctore *Apoſtolo 1. ad Corinth. 1.* fuit, alijs ſcandalum. Cæterùm hac de materia Apologeticum primum magni Theologi Nanzianzeni Lector meus adeat, ad cuius finem multa profectò reperiet admiratione digna, ab illo Doctorum Magiſtro allata, ex quibus tacere non poſſum, quam hìc ſubijciam ſententiam. *Ac videte quàm rectè, & iuſtè vtriuſque metus cauſam diſceptem; nimirum, vt nec minimè oblata præfectura cupidè appetatur: nec oblata repudietur. Illud etenim temerarium eſt hominum, hoc præfractorum, & contumacium, vtrumque verò ineptorum. Atque ipſe inter nimium audaces, &*

nimium ignauos, & timidos quodammodo interiectus ſum, nempe ex his, qui ad præfecturas omnes temerè proſiliunt, timidior: & ijs rurſus, qui ab hominibus abhorrent, præſidentior. Hæc de his rebus mea eſt ſententia. Atque vt dilucidiorem adhuc diſtinctionem adhibeam, ei, qui gubernandi gregis curam ſuſcipere metuit, lex quoque ipſa obedientiæ, opem tulerit, Deo videlicet, benignitate ſua, fidem remunerante eumque in modis omnibus abſolutum Antiſtitem componente, qui ipſius præſidio nititur, omneſque in eo ſpes ſuas poſitas habet. At inobedientiæ periculo haud ſcio, quanam lex opem allatura, fiduciamque imperatura ſit. Verendum enim eſt, nè de ijs, qui fidei noſtræ commiſſi ſunt Ezecchiel. 33 hoc audiamus: Animas eorum de manibus veſtris requiram: & quemadmodum repuliſtis me; nè Populi mei Duces, & Principes eſſetis: ita & ego repellam vos, nè ſim vobis in Regem. At rurſus, quemadmodum non exaudiſtis vocem meam, ſed dorſum aſperum dediſtis, & contumaces fuiſtis: ſic erit, cum inuocaueritis me, ego autem non reſpiciam ad orationem veſtram, nec exaudiam. Vtinam hæ voces ad nos à iuſto Iudice non mittantur, cui vt miſericordiam cantemus, iudicium quoque profectò concinimus.

CAPVT PRIMVM.

An liceat Epiſcopatum ambire, quærere, optare.

S V M M A.

Quid ſit ambire, quid ambitio, quid ambitus. num. 1.

Bonum eſt duplex, abſolutum, & reſpectiuum. num. 2

Epiſcopatus partes. nu. 3.

Actus moralis ex diuerſis rationibus formalibus ſuam ſpeciem accipit. nu 4.

Quod ſit humilitatis fundamentum, vt diſtincta à magnanimitate. num. 5. & 6,

Ex ſe nihil mali Præſulatus imbibit. numero 7.

Quicquid ex parte obiecti conſideretur in Epiſcopatu deſiderari poteſt. n. 8.

Ex obiecto formali potius quàm ex materiali, bonitas, vel malitia deſumitur actus. num. 9.

Prò varietate motiuorum formalium bonus, vel malus erit appetitus infulæ. n. 10.

Dummodo primario Præſulatus ob finèm ſpiritualem ac ſupernaturalem virtutis optetur, ſecundario verò quo ad reliqua temporalia cum eo connexa riteque adminiſtrāda, deſiderari poteſt. nu. 11.

Licet intentius, non tamen appretiatiuè magis optentur temporalia Præſulatus non idcirco peccatur mortaliter. ibidem.

Si ex motiuo virtutis primario maior deſideraretur Epiſcopatus, ſecundario poſſent eius temporalia optari. num. 12.

Diſſeritur de Epiſcopatu in ordine ad quemcumque conſideratum. nu. 13.

Qui merito ſe putat ineptum ad Epiſcopatum, vel defectu ſcientiæ, vel alio ſimili, eum deſiderando peccaret mortaliter. numero 14.

Hoc autem peccatum ad varias vitiorum ſpectare poterit ſpecies prò varietate motiuorum voluntatis. nu. 15.

Si ex humili ac demiſſa ſui notitia exiſtimatio indignitatis proueniret, & ex neceſſitate Eccleſiæ Præſulatum optaret mereretur, nè dū peccaret. num 16.

Qui præpoſterè ob temporalia Præſulatum opteret, ac quæreret, mortaliter ex ſe peccaret. num. 17.

Epiſcopatum appetens, poſtea bonis, vel malis artibus conſequendum, mortiferè peccat. nu. 18.

Poteſt quis ad Præſulatum ſe noſcere aptum ſine peccata. num. 19.

Periculoſum ad minimum eſt, ſé omni ex parte Præſulatu dignum putare. num. 20.

Qui nonnulla cognoſceret ad Epiſcopatum habere ornamenta, ob neceſſitatem Eccleſiæ, vel ob grauiſſimam aliā cauſam poteſt Epiſcopatum optare. num. 21.

Perfectiùs quidem eſt vocari ad inſtar Aaronis ad Epiſcopatum; non tamen peccatum erit ſua exponere talenta Pontifici, ac deſiderium, ſe, ſuaque dicendi ad hoc Apoſto-

lieum

licum munus obeundum. numero vigeſimo, ſecundo.

Animos addit Auctor Epiſcopis. numero vigeſimotertio.

Quando minus idoneus poteſt Epiſcopatum deſiderare, atque in illum eligi. numero 24.

Quando bonum commune præferendum ſit particulari, ibidem.

Ratio cur liceat ad beneficium, & paræſias ſe exhibere ſcientiæ periculum &c. ſecus autem ad Epiſcopatum. num. 25.

1 NOtandum primò, quamquam ambire latinè vndique cingere, ſiue circumire ſignificet, vt apud *Virgilium* videre licet 6. *Aeneid.*

Quæ rapidas flammis ambit currentibus amnis,

quia tamen Romanis, honores, ac magiſtratus quærentibus ſingulos circumire mos erat, prænſare dexteras, rogareque ſibi ſuffragia, hinc ambire ſignificationem accepit, honores quærendi: ex quo ambitus nomine in iure crimen eſt affectati honoris, vt in *ff. & C.* quòd non qualibet ratione eſt illum quærere, ſed ſupra modum, & ſæpe ſæpius malis etiam artibus: contra quem ambitū meritò optimæ ſanctæ ſunt leges per ius etiam ciuile, vt *leg. Iulia, Calphurnia, & alia.*

2 Notandum ſecundò ex *vlt. præced. diſp. cap. num.* 9. nonnunquam bonum conſiderari poſſe per ſe, atque abſolutè, quod tamen alicui non erit tale.

3 Notandum tertiò ex *Diuo Thom.* 2. 2. *q.* 183. *art.* 1. *in corp.* Præſulatum quaſi in partes eſſe diſtributum tres, quarum Princeps, finiſque vicem gerens functio eſt Epiſcopalis, Proximis proficua ex *Ioan. vlt. Paſce oues meas*, &c. Alia eſt gradus ſublimitas, ſine qua regi populus nequit, *Matth.* 25. *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, vt probè *Auguſt. relatus* 8, *quæſt.* 1. *cap. Qui Epiſcopatum.* Poſtrema quæ primarum effectus eſt, eaſque ſubſequens, honor nimirum, debitaque tali dignitati reuerentia, non ſine temporalibus ad eam, atque ad vitam ſuſtentandam ſufficientibus bonis ex 1. *ad Timot.* 5. *Qui benè præſunt Presbyteri duplici honore digni ſunt.*

4 Notandum quartò, Philoſophorum moralium, ac Theologorum conſenſu, voluntatis actum, cum ad ſuum fertur materiale obiectum ex ratione formali ſumere ſpeciē, qua vna exiſtente, licet materiale ſit multiplex, vnicus ſpecie erit actus; vt patet in amore Dei, & Proximi, propter ipſummet Deum: è contra verò licèt vnicum ſit materiale obiectum ſi plures fuerint rationes motiuæ, plures etiam erunt diſtincti ſpecie actus, ſic circa Deū verſantur fides, ſpes, & caritas, diſtinctæ quidem ſpecie virtutes, ex diuerſis rationibus formalibus. Hinc conficitur actus fere omnes, qui verſantur circa media, eiuſdem eſſe ſpeciei, atque actus tendens ad finem, quando nempe finis, & mediorum, formalis eadem eſt ratio; in quo quidem ſenſu idem valent hęc tria, obiectum formale: ratio motiua: & finis; qui eſt motiuum obiectum voluntatis, à quo pendet, vt docet *Sanctus Thomas* 1. 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. & *quæſt* 8. *art.* 4 *ac alibi*, & ex quo ſuam ſumit ſpecificationem.

5 Notandum vltimò. Vnicum eſſe humilitatis fundamentum, notitiam, ſcilicet, propriæ vilitatis; animus enim, & corpus ex ſe ſpectata, tot laborantia defectibus, valent veram parere propriæ infirmitatis notionem, ſiue ſimplicem, ſiue compoſitam; eſto humilitas propria ſit voluntatis virtus, moderatè inclinans in propriæ complacentiam excellentiæ, qualiſcumque fuerit, atque in cohibitione appetitus, maioris, ſupra propriam dignitatem, ſita tamen, tanquam in radice, ac fundamento in iudicio modo declarato.

6 Diſtinguitur autem à magnanimitate humilitas, penes aliquos, ex contrario tendendi modo in materiale obiectum. Illa enim impellit ad ardua, quæ difficultate animum abſterrent, atque in deſperationem agunt: hæc à ſpecioſis, magniſque reuocat, quæ animum ſuo alliciunt ſplendore: illa retrahit animum à rebus excelſis ſupra hominum vires, diuinis etiam donis exornatas: at hæc auertit ab omnibus ſpecioſis ſuperantibus humanam conditionem, ſecundùm ſe ſpectatam: ex quo patet, etiamſi in compeſcendis hominum deſiderijs, atque affectibus, nè vltra quàm par eſt, latiùs pateant, hæ conueniant virtutes; quòd id tamen ſub diuerſa formali præſtant ratione, diſcordi concordia diſtingui, & conuenire: neque adeò coercet affectū humilitas, nè feratur ad aliquod arduum, ac ſublime, extra fines propriæ imbecillitatis, ex ſe ſpectatæ, vt impediat, nè viribus, doniſque à Deo acceptis, velut ab Auctore naturæ, vel gratiæ fretus homo, illud ipſum appetat, contemptiſq; difficultatibus; atque arduis ſuperatis per magnanimitatē comitem, conſectetur, dum ſe omnia poſſe cum Apoſtolo putat in eo, qui ipſum confortat; probè igitur *D. Greg. lib.* 6. *in* 1. *reg. c.* 16. *ea exponens verba cap.* 6. *Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Meritò (inquit) *paruulus iſte dicitur oues paſcere; quia Electus quiſque humilis eſt, & ſterilis non*

paſcere; quia electus quiſque humilis eſt, & ſterilis non eſt, quia quotidie magna agit, ſed de ſe magna non ſentit. Addo humilem paruulum, atque abiectum eſſe non à Deo atque apud Deum, ſed à ſe atque apud ſe ipſum, qui quamuis cum alijs collatus fratribus, quemadmodum Dauid, illorum ineptiſſimus videretur, meritò tamen paſcendas ei dabantur oues, quia præ cæteris ad illud munus (quod figura erat Paſtoris noſtri ſpiritualis) aptior habebatur. Hæc exploratα hunc attuli Theologorum conſenſu, vt licet videre apud *Diuum Thomam. 2. 2. q. 161. eiuſq. interpretem* Caietan. *art.* 1. neque pro aſſerta ac definita trado doctrinam, an reuera humilitas à magnanimitate differat, quas ſcio *Martin. de Magiſt. quæſt. 1. de humilit.* vnam eandemque eſſe virtutem docere; ſed varios actus operæ prçtium duxi ad præſentis dilucidationem quæſtionis, indicare, ſiue eiuſdem ſint habitus humilitatis, ſiue humilitatis, ac magnanimitatis.

7 Quibus in hunc modum conſtitutis, ſit prima ad quæſtionis ſolutionem aſſertio: Nihil quòd in Epiſcopatu imbibitur malũ eſt: hanc omnino certam concluſionem eſſe puto, à qua diſcedere Auctorũ arbitror nullum, ſiue ſacrum ordinem, ſiue ſtatum perfectiſſimum, ſiue dignitatem ei neceſſariò cõnexam, ſiue honores, ſiue Eccleſiaſticos redditus ritè, prudenterque ab Eccleſia, & Pontifice Maximo ſtatutas ſpectes: & confirmari argumentis poteſt, quæ ſibi in contrarium obijcit *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 185. art.* 1. de hac controuerſia diſputans.

8 Secunda aſſertio. Quicquid in Epiſcopatu eſt ex parte obiecti ſpectatum, rectè, ac virtuosè deſiderari poterit. Hanc *Diuus Paulus* docuiſſe ſententiam aio *ad Timot. 1. cap. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*: In hanc etiam expreſſe abijſſe *Sanctum Thomam modò laudatam in corpore art. 1. Soto interprete de iuſtit. lib. 10. qu. 2. art. 1 concl. 5.* quibus ſubſcribit *Tolet. lib. 5. ſum. cap. 3. num. 1.* quatenus, ſecundum ſe appeti poſſe Præſulatum docet, nec non *Emanuel Sà ver. Epiſcopus 3.* alijque. Neque diſcrepant Sancti Patres, ac reliqui Doctores, vt mox ſequenti dicam aſſertione. Probatur, quia, cum omninò compertum ſit, quicquid imbibitur in Epiſcopatum, eodem quo à Chriſto Domino, atque ab Eccleſia ſtatutum eſt ordine, bonum eſſe, vt obiectum ſpectatum; Et cum pariter conſtet ſuam ſortiri malitiam, vel bonitatem, actum ex ratione formali, vt *notab.* 4. demoſtratum eſt, cohærenter conficitur, actum deſiderii ad illud tendentem, bonum eſſe; quod è ſequenti concluſione patebit magis, cum potius ex obiecto formali, quàm ex materiali; quod hucuſque aſſeruimus bonum, in Epiſcopatu, & malitia, vel bonitas deſumenda ſit actus.

10 Sit tertia concluſio. Prò diuerſitate rationum, ac motiuorum formalium, obiectũ materiale Præſulatus ſecundum ſe bonitate non carens, poteſt benè, vel malè deſiderari. Probatur, quia qui Epiſcopalem optaret operationem ob Dei amorem, vt Proximis ex charitate prodeſſet; procul dubio ſatis ſuperque laudabiliter ageret, vt probè *Diuus Thomas citatus*; qui autem primario, ac vti propter finem, Epiſcopatum ratione annexorum bonorum temporalium appeteret ex cupiditate, atque ambitione id profectò facere conuinceretur, vt proſequitur idem *Sanctus Doctor ex Matth 23.* afferente Dominum loquentem contra Phariſeos. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Qui autem optaret Epiſcopatum ad celſitudinẽ gradus conſequendam, atque ex eius cupidine, eſſet ſanè præſumptuoſus, vt idem ait Angelicus, vel potius, vt ego arbitror; ambitioſus, vt mox dicam *concl.* 4. in quem ex eodem Auctore Domini verba faciunt *Matth. 22. ſcitis quia Principes gentium dominantur eorum. &c.* Dixi primario, & propter finem, quia (quod probè notant *Sotus in dubitatione poſt 5. concluſ. & Tolet. citatus num. 3.* quamuis, vt ob-
11 iectum directum referre deſiderium in bona temporalia, ſiue honoris, ſiue celſitudinis, ſiue diuitiarum, ex ſuo genere vitioſum ſit, & quidem mortaliter; cum peruerſus affectus eſſet, pro Præſulatus Apoſtolico munere (quippe quod eſſe deberet principale intentum) temporales optare quiſquilias; nihilo tamen minus, ſi abſolutè recto cum ordine, vt inſtitutus in Eccleſia Præſulatus habetur, in voris eſſet; abſque aliqua peruerſitate, & quidem vt finis functionum, ex caritate, vel alijs virtutibus exercendarum, nullum ſanè peccatum intercederet, etiamſi cõſequenter cętera temporalia, vel vt inſtrumenta ad rectè munera Epiſcopalia obeunda, vel vt media, vel aliqua alia ratione conſequentia, deſiderarentur; adminiſtranda tamen ritè ſecundum ſacros Canones Chriſti, atque Eccleſiæ præcepta, vt probè *Nauarr. conſ. 17. num. 7. ſub tit de ſent. excom. Tolet. & Sot. citati.* Addo tametſi intentius diuitiæ vel honores appeterentur, quàm Apoſtolicum Antiſtitis munus, non idcirco peccatum eſſet mortale, dummodo munus Epiſcopale, & primario, & magis appretiatiuè diligeretur, hoc enim modo, ſi Deus amatur, licèt intentius ametur Proximus, vt in materia charitatis dicitur, mortaliter minimè peccatur, ſic *Valent. ex communi ſenten-*

tia

tiâ 3.tom.diſp.3. punc.2. de charit.

12 Cohærenter etiam aio, ſi ex recto motiuô maior Epiſcopatus deſideraretur, rectè, ac licitè tum ipſe primariò, tum redditus, honoreſque ſubſequentes optarentur ſecundariò, quod ſi ex malo motiuo Præſulatus primariò, etiam ſubſequentia ſecundariò male appeterentur; fiat res exemplo clarior. Epiſcopatus pinguior in deſiderio alicuius ſi eſſet, ad quem libera ditiorum beneficiorum etiam collatio ſpectaret, eo conſilio, vt per eum Epiſcopus cognatos non egentes, ſuoſque familiares ditare poſſet, eſſet profectò mortaliter peccaminoſus hic actus, vt benè laudatus *Nauar. de oratione miſcell. 42. nu. 2. & Barboſ. de Epiſco. mun. tom. 1. gloſſ. 1. nu. 10.* ſecus verò ſi ad maiores exantlandos labores, ad maiorem curam animarum ex maiore earum zelo, ad liberalius effundendas in pauperes pecunias ditiorem quiſpiam exoptaret Epiſcopatum.

13 Hactenus de Præſulatu ſecundum ſe ſpectato, tum inadæquatè, tum adæquatè ſumpto loquutus ſum, quia tamen vt *notab. 1. præcedentis diſp.* indicaui, quod ſecundum ſe bonum eſt, poſſet cuipiam haud eſſe tale, idcirco eodem ordine ſeruato reliquis aſſertionibus quid de Præſulatu ſentiendum ſit ad quemlibet relato aperiam.

14 Quarta concluſio. Qui merito, neque tantum ex humilitate, exiſtimans ſe indignū Epiſcopatu, defectu v. g. ſcientiæ, vel reliquorum ornamentorum ad tale munus deſideratorum illud tamen appeteret, peccaret mortaliter; ita communiter Doctores, atque expreſsè tradit *Tolet. citatus num. 2. in 1. reg.* Ratio eſt, quia deſideraret illud, quod habere, graue peccatum eſſet, neque id ſequitur Epiſcopatus defectu, ſed perſonæ.

15 Ad varias autem peccatorum ſpecies hoc peccatum ſpectare poſſet prò malitia rationis formalis, ob quam optaretur Epiſcopatus, vel cupiditatis, vel ſuperbiæ, vel alterius, vt ſuperiore aſſertione dictum eſt; ex parte autem obiecti materialis, vel poterit eſſe cōtra Religionem ob ſacramentorum adminiſtrationem, cæteraque munera, atque officia ſacra, quæ indignus obire ille cuperet, vel contra iuſtitiam ſi ineptus eſſet ad regimen habendum animarum, etiam in externo foro ad quod ex iuſtitia tenetur, vt docet *Valent. 3. tom. diſp. 30. quæſt. 3. punct. 2. in principio, & ſequenti tomo* nobis explicandum eſt. Dixi in concluſione *merito, & non ex humilitate*; nam poſſet quis verè ex vilitatis propriæ notitia, ſe coram Deo conſiderare atque agnoſcere, qualis ſit tum animo, tum corpore: quibus ignorantiæ tenebris offuſus: quàm ad malum pronus: ad bonum lentus: atque imbecillis viribus: quantis obnoxius peccatis: ex ſe nihil habere boni, nihil poſſe, nihil eſſe; hic inquam qui adeo humiliter de ſe ſentiret ſi ex vrgenti v. g. neceſſitate deſideraret, vel quæreret Epiſcopatum, non modò non peccaret, ſed virtuosè procul dubio faceret, de quo, ac ſimilibus *Sanctus Gregorius epiſt. 5. lib. 6.* hæc ſcribit. *Quia vero ad hoc opus adacti eſtis, infirmos vos eſſe dicitis; ſcimus quia prima virtus eſt cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus poſſe vos bene ſuſceptum miniſterium implere, quia vos videmus infirmitatem propriam ex humilitate cognoſcere.*

17 Quinta concluſio. Qui præpoſterè Præſulatum ob diuitias vel honores optaret, quæreretque, peccaret ex ſuo genere mortaliter prò malitia rationis formalis, Patet ex *3. concluſ.* & præter ibi citatos Doctores *Val. 3. tom. diſp. 10 punc. 2. §. ad hoc reſpondet, videnda præterea ſunt dicta concluſ. 3. præſertim à num. 11.*

18 Sexta concluſio. Si quis Epiſcopatū appeteret, bonis, vel malis artibus poſtea conſequendum, ex ſe mortaliter peccaret, etſi probabiliter ſe dignum crederet, ſic expreſsè *Tolet. lib. 5. ſum. cap. 3. num. 3. reg. 2.* tum quia ſi non incurrit peccatum ambitionis, præſumptionis, vel ſuperbiæ, vt infra *concluſ. 7.* quod difficilè admodum erit, hoc quidem effrenato circa rem tanti momenti appetitu, contra rationem, quo media illicita, virtualiter ſaltem amplectitur, peccabit ſanè prò qualitate malitiæ rationis formalis, ex qua moueretur, vt ſæpè dixi; & plerumque ambitionis, vt patet ex *initio huius cap.* vbi ethymologiam ipſius nominis declarauimus.

19 Septima concluſio. Poteſt quis ſine peccato, ſe quòad multa ad Epiſcopale munus neceſſaria noſcere aptum. Probatur, quia poteſt ex legitimis ſe natum parētibus ſcire: in enormia, & grauia peccata, quę impedimento ſunt Epiſcopatui, nunquam lapſum: nulla cenſura, vel irregularitate irretitum: ſcientia præditum, & theologica cognoſcere ſapientia exornatum, quam vel docuit, vel publico documento patefecit; immò, & Doctoratus gradu inſignitum: atqui horum, & ſimilium ad Epiſcopatum ſpectantium notitia nulli opponitur virtuti, per ſe loquendo, ni fœdo inficiatur affectu; ergo poterit horum notitia ſine peccato haberi. Maior propoſitio huius ratiocinationis eſt certa; minor probatur, quòd humilitati maximè aduerſaretur, ſi alicui virtuti adducta notitia opponeretur: ſed nulli opponitur; ergo, &c. etenim humilitas veritatem non abhorret; quare, tametſi quis ſuam ex ſe vilitatem agnoſcat, & ſine Dei ope, à quo in ſuo eſſe, atque in conſeruari pendet, abſq;

cuius

ſua perturbauit hæreſi. Quid de impudenti dicam inſania Mõtani, & Nouatiani? qui in digni ab Eccleſia habiti, vt in Antiſtites eligerentur, Paracletos ſe eſſe impiè dixerunt, ac vẽditarunt apud *Theodoret.lib.3.de hæreſi Fab.& Euſeb.lib.2.hiſt.cap.33.* Quid de Sabellio? de quo *Sanctus Epiphanius hæreſi 57.* quòd paſtorali minus dignus habitus ſit baculo, virgam exſtons ſibi aſſumpſit Moyſes, quem ſe eſſe per ſummam ſtultitiam oſtentauit: hac etiam tetra correptus ambitionis caligine Arrius in eos cæcos incidit errores, quos per tot annos Catholica luxit Eccleſia; quam Anthore Socrate fœdauit etiam hæreſi Sabatius ob ambitionẽ Præſulatus, quem aſſequi minimè potuit. Verùm ſi omnia monſtra è ſuperbia, ambitione, odio, atque inuidia compacta vellem enumerare faſtidium ſanè Lectori meo parerem; quamobrem huic enarrationi faſtigiũ imponat diabolica Vuclefi ſuperbia, quem ambitio à ſpe præſulatus deijciens infamem efformauit Hereſiarcham. Dixi *pericoloſum*, quod affectam notitiam arbitror radicem eſſe, quam de ſe quiſque haberet, tum præſumptionis, tum ambitionis, tum ſuperbiæ, quæ in voluntate conſumantur peccata, à quibus, vel à proximo eorum periculo, perdifficile quidẽ eſſet excuſari adeò ſuperbè de ſe ſentientẽ.

21 Nona concluſio. Qui quoad aliqua, ſe putans idoneum (vt ſupra *num. 19.* dictum eſt) neque zelo proximis operã ferendi deſtitutum, vrgente neceſſitate Eccleſiæ, hæreſibus, vel alia calamitate vexatæ, atq; afflictę, cui ſe dicare deſideraret; & optare Præſulatum, & quærere poſſet ſic *Diuus Thom. in corpore citatus ex Diuo Gregorio in Paſtor. 1. part.cap.8.* circa medium aſſerente, tunc laudabile ſanè fuiſſe Præſulatum quærere, *quando per eum quemquam dubium non erat ad ſupplicia graniora peruenire*: ſubſcribunt cæteri Auctores, & expreſſe *Tolet. laudatus num. 2.* & ratio eſt quòd ſine res penſetur ex laboribus atque difficultatibus ſuperandis, quas tenetur ſubire, qui ſub his circumſtantijs Epiſcopatum init, ſiue ex Eccleſiæ neceſſitate, illud ſane conficitur, vt tantam errandi occaſionem non habeat quiſpiam in iudicio de propria aptitudine ferendo, quando moraliter certius eſt ex amore diuino, atque zelo Proximorum tantum, ſe mouere ad põdus Epiſcopale ſubeundum; Quo circa non eſt, cur is peccati damnetur, neque dici poteſt ex præſumptione, ambitione, aut ſuperbia pericula Præſulatus adire, quando ſub honeſtis dictis rationibus monetur. Aſſertæ vero neceſſitatis caſus eſſet Auctore *Valen.3 tom.diſp.10.cap.3.punt.3.col.mihi* 1857.*verſ. caſus* ſi alicubi, aut propter nonnullorum malitiam, indignus præferendus eſſet Eccleſiæ, vel ineptus ad hæreticas euitandas fraudes, hoſteſque catholicæ veritatis conterendos, vel alia graui de cauſa, vt cum ob labores ac vitę pericula, quotuſquiſque Prælatus recuſaret munus. Quamobrem merito *Aluarus Pilgius lib.de plant. Eccleſ.18.ſic explicat locum Pauli ad Timot. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus, ideſt martyrium deſiderat*, illo (addit) tempore ab *Apoſtolo* illam ſententiam dictam eſſe, *ſi quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat.* quo quiſquis plebi præerat primus ad martirij tormẽta trahebatur, tunc ergo fuit laudabile Epiſcopatum quęrere, quando per hunc dubium non erat, ad ſupplicia grauiora perueniri.

22 Vltima concluſio. Quamquam perfectius ſit, nè quis iuxta doctrinam Apoſtoli Præſulatum aſſumat *niſi vocatus à Deo fuerit tãquam Aaron*, non tamen peccabit, immo virtuosè ageret, ſi probabiliter credita ipſius ſufficientia ex Dei gratia habita, deſideraret ſua Pontificia per licita media, exponere talenta, cuius iudicio, atque arbitrio rem committens, optaret, ſe ſuaque in hoc Apoſtolico munere fortiter impendere. Prima pars certa eſt, Chriſti Domini Summi Pontificis exemplo confirmata ex *Apoſtolo ad Hebreos 5.* poſtquam de Aarone protulerat ſuper allatum exemplum, addente *ſic & Chriſtus non ſemet ipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non ſe ipſum clarificauit, ideſt glorificauit, glóriam, claritatem, & dignitatem non ambiuit, neque vſurpauit, ſed ad eam electus atq; euectus eſt à Deo Patre, vt probè *Diuus Hieronym. epiſt.126.* Confirmatur ex primitiuæ Eccleſię more, quem teſtantur *Chryſoſt. ac Theophilact. in epiſt.1.ad Hebreos cap.1. verſ.18.* Epiſcopos nempe atque Apoſtolos ſeligi, atque ordinari ſolitos, per prophetiam, reuelationem, deſignationemue Dei, ſic *Actor. 13. ſegregate mihi Paulum & Barnabam &c.* & videre licet apud *Dionyſ.de Eccleſ. hierar, part.3.cap.5. & apud Baron.anno Domini 34. à num.250.ac deinceps.* Dei itaque implorata ſemper ope exploratum eſt, quouis alio humano adminiculo ſucciſo, ad tantum munus electionem habẽdã eſſe. Quapropter merito ſcripſit *Leo Imperator ſub anno Domini 469.leg.29 ſi quemquam C.de Epiſc. & Cleric. Non pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes, tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi; profectò enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus.*

23 Secunda pars patet tum ex dictis *concluſ. 3.* tum ex *Bernard. ſer.18. ſuper Cantica.* Ac-

tepta-

ceptatio Prælaturæ procedere debet ex quadam intima ſtimulatione ſollicitante, nos æmulari fraternam ſalutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa frugum iuſtitiæ eius laudem, & gloriam eius, vt euellat, & deſtruat, ædificet, & plantet. tum quia ex magnanimitate quiſpiam mouere ſe poſſit, neque ſuccumbere, quibus ſcatet Epiſcopatus difficultatibus, atque ardua omnibus viribus aggredi, quæ quamuis proprias, naturaleſque excedere ſentiat, animo tamen minimè deficiat, quem diuinæ gratiæ auxilijs roboratum, illis longè arbitratur eſſe ſuperiorem, quando maximèque ſibi prouidendum, nè quid abiectè, nè quid timidè, nè quid ignauè aut ſeruiliter faciat, aut de ſe arbitretur, neque ſub onere demum muliebriter ingemiſcat; vt enim probè *Diuus Gregorius lib. 6. epiſt. 4. ad Ciriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Cum enim Iob. 26. ſcribat, ecce gigantes gemunt ſub aquis; iuxta Ioannis etenim vocem, aquæ populi ſunt, & gigantes ſub aquis gemere eſt, quia quiſquis in hoc mundo quaſi quadam corporis mole, ordine poteſtatis excreuerit, tanto pondera maioris tribulationis ſentit, quanto ſuper ſe regendorum populorum curam ſuſceperit.* Verum, ſicut onera concuſſis corporibus facilius feruntur, remiſſis opprimunt; ſic animus diuini Spiritus ope firmatus, contentione ſua depellit preſſum omnem ponderum. Itaque *ſi Sancti Spiritus* (vt proſequitur Gregorius) *virtus afflictam mentem afflauerit protinus hoc quod Iſraelitico populo corporaliter factum eſt, nobis ſpiritualiter contingit, ſcriptum quippe eſt: filij Iſrael ambulauerunt per ſiccum, & medium mare; & per Prophetam Dominus pollicetur dicens, Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Addo inacceſſibiles aquarum, ac difficultatum montes, non modo bonis paſtoribus explanandos eſſe in ſiccum, diuino afflante Spiritu, ſoloque prorſus æquandos, vbi neque in ſcrupulum vel leuiſſimum offendat, verum in ſpatia frugifera, & immenſa camporum, varietate florum diſtincta, atque vberrimorum copia fructuum redundantia teſtante *Sapientia* 19. 7. *Nubes caſtra eorum obumbrabat, & ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Germinans nimirum omnia omnium merita virtutum, in vberimos mox erumpentia fructus gloriæ ſempiternæ; tum demum quia, dum ſe recto conſilio, non quomodolibet, ſed eo expoſit animo propria talenta ſummo Pontifici, vt quod magis è Republica Eccleſiaſtica fuerit, ſibique expediat ille iudicet, non modo non peccat, ſed probè, ac virtuosè agit:

24 Hinc *Sotus lib. 10. de iuſt. & iur. art. 2. ad finem* docet, eſto minimè liceat ſibi procurare, vel optare tantam Epiſcopatus prouinciam, ſi practicè quis putauerit, graui cum propriæ animæ periculo illam ſe obiturum; at verò abſolutè, non ſolum dum contrariũ probabiliter credit, licitè poteſt deſiderare, & cum laude creari Antiſtes, ſi magis videretur idoneus, ſeu minus incommodus (vt loquitur *Sotus*) non ſecus, ac ſi eſſes Elector, eius conditionis deberes eligere hominem, vt communi conſuleres bono; verum quando etiam crederes, ac vehementiſſimè timeres de illius ſalute; cum bonum vniuerſale præſtantius ſit particulare. At ego id iudico certum, dummodo practicè ſperetur, Proximum eligendum, æternum animæ detrimẽtum nõ eſſe ſubiturum: nã, ſi per *Sotum* hoc exiſtente metu, non poſſum Próximo conſúlere, vt Epiſcopatum admittat; quanam ratione hoc ei munus ſub his eiſdem circumſtãtijs optare, nè dũ procurare potero? & quidem, tametſi teneatur quis in bonis temporalibus Cõmunitatem magis diligere, quàm ſeipſum, vt habet *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 3.* penes quem ſenſum interpretatur textum 1. *ad Corinth.* 13. caritas non quærit quæ ſua ſunt; ſecus tamen ſe res habet in ſpiritualibus, in quibus homo principaliter tantum à Deo pendet, vt poſt alios probè *Valent. 3. tom. quæſt. 4. punc. 3. aſſer. 2. & Mart. Becan. de carit. cap. 19. quæſt. 2. num.* 13. ſic etiam à pari licebit cuipiam optare bonum temporale, illudque, vt Reipublicæ præferre priuato, non autem ſpirituale priuatiuè, cum ſpirituali detrimento Proximi, vel proprio; & multo minus huic cooperari, quod eſſet perniciosum; licet inter detrimentum ſpirituale vnius priuati, & Communitatis minus malum præferendum ſit maiori, ſeu conniuendum, terminis habilibus; Verum hoc mearum non eſt partium, eſto ſequenti capite iterum etiam tractandum ſit.

25 Quæres, cur alia beneficia, quibus cura etiam annexa eſt animarum, appetere abſolutè liceat, immo & pro eis contendere, & ingenio decertare, & propriam publicis diſputationibus, vel alio documento demõſtrare doctrinam, vel eius diſcrimen, ac periculum ſubire, vt in more poſitum eſt Eccleſiæ, cui fauet *Trident. ſeſſ. cap. 18. de refor.* vbi præſcribitur, vt publico vocentur edicto, qui ad beneficia Eccleſiſtica ſibi comparanda, præſertim curata, diſcrimen ſcientiæ rigoroſo volũt examine ſubire: At Epiſcopatum appetere, nè dum quærere plerunq; non licet. Reſpondeo hoc ipſo argumento noſtram corroborari aſſertionem, & quidẽ Eccleſiæ morem in reliquis beneficijs, ſummopere

mopere

mopere commendabilem certo certius eſt, quo iniquis præcluditur aditus electionibus: animi ad ſuperandos ſtudiorum labores acuũtur, non ineptis homuncionibus; ſed Eccleſiijs potius proſpicitur, atque experientia magiſtra, vbi maximè hic viget vſus, maximoperè conſultum Eccleſijs videtur. Deinde huiuſmodi homines, aio, beneficio donandos teneri rectè, per ſe loquendo, ea deſiderare, ac licitis medijs ſibi comparare, alioquin vt ſupra de Epiſcopatu docuimus, ſi vel præpoſterè vel malis artibus conſequẽda cuperent, huc ibi dictis applicatis regulis, profectò peccaret, neque inter beneficia hæc, & Epiſcopatum verſatur diſcrimen, niſi prò ratione maioris periculi Præſulatui imminentis, quàm pareſiæ; qua etiam de cauſa non decet competitores Epiſcopatus admittere, & etiam ad præſumptionis ambitiohis, ac ſuperbiæ reijcienda pericula, quibus dignitates, ſpecioſaque munera, ac perdifficilia Præſulis officia ſcatent, quæque tantum non vrgent ad alia inferiora beneficia comparanda. Expedit igitur ad curatum beneficium idoneos inuitare: ſecus ad Epiſcopatum.

CAPVT II.

An Epiſcopatus apta ſit materia voti.

SVMMA.

Ratio hanc quæſtionem proponendi. numero 1.

Quæſtionis nodus. num. 2.

Indignum ſi quis ſe putaret Epiſcopatu cumque voueret, inualidè voueret, peccaretque mortaliter. num. 3.

Sic etiam ſi ob temporalia primario, vel inuerſo ordine, ſe conſequuturum voueret Epiſcopatum ibidem.

Vrgente neceſſitate Eccleſiæ à non indigno, vel probabiliter apto emiſſum votum, & acceptandi, & procurandi Epiſcopatum validum eſt. num. 4.

Votum ſua exponendi ſtudia talenta, qualitateſque Papæ, nec non deſiderium dicandi ſe, ſuaque in Eccleſiæ ſeruitium, eſt validum. num. 5.

Votum acceptandi Præſulatum ex obedientia iniunctũ vel alio virtutis motiuo tenet. n. 6.

Auguſtini ſententia Preſulibus addens animos: Nazianzeni vero timorem incutiens affertur. num. 7.

1 Poſtremo diſputationis ſuperiori Capite *num.* 31. Epiſcopatum eo nomine voti mareriam eſſe negauimus, quod vel eſſet de facto alieno, illius nimirum, cuius eſt eligere, confirmare, vel promouere ad Epiſcopatum, ac proinde extra fines materiæ voti, ex Doctorum conſenſu: vel quod eſſet de induſtria, qua vouens ſibi Præſulatum vendicare contenderet, quæ plerumque vitioſa cum ſit, inepta eſt voueri; quod ſatis profectò erat ad contratium ibi ſoluendum argumentum; in præſentia tamen diligentiùs hæc eſt expendenda veritas, cuius rationem dubitandi *præcedens* ſubminiſtrat *caput*.

2 Itaque cum è *ſuperioris quæſtionis* dilucidatione liquidò pateat, nonnunquam deſiderare, immo & bonis ſibi artibus procurare Præſulatum, licere; in hiſce rerum circumſtantijs licere etiam videbitur, eundem vouere. E contra verò, cum votum neque etiam acceptandi, nè dum ſibi comparandi dignitatem *cap.* 4. validum eſſe dicturi ſimus; quonam pacto votum eundem acceptandi valorem habere poſſit, duoque contradictoria aptam voti materiam eſſe, videtur difficile nè dicam impoſſibile.

3 Vt autem certa ſecernamus à dubijs, ad veritatem eruendam, primo vt omnibus exploratum, ſupponendum eſt, ſi quis Epiſcopatu ſe indignum merito exiſtimaret, eumque voueret, inualidè quidem, & cum peccato id ageret, ex eo quod adduximus fundamento *num.* 14. & 15. *ſuperioris capitis*; poſſet tamen, neque inficiamur, excuſari bona fide, qua, tametſi falſo, at idoneum ſe putaret ad infulam, Vouens. Iterum ſi præpoſterè, atque peruerſo ordine, ea quæ Præſulatus continet non cuperet modo, verum voueret, etiam illicitè id præſtaret, ob rationem qua *num.* 16. quintam firmauimus aſſertionem Superioris capitis. Peccaret etiã, ſi votum emitteret, quod pariter irritum eſſet, ſibi comparandi Epiſcopatum, ſiue bonis, ſiue malis artibus ex rationis momento qua *nu.* 16. ſexta probata eſt concluſio.

4 Quæ cum ita ſint, reliquum nodi *num.* 2, indicati nonnullis ſoluendum eſt aſſertionibus.

Prima ſit igitur aſſertio. Vrgente Eccleſiæ neceſſitate, validum, & licitum eſt votum, emiſſum à nõ Indigno, ſed propabiliter Apto, non ſolum acceptandi, ſed etiam Epiſcopatum procnrandi. Sic *Soarius* 3. *tom. de religione lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 12. *ad finem*. qui ad rationes enumeratas *ſuperiori Cap. num.* 21. ex quo huius deſumendum eſt fundamẽtum, alias addit, tum oſtendentes Eccleſiæ neceſſitatem: tum retrahentes ab honore; ac dignitate illi connexis, tum aeris incle-

clementiam, regionis diſtantiam: addo, & ipſe feritatem incolarum: ſæuitiamque indomitorum ſubditorum, indoctorum ferendi iugum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, hiſque ſimilia, quibus deterritus vix qui forti, conſtantique animo vellet Epiſcopatum adire, nec magno conquiſitus ſtudio, inueniretur. Ratio autem eſt, quòd ad conſulendum tali periclitanti Eccleſiæ, ſeſe offerre, pericula magna animi contentione contemnere: ſe ſuaq; ex Dei, ac Proximorum amore, Chriſtianæ Reipublicæ dicare; opera quidem ſunt virtutis, ac digna voti materia, Deo quã maximè grata; immo gratior, quàm ſi ſæuis agitatam fluctibus Chriſtianorum nauem aliquam, è naufragio quiſpiam, propria eriperet induſtria. Ad rem *Clem. Papa epiſt. 1. ad Iacob. in principio* ex ore Petri Summi Pontificis ait, *Quia ſi periculum peccati timens ſuſcipere refugis Eccleſiæ gubernacula, certus eſto, quod amplius peccas, quàm ſi populum Dei, velut in fluctibus poſitum, & periclitantem cum iuuare poſſis ſubterfugis, tui tantummodo habens conſiderationem, & non quod in commune omnibus expedit prouidens.*

5 Secunda concluſio. Votum ſua exponendi ſtudia nec non talenta Pontifici, ſuumque deſiderium, opem ferendi Eccleſiæ, per miniſterium Epiſcopatus, validum eſt, & prò rationis formalis honeſtate honeſtum. Probatur eadem ratione qua *num. 23.* formata eſt ſecunda vltimæ concluſionis pars *ſuperioris capitis*: & præterea, quia hoc in caſu iudicium de idoneitate perſonæ Superiori relinquitur, neque Præſulatus pericula ſpõte quis ſubiret, neque prudentiæ inniteretur ſuæ, aut præſumeret, vel ambiret, aut ex immoderato propriæ excellentiæ deſiderio, per ſuperbiam, optaret Epiſcopatum; ſed honeſto ſub motiuo, vt loco citato explicauimus; igitur vt ſic Epiſcopatus apta eſt, & Deo grata, materia voti.

6 Tertia concluſio. Votum acceptandi Epiſcopatum ex obedientia cuipiam iniunctũ, non ex motiuo diuitiarum, vel rerum temporalium, ſed præcipui muneris, nempe Apoſtolici, quod Præſulatus claudit, atque opis animabus ferendæ, Eccleſiæque Dei ſeruiendi deſiderio & validum, & virtuoſum eſt, ſanet *Soar. 3. tom. de relig. lib. 1. cap. 18. num. 12.* cum non eſſe per ſe intrinſecè malum vouere, atque acceptare Præſulatum doceat, ſi ab illius temporalibus commodis præſcindatur: atque à fortiori, ſi cõtrarijs incommodis ſcateat, vt in Iaponia, China, Aethiopia. Probabitur præterea ex *ſequenti capite*, vbi contumaciæ accuſabimus omninò Renuentem tale à Pontifice ſibi onus impoſitum; neque hoc votum contrarium eſt voto non acceptandi dignitatem, niſi nomine tenus, vt *cap 4.* dicendum eſt, & probè declarant *Sanctus Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 2. ad 3. in fine, ac Soar. 3. tom. de relig. modo laudato num. 13.* nam votum non acceptandi Præſulatum, cum ſemper imbibitam habeat conditionem, niſi contrarium præcipiatur ab habente poteſtatem, ſolum obligat ad eum non procurandum; & nè illud emittens, propria ſponte, ſuo fretus iudicio, quo ſe ideoneum iudicaſſet, Præſulatum admittat; quamobrem non Epiſcopatus reſpuitur illo voto, ſed modus illicitus, aut minus perfectus eum conſequendi; qui veto voueret acceptare, idem eſſet, ac vouere, obtemperare Summo Pontifici, parere eius nutibus, neque ex præſumptione votum emitteret muneris, ad quod ſe ipſemet ſolus putaret idoneum, non ex ambitione dignitatis, quam immoderatè cuperet, ſed ex honeſto motiuo, vel obedientiæ, vel caritatis, iuxta doctrinam quam *num. 23. Superioris capitis* tradidimus.

Quibus ſoluta cenſeo momenta rationũ initio quæſtionis adducta.

7 Denique nè hæc in re Preſul animo, neque elatus, neque timidus ſit vltra quàm decet, alteram *Gregorij Nazianzeni in Apologia*, alteram *Auguſtini* afferam ſententiam. *Nemo ſapiens* (ait Theologus) *læto animo creatur Epiſcopus, ſi quis pericula, & ſupplicia ei propoſita conſideret: atque adeo ſtultus videri poteſt, ac reprehenſione dignus qui, cum viam ingredi poſſit complanatam, & expeditam, ſponte ſe in locum anguſtiæ periculoſumq; redigeret.* E contra vero addat, augeatque animos Epiſcopis *Auguſtinus epiſt. 81. Nec otia veſtra neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis, cui ſi parturienti nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini, non inueniretis*: aurea quidem ſententia, & Auguſtino digna.

CAPVT III.

An iuſſus Epiſcopatum adire, poſſit omnino recuſare.

SVMMA.

Ratio ſoluendi quæſtionem inita à Diuo Thoma num. 1.

Ratio difficultatis, ex qua primum conflatur argumentum ductum ex aliquo Promouendi vitio. ibidem.

Secundum ex grauiſſimo onere, & periculis Præſulatus, n. 2.

Hinc, neque Papam poſſe, præcipere Præſulatum, conficitur. n. 3.

Qui-

Quibus modis iuſſus adiri Præſulatum poſſit ſe habere. num. 4.

Proponenti Summo Pontifici Epiſcopatum licet parere in omnibus caſibus, in quibus licet parere in omnibus caſibus, in quibus licet infulam optare, ac procurare, num. 5.

Omni carens impedimento, iuſſus à Papa Præſulatum adire, tenetur acceptare, n. 6.

Metum periculorum Epiſcopatus abijcit Clemens Papa, n. 7.

Epiſcopatum iniunctum non licet non adire ſtudio vitæ ab humanis curis remotæ. numer. 8.

Cohortatio Iſidori ad Præſulatum ex obedientia capeſſendum, n. 9.

Germana concluſionis ratio. num. 10.

Qui ſub dictis circumſtantijs Epiſcopatum imperatum renueret, ratione materiæ peccaret contra caritatem; ratione autem formali tendendi in obiectum puſillanimitate; licèt poſſit ex ſuperbia, vel alio ſiniſtro motiuo moueri, n. 11.

Non modo iuſſus quiſpiam peccaret mortaliter non acceptando Epiſcopatum, ſed etiam ſi nullo inſtante præcepto indicauerit per alium æquè benè conſuli non poſſe Eccleſiæ. num. 12.

Ex tribus regulis grauitas materiæ præcepti dignoſcitur, num. 13.

Puſillanimitate peccaret pertinaciter Epiſcopatum recuſans. num. 14. & 15.

Poſſet contra humilitatem etiam peccare, atque ex affectu ſuperbiæ, n. 16. 17. 18. & 19.

Poſſet etiam ex auaritia Præſulatum tenuem non acceptare, vel ex alio turpi motiuo., numer. 20.

In quibus caſibus licet Epiſcopatum deſiderare, quærere, ac vouere, in his etiam tenetur quis ab auctoritatem habente iuſſus illum acceptare, ſub lethali parere, numero 21.

Neceſſitate vrgente alicuius Eccleſiæ, ſi iuſſus à Summo Pontifice Epiſcopatum acceptare detrectaret, peccaret mortaliter. numero 22.

Siue neceſſitate, ſiue vtilitate Eccleſiæ vrgente iuſſus a Summo Pontifice Præſulatum inire tenetur acceptare, n. 23.

Si ſubditus dubius eſſet, an Epiſcopatus ei eſſet bonus, vel an materia præcepta licitè eſſet iniuncta, adhuc parere tenetur, numero 24.

Recta operatio practicum tantum deſiderat rectum iudicium, etiamſi ſpeculatiuum contrarium, vt poteſt quis, non deponeret. ibidem.

In dubijs poſſeſſio ſtat pro ſuperiore præcipiente. ibidem.

Non tenetur ſubditus deponere iudicium contrarium ſpeculatiuum, immo nec phyſicè loquendo practicum contrarium, n. 25.

Subditus habens opinionem probabilem de Epiſcopatu ſibi illicito, ac malo, probabile eſt, ſaltem ab extrinſeco, tenetur ad obediendum, eumque demandatum, acceptandū, num. 26.

Quo iudicio ſubditus indigeat ad aſſertam obediendi neceſſitatem, n. 27.

Etſi probabilior eſſet Subditi opinio de malitia rei præceptæ; adhuc ad obediendum tenetur penes hanc ſententiam, n. 28.

Etiamſi dubitaret de propria idoneitate, numero 29.

Probabilior eſt opinio ab intrinſeco dictans, non teneri quempiam obedire in re probabiliter mala, etiam ſub præcepto iniuncta, atque in re noſtra non teneri ad Epiſcopatum acceptandum. n. 30.

Religioſo appellationis locus non ſolùm conceditur, cùm euidenter conſtet de iniuſtitia, num. 31.

Cathegoricè probatur aſſertio. n. 32.

Affertur ſolutio futilis aduerſariorum, aſſerens Superiori eſſe facultatem præcipiendi omnia, quæ certò, atque euidenter mala nō ſunt, num. 33.

Reijcitur, num. 34.

Affertur ſolutio Sanch. aſſerens ex Auguſtino, facultatem Superiorum præcipiendi omnia quæ euidenter mala non ſunt, num. 35.

Reijcitur. ibidem.

Refertur ſolutio Soarij aſſerens, facultatem Superioris præcipiendi res probabiliter etiā malas ex deteriori, alioquin eius conditione. num. 36.

Refellitur. ibidem.

Exponitur ſolutio Salas deducta ex euerſione Reipublicæ, quæ ſequeretur ex inobedientia Subditorum in rebus probabiliter bonis, num. 37.

Diluitur, ibidem.

Alia Soarij ſolutio in peculiari tantùm caſu nobis dans manum. n. 38.

Inutilis demonſtratur. ibidem.

Probatur concluſio ex eo quòd ex probabili opinione rei iniuſtæ neceſſariò ſequatur probabilis opinio licitè non parendi, numero 39.

Affertur inſtantia contrariorum deſumpta è ſpolio, quòd propria auctoritate ab alio exiſtente rem probabiliter ſuam, fieri non poteſt. num. 40.

Reijcitur ibidem. num. 41. 42. & 43.

Probabilis eſt opinio aſſerens, meliorem eſſe conditionem poſſidentis in materia iuſtitiæ, ſecus in alijs vniuerſaliter. num. 41.

Probabilis eſt opinio aſſerens, in dubio facti tutiorem partem eſſe eligendam. ibid.

Affertur ratio, cur aliquis iudicans aliquem contractum probabiliter non eſſe vſurarium,

rium, lucrum reportatum poſſit retinere, quod aliter clam ſubripere non poteſt. n.42.

Probatur concluſio argumento ad hominem contra Thomam Sanch.n.quadrageſimotertio.

Probatur Auctoris ſententia ex eo quòd nullus tenetur propriam relinquere probabilem opinionem, alteramque ſequi, n.quadrageſimoquarto.

Pænitens non tenetur, relicta propria, Patris ſpiritualis, & Confeſſarij opinionem ſequi. num.45.

Aſſertur ſolutio Vaſquez ex obligatione Subditi ad obediendum in eo, quod abſque peccato præſtare poteſt.n.46.

Reijcitur.ibidem.

Etſi probabilior eſſet opinio Superioris dictans hanc rem eſſe bonam; adhuc non tenetur Subditus obedire.n.47.

Licèt in re noſtra de Epiſcopatu id exceptionem patiatur.n.48.

Probabiliter ſentiens ſe non eſſe idoneum, in rigore non tenetur.numi49.

Non poteſt Superior iuſtè punire Subditum nō obedientem, debita tamen modeſtia ex opinione probabili.num.50.

Subditus impedimentis ad Epiſcopatum à ſe amouibilibus laborans, tenetur ea remouere.num.51.

Si certò moraliter ſaltem cognoſceret quis, ſibi malum eſſe Epiſcopatum, ob defectum doctrinæ; obedire non tenetur. numero quinquageſimo ſecundo.

Si daretur opinio probabilis dictans, te hic, & nunc non teneri Superiori præcipienti Epiſcopatum, obedire ex ea parere non teneberis. num.53.

Etiamſi probabilior eſſet Superioris opinio, n. 54.

Aſſertur obiectio, & reijcitur.numero quinquageſimoquinto.

Reliqua ad exactam dilucidationem quæſtionis.n.56.

1 D*Iuus Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 2.* duabus aſſertionibus hanc diluit difficultatem: Altera eſt, Epiſcopatum digno, & non impedito præſcriptum à legitimam habente poteſtatem, non licet cuipiam recuſare, quin faciat contra charitatem; & contra humilitatem. Altera, ſi promouendus aliquis haberet impedimentum, quod neque ipſe poſſet tollere, neque ille, à quo ei præciperetur non modò non poteſt acceptare, ſed recuſare debet.

2 Ego verò, quibus ſanctus Doctor has firmat aſſertiones argumentis omiſſis, quæque perpenſa videre licet apud *Caietan. ſecunda ſecundæ quæſtion. 185. articulo ſecundo, & Sotum de iuſtitia, & iur. libr. decimo quæſtione ſecunda articul. ſecundo.* nè actum agam, tempuſque in nonnullis friuolis fruſtra teram, alia contendam ratione omnes dubiorum fibras euellere. Ratio autem dubitandi deſumi facilè poterit, tum ab eo, cui Præſulatus iniungitur, tum à Præſulis munere, tum à præcipiente. Et quidem, vt ex clarioribus exordiar, ſi quis eo ſe nouerit impedimento laborare, vt nefas ſibi, ac lethale putet eſſe Præſulatum admittere, profectò, cùm Deo magis, quàm hominibus obediendum ſit, parere non tenebitur etiam Pontifici iubenti. Scio, ſi peccati fuerit iam commiſſi hoc impedimentum, vt probè docet *Diuus Thomas citatus ad ſecund.* poſſe ac teneri Promouendum in Epiſcopum illud ſalubri confeſſione, ac pœnitentia expirare; ſic etiam pariter ſi Eccleſiaſticæ cenſuræ, vel irregularitatis eſſet, quod quidem Pontifici præcipienti referendum eſſet, à quo oportuna tolleretur diſpenſatione; verùm, ſi huius generis non fuerit, ſed ignorantia laboraret Epiſcopatu donandus; ſi malorum habituum vinculis irretitum haberet animum, quibus ad opem animabus ſibi commendatis ferendam, non expeditam, & vel pene inuitum ad fœda Eiſcopo indigna trahendum eſſe, maximo cum Subitorum ſcandalo ſatis, ſuperque probabiliter ſuſpicaretur, hoc in euentu, ſine detrimento propriæ animæ Præſulatum admittere non poſſe, compertum eſt. Deinde, cùm Epiſcopale munus periculis ſcateat euidentibus, ſitque onus Aethna grauius; rationi conſentaneum non eſſe
3 videbitur, vt præcipiatur ſub lethali. Hinc tertium cudi poterit argumentum probans, neque Papam poſſe præcipere, vt quis vel inuitus tot, tantaque ſubeat pericula. Igitur ſiue ſpectetur is; cui demandandus eſt Epiſcopatus, ſiue Epiſcopatus ipſe, ſiue is, qui illum iniungere poteſt, videtur non poſſe cadere ſub præceptum?

4 Ad veritatis dilucidationem primò notandum eſt, poſſe quempiam iuſſum adire Præſulatum, tribus ſe habere modis: primò vt cuiuſcumque expers ſit impedimenti, quod ipſe nouerit: ſecundò, quamuis poſitiuo ſe detineri neſciat impedimento, ſi practicè tamen iudicet tanti muneris onus proprijs eſſe impar viribus, ac ſe peccare illud admittens: tertiò ſi obſtaculo nouerit detineri, quod vel ipſe poterit remouere, vel Superior auferre, vel neuter tollere, vt indicauit *Sanctus Thomas ad ſecundum, ac*

per-

2. ac perpendit *Sotus* laudatus.

5 Secundò notandum eſt proponenti ſolùm, neque iubenti Summo Pontifici (de quo præcipuus eſt nobis ſermo) Epiſcopatum, poſſe quempiam parere, in omnibus caſibus, in quibus è ſupradictis poteſt infulam optare, procurare, ac vouere, immo maiori cum ſecuritate, alieno nimirum fretus iudicio. Reijcere autem prò viribus in ijs tenetur, in quibus peccatum eſſet deſiderare, procurare, atque vouere: neque de hoc præſentem eſſe diſceptationem arbitror, ſed de Præſulatu per præceptum alicui præſcriptum, de quo acceptando, an ſine præcepto teneatur etiam obedire, nonnihil pariter dicemus.

Tertiò, reuocanda ſunt in memoriam, quæ de dubio, ſuſpicione, & probabili opinione dicta ſunt *libro tertio diſputat. ſeptima capit. tertio numer.* 16. Demum hic nos acturos eſſe de Epiſcopatu ſecundùm ſe, ſequenti verò capite de eodem, vt cuique periculoſo.

6 His in hunc modum conſtitutis, Prima ſit aſſertio. Si quis primo ex tribus modis *numero quarto* deſcriptis ſe habeat, omni ſcilicet carens impedimento, abſolutè præcipienti Pontifici Præſulatum adire, parere tenetur. Eſt doctrina *Diui Thomæ, Caietani, Soti modò laudatorum, immò conſenſu Theologorum firmata*. Probatur, quòd hic non ſponte, neque proprio ductus iudicio, ſed honorem potiùs aſſumeret vocatus, tanquam Aaron, approbante *Apoſtolo ad Hebræos* 5. Secundò *ex canone* 37. *Apoſtolorum*, vbi excommunicatur, qui Præſulatum iniunctum recuſat. Tertiò ex *Concilio Antiocheno capit.* 17. & 18. *atque ex ſententia Petri apud Diuum Clementem ſuperiori capite citatum*; Et licèt de conſecrato Præſule ſermo videatur eſſe in decreto Concilij; quamplures tamen non deſunt Auctores, illud idem de electo etiam interpretantes; deinde, quod negari minimè poteſt, noſtra habetur aſſertio *capit. Vos autem* 16. *quæſtione prima*, ibi; *Si quam operam veſtram Mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis*. Habetur etiam *capit. Diſplicet* 23. *quæſtion.* 4. *ex Auguſtin. epiſtol.* 104. *& in epiſtol.* 184. accedit *Gregorius Magnus in paſtoral. parte prima capite quinto*; *Qui habet* (inquit) *dona Dei vt poſſit eſſe Paſtor, ſi vocatus ſuſcipere renuit, plerumque ipſa dona ſibi auferuntur, quia non pro ſe tantùm, ſed etiam pro alijs acceperat, vnde Dominus dicens; Si diligis me, paſce oues meas, clarè docuit, quòd ſi teſtimonium dilectionis ſuæ eſt ſuſcipere onus paſtorale, quiſquis virtutibus pollens, ipſum ſuſcipere renuit, Paſtorem ſummum conuincitur non amare.*

7 Quòd ſi pericula Epiſcopalis muneris quis obtendat; in eum Clementis facit ſententia relata *ſuperiori capite numero quarto*.

8 At ſi vitæ ab humanarum curis remotæ ſtudio quis detineatur, audiat *Gregorium epiſtola quarta libro ſexto ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum*: *Ego quoque, qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conſcius ſecretiora loca petere aliquando decreueram, ſed ſuperna mihi iudicia aduerſari conſpiciens, iugo conditoris ſubdidi ceruicem cordis: hoc præcipuè perpendens, quia qualibet occulta loca ſine Dei gratia, animam ſaluare non poſſunt: quod aliquando in ipſis quoque conſpicimus erratibus Electorum; nam Lot in ipſa peruerſa ciuitate fuit: in monte peccauit. Sed iſta cur dicimus, cùm maiora nouerimus, quid enim Paradyſo iucundius? quid Cælo ſecurius? & tamen homo ex Paradyſo, & Angelus de Cælo peccando cecidit.*

9 Demum non te pigeat, amice Lector, quam adijciam auream ex *Sancto Iſidoro*, Spiritu Dei dictante, ſententiam percurrere *libro tertio ſententiar: ſiue de ſummo bono, capite trigeſimotertio ſub initio*. *Vir Eccleſiaſticus* (ait) *& crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet & ad diſpenſationem Eccleſiaſtici ordinis, ſi ex Dei voluntate peruenerit ualens quidem, ſed humilis gubernandam ſuſcipiat: multis intercepit Sathanas fraudibus, qui vita, & ſenſibus vtilita præſtantes præeſſe, & prodeſſe alijs nolunt, & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt: conſultius arbitrantes otioſam vitam agere; quàm lucris animarum inſiſtere: quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli, fallentes eos per ſpeciem boni, vt dum illos à paſtorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis, atque exemplis inſtrui poterunt*. Et licèt nonnulli ſint Religioſi viri has magna cum laude fugientes dignitates, etiam per votum, vt ſequenti capite dicendum eſt; reliqui tamen, ſi iuſſi, Præſulatum ineant, magno cum merito id præſtare cenſendi ſunt: notat enim probè *Sotus libr. decimo de iuſtit. quæſt. ſecunda artic. ſecundo*, quòd *poteſt fidelis ſeruus, & prudēs in adminiſtratione Eccleſiæ creberrima præſtare officia, quæ ſimul multo ſint apud Deum cumulatioris cōmendationis, quàm vnica actionis actio*. Maximeque Deum orandum eſſe arbitror, nè exitus probet dicta eiuſdem *Soti* addentis, *vt in honoribus fugiendis circumſpectus vnuſquiſque ſit; nam ſolent vt Scytæ fugientes in tergum periculo-*

ſius vulnerare: ſolent (inquam) *ſæpe iſtarum dignitatum deſpectores peiori inde ſuperbia raptu corripi, quàm ſi acceptarent* hæc ille. Et ne (quod D. O. M. auertat) ſpecie recuſantis, vt habet *Tacitus annal. libr. 1. ſub initio, dignitates flagrantiſſimè cupiant.*

10 Ratio autem concluſionis eſt; quòd, cùm Epiſcopatus ex ſe bonum ſit opus, vt *capite primo huius Diſputationis* probauimus, cùm etiam non proprio iudicio, ſed Summi Pontificis huic bonus eſſe cenſeatur Præſulatus; quippe qui non ſponte; ſed ſed ex præcepto ſuſcipitur, materia cenſenda eſt voti, vt infra dicemus, nec non & præcepti, & conſequenter his conficitur, teneri Summo Paſtori iuriſdictionem in eum habenti parere, qui quidem, vel vrgente neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, vel alia grauiſſima cauſa, infulam iubet acceptare.

11 Secunda concluſio. Qui ſub his, quas expedimus circumſtantijs, pertinaciter iniunctum recuſaret Epiſcopatum, ex ſua natura peccaret, ratione materiæ contra charitatem, ratione verò tendendi in obiectum puſillanimitate, licet poſſet ſuperbia, vel turpi alio affectu. Singulæ concluſionis expendendæ ſunt partes: Et quidem prima eſt *Diui Thomæ ad finem corporis*, quam probat ex *Auguſtino decimonono libro de Ciuitate Dei cap decimonono*; qui quidem, dum de munere loquitur Epiſcopali, *negotium iuſtum appellat, quod ſuſcipit neceſſitas charitatis*. Deinde compertum eſſe reor ex obligatione charitatis, poſſe quempiam teneri, non ſolùm humano Pontificis iure, ſed etiam diuino ad Epiſcopatum acceptandum, quem lex charitatis, vt communi conſulat bono, præſertim ſpirituali, præcipit: ſicut indicatur ab *Innocent. capit. licèt de Regularib. ex quo Soar. tomo tertio de religion. libr. decimo capit. decimo numero decimonono*; vt igitur, neceſſitate vrgente ex charitate quis tenebitur, ſi poſſet abſque euidenti detrimento propriæ animæ, Præſulatum capeſſere, ſic à fortiori iuſſus à Summo Pon-
12 tifice. Quamobrem *Syluester verb. Epiſcopus quæſtion. tertia in fine* peccatum eſſe mortale docet, non acceptare Præſulatum, non modò quando ſpeciale præceptum Superioris vrget, ſed etiam abſque præcepto, ſi probabiliter quis crederet, per alium pari ratione, vel æquè bene prouideri non poſſe, quia nimirum faceret contra fraternam charitatem. Probatur præterea hæc eadem aſſertionis pars, quòd præcetum ſupra materiam ſolùm addit obligationem; ſed Epiſcopatus officia ſiue paſtoris, ſiue Doctoris, ſiue aliorum munerum, varijs Epiſcopi nominibus expreſſorum ſunt charitatis; igitur præceptum Papæ Præſulatum præcipientis ad charitatis officium obligabit, & quidem grauiter, non modò prudentis arbitrio, quæ vniuerſalior aſſignari ſolet regula, ad grauitatem materiæ præcepti dignoſcendam, ſed ſpectato fine ſubiectionis debitæ ſub graui obligatione Superiori imponenti præceptum, ad quem finem hæc Epiſcopatus materia maximè conducit. Quando autem hoc pacto ſe habent præcepta, eorum materia abſque dubio grauis cenſenda docetur eruditè à *Vazquez prima ſecunda diſputation. 158. capit. ſexto numero 59 atque à Sanchez libro primo oper. moral. capit. quarto numer. ſecundo*. Demum confirmatur ex circumſtantia boni communis, ad quod Epiſcopatus refertur, ex qua grauitas præcepti innoteſcit iuxta doctrinam *Dried. libr. ſecundo de libert. Chriſt. capite primo poſt ſecund. propoſit. verſ. temerariè mendacium. Et in alia editione libr. prim. capit. ſecundo articul. 3. Valent. prim. ſecunda diſputation. ſeptima, quæſtion. quinta, puncto ſexto column. 957. Soar. 5. tomo in tertia parte diſputation. 4. ſection. ſexta num. 11. & 12. & diſputat, 18. ſection. tertia numer. 16. & 17. Sayr. in Claui Regia libr. 3. cap. ſeptimo numero decimoquarto, Sanchez modo laudati numer. 3.*

14 Secunda pars diſſonat tantillum à *Diuo Thoma*, qui ad finem corporis laudati articuli, hoc peccatum contra humilitatem vult eſſe per exceſſum ſuperbiæ. At ego licèt penitus à ſancto Doctore non diſſentiar, vt tertia concluſionis pars oſtendet; nihilo tamen ſecius arbitror probabilius, hoc peccatum ex ratione tendendi ad puſillanimitatem ſpectare magis, ac directè contra magnanimitatem eſſe. Moueor, tum quia hic non ducitur æſtimatione ſui ſupra modum (qui actus fundamentum eſt ſuperbiæ; ad recuſandum Præſulatum, ſed contrario, quo ſe non idoneum indicat ad tantum munus, neque inordinato ad illud fertur appetitu (qui ſecundus, vel tertius eſt ſuperbiæ gradus) ſed ab ea per fugam potiùs auertitur, neque magni fieri optat ab alijs (qui tertius, vel quartus numeratur actus ſuperbiæ) cùm illud reſpuat munus, quo ab omnibus haberetur in honore: deinum alijs non præfefert (qui alius eſt ſuperbiæ actus) verùm etiam poſt habet, quando eo, quo illum multi cenſent honore dignum, ſemetipſum indignum exiſtimet. Itaque ad alterum extremum, pertinax infulam renuens, accedere procul dubio videtur, ad puſillanimitatem ſcilicet, ex oppo-

ſito

15 ſito magnanimitati contraria. Hoc autem
vitium apprehenſionem ſupponit, qua
quis vt magnum, & ſupra proprias vires
aliquod munus eſſe ratus, nec non ſupra
facultatem, dignitatemue ſuam, liqueſcit,
ſinitque imbecillitate, atque ita afflictus,
exanimatuſque iacet, vt omni animi robore,
& contentione deſtitutus, ad quæ idoneus
eſt, officia prò viribus ignauus refugit, op-
timaſque functiones viro dignas difficul-
tatibus ſuccumbens muliebriter exhorre-
ſcit: neque ad quod à Deo ſuoq; Vicario vo-
catur Apoſtolicum munus, capeſſere audet,
tantoque onere fructus, propriaque vilitate
detentus, honore Præſulatus delato, ſe pu-
tat indignum, per exceſſum nimirum rece-
dens ab ambitione, præſumptione, ſuperbia,
& vanagloria; peccatque proinde mortali-
ter, cùm id, quod detrectat, vt ſupra docui-
mus, graue ſit ex regulis ſupra traditis, &
Doctorum conſenſu, apud *Leſſium de iuſt. c.*
16 *2. de fortitudin. dub. 3. num. 2.* Non tamen ne-
gauerim, ex nimia ſui obiectione poſſe Præ-
ſulatum demandatum quempiam reſpuere;
quod quidem vitium directè, per defectum,
eſt contra humilitatem; quippe quæ licèt ad
ſui demiſſionem inclinet; prudenter tamen,
iiſque circumſtantijs, quibus decet, id præ-
ſtat, abſque proprij ſtatus, propriarumque
qualitatum detrimento, atque iniuria, & abſ-
que eorum incommodo, quibus prodeſſe
poteſt, vel debet, quarum defectu circum-
ſtantiarum, in nimiam, ac vitioſam itur abie-
ctionem ſui, qua peccare facilè poſſe aſſerui-
mus, Epiſcopatum pertinaciter effugientem
17 Vt pariter ſi ex nimio affectu ad ſui abie-
18 ctionem iam declaratam id præſtiterit. Si
verò ex nimia honoris, dignitatis, ac ſpecio-
ſi muneris fuga in puſillanimitatem incidet,
cōtra magnanimitatem, vt ſuperius dictum
19 eſt. Neque inficior, quempiam incautè per
ſuperbiam peccare poſſe, dum prudentiori
ſe gerere conſilio, falsò putaret, reiciendo
Præſulatum, atque adumbrata hac humili-
tatis imagine, contra ipſam humilitatem fa-
ceret, quod *Diuus Thomas* deſcribit *ex S.*
Gregorio Papa in Paſtorali part. 1. cap. 6. di-
cente; *Tunc ante Dei oculos vera eſt humili-*
litas, cùm ad reſpuendum, quod vtiliter ſubi-
20 *re præcipitur pertinax non eſt.* Poſſet etiam
ob turpem rationem tenuis prouectus, vel
redditus reijcere Præſulatum, ex auaritia,
effrænataque diuitiarum cupiditate, ac ſic
de cæteris deprauatis affectibus, quibus im-
buta imbecillis natura in omne rueret ma-
lum, ni diuina cohiberetur gratia.
21 Tertia concluſio. In quibus caſibus di-
ximus ſupra, decere Præſulatum deſidera-
re, quærere, atque vonere; in his ſub letha-
li, quiſpiam habenti auctoritatem, ac præ-
cipienti infulam acceptare, atque parere
tenetur. Hæc concluſio; tum è ſuperiori,
tum è locis citatis liquidò conſtat; quia
ſub illis circumſtantijs Epiſcopatus eſt o-
pus maximè bonum, quod materia præ-
cepti, immò & voti eſſe poteſt; cùm non
propria prudentia illius pericula quis adi-
ret, ſed alterius, Summi nimirum, vt mox
docemus, Pontificis, Chriſti Vicarij, cu-
ius eſt vniuerſali, communique Reipublicæ
Chriſtianæ bono conſulere.
22 Ex hac autem aſſertione conficitur pri-
mum, neceſſitate vrgente alicuius Eccleſiæ,
non Aeſtimatum indignum, iuſſum tamen
à Summo Pontifice, ſi detrectaret, Epiſco-
patum, peccaturum mortaliter: ſic expreſ-
sè *Sotus articul. ſecundo laudatus ad ſecun-*
dum argumentum in fine. Et confirmatur
ex Paulo ad Philippenſ. 1. Quòd ſi viuere
in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid
eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: de-
ſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chri-
ſto, multò magis melius, permanere autem in
carne neceſſarium propter vos. Vbi *Augu-*
ſtinus; Non otium (inquit) *veſtrum neceſſi-*
tatibus Eccleſiæ præponatis; optatius enim
Deo eſt, & charius, vt cura ſuarum ouium,
quas ſuo ſanguine redemit, impensè habea-
tur, quàm vt ſua ipſius contemplationi vace-
tur. Et marceſcere licebit otio, dum ter-
rarum orbis conflagrat flammis vitiorum?
Hinc ſalutem Proximi præferendam eſſe
martyrio docet *ſanctus Chryſoſt. hom. 18. in*
Matth.
23 Quarta concluſio. Siue neceſſitate, ſiue
vtilitate Eccleſiæ vrgente iuſſus à Summo
Pontifice Epiſcopatum inire, tenetur ac-
ceptare; ad quod perpendo auream *Di-*
ui Gregorij ſententiam *epiſtola quarta libro*
ſexto ſub initio, Si enim (ait) *vnigenitus*
Patris pro explenda vtilitate omnium de ſe-
creto Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum:
nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum
proponimus vtilitati Proximorum? Expreſ-
sè hanc eandem aſſertionem habet *Sanctus*
Thomas ſæpe citatus ſecunda ſecundæ quæſtio-
ne 185. articulo ſecundo in corpore. Primo
quidem (inquit) *quia hoc nimirum reijcere*
Præſulatum repugnat charitati Proximorum,
quorum vtilitati ſe aliquis debet exponere
prò loco, & tempore; & confirmat ex *Gre-*
gorio Paſtoral. parte prima capite ſexto, à no-
bis ad calcem ſecundæ concluſionis allega-
gato. Ratio autem ex lege charitatis de-
ſumenda eſt, qua, Superiore præſertim
præcipiente, etiam per honores ſpiritua-
li tenemur Proximorum incumbere vtilita-
ti; cùm ceſſet timor adeundi ſponte pericu-
la, ceſſent ambitionis, præſumptionis, ſuper-
biæ, vel vanagloriæ occaſiones, quibus vt

ſuperioribus capitibus docui, opus eſt inſulam fugere:

24 Quinta concluſio. Si ſubditus dubius eſſet an Epiſcopatus ſit ei bonus, ac proinde eſſet etiam dubius de materia licita ei iniuncta; parere, atque Epiſcopatum ei demandatum acceptare teneretur. Eſt mihi certa ſententia hæc, ex vniuerſalibus deducta principijs ex quibus Doctorum melioris notæ conſenſum conſtat, ſubditum Superioris dicto, etiam in rebus dubijs ſtare debere, ſic *Gloſſ. cap. Dilecta in fine de maior. & obed. & cap. Ad aures verb. obedientia de temp. ordinand. & cap. ex tenore verb. mandato de ſent. excomm. & cap. Quod culpatur. verb. iniquitas 23. qu. 1. & cap. Nerui verb. formidat, diſt. 13. Innoc. cap. ſicut il 3. num. 1. de iur. iurand. ibi Io. Andreas num. 5. Hoſt. n. 3. Bald. num. 8. Abbas num. 16. Palud. in 4. diſt. 19. quaſt. 4. num. penult. & diſt. 36. quaſt. 2. art. 2. poſt concluſ. 4. Bonauent. 2. diſt. 39. art. 1. quaſt. 3. ad vltim. Diuus Anton. 3. part. tit. 16. cap. 1. §. 9. verſ. 3. Angel. ver. religioſus n. 29. & verb. obedientia num. 6. & verb. conſcientia num. penul. Syluest. verb. bellum 1. q. 9. concluſ. 3. Sot. de ſecret. mem. 3. q. 3. concl. 1. Tolet. in ſum. cap. 75. num. 6. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 9. Molin. tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 114. concluſ. 3. Soar. tom. 5. in 3. part. diſp. 4. ſect. 6. num. 6. & lib. 1. de leg. cap. 9. n. 11. & lib. 5. cap. 18. num. 16. & alij, quos citant, & ſequuntur Sanch. lib. 6. oper. mor. cap. 3. n. 3. & Ioan. Sanch. in ſuis ſelectis ac verè aureis diſputationibus diſp. 33. num. 37.* Ratio autem eſt, quia recta, ac licita operatio practicum tantum deſiderat iudicium, etiamſi ſpeculatiuum contrarium, præſertim negatiuum, quo dubius, atque hærens operans eſt, non deponatur; atqui exiſtens dubium ſpeculatiuum ſaltem negatiuum, quo pēdulus reddebatur operans, non obſtat, quo minus practicum formetur dictamen ab extrinſeco tutum, quo ductus quis rectè operetur; ergo licèt aliquis iuſſus Epiſcopatum capeſſere, dubio, pendulo, atque hærenti eſſet animo, an illa materia eſſet licita, nec nè, poterit nihilominus Superiore iubente, practicè iudicare illam materiam ab extrinſeco eſſe licitam, atque ad eam obligari: motiuum autem, quo non modo poteſt, verum etiam tenetur Subditus iudicium tale practicum efformare, poſſeſſio eſt Superioris, ius habentis præcipere, quæ quidem, ſtante re dubia, ac æqua lance in caſu nimirum noſtro, num Epiſcopatus huic ſit licitus, necnè, per dubium merè negatiuum vt diximus præponderat in affirmantem partem: Poſſeſſionem vero in dubijs fouere poſſidenti, cuius meliorem facit conditionem exploratum eſt citatis Auctoribus, præſertim vtrique *Sanchez allegatis; & Thomæ, ipſimet Sanch. etiam lib. 1. ſum. cap. 11. num. 11.* Eſt autem Superiori poſſeſſio ſuæ poteſtatis præcipiendi Subdito, vt fuſius infra à *num. 36.* dicemus, qua ſpoliandus non eſt, dum moraliter, vel ſaltem probabiliter non conſtiterit proprios fines eum excedere, probabiliter ſaltem illicitum præcipiendo. Neque poteſt aſſeri poſſeſſio pro libertate ſubditi, cum iuris præſumptio pro Superiore ſit, cuius mandatum in dubio præſumitur iuſtum; neque extra limites ſuæ poteſtatis, quæ nimis coarctata eſſet neque expediens ad bonum ſubditorum regimen, ſi tantum ad manifeſtè licita late patens, huiuſmodi ſaltem dubia non valeret attingere *ex cap. Quid culpatur in fine 23. queſt. 1.* & alijs textibus ſupra citatis, atque allatis à *Couar. reg. peccatum 1. part. num. 5. ad finem.* Poſſeſſionem autem ſtare, pro quo præſumptio ſtat, iuris regula eſt generalis, quam tradit *Sot. lib. 7. de iuſt. quaſt. 3. art. 2. colum. 3. verſ. hic vero*, quem ſequitur *Aragon. 2. 2. q. 88. art. 9. notab. 2. & ex alijs roborat Sanch. lib. 1. ſum. cap. 10. num. 13.* Confirmatur, quia Superiori altius eſt ius, altiuſque quo regitur conſilium, nec non rationes vniuerſales, ſubditis occultæ, variæ eſſe poſſunt. Quamobtem *Soarius 3. tom. de relig lib. 10. cap. 10. num. 18. & 19.* de hac re noſtra in eo ſolum caſu, quo euidenter conſtaret, non eſſe veram neceſſitatem, in cæteris autem caſibus dubijs ſentit ſtandum eſſe iudicio ac declarationi Pontificis quippe hoc eius debetur auctoritati, ac dignitati.

25 Et licet *Vazquez 1. 2. quaſt. 19. art. 6. diſp. 62. cap. 3. ac deinceps, & diſp. 66. cap. 9. à num. 51.* à quo non multum differt *Salas 1. 2. qu. 21. tract. 8. diſp. vnica ſect. 17. num.* 162. indicet non poſſe ſubditū hoc in caſu dubio, niſi depoſita ſua conſcientia parere, quam efformet ſi ſit doctus extrinſecis principijs, auctoritatis, ſcientiæ, prudentiæ, ac probitatis Superioris: ſi autem indoctus, bona fide Superioris nutus ſequi par eſſe æſtimet; nihilo tamen ſecius non videtur contra nos eſſe, vt ex infra dicendis magis conſtabit; quod nos neceſſe putamus ad recte operandum, voluntatem, practicum iudicium tanquam ducem ſequi debere, ad quod efformandum, non poſſum cum *Vazquez* ſentire, neceſſario demittendum eſſe ſpeculatiuum iudicium, immo nec practicum modo infra declarando; quod quidem ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco diuerſo ſi nitatur motiuō compoſſibile eſt cum alio; fiat res exemplo clarior. Præcipiat Superior homini ſexagenario ieiunium, ea ductus ratione, quod ſenibus non ſit terminus ætatis certus non ieiunandi, vt eſt impoſitus adoleſcentibus;

tibns: ſubditus verò ex probabili opinione contraria ductus, exiſtimet, vel paritate adolrſcentis, vel auctoritate nonnullorum Doctorum vel qnod plerunque vires ea in ætate deficiant, non teneri ad ieiuninm. In hoc inquam euentu non ſatis intelligo cnr non modo non teneatur Subditus (ſi velit obedire) deponere dubinm mere ſpeculatiuum, in communi, dictans non obligationem ieiunij hic, & nunc, ſed nec etiam practicum, dummodo hic, & nunc opinionem Superioris velit ſequi. Qna propter ſi Superiore præcipiente ſubditus animo eſt hærenti, nec ſatis ad alterutram partem valet proprndere, ad ieinnandum nempe, vel ad non ieiunandum, practicè poterit conſciētiam efformare ieiunandi ob auctoritatem extrinſecam, vel Superioris præcipientis, ſi fuerit doctus, & prudens, vel aliorum Doctorum docentium teneri ſexagenarium ieiunare, non deficientibus hic, &, nunc viribus, qua poſita opinione, & præcepto Superioris, indicat ſubditus hic, & nunc parendū eſſe. Quod ſi Superiòre præcipirnte ſubditus, cœtera doctus, & ſufficienter eruditus, reperiatur habere opinionem dictantem ſe non teneri obedire, vel ab extrinſeco tātum, quòd ita docent multi Doctores; vel ab intrinſeco ob rationes iam indicatas, tunc mea quidem ſrntentia, volens ſubditus obedire, non tenebitur deponere actnm iam dictum opinatiuum proptium, ſi velit contrariam amplecti opinionem; poterit enim in hunc modū ratiocinari. Ieiunium hic & nunc mihi non eſt obligatorium, ob auctoritatem multorum Doctorum, licet vim videatur habere obligandi ob auctoritatem aliorum; quapropter integrum mihi eſt, alterutram horum Doctorum ſequi opinionem, quicquid ſit de rationibus ab intrinſeco ſibi oppoſitis: qui quidem duo actus ad ieiunium, & non ieiunium terminantes non ſunt contradictorii in ſe, vt patet; cum ſint qualitates vitales poſitiuæ: neque ratione obiecti, quod tametſi materialiter ſumptum videatur contradictorium; formaliter tamen, vt ſubiacet diſtinctis auctoritatibus; tale ſane non eſt: quod quidem peculiare fortaſſis eſt obiecti terminantis, vel actus obſcuros, vel opiniones cum formidine partis contrariæ. Hac eadem ratione ſi præceptum Superioris cadat in ſubditum, in exemplo aliaro contrariam opinionem habentem, ab intrinſeco probabilem, poterit ſimili modo ratiocinari. Si ſpectem ieiunium mihi ſexagenario iniunctum, vel quia ſum ſenex in cuius ætate vires deficere ſolent, vel quia terminus ſenectuti videtur impoſitus, ad non ieiunandum, vt adoleſcentiæ, vel quia multi ſunt Doctores, me ab hac obligatione vendicantes, non eſt obligatorium; ſi autem ſpectetur ieiunium vt iniunctum à Superiore docto, ac prudenti, & ſecundum aliorum Doctorum opinionem aſſerentium, mihi ſexagenariò ſufficientes habenti vires ieiunium eſſe obligatorium; cui terminus non eſt præfixus in ſenectute, erit quidem obligatorium. Quibns duabus opinionibus poſitis, integrum mihi eſt, quā volo licetè ſequi, neque ex repugnantia horum actuum, qui quidem, vt dixi, formaliter non opponuntur, licet materialiter ad obiectum oppoſitum terminentur, altera opinio ab intellectu excludenda eſt: Idemque diſcurſus fieri poterit comparando opinionem ab intrinſeco probabilem eum opinione contraria ab extrinſeco etiam probabili vt legenti patebit, nec diſcrepat *Vazquez citatus præſertim diſp. 62. cap. 3. num. 10. & cap. 9. num. 44. ad* 2. Quod ſi Vazquez eo ſolum ſenſu hanc depoſitionem alterutrius opinionis docuerit, vt vnam ex his eligat operans, quam voluntate ſequatur, eamque practicè dictantem, vt regulam bonæ operationis amplectetur, do manum, nec diſſentior, vt cum eodem contra *Sanchez* infra dicam. Ad æquiuocationem tamen tollendam, non modo aio, poſſe quempiam dubium mere negatiuum per opinionem probabilē non deponere, verum etiam nec iudicium ſpeculatiuum dictans de alterutra parte, verb. grat. de ieiunio obligatorio in cōmuni, quod idcirco ſpeculatiuum appellatur; & tamen ob aliquam rationem ſpecialem practicè opinionem ei contrariam amplecti, vt docent *Sanchez lib. 2. de mat. diſp. 41. num. 4. & 5. ex multis, & lib. 1. ſum. cap. 9. num. 4. ex Vazq. 1. 2. diſp. 65. cap. 1. num. 2. Soar. 5. tom. in 3. part. diſp. 40. ſect. 5. num. 14. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæſt.* 13. Addo contra *Vazquez citatum nec non Azorium pariter citatum cap. 16. quæſt. 2. & 3. & cap. 17. quæſt. 7.* nil repugnare, duas opiniones tendentes ad obiectum materiale è diametro diuerſum, eſſe in eodem intellectu ſimul, neque alteram neceſſario deponendā vti dictnm eſt: quod etſi non adeo enucleato fundamento, tradit tamen ſuboſcurè *Sanchez citatus in ſum. num.* 12. Quamuis vltro fatear non poſſe voluntatem vtrumque iudicium materialiter contrarium, vel contradictorium ſequi, vt regulam propriæ actionis, ſed alterutram, vt dictum eſt.

26 Sexta concluſio. Subditus habens opinionem probabilem de Epiſcopatu ſibi illicito, ac malo, probabile eſt ſaltem ab extrinſeco, adhuc teneri ad obediendnm, eumque demandatum acceptandum; ſic vniuerſaliter de quauis alia re docent *Roſella verb. cōſcientia num. penult. & ibi Angel. num. 2. Syluest.*

paſcere; quia electus quiſque humilis eſt, & ſterilis non eſt, quia quotidie magna agit, ſed de ſe magna non ſentit. Addo humilem paruulum, atque abiectum eſſe non à Deo atque apud Deum, ſed à ſe atque apud ſe ipſum, qui quamuis cum alijs collatus fratribus, quemadmodum Dauid, illorum ineptiſſimus videretur, meritò tamen paſcendas ei dabantur oues, quia præ cæteris ad illud munus (quod figura erat Paſtoris noſtri ſpiritualis) aptior habebatur. Hæc explorata huc attuli Theologorum conſenſu, vt licet videre apud *Diuum Thomam.* 2. 2. *q.* 161. *eiuſq. interpretem* Caietan. *art.* 1. neque pro aſſerta ac definita trado doctrinam, an reuera humilitas à magnanimitate differat; quas ſcio *Martin. de Magiſt. quæſt.* 1. *de humilit.* vnam eandemque eſſe virtutem docere; ſed varios actus operæ prçtium duxi ad præſentis dilucidationem quæſtionis, indicare, ſiue eiuſdem ſint habitus humilitatis, ſiue humilitatis, ac magnanimitatis.

7 Quibus in hunc modum conſtitutis, ſit prima ad quæſtionis ſolutionem aſſertio: Nihil quod in Epiſcopatu imbibitur malū eſt: hanc omnino certam concluſionem eſſe puto, à qua diſcedere Auctorū arbitror nullum, ſiue ſacrum ordinem, ſiue ſtatum perfectiſſimum, ſiue dignitatem ei neceſſariò cōnexam, ſiue honores, ſiue Eccleſiaſticos redditus ritè, prudenterque ab Eccleſia, & Pontifice Maximo ſtatutas ſpectes: & confirmari argumentis poteſt, quæ ſibi in contrarium obijcit *Diuus Thomas* 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 1. de hac controuerſia diſputans.

8 Secunda aſſertio. Quicquid in Epiſcopatu eſt ex parte obiecti ſpectatum, rectè, ac virtuosè deſiderari poterit. Hanc *Diuus Paulus* docuiſſe ſententiam aio *ad Timot.* 1. *cap.* 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat:* In hanc etiam expreſſe abijſſe *Sanctum Thomam modò laudatum in corpore art.* 1. *Soto interprete de iuſtit. lib.* 10. *qu.* 2. *art.* 1 *concl.* 5. quibus ſubſcribit *Tolet. lib.* 5. *ſum. cap.* 3. *num.* 1. quatenus, ſecundum ſe appeti poſſe Præſulatum docet, nec non *Emanuel Sà ver. Epiſcopus* 3. alijque. Neque diſcrepant Sancti Patres, ac reliqui Doctores, vt mox ſequenti dicam aſſertione. Probatur, quia, cum omninò compertum ſit, quicquid imbibitur in Epiſcopatum, eodem quo à Chriſto Domino, atque ab Eccleſia ſtatutum eſt ordine, bonum eſſe, vt obiectum ſpectatum; Et cum pariter conſtet ſuam ſortiri maliciam, vel bonitatem, actum ex ratione formali, vt *notab.* 4. demoſtratum eſt, cohærenter conficitur, actum deſiderii ad illud tendentem, bonum eſſe; quod è ſequenti concluſione patebit magis, cum potius ex obiecto formali, quàm ex materiali; quod hucuſque aſſeruimus bonum, in Epiſcopatu, & malitia, vel bonitas deſumenda ſit actus.

10 Sit tertia concluſio. Prò diuerſitate rationum, ac motiuorum formalium, obiectū materiale Præſulatus ſecundum ſe bonitate non carens, poteſt benè, vel malè deſiderari. Probatur, quia qui Epiſcopalem optaret operationem ob Dei amorem, vt Proximis ex charitate prodeſſet; procul dubio ſatis ſuperque laudabiliter ageret, vt probè *Diuus Thomas citatus*; qui autem primario, ac vti propter finem, Epiſcopatum ratione annexorum bonorum temporalium appeteret ex cupiditate, atque ambitione id profectò facere conuinceretur, vt proſequitur idem *Sanctus Doctor ex Matth* 23. afferente Dominum loquentem contra Phariſeos. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus* Rabbi. Qui autem optaret Epiſcopatum ad celſitudinē gradus conſequendam, atque ex eius cupidine, eſſet ſanè præſumptuoſus, vt idem ait Angelicus, vel potius, vt ego arbitror, ambitioſus, vt mox dicam *concl.* 4. in quem ex eodem Auctore Domini verba faciunt *Matth.* 22. *ſcitis quia Principes gentium dominantur eorum.* &c. Dixi primario, & propter finem, quia (quod probè notant *Sotus in dubitatione poſt* 5. *concluſ. & Tolet. citatus num.* 3. quamuis, vt ob-

11 iectum directum referre deſiderium in bona temporalia, ſiue honoris, ſiue celſitudinis, ſiue diuitiarum, ex ſuo genere vitioſum ſit, & quidem mortaliter; cum peruerſus affectus eſſet, pro Præſulatus Apoſtolico munere (quippe quod eſſe deberet principale intentum) temporales optare quiſquilias; nihilo tamen minus, ſi abſolutè recto cum ordine, vt inſtitutus in Eccleſia Præſulatus habetur, in votis eſſet; abſque aliqua peruerſitate, & quidem vt finis functionum, ex caritate, vel alijs virtutibus exercendarum, nullum ſanè peccatum intercederet, etiamſi cōſequenter cçtera temporalia, vel vt inſtrumenta ad rectè munera Epiſcopalia obeunda, vel vt media, vel aliqua alia ratione conſequentia, deſiderarentur; adminiſtranda tamen ritè ſecundum ſacros Canones Chriſti, atque Eccleſiæ præcepta, vt probè *Nauarr. conſ.* 17. *num.* 7. *ſub. tit de ſent. excom. Tolet. & Sot. citati.* Addo tametſi intentius diuitiæ vel honores appeterentur, quàm Apoſtolicum Antiſtitis munus, non idcirco peccatum eſſet mortale, dummodo munus Epiſcopale, & primario, & magis appretiatiuè diligeretur, hoc enim modo, ſi Deus amatur, licèt intentius ametur Proximus, vt in materia charitatis dicitur, mortaliter minimè peccatur, ſic *Valent. ex communi ſententia*

tiâ 3.tom.diſp.3. punc.2. de charit.

12 Coherenter etiam aio, ſi ex recto motiuo maior Epiſcopatus deſideraretur, rectè, ac licitè tum ipſe primariò, tum redditus, honoreſque ſubſequentes optarentur ſecundariò, quod ſi ex malo motiuo Præſulatus primariò, etiam ſubſequentia ſecundariò male appeterentur; fiat res exemplo clarior. Epiſcopatus pinguior in deſiderio alicuius ſi eſſet, ad quem libera ditiorum beneficiorum etiam collatio ſpectaret, eo conſilio, vt per eum Epiſcopus cognatos non egentes, ſuoſque familiares ditare poſſet, eſſet profectò mortaliter peccaminoſus hic actus, vt bene laudatus *Nauar. de oratione miſcell. 4 8. nu. 2. & Barboſ. de Epiſco. mun. tom. 1. gloſſ. 1. nu. 10.* ſecus verò ſi ad maiores exantlandos labores, ad maiorem curam animarum ex maiore earum zelo, ad liberalius effundendas in pauperes pecunias ditiorem quiſpiam exoptaret Epiſcopatum.

13 Hactenus de Præſulatu ſecundum ſe ſpectato, tum inadæquatè, tum adæquatè ſumpto loquutus ſum, quia tamen vt *notab. 1. præcedentis diſp.* indicaui, quod ſecundum ſe bonum eſt, poſſet cuipiam haud eſſe tale, idcirco eodem ordine ſeruato reliquis aſſertionibus quid de Præſulatu ſentiendum ſit ad quemlibet relato aperiam.

14 Quarta concluſio. Qui merito, neque tantum ex humilitate, exiſtimans ſe indignũ Epiſcopatu, defectu v. g. ſcientiæ, vel reliquorum ornamentorum ad tale munus deſideratorum illud tamen appeteret, peccaret mortaliter; ita communiter Doctores, atque expreſsè tradit *Tolet. citatus num. 2. in 1. reg.* Ratio eſt, quia deſideraret illud, quod habere, graue peccatum eſſet, neque id ſequitur Epiſcopatus defectu, ſed perſonæ.

15 Ad varias autem peccatorum ſpecies hoc peccatum ſpectare poſſet prò malitia rationis formalis, ob quam optaretur Epiſcopatus, vel cupiditatis, vel ſuperbiæ, vel alterius, vt ſuperiore aſſertione dictum eſt; ex parte autem obiecti materialis, vel poterit eſſe cõtra Religionem ob ſacramentorum adminiſtrationem, cæteraque munera, atque officia ſacra, quæ indignus obire ille cuperet, vel contra iuſtitiam ſi ineptus eſſet ad regimen habendum animarum, etiam in externo foro ad quod ex iuſtitia tenetur, vt docet *Valent. 3. tom. diſp. 30. quæſt. 3. punct. 2. in principio, & ſequenti tomo* nobis explicandum eſt. Dixi in concluſione *merito, & non ex humilitate*; nam poſſet quis verè ex vilitatis propriæ notitia, ſe coram Deo conſiderare atque agnoſcere, qualis ſit tum animo, tum corpore: quibus ignorantiæ tenebris offuſus: quàm ad malum pronus: ad bonum lentus: atque imbecillis viribus: quantis obnoxius peccati: ex ſe nihil habere boni, nihil poſſe, nihil eſſe; hic inquam qui adeo humiliter de ſe ſentiret ſi ex vrgenti v. g. neceſſitate deſideraret, vel quæreret Epiſcopatum, non modo non peccaret, ſed virtuoſè procul dubio faceret, de quo, ac ſimilibus *Sanctus Gregorius epiſt. 5. lib. 6.* hæc ſcribit. *Quia vero ad hoc opus adacti eſtis, infirmos vos eſſe dicitis; ſcimus quia prima virtus eſt cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus poſſe vos bene ſuſceptum miniſterium implere, quia vos videmus infirmitatem propriam ex humilitate cognoſcere.*

17 Quinta concluſio. Qui præpoſterè Præſulatum ob diuitias vel honores optaret, quæreretque, peccaret ex ſuo genere mortaliter prò malitia rationis formalis, Patet ex *3. concluſ.* & præter ibi citatos Doctores *Val. 3. tom. diſp. 10 punc. 2. §. ad hoc reſpondet*, *videnda præterea ſunt dicta concluſ. 3. præſertim à num. 11.*

18 Sexta concluſio. Si quis Epiſcopatũ appeteret, bonis, vel malis artibus poſtea conſequendum, ex ſe mortaliter peccaret, etſi probabiliter ſe dignum crederet, ſic expreſsè *Tolet. lib. 5. ſum. cap. 3. num. 3. reg. 2.* tum quia ſi non incurrit peccatum ambitionis, præſumptionis, vel ſuperbiæ, vt infra *concluſ. 7.* quod difficilè admodum erit, hoc quidem effrænato circa rem tanti momenti appetitu, contra rationem, quo media illicita, virtualiter ſaltem amplectitur, peccabit ſanè prò qualitate malitiæ rationis formalis, ex qua moueretur, vt ſæpè dixi; & plerumque ambitionis, vt patet ex *initio huius cap.* vbi ethymologiam ipſius nominis declarauimus.

19 Septima concluſio. Poteſt quis ſine peccato, ſe quòad multa ad Epiſcopale munus neceſſaria noſcere aptum. Probatur, quia poteſt ex legitimis ſe natum parẽtibus ſcire: in enormia, & grauia peccata, quę impedimento ſunt Epiſcopatui, nunquam lapſum: nulla cenſura, vel irregularitate irretitum: ſcientia præditum, & theologica cognoſcere ſapientia exornatum, quam vel docuit, vel publico documento patefecit; immò, & Doctoratus gradu inſignitum: atqui horum, & ſimilium ad Epiſcopatum ſpectantium notitia nulli opponitur virtuti, per ſe loquendo, ni fœdo inficiatur affectu; ergo poterit horum notitia ſine peccato haberi. Maior propoſitio huius ratiocinationis eſt certa; minor probatur, quòd humilitati maximè aduerſaretur, ſi alicui virtuti adducta notitia opponeretur: ſed nulli opponitur; ergo, &c. etenim humilitas veritatem non abhorret; quare, tametſi quis ſuam ex ſe vilitatem agnoſcat, & ſine Dei ope, à quo in ſuo eſſe, atque in conſeruari pendet, abſq;

cuius

ſua perturbauit hæreſi. Quid de impudenti dicam inſania Mõtani, & Nouatiani? qui indigni ab Eccleſia habiti, vt in Antiſtites eligerentur, Paracletos ſe eſſe impiè dixerunt, ac vẽditarunt apud *Theodoret. lib. 3. de hæreſi Fab. & Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 33.* Quid de Sabellio? de quo *Sanctus Epiphanius hæreſi 57.* quòd paſtorali minus dignus habitus ſit baculo, virgam exfrons ſibi aſſumpſit Moyſes, quem ſe eſſe per ſummam ſtultitiam oſtentauit: hac etiam tetra correptus ambitionis caligine Arrius in eos cæcos incidit errores, quos per tot annos Catholica luxit Eccleſia; quam Authore Socrate fœdauit etiam hæreſi Sabatius ob ambitionẽ Præſulatus, quem aſſequi minimè potuit. Verùm ſi omnia monſtra è ſuperbia, ambitione, odio, atque inuidia compacta vellem enumerare faſtidium ſanè Lectori meo parerem; quamobrem huic enarrationi faſtigiũ imponat diabolica Vucleſi ſuperbia, quem ambitio à ſpe præſulatus deijciens infamem efformauit Hereſiarcham. Dixi *periculoſum*, quod aſſertam notitiam arbitror radicem eſſe, quam de ſe quiſque haberet, tum præſumptionis, tum ambitionis, tum ſuperbiæ, quæ in voluntate conſumantur peccata, à quibus, vel à proximo eorum periculo, perdifficile quidẽ eſſet excuſari adeò ſuperbè de ſe ſentientẽ.

21 Nona concluſio. Qui quoad aliqua, ſe putans idoneum (vt ſupra *num. 19.* dictum eſt) neque zelo proximis operã ferendi deſtitutum, vrgente neceſſitate Eccleſiæ, hæreſibus, vel alia calamitate vexatæ, atq; afflictę, cui ſe dicare deſideraret; & optare Præſulatum, & quærere poſſet ſic *Diuus Thom. in corpore citatus ex Diuo Gregorio in Paſtor. 1. part. cap. 8.* circa medium aſſerente, tunc laudabile ſanè fuiſſe Præſulatum quærere, *quando per eum quemquam dubium non erat ad ſupplicia grauiora peruenire*: ſubſcribunt cæteri Auctores, & expreſſe *Tolet. laudatus num. 2.* & ratio eſt quòd ſine res penſetur ex laboribus atque difficultatibus ſuperandis, quas tenetur ſubire, qui ſub his circumſtantijs Epiſcopatum init, ſiue ex Eccleſiæ neceſſitate, illud ſane conficitur, vt tantam errandi occaſionem non habeat quiſpiam in iudicio de propria aptitudine ferendo, quando moraliter certus eſt ex amore diuino, atque zelo Proximorum tantum, ſe mouere ad põdus Epiſcopale ſubeundum; Quo circa non eſt, cur is peccati damnetur, neque dici poteſt ex præſumptione, ambitione, aut ſuperbia pericula Præſulatus adire, quando ſub honeſtis dictis rationibus mouetur. Aſſertæ vero neceſſitatis caſus eſſet Auctore *Valen. 3 tom. diſp. 10. cap. 3. punt. 3. col. mihi 1857. verſ. caſus* ſi alicubi, aut propter nonnullorum malitiam, indignus præferendus eſſet Eccleſiæ, vel ineptus ad hæreticas euitandas fraudes, hoſteſque catholicæ veritatis conterendos, vel alia graui de cauſa, vt cum ob labores ac vitę pericula, quotuſquiſque Prælatus recuſaret munus. Quamobrem merito *Aluarus Pelgius lib. de plant. Eccleſ. 18. ſic explicat locum Pauli ad Timot. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus, ideſt martyrium deſiderat*, illo (addit) tempore ab *Apoſtolo* illam ſententiam dictam eſſe, *ſi quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*, quo quiſquis plebi præerat primus ad martirij tormẽta trahebatur, tunc ergo fuit laudabile Epiſcopatum quęrere, quando per hunc dubium non erat, ad ſupplicia grauiora perueniri.

22 Vltima concluſio. Quamquam perfectius ſit, nè quis iuxta doctrinam Apoſtoli Præſulatum aſſumat *niſi vocatus à Deo fuerit tãquam Aaron*, non tamen peccabit, imme virtuosè ageret, ſi probabiliter credita ipſius ſufficientia ex Dei gratia habita, deſideraret ſua Pontifici, per licita media, exponere talenta, cuius iudicio, atque arbitrio rem committens, optaret, ſe ſuaque in hoc Apoſtolico munere fortiter impendere. Prima pars certa eſt, Chriſti Domini Summi Pontificis exemplo confirmata ex *Apoſtolo ad Hebreos 5.* poſtquam de Aarone protulerat ſuper allatum exemplum, addente *ſic & Chriſtus non ſemet ipſum clarificauit vt Pontifex fieret, ſed qui loquutus eſt ad eum filius meus es tu, ego hodie genui te.* Non ſe ipſum clarificauit, ideſt glorificauit, gloriam, claritatem, & dignitatem non ambiuit, neque vſurpauit, ſed ad eam electus atq; euectus eſt à Deo Patre, vt probè *Diuus Hieronym. epiſt. 126.* Confirmatur ex primitiuæ Eccleſię more, quem teſtantur *Chryſoſt. ac Theophilact. in epiſt. 1. ad Hebreos cap. 1. verſ. 18.* Epiſcopos nempe atque Apoſtolos ſeligi, atque ordinari ſolitos, per prophetiam, reuelationem, deſignationemue Dei, ſic *Actor. 13. ſegregate mihi Paulum & Barnabam &c.* & videre licet apud *Dionyſ. de Eccleſ. hierar. part. 3. cap. 5. & apud Baron. anno Domini 34. à num. 250. ac deinceps.* Dei itaque implorata ſemper ope exploratum eſt, quouis alio humano adminiculo ſucciſo, ad tantum munus electionem habẽdã eſſe. Quapropter merito ſcripſit *Leo Imperator ſub anno Domini 469. leg. 29 ſi quemquam C. de Epiſc. & Cleric. Non pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes, tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi; profecto enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus inuitus.*

23 Secunda pars patet tum ex dictis *concluſ. 3. tum ex Bernard. ſer. 18. ſuper Cantica.* Ac-

ceptа-

ceptatio Prælaturæ procedere debet ex quadam intima ſtimulatione ſollicitante, nos æmulari fraternam ſalutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa frugum iuſtitiæ eius laudem, & gloriam eius, vt euellat, & deſtruat, ædificet, & plantet. tum quia ex magnanimitate quiſpiam mouere ſe poſſrt, neque ſuccumbere, quibus ſcatet Epiſcopatus difficultatibus, atque ardua omnibus viribus aggredi, quæ quamuis proprias, naturaleſque excedrre ſentiat, animo tamen minimè deficiat, quem diuinæ gratiæ auxilijs roboratum, illis longè arbitratur eſſe ſuprriorem, quando maximèque ſibi prouidendum, nè quid abiectè, nè quid timidè, nè quid ignauè aut ſeruiliter faciat, aut de ſe arbitretur, neque ſub onere demum muliebriter ingemiſcat; vt enim probè *Diuus Gregorius lib. 6. epiſt. 4. ad Ciriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Cum enim Iob. 26. ſcribat, ecce gigantes gemunt ſub aquis; iuxta Ioannis etenim vocem, aquæ populi ſunt, & gigantes ſub aquis gemere eſt, quia quiſquis in hoc mundo quaſi quadam corporis mole, ordine poteſtatis excreuerit, tanto pondera maioris tribulationis ſentit, quanto ſuper ſe regendorum populorum curam ſuſceperit.* Verum, ſicut onera concteris corporibus facilius feruntur, remiſſis opprimunt; ſic animus diuini Spiritus ope firmatus, contentione ſua depellit preſſum omnem ponderum. Itaque *ſi Sancti Spiritus* (vt proſequitur Gregorius) *virtus afflictam mentem aſſlauerit protinus hoc quod Iſraelitico populo corporaliter factum eſt, nobis ſpiritualiter contingit, ſcriptum quippe eſt: filij Iſrael ambulauerunt per ſiccum, & medium mare; & per Prophetam Dominus pollicetur dicens, Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operiant te.* Addo inacceſſibiles aquarum, ac difficultatum montes, non modo bonis paſtoribus explanandos eſſe in ſiccum, diuino aſſlante Spiritu, ſoloque prorſus æquandos, vbi neque in ſcrupulum vel leuiſſimum, offendat, verum in ſpatia frugifera, & immenſa camporum, varietate florum diſtincta, atque vbertimorum copia fructuum redundantia teſtante *Sapientia 19. 7. Nubes caſtra eorum obumbrabat, & ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Germinans nimirum omnia omnium merita virtutum, in vberimos mox erumpentia fructus gloriæ ſempiternæ: tum demum quia, dum ſe tecto conſilio, non quomodolibet, ſed eo expoſitt animo propria talenta ſummo Pontifici, vt quod magis è Republica Eccleſiaſtica ſurrit, ſibique expediat ille iudicet, non modo non peccat, ſed probè, ac virtuoſè agit:

24 Hinc *Sotus lib. 10. de iuſt. & iur. art. 2. ad finem* docet, eſto minimè liceat ſibi procurare, vel optare tantam Epiſcopatus prouinciam, ſi practicè quis putauerit, graui cum propriæ animæ periculo illam ſe obiturum; at verò abſolutè, non ſolum dum contrarium probabiliter credit, licitè poteſt deſiderare, & cum laude creari Antiſtes, ſi magis videretur idonrus, ſeu minus incommodus (vt loquitur *Sotus*) non ſecus, ac ſi eſſes Elector, eius conditionis deberes eligere hominem, vt communi conſuleres bono; verum quando etiam crederes, ac vehementiſſimè timeres de illius ſalute; cum bonum vniuerſale præſtantius ſit particulare. At ego id iudico certum, dummodo practicè ſperetur, Proximum eligendum, æternum animæ detrimentum nō eſſe ſubiturum: nā, ſi per *Sotum* hoc exiſtente metu, non poſſum Proximo conſulere, vt Epiſcopatum admittat; quanam ratione hoc ei munus ſub his eiſdem circumſtātijs optare, nè dū procurare potero? & quidem, tametſi teneatur quis in bonis temporalibus Cōmunitatem magis diligere, quàm ſe ipſum, vt habet *Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 124. art. 3.* per quem ſenſum interpretatur textum *1. ad Corinth. 13.* caritas non quærit quæ ſua ſunt; ſecus tamen ſe res habet in ſpiritualibus, in quibus homo principaliter tantum à Deo pendet, vt poſt alios probè *Valent. 3. tom. quæſt. 4. punc. 3. aſſer. 2. & Mart. Becan. de carit. cap. 19. quæſt. 2. num. 13.* ſic etiam à pari licebit cuipiam optare bonum temporale, illudque, vt Reipublicæ præferre priuato, non autem ſpirituale priuatiuè, cum ſpirituali detrimento Proximi, vel proprio; & multo minus huic cooperari, quod eſſet pernicioſum; licet inter detrimentum ſpirituale vnius priuati, & Communitatis minus malum præferendum ſit maiori, ſeu conniuendum, terminis habilibus; Verum hoc mearum non eſt partium, eſto ſequenti capite iterum etiam tractandum ſit.

25 Quæres, cur alia beneficia, quibus cura etiam annexa eſt animarum, appetere abſolutè liceat, Immo & pro eis contendere, & ingenio decertare, & propriam publicis diſputationibus, vel alio documento demōſtrare doctrinam, vel eius diſcrimen, ac periculum ſubire, vt in more poſitum eſt Eccleſiæ, cui fauet *Trident. ſeſſ. cap. 18. de refor.* vbi præſcribitur, vt publico vocentur edicto, qui ad beneficia Eccleſiſtica ſibi comparanda, præſertim curata, diſcrimen ſcientiæ rigoroſo volūnt examine ſubire: At Epiſcopatum appetere, nè dum quærere plerunque non licet. Reſpondeo hoc ipſo argumento noſtram corroborari aſſertionem, & quidē Eccleſiæ morem in reliquis beneficijs, ſummopere

mopere commendabilem certo certius eſt, quo iniquis præcluditur aditus electionibus: animi ad ſuperandos ſtudiorum labores acuũtur, non ineptis homuncionibus; ſed Eccleſijs potius proſpicitur, atque experientia magiſtra, vbi maximè hic viget vſus, maximoperè conſultum Eccleſijs videtur. Deinde huiuſmodi homines, aio, beneficio donandos teneri rectè, per ſe loquendo, ea deſiderare, ac licitis medijs ſibi comparare, alioquin vt ſupra de Epiſcopatu docuimus, ſi vel præpoſterè vel malis artibus conſequẽda cuperent, huc ibi dictis applicatis regulis, profectò peccaret, neque inter beneficia hæc, & Epiſcopatum verſatur diſcrimen, niſi prò ratione maioris periculi Præſulatui imminentis, quàm pareſiæ; qua etiam de cauſa non decet competitores Epiſcopatus admittere, & etiam ad præſumptionis ambitiohis, ac ſuperbiæ reijcienda pericula, quibus dignitates ſpecioſaque munera, ac perdifficilia Præſulis officia ſcatent, quæque tantum non vrgent ad alia inferiora beneficia comparanda. Expedit igitur ad curatum beneficium idoneos inuitare: ſecus ad Epiſcopatum.

CAPVT II.

An Epiſcopatus apta ſit materia voti.

SVMMA.

Ratio hanc quaſtionem proponendi. numero 1.

Quaſtionis nodus. num. 2.

Indignum ſi quis ſe putaret Epiſcopatu cumque voueret, inualidè voueret, peccaretque mortaliter. num. 3.

Sic etiam ſi ob temporalia primario, vel inuerſo ordine, ſe conſequuturum voueret Epiſcopatum ibidem.

Vrgente neceſſitate Eccleſia à non indigno, vel probabiliter apto emiſſum votum, & acceptandi, & procurandi Epiſcopatum validum eſt. num. 4.

Votum ſua exponendi ſtudia talenta, qualitateſque Papa, nec non deſiderium dicandi ſe, ſuaque in Eccleſia ſeruitium, eſt validum. num. 5.

Votum acceptandi Praſulatum ex obedientia iniunctũ vel alio virtutis motiuo tenet. n. 6.

Auguſtini ſententia Preſulibus addens animos: Nazianzeni vero timorem incutiens affertur. num. 7.

1 Poſtremo *diſputationis ſuperiori Capite num. 31.* Epiſcopatum eo nomine voti materiam eſſe negauimus, quod vel eſſet de facto alieno, illius nimirum, cuius eſt eligere, confirmare, vel promouere ad Epiſcopatum, ac proinde extra fines materiæ voti, ex Doctorum conſenſu: vel quod eſſet de induſtria, qua vouens ſibi Præſulatum vendicare contenderet, quæ plerumque vitioſa cum ſit, inepta eſt voueri; quod ſatis profectò erat ad contrarium ibi ſoluendum argumentum; in præſentia tamen diligentiùs hæc eſt expendenda veritas, cuius rationem dubitandi *præcedens* ſubminiſtrat *caput*.

2 Itaque cum è *ſuperioris quæſtionis* dilucidatione liquidò pateat, nonnunquam deſiderare, immo & bonis ſibi artibus procurare Præſulatum, licere; in hiſce rerum circumſtantijs licere etiam videbitur, eundem vouere. E contra verò, cum votum neque etiam acceptandi, nè dum ſibi comparandi dignitatem *cap.* 4. validum eſſe dicturi ſimus; quonam pacto votum eundem acceptandi valorem habere poſſit, duoque contradictoria aptam voti materiam eſſe, videtur difficile nè dicam impoſſibile.

3 Vt autem certa ſecernamus à dubijs, ad veritatem eruendam, primo vt omnibus exploratum, ſupponendum eſt, ſi quis Epiſcopatu ſe indignum merito exiſtimaret, eumque voueret, inualidè quidem, & cum peccato id ageret, ex eo quod adduximus fundamento *num. 14. & 15. ſuperioris capitis*; poſſet tamen, neque inficiamur, excuſari bona fide, qua, tametſi falſo, at idoneum ſe putaret ad inſulam, Vouens. Iterum ſi præpoſterè, atque peruerſo ordine, ea quæ Præſulatus continet non caperet modo, verum voueret, etiam illicitè id præſtaret, ob rationem qua *num.* 16. quintam firmauimus aſſertionem Superioris capitis. Peccaret etiã, ſi votum emitteret, quod pariter irritum eſſet, ſibi comparandi Epiſcopatum, ſiue bonis, ſiue malis artibus ex rationis momento qua *nu.* 16. ſexta probata eſt concluſio.

4 Quæ cum ita ſint, reliquum nodi *num.* 2, indicati nonnullis. ſoluendum eſt aſſertionibus.

Prima ſit igitur aſſertio. Vrgente Eccleſiæ neceſſitate, validum, & licitum eſt votum, emiſſum à nõ Indigno, ſed propabiliter Apto, non ſolum acceptandi, ſed etiam Epiſcopatum procurandi. Sic *Soarius 3. tom. de religione lib. 1. cap. 18. num. 12. ad finem.* qui ad rationes enumeratas *ſuperiori Cap. num.* 21. ex quo huius deſumendum eſt fundamẽtum, alias addit, tum oſtendentes Eccleſiæ neceſſitatem: tum retrahentes ab honore; ac dignitate illi connexis, tum aeris incle-

Quibus modis iuſſus adiri Præſulatum poſſit ſe habere.num.4.
Proponenti Summo Pontifici Epiſcopatum licet parere in omnibus caſibus, in quibus licet parere in omnibus caſibus, in quibus licet infulam optare, ac procurare,num.5.
Omni carens impedimento, iuſſus à Papa Præſulatum adire, tenetur acceptare,n.6.
Metum periculorum Epiſcopatus abijcit Clemens Papa,n.7.
Epiſcopatum iniunctum non licet non adire ſtudio vitæ ab humanis curis remotæ. numer.8.
Cohortatio Iſidori ad Præſulatum ex obedientia capeſſendum, n.9.
Germana concluſionis ratio.num.10.
Qui ſub dictis circumſtantijs Epiſcopatum imperatum renueret, ratione materiæ peccaret contra caritatem; ratione autem formali tendendi in obiectum puſillanimitate; licèt poſſit ex ſuperbia, vel alio ſiniſtro motiuo moueri,n.11.
Non modo iuſſus quiſpiam peccaret mortaliter non acceptando Epiſcopatum, ſed etiam ſi nullo inſtante præcepto indicauerit per alium æquè benè conſuli non poſſe Eccleſiæ. num.12.
Ex tribus regulis grauitas materiæ præcepti dignoſcitur,num.13.
Puſillanimitate peccaret pertinaciter Epiſcopatum recuſans. num.14.& 15.
Poſſet contra humilitatem etiam peccare,atque ex affectu ſuperbiæ,n.16.17.18.& 19.
Poſſet etiam ex auaritia Præſulatum tenuem non acceptare, vel ex alio turpi motiuo., numer.20.
In quibus caſibus licet Epiſcopatum deſiderare, quærere, ac vouere, in his etiam tenetur quis ab auctoritatem habente iuſſus illum acceptare, ſub lethali parere, numero 21.
Neceſſitate vrgente alicuius Eccleſiæ, ſi iuſſus à Summo Pontifice Epiſcopatum acceptare detrectaret, peccaret mortaliter. numero 22.
Siue neceſſitate, ſiue vtilitate Eccleſiæ vrgente iuſſus a Summo Pontifice Præſulatum inire tenetur acceptare,n.23.
Si ſubditus dubius eſſet,an Epiſcopatus ei eſſet bonus, vel an materia præcepta licitè eſſet iniuncta, adhuc parere tenetur, numero 24.
Recta operatio practicum tantum deſiderat rectum iudicium, etiamſi ſpeculatiuum contrarium,vt poteſt quis, non deponeret. ibidem.
In dubijs poſſeſſio ſtat pro ſuperiore præcipiente.ibidem.
Non tenetur ſubditus deponere iudicium contrarium ſpeculatiuum, immo nec phyſicè loquendo practicum contrarium,n.25.
Subditus habens opinionem probabilem de Epiſcopatu ſibi illicito, ac malo, probabile eſt, ſaltem ab extrinſeco, tenetur ad obediendum,eumque demandatum,acceptandū, num.26.
Quo iudicio ſubditus indigeat ad aſſertam obediendi neceſſitatem,n.27.
Etſi probabilior eſſet Subditi opinio de malitia rei præceptæ;adhuc ad obediendum tenetur penes hanc ſententiam, n. 28.
Etiamſi dubitaret de propria idoneitate, numero 29.
Probabilior eſt opinio ab intrinſeco dictans, non teneri quempiam obedire in re probabiliter mala,etiam ſub præcepto iniuncta, atque in re noſtra non teneri ad Epiſcopatum acceptandum.n.30.
Religioſo appellationis locus non ſolùm conceditur, cùm euidenter conſtet de iniuſtitia, num.31.
Cathegoricè probatur aſſertio.n.32.
Aſſertur ſolutio futilis aduerſariorum,aſſerens Superiori eſſe facultatem præcipiendi omnia,quæ certò,atque euidenter mala nō ſunt, num.33.
Reijcitur,num.34.
Aſſertur ſolutio Sanch.aſſerens ex Auguſtino, facultatem Superiorum præcipiendi omnia quæ euidenter mala non ſunt, num.35.
Reijcitur. ibidem.
Refertur ſolutio Soarij aſſerens, facultatem Superioris præcipiendi res probabiliter etiā malas ex deteriori, alioquin eius conditione.num.36.
Refellitur.ibidem.
Exponitur ſolutio Salas deducta ex euerſione Reipublicæ, qua ſequeretur ex inobedientia Subditorum in rebus probabiliter bonis, num.37.
Diluitur,ibidem.
Alia Soarij ſolutio in peculiari tantùm caſu nobis dans manum.n.38.
Inutilis demonſtratur.ibidem.
Probatur concluſio ex eo quòd ex probabili opinione rei iniuſtæ neceſſariò ſequatur probabilis opinio licitè non parendi, numero 39.
Aſſertur inſtantia contrariorum deſumpta è ſpolio,quòd propria auctoritate ab alio exiſtente rem probabiliter ſuam, fieri non poteſt.num.40.
Reijcitur ibidem.num.41.42.& 43.
Probabilis eſt opinio aſſerens, meliorem eſſe conditionem poſſidentis in materia iuſtitiæ, ſecus in alijs vniuerſaliter.num.41.
Probabilis eſt opinio aſſerens, in dubio facti tutiorem partem eſſe eligendam. ibid.
Aſſertur ratio, cur aliquis iudicans aliquem contractum probabiliter non eſſe vſurarium,

rium, lucrum reportatum poſſit retinere, quod aliter clam ſubripere non poteſt. n.42.

Probatur concluſio argumento ad hominem contra Thomam Sanch.n.quadrageſimotertio.

Probatur Auctoris ſententia ex eo quòd nullus tenetur propriam relinquere probabilem opinionem, alteramque ſequi, n.quadrageſimoquarto.

Pænitens non tenetur, relicta propria, Patris ſpiritualis, & Confeſſarij opinionem ſequi. num.45.

Affertur ſolutio Vaſquez ex obligatione Subditi ad obediendum in eo, quod abſque peccato præſtare poteſt.n.46.

Reijcitur.ibidem.

Etſi probabilior eſſet opinio Superioris dictans hanc rem eſſe bonam; adhuc non tenetur Subditus obedire.n.47.

Licèt in re noſtra de Epiſcopatu id exceptionem patiatur.n.48.

Probabiliter ſentiens ſe non eſſe idoneum, in rigore non tenetur.numi49.

Non poteſt Superior iuſtè punire Subditum nõ obedientem, debita tamen modeſtia ex opinione probabili.num.50.

Subditus impedimentis ad Epiſcopatum à ſe amouibilibus laborans, tenetur ea remouere.num.51.

Si certò moraliter ſaltem cognoſceret quis, ſibi malum eſſe Epiſcopatum, ob defectum doctrinæ; obedire non tenetur. numero quinquageſimo ſecundo.

Si daretur opinio probabilis dictans, te hic, & nunc non teneri Superiori *præcipienti Epiſcopatum, obedire ex ea parere non teneberis. num.53.*

Etiamſi probabilior eſſet Superioris *opinio, n. 54.*

Affertur obiectio, & reijcitur.numero quinquageſimoquinto.

Reliqua ad exactam dilucidationem quæſtionis.n.56.

1 D*Iuus Thomas 2. 2. quæſt.185. art. 2.* duabus aſſertionibus hanc diluit difficultatem: Altera eſt, Epiſcopatum digno, & non impedito præſcriptum à legitimam habente poteſtatem, non licet cuipiam recuſare, quin faciat contra charitatem; & contra humilitatem. Altera, ſi promouendus aliquis haberet impedimentum, quod neque ipſe poſſet tollere, neque ille, à quo ei præciperetur non modò non poteſt acceptare, ſed recuſare debet.

2 Ego verò, quibus ſanctus Doctor has firmat aſſertiones argumentis omiſſis, quæque perpenſa videre licet apud *Caietan. ſecunda ſecunda quæſtion. 185. articulo ſecundo, & Sotum de iuſtitia, & iur. libr. decimo quæſtione ſecunda articul. ſecundo*. nè actum agam, tempuſque in nonnullis friuolis fruſtra teram, alia contendam ratione omnes dubiorum fibras euellere. Ratio autem dubitandi deſumi facilè poterit, tum ab eo, cui Præſulatus iniungitur, tum à Præſulis munere, tum à præcipiente. Et quidem, vt ex clarioribus exordiar, ſi quis eo ſe nouerit impedimento laborare, vt nefas ſibi, ac lethale putet eſſe Præſulatum admittere, profectò, cùm Deo magis, quàm hominibus obediendum ſit, parere non tenebitur etiam Pontifici iubenti. Scio, ſi peccati fuerit iam commiſſi hoc impedimentum, vt probè docet *Diuus Thomas citatus ad ſecund.* poſſe ac teneri Promouendum in Epiſcopum illud ſalubri confeſſione, ac pœnitentia expirare; ſic etiam pariter ſi Eccleſiaſticæ cenſuræ, vel irregularitatis eſſet, quod quidem Pontifici præcipienti referandum eſſet, à quo oportuna tolleretur diſpenſatione; verùm, ſi huius generis non fuerit, ſed ignorantia laboraret Epiſcopatu donandus; ſi malorum habituum vinculis irretitum haberet animum, quibus ad opem animabus ſibi commendatis ferendam, non expeditam, & vel pene inuitum ad fœda Eiſcopo indigna trahendum eſſe, maximo cum Subditorum ſcandalo ſatis, ſuperque probabiliter ſuſpicaretur, hoc in euentu, ſine detrimento propriæ animæ Præſulatum admittere non poſſe, compertum eſt. Deinde, cùm Epiſcopale munus periculis ſcateat euidentibus, ſitque onus Aethna grauius; rationi conſentaneum non eſſe

3 videbitur, vt præcipiatur ſub lethali. Hinc tertium eudi poterit argumentum probans, neque Papam poſſe præcipere, vt quis vel inuitus tot, tantaque ſubeat pericula. Igitur ſiue ſpectetur is; cui demandandus eſt Epiſcopatus, ſiue Epiſcopatus ipſe, ſiue is, qui illum iniungere poteſt, videtur non poſſe cadere ſub præceptum?

4 Ad veritatis dilucidationem primò notandum eſt, poſſe quempiam iuſſum adire Præſulatum, tribus ſe habere modis: primò vt cuiuſcumque expers ſit impedimenti, quod ipſe nouerit: ſecundò, quamuis poſitiuo ſe detineri neſciat impedimento, ſi practicè tamen iudicet tanti muneris onus proprijs eſſe impar viribus, ac ſe peccare illud admittens: tertiò ſi obſtaculo nouerit detineri, quod vel ipſe poterit remouere, vel Superior auferre, vel neuter tollere, vt indicauit *Sanctus Thomas ad ſecundum*, ac

per·

2. ac perpendit *Sotus* laudatus.

5 Secundò notandum eſt proponenti ſolùm, neque iubenti Summo Pontifici (de quo præcipuus eſt nobis ſermo) Epiſcopatum, poſſe quempiam parere, in omnibus caſibus, in quibus è ſupradictis poteſt infulam optare, procurare, ac vouere, immo maiori cum ſecuritate, alieno nimirum fretus iudicio. Reijcere autem prò viribus in *ijs* tenetur, in quibus peccatum eſſet deſiderare, procurare, atque vouere: neque de hoc præſentem eſſe diſceptationem arbitror, ſed de Præſulatu per præceptum alicui præſcriptum, de quo acceptando, an ſine præcepto teneatur etiam obedire, nonnihil pariter dicemus.

Tertiò, reuocanda ſunt in memoriam, quæ de dubio, ſuſpicione, & probabili opinione dicta ſunt *libro tertio disputat. ſeptima capit. tertio numer.* 16. Demum hìc nos acturos eſſe de Epiſcopatu ſecundùm ſe, ſequenti verò capite de eodem, vt cuique periculoſo.

6 His in hunc modum conſtitutis, Prima ſit aſſertio. Si quis primo ex tribus modis *numero quarto* deſcriptis ſe habeat, omni ſcilicet carens impedimento, abſolutè præcipienti Pontifici Præſulatum adire, parere tenetur. Eſt doctrina *Diui Thomæ, Caietani, Soti modò laudatorum, immò conſenſu Theologorum firmata.* Probatur, quòd hic non ſponte, neque proprio ductus iudicio, ſed honorem potius aſſumeret vocatus, tanquam Aaron, approbante *Apoſtolo ad Hebræos* 5. Secundò *ex canone 37. Apoſtolorum*, vbi excommunicatur, qui Præſulatum iniunctum recuſat. Tertiò ex *Concilio Antiocheno capit. 17. & 18. atque ex ſententia Petri apud Diuum Clementem ſuperiori capite citatum*; Et licèt de conſecrato Præſule ſermo videatur eſſe in decreto Concilij; quamplures tamen non deſunt Auctores, illud idem de electo etiam interpretantes; deinde, quod negari minimè poteſt; noſtra habetur aſſertio *capit. Vos autem* 16. *quæſtione prima*, ibi; *Si quam operam veſtram Mater Eccleſia deſiderauerit, nec elatione auida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis.* Habetur etiam *capit. Diſplicet* 23. *quæſtion. 4. ex Auguſtin. epiſtol. 104. & in epiſtol.* 184. accedit *Gregorius Magnus in paſtoral. parte prima capite quinto; Qui habet* (inquit) *dona Dei vt poſſit eſſe Paſtor, ſi vocatus ſuſcipere renuit, plerumque ipſa dona ſibi auferuntur, quia non pro ſe tantùm, ſed etiam pro alijs acceperat, vnde Dominus dicens; Si diligis me, paſce oues meas, clarè docuit, quòd ſi teſtimonium dilectionis ſuæ eſt ſuſcipere onus paſtorale, quiſquis virtutibus pollens, ipſum ſuſcipere renuit, Paſtorem ſummum conuincitur non amare.*

7 Quòd ſi pericula Epiſcopalis muneris quis obtendat, in eum Clementis facit ſententia relata *ſuperiori capite numero quarto.*

8 At ſi vitæ ab humanarum curis remotæ ſtudio quis detineatur, audiat *Gregorium epiſtola quarta libro ſexto ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: Ego quoque, qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conſcius ſecretiora loca petere aliquando decreueram, ſed ſuperna mihi indicia aduerſari conſpiciens, iugo conditoris ſubdidi ceruicem cordis: hoc præcipuè perpendens, quia qualibet occulta loca ſine Dei gratia, animam ſaluare non poſſunt: quod aliquando in ipſis quoque conſpicimus erratibus Electorum; nam Lot in ipſa peruerſa ciuitate fuit: in monte peccauit. Sed iſta cur dicimus, cùm maiora nouerimus, quid enim Paradyſo iucundius? quid Cælo ſecurius? & tamen homo ex Paradyſo, & Angelus de Cælo peccando cecidit.*

9 Demum non te pigeat, amice Lector; quam adijciam auream ex *Sancto Iſidoro*, Spiritu Dei dictante, ſententiam percurrere *libro tertio ſententiar: ſiue de ſummo bono capite trigeſimotertio ſub initio. Vir Eccleſiaſticus* (ait) *& crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet & ad diſpenſationem Eccleſiaſtici ordinis, ſi ex Dei voluntate peruenerit nolens quidem, ſed humilis gubernandam ſuſcipiat: multis interea pit Sathanas fraudibus, qui vita, & ſenſibus vtilita præſtantes præeſſe, & prodeſſe alijs nolunt, & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt: conſultius arbitrantes otioſam vitam agere; quàm lucris animarum inſiſtere: quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli, fallentes eos per ſpeciem boni, vt dum illos à paſtorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis, atque exemplis inſtrui poterunt.* Et licèt nonnulli ſint Religioſi viri has magna cum laude fugientes dignitates, etiam per votum, vt ſequenti capite dicendum eſt; reliqui tamen, ſi iuſſi, Præſulatum ineant, magno cùm merito id præſtare cenſendi ſunt: notat enim probè *Sotus libr. decimo de iuſtit. quæſt. ſecunda artic. ſecundo*, quòd *poteſt fidelis ſeruus, & prudẽs in adminiſtratione Eccleſiæ creberrima præſtare officia, quæ ſimul multo ſint apud Deum cumulatioris cõmendationis, quàm vnica actionis actio.* Maximeque Deum orandum eſſe arbitror, nè exitus probet dicta eiuſdem *Soti* addentis, *vt in honoribus fugiendis circumſpectus vnuſquiſque ſit; nam ſolent vt Scytæ fugientes in tergum periculo-*

15 ſito magnanimitati contraria. Hoc autem
vitium apprehenſionem ſupponit, qua
quis vt magnum, & ſupra proprias vires
aliquod munus eſſe ratus, nec non ſupra
facultatem, dignitatemue ſuam, liqueſcit,
fluitque imbecillitate, atque ita afflictus,
exanimatuſque iacet, vt omni animi robore,
& contentione deſtitutus, ad quæ idoneus
eſt, officia prò viribus ignauus refugit, op-
timaſque functiones viro dignas difficul-
tatibus ſuccumbens muliebriter exhorre-
ſcit: neque ad quod à Deo ſuoq; Vicario vo-
catur Apoſtolicum munus, capeſſere audet,
tantoque onere fructus, propriaque vilitate
deterritus, honore Præſulatus delato, ſe pu-
tat indignum, per exceſſum nimirum rece-
dens ab ambitione, præſumptioe, ſuperbia,
& vanagloria; peccatque proinde mortali-
ter, cùm id, quod detrectat, vt ſupra docui-
mus, graue ſit ex regulis ſupra traditis, &
Doctorum conſenſu, apud *Leſſium de iuſt. c.*
16 *2. de fortitudin. dub. 3. num. 2.* Non tamen ne-
gauerim, ex nimia ſui obiectione poſſe Præ-
ſulatum demandatum quempiam reſpuere;
quod quidem vitium directè, per defectum,
eſt contra humilitatem; quippe quæ licèt ad
ſui demiſſionem inclinet; prudenter tamen,
iiſque circumſtantiis, quibus decet, id præ-
ſtat, abſque proprij ſtatus, propriarumque
qualitatum detrimento, atque iniuria, & abſ-
que eorum incommodo, quibus prodeſſe
poteſt, vel debet, quarum defectu circum-
ſtantiarum, in nimiam, ac vitioſam itur abie-
ctionem ſui, qua peccare facilè poſſe aſſerui-
mus, Epiſcopatum pertinaciter effugientem
17 Vt pariter ſi ex nimio affectu ad ſui abie-
18 ctionem iam declaratam id præſtiterit. Si
verò ex nimia honoris, dignitatis, ac ſpecio-
ſi muneris fuga in puſillanimitatem incidet,
cōtra magnanimitatem, vt ſuperius dictum
19 eſt. Neque inficior, quempiam incautè per
ſuperbiam peccare poſſe, dum prudentiori
ſe gerere conſilio, falsò putaret, reiiciendo
Præſulatum, atque adumbrata hac humili-
tatis imagine, contra ipſam humilitatem fa-
ceret, quod *Diuus Thomas* deſcribit *ex S.
Gregorio. Papa in Paſtorali part. 1. cap. 6.* di-
cente; *Tunc ante Dei oculos vera eſt humili-
litas, cùm ad reſpuendum, quod vtiliter ſubi-*
20 *re præcipitur pertinax non eſt.* Poſſet etiam
ob turpem rationem tenuis prouectus, vel
redditus reiicere Præſulatum, ex auaritia,
effrænataque diuitiarum cupiditate, ac ſic
de cæteris deprauatis affectibus, quibus im-
buta imbecillis natura in omne rueret ma-
lum, ni diuina cohiberetur gratia.
21 Tertia concluſio. In quibus caſibus di-
ximus ſupra, decere Præſulatum deſidera-
re, quærere, atque vouere; in his ſub letha-
li, quiſpiam habenti auctoritatem, ac præ-
cipienti infulam acceptare, atque parere
tenetur. Hæc concluſio; tum è ſuperiori,
tum è locis citatis liquidò conſtat; quia
ſub illis circumſtantiis Epiſcopatus eſt o-
pus maximè bonum, quod materia præ-
cepti, immò & voti eſſe poteſt; cùm non
propria prudentia illius pericula quis adi-
ret, ſed alterius, Summi nimirum, vt mox
docemus, Pontificis, Chriſti Vicarij, cu-
ius eſt vniuerſali, communique Reipublicæ
Chriſtianæ bono conſulere.
22 Ex hac autem aſſertione conficitur pri-
mum, neceſſitate vrgente alicuius Eccleſiæ,
non æſtimatum indignum, iuſſum tamen
à Summo Pontifice, ſi detrectaret, Epiſco-
patum, peccaturum mortaliter: ſic expreſ-
sè *Sotus articul. ſecundo laudatus ad ſecun-
dum argumentum in fine.* Et confirmatur
*ex Paulo ad Philippenſ. 1. Quòd ſi viuere
in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid
eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: de-
ſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chri-
ſto, multò magis melius, permanere autem in
carne neceſſarium propter vos.* Vbi *Augu-
ſtinus; Non otium* (inquit) *veſtrum neceſſi-
tatibus Eccleſiæ præponatis; optatius enim
Deo eſt, & charius, vt cura ſuarum ouium,
quas ſuo ſanguine redemit, impensè habea-
tur, quàm vt ſua ipſius contemplationi vace-
tur.* Et marceſcere licebit otio, dum ter-
rarum orbis conflagrat flammis vitiorum?
Hinc ſalutem Proximi præferendam eſſe
martyrio docet *ſanctus Chryſoſt hom. 18. in
Matth.*
23 Quarta concluſio. Siue neceſſitate, ſiue
vtilitate Eccleſiæ vrgente iuſſus à Summo
Pontifice Epiſcopatum inire, tenetur ac-
ceptare; ad quod perpendo auream *Di-
ui Gregorij* ſententiam *epiſtola quarta libro
ſexto ſub initio. Si enim* (ait) *vnigenitus
Patris pro explenda vtilitate omnium de ſe-
creto Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum:
nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum
proponimus vtilitati Proximorum?* Expreſ-
sè hanc eandem aſſertionem habet *Sanctus
Thomas ſæpe citatus ſecunda ſecundæ quæſtio-
ne 185. articulo ſecundo in corpore. Primo
quidem* (inquit) *quia hoc nimirum reiicere
Præſulatum repugnat charitati Proximorum,
quorum vtilitati ſe aliquis debet exponere
prò loco, & tempore;* & confirmat ex *Gre-
gorio Paſtoral. parte prima capite ſexto*, à no-
bis ad calcem ſecundæ concluſionis allega-
garo. Ratio autem ex lege charitatis de-
ſumenda eſt, qua, Superiore præſertim
præcipiente, etiam per honores ſpiritua-
li tenemur Proximorum incumbere vtilita-
ti; cùm ceſſet timor adeundi ſponte pericu-
la, ceſſent ambitionis, præſumptionis, ſuper-
biæ, vel vanagloriæ occaſiones, quibus vt

ſuperioribus capitibus docui, opus eſt inſulam fugere:

24 Quinta concluſio. Si ſubditus dubius eſſet an Epiſcopatus ſit ei bonus, ac proinde eſſet etiam dubius de materia licita ei iniuncta; parere, atque Epiſcopatum ei demandatum acceptare teneretur. Eſt mihi certa ſententia hæc, ex vniuerſalibus deducta principijs ex quibus Doctorum melioris notæ conſenſum conſtat, ſubditum Superioris dicto, etiam in rebus dubijs ſtare debere, ſic *Gloſſ. cap. Dilecta in fine de maior: & obed. & cap. Ad aures verb. obedientia de temp. ordinand. & cap. ex tenore verb. mandato de ſent. excomm. & cap. Quod culpatur. verb. iniquitas 23. qu. 1. & cap. Nerui verb. formidat, diſt. 13. Innoc. cap. ſicut il 3. num. 1. de iur. iurand. ibi Io: Andreas num. 5. Hoſt. n. 3. Bald. num. 8. Abbas num. 16. Palud. in 4. diſt. 19. quaſt. 4. num. penult. & diſt. 36. quaſt. 2. art. 2. poſt concluſ. 4. Bonauent. 2. diſt. 39. art. 1. quaſt. 3. ad vltim. Diuus Anton. 3. part. tit. 16. cap. 1. §. 9, verſ. 3. Angel. ver. religioſus n. 29. & verb. obedientia num. 6. & verb. conſcientia num. penul. Syluest. verb. bellum 1. q. 9. concluſ. 3. Sot. de ſecret. mem. 3. q. 3. concl. 1. Tolet. in ſum. cap. 75. num. 6: Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. q. 9. Molin. tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 114. concluſ. 3. Soar. tom. 5. in 3. part. diſp. 4. ſect. 6. num. 6. & lib. 1. de leg. cap. 9. n. 11. & lib. 5. cap. 18. num. 16. & alij, quos citant, & ſequuntur Sanch. lib 6. oper. mor. cap. 3. n. 3. & Ioan. Sanch. in ſuis ſelectis ac verè aureis diſputationibus diſp. 33. num. 37.* Ratio autem eſt, quia recta, ac licita operatio practicum tantum deſiderat iudicium, etiamſi ſpeculatiuum contrarium, præſertim negatiuum, quo dubius, atque hærens operans eſt, non deponatur; atqui exiſtens dubium ſpeculatiuum ſaltem negatiuum, quo pēdulus reddebatur operans, non obſtat, quo minus practicum formetur dictamen ab extrinſeco tutum, quo ductus quis rectè operetur; ergo licèt aliquis iuſſus Epiſcopatum capeſſere, dubio, pendulo, atque hærenti eſſet animo, an illa materia eſſet licita, nec nè, poterit nihilominus Superiore iubente, practicè iudicare illam materiam ab extrinſeco eſſe licitam, atque ad eam obligari: motiuum autem, quo non modo poteſt, verum etiam tenetur Subditus iudicium tale practicum efformare, poſſeſſio eſt Superioris, ius habentis præcipere, quæ quidem, ſtante re dubia, ac æqua lance in caſu nimirum noſtro, num Epiſcopatus huic ſit licitus, nec nè, per dubium merè negatiuum vt diximus præponderat in affirmantem partem: Poſſeſſionem vero in dubijs fouere poſſidenti, cuius meliorem facit conditionem exploratum eſt citatis Auctoribus, præſertim vtrique *Sanchez allegatis; & Thoma, ipſimet Sanch. etiam lib. 1. ſum. cap. 11. num. 11.* Eſt autem Superiori poſſeſſio ſuæ poteſtatis præcipiendi Subdito, vt fuſius infra à *num. 36.* dicemus, qua ſpoliandus non eſt, dum moraliter, vel ſaltem probabiliter non conſtiterit proprios fines eum excedere, probabiliter ſaltem illicitum præcipiendo. Neque poteſt aſſeri poſſeſſio pro libertate ſubditi, cum iuris præſumptio pro Superiore ſit, cuius mandatum in dubio præſumitur iuſtum; neque extra limites ſuæ poteſtatis, quæ nimis coarctata eſſet neque expediens ad bonum ſubditorum regimen, ſi tantum ad manifeſtè licita late patens, huiuſmodi ſaltem dubia non valeret attingere *ex cap. Quid culpatur in fine 23. queſt. 1.* & alijs textibus ſupra citatis, atque allatis à *Couar. reg. peccatum 1. part. num. 5. ad finem.* Poſſeſſionem autem ſtare, pro quo præſumptio ſtat, iuris regula eſt generalis, quam tradit *Sot. lib. 7. de iuſt. quaſt. 3. art. 2. colum. 3. verſ. hic vero, quem ſequitur Aragon, 2. 2. q. 88. art. 9. notab. 2. & ex alys roborat Sanch. lib. 1. ſum. cap. 10. num. 13.* Confirmatur, quia Superiori altius eſt ius, altiuſque quo regitur conſilium, nec non rationes vniuerſales, ſubditis occultæ, variæ eſſe poſſunt. Quamobrem *Soarius 3. tom. de relig lib. 10. cap. 10. num. 18. & 19.* de hac re noſtra in eo ſolum caſu, quo euidenter conſtaret, non eſſe veram neceſſitatem, in cæteris autem caſibus dubijs ſentit ſtandum eſſe iudicio ac declarationi Pontificis quippe hoc eius debetur auctoritati, ac dignitati.

25 Et licet *Vazquez 1. 2. quaſt. 19. art. 6. diſp. 62. cap. 3. ac deinceps, & diſp. 66. cap. 9. à num. 51.* à quo non multum differt *Salas 1. 2. qu. 21. tract. 8. diſp. vnica ſect. 17. num. 162.* indicet non poſſe ſubditū hoc in caſu dubio, niſi depoſita ſua conſcientia parere, quam efformet ſi ſit doctus extrinſecis principijs, auctoritatis, ſcientiæ, prudentiæ, ac probitatis Superioris: ſi autem indoctus, bona fide Superioris nutus ſequi par eſſe æſtimet; nihilo tamen ſecius non videtur contra nos eſſe, vt ex infra dicendis magis conſtabit; quod nos neceſſe putamus ad rectè operandum, voluntatem, practicum iudicium tanquam ducem ſequi debere, ad quod efformandum, non poſſum cum *Vazquez* ſentire, neceſſario demittendum eſſe ſpeculatiuum iudicium, immo nec practicum modo infra declarando; quod quidem ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco diuerſo ſi nitatur motiuò compoſſibile eſt cum alio; fiat res exemplo clarior. Præcipiat Superior homini ſexagenario ieiunium, ea ductus ratione, quod ſenibus non ſit terminus ætatis certus non ieiunandi, vt eſt impoſitus adoleſcentibus;

tibus: ſubditus verò ex probabili opinione contraria ductus, exiſtimet, vel paritate adoleſcentis, vel auctoritate nonnullorum Doctorum vel quod plerunque vires ea in ætate deficiant, non teneri ad ieiunium. In hoc inquam euentu non ſatis intelligo cur non modo non teneatur Subditus (ſi velit obedire) deponere dubium mere ſpeculatiuum, in communi, dictans non obligationem ieiunij hic, & nunc, ſed nec etiam practicum, dummodo hic, & nunc opinionem Superioris velit ſequi. Qua propter ſi Superiore præcipiente ſubditus animo eſt hærenti, nec ſatis ad alterutram partem valet propendere, ad ieiunandum nempe, vel ad non ieiunandum, practicè poterit conſciētiam efformare ieiunandi ob auctoritatem extrinſecam, vel Superioris præcipientis, ſi fuerit doctus, & prudens, vel aliorum Doctorum docentium teneri ſexagenarium ieiunare, non deficientibus hic, &, nunc viribus, qua poſita opinione, & præcepto Superioris, iudicat ſubditus hic, & nunc parendũ eſſe. Quod ſi Superiòre præcipiente ſubditus, cœtera doctus, & ſufficienter eruditus, reperiatur habere opinionem dictantem ſe non teneri obedire, vel ab extrinſeco tãtum, quòd ita docent multi Doctores: vel ab intrinſeco ob rationes iam indicatas, tunc mea quidem ſententia, volens ſubditus obedire, non tenebitur deponere actum iam dictum opinatiuum proprium, ſi velit contrariam amplecti opinionem; poterit enim in hunc modũ ratiocinari. Ieiunium hic & nunc mihi non eſt obligatorium, ob auctoritatem multorum Doctorum, licet vim videatur habere obligandi ob auctoritatem aliorum; quapropter integrum mihi eſt, alterutram horum Doctorum ſequi òpinionem, quicquid ſit de rationibus ab intrinſeco ſibi oppoſitis: qui quidem duo actus ad ieiunium, & non ieiunium terminantes non ſunt contradictorii in ſe, vt patet; cum ſint qualitates vitales poſitiuæ; neque ratione obiecti, quod tametſi materialiter ſumptum videatur contradictorium; formaliter tamen, vt ſubiacet diſtinctis auctoritatibus; tale ſane non eſt: quod quidem peculiare fortaſſis eſt obiecti terminantis, vel actus obſcuros, vel opiniones cum formidine partis contrariæ. Hac eadem ratione ſi præceptum Superioris cadat in ſubditum, in exemplo allato contrariam opinionem habentem, ab intrinſeco probabilem, poterit ſimili modo ratiocinari. Si ſpectem ieiunium mihi ſexagenario iniunctum, vel quia ſum ſenex in cuius ætate vires deficere ſolent, vel quia terminus ſenectuti videtur impoſitus, ad non ieiunandum, vt adoleſcentiæ, vel quia multi ſunt Doctores, me ab hac obligatione vendicantes, non eſt obligatorium; ſi autem ſpectetur ieiunium vt iniunctum à Superiore docto, ac prudenti, & ſecundum aliorum Doctorum opinionem aſſerentium, mihi ſexagenariò ſufficientes habenti vires ieiunium eſſe obligatorium; cui terminus non eſt præfixus in ſenectute, erit quidem obligatorium. Quibus duabus opinionibus poſitis, integrum mihi eſt, quã volo licetè ſequi, neque ex repugnantia horum actuum, qui quidem, vt dixi, formaliter non opponuntur, licet materialiter ad obiectum oppoſitum terminentur, altera opinio ab intellectu excludenda eſt: Idemque diſcurſus fieri poterit comparando opinionem ab intrinſeco probabilem cum opinione contraria ab extrinſeco etiam probabili vt legenti patebit, nec diſcrepat *Vazquez citatus præſertim diſp. 62. cap. 3. num. 10. & cap. 9. num. 44. ad* 2. Quod ſi Vazquez eo ſolum ſenſu hanc depoſitionem alterutrius opinionis docuerit, vt vnam ex his eligat operans, quam voluntate ſequatur, eamque practicè dictantem, vt regulam bonæ operationis amplectetur, do manum, nec diſſentior, vt cum eodem contra *Sanchez* infra dicam. Ad æquiuocationem tamen tollendam, non modo aio, poſſe quempiam dubium mere negatiuum per opinionem, probabilẽ non deponere, verum etiam nec iudicium ſpeculatiuum dictans de alterutra parte, verb. grat. de ieiunio obligatorio in cõmuni, quod idcirco ſpeculatiuum appellatur; & tamen ob aliquam rationem ſpecialem practicè opinionem ei contrariam amplecti, vt docent *Sanchez lib. 2. de mat. diſp. 41. num. 4. & 5. ex multis, & lib. 1. ſum. cap. 9. num. 4. ex Vazq. 1. 2. diſp. 65. cap. 1. num. 2. Soar. 5. tom. in 3. part. diſp. 40. ſect. 5. num. 14. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæſt.* 13. Addo contra *Vazquez citatum nec non Azorium pariter citatum cap. 16. quæſt. 2. & 3. & cap. 17. quæſt. 7.* nil repugnare, duas opiniones tendentes ad obiectum materiale è diametro diuerſum, eſſe in eodem intellectu ſimul, neque alteram neceſſario deponendã vti dictum eſt: quod etſi non adeo enucleato fundamento, tradit tamen ſuboſcurè *Sanchez citatus in ſum. num.* 12. Quamuis vltro fatear non poſſe voluntatem vtrumque iudicium materialiter contrarium, vel contradictorium ſequi, vt regulam propriæ actionis, ſed alterutram, vt dictum eſt.

26 Sexta concluſio. Subditus habens opinionem probabilem de Epiſcopatu ſibi illicito, ac malo, probabile eſt ſaltem ab extrinſeco, adhuc teneri ad obediendum, eumque demandatum acceptandum; ſic vniuerſaliter de quauis alia re docent *Roſella verb. cõſcientia num. penult. & ibi Angel. num. 2. Sylueſt.*

ſam; cum proprium iudicium probabilitatis fines non excedat, reſque illa probabiliter etiam ſit bona, adhuc facultatem eſſe Superiori ad illam eandem impetrandam, cui ipſe parere tenetur, quod (ni me mea fallit opinio) non videtur aſſequutus *Sanchez*; & ſane vti ipſemet docet *lib. 1. ſum. cap. 10. nu. 2.* qui operatur practicè dubitans, quia periculo peccati admittendi, de quo dubitat, ſe exponit, eodem ſanè peccato peccat ex conſenſu Doctorum, quos citat, ac ſequitur *lib. 2. de mat. diſp. 41. num. 6.* Vel igitur poſito Superioris præcepto dubitat ſubditus, quia, rationibus vtrinque perpenſis, eſt pendulus, quin iudicet an ſit licitum, nec nè, neque ſupra ſuum dubitandi actum negatiuum reflectit, vel actu reflexo præcipit hanc ſuam hæſitationem, nec aliàs etiam *Sanchez* iudice, poterit ſe habere, atqui vtroque modo ſe habens ſi operetur, & periculo peccandi ſe exponit, & reuera peccat, igitur aliquo à nobis aſſerto iudicio, vt licitè operetur ſuã efformare debet conſcientiam. Quod ſi ſubditus indoctus fuerit, neque ita facilè diſcernere poterit, an quod præcipitur malum vel bonum ſit, an ſit licitum nec nè, multo magis excuſabitur, ſi bona fide Superioris auctoritatem ſequutus, obediat, non diſcernens iuſtitiam rei præceptæ, quam ab extrinſeco iudicat iuſtam, vt probè *Vazquez diſpu. 66. cap. 9. num. 22.* Neque, ſatis intelligo ratiocinationem *Sanchez.* ſatis eſſe, putantis ſubditum non ſcire rem præceptã eſſe malam; eũ hęc inſcitia, ſiue ignorantia, ſine inaduertentia ſufficiens non ſit ad dictamen rationis, procul dubio neceſſarium ad virtuosè operandum; nam per eam conſcientia formari non poteſt neque voluntas ex ſe cæca practicè ſufficiẽter dirigi ad rectè operandum. Et quamuis non negem cum *Syluestro verb. bellum 1. quæſt. 9. concl. 4. Victor. in relect. de iur. belli num. 30. & 31. Cordub. lib. 3. quæſt. 8. ex doctrina Auguſtini libr. 12. contra Fauſtum cap. 74. & refertur 23. q. 1. cap. Quid culpatur vt ſupra*, docentibus, Subditos vocatos ad bellum ſtare dicto Regis debere, neque ad expendendum teneri, verum ſit iuſta cauſa belli, an non, quam non expedit omnibus aperire; & Religioſos, quando non apparet eſſe iniuſtum id quod præcipitur, nec dubium aliquod rationabile de re præcepta malã ſubrepit animum, iuxta hactenus dicta, parere debere Præpoſito, & penes à Sanctis Patribus laudatam obedientiam cæcam, ſe gerere, quin examinent rem præceptam, vel illius cauſam expoſcant; nihilo tamen ſecius vel ex generali quodam iudicio, quo ſemel animũ imbuerint operari debent, quoque perſuaſum habent Prælato præcipienti obedientes errare ſe non poſſe, vel ſpeciali iudicio efformare conſcientiam debent, iudicando rem præceptam probabiliter ſaltem eſſe bonam, ad minimum per extrinſeca principia auctoritatis Præpoſiti, vel reabſe docti, vel certe eruditi, vel taliter exiſtimati ob auctoritatem Dei, cuius vices gerit.

28 Ex his conficitur primo, etſi probabilior eſſet ſubditi opinio de malitia rei præceptæ adhuc ad obediendum eum teneri, ſic Auctores ſupra citati præſertim *Sanch. lib. 6. oper. mor. cap. 3. num. 7. & Soar. 5. tom. in 3. part. diſp. 4. ſect. 6. à num. 5.* cum aſſenſus ille non eſſet certus, aut euidens, aut extra opinionis cancellos.

29 Sequitur ſecundo. Si iuſſum Epiſcopatum adire, dubitet ſe non idoneum ad tantum munus, defectu ſcientiæ, virtutis, talenti, atque aliorum ornamentorum ad Epiſcopatum deſideratorum, teneri nihilominus obedire, ſi autem probabiliter ſe non idoneum putaret, etiam teneri penes hanc probabilem opinionem: cui *Sotus* expreſsè de defectu ſcientiæ ſermonem habens fauet *lib. 10. de iuſt. quæſt. 2. art. 2. in ſolutione dubitationis primæ*: iuxta ſequentem verò aſſertionẽ hic non tenebitur.

30 Septima concluſio. Probabilius cenſeo ab intrinſeco non teneri quempiam obedire in re, quam probabiliter iudicat ſibi malam, etiam ſub præcepto iniunctam, & conſequenter probabile ſaltem erit non teneri ad Epiſcopatum acceptandum quempiam, ſi probabiliter illum ſibi malum eſſe iudicauerit. Et ſanè quo ad vim ſequelæ deducta ex non obligatione in generali, quam non habere ſubditum decertamus circa rem probabiliter malam, nullum eſſe poteſt dubium, etiam ſi eam ſpectamus contractam ad Epiſcopatum iniunctum, de quo agimus intra fines probabilis opinionis; quod autem ſpectat ad maiorem probabilitatem quam hæc ſententia præfert, vt latè patebit ad reliquas materias iniunctas in ſecunda parte à nobis oſtendetur. Subditum verò probabiliter opinantem malum eſſe quod ſibi præcipitur non obligari ad parendum contra Auctores ſuperiori aſſertione citatos docent *Ledeſma tract. ſtatuum Hyſpaniæ editum, vbi de religioſis in communi cap. 4. & Ioann. Sanctius in elect. diſp. 33. à num. 29. & diſp. 41. à num. 28.* nec non quando dubitatur à ſubdito, num res iuſta in detrimentum ſit tertiæ perſonæ, docent etiam *Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 31. num. 10. & ſermonem habens de tributo iniuſto cap. 33. dub. 8. numero 84. de quo expreſſè Nauarr. lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 267. Sayeus claui. regia lib. 12. cap. 16. num. 18. & 21. & fauet Sanch. lib. 6. oper. mor. cap. 3. num. 24.* Eſt pariter pro hac opinione

Soar.

gat,& non videat; qui quidem meritò ait, poſſe militem ſub Imperatore,etiam ſacrilego,militare,ſi quod iubetur certum eſt,non eſſe contra Dei præceptum, vel verum ſit, certum non eſt; tunc enim ſi dubius ſit ſubditus, vt interpretatur *Gloſſa verb. iniquitatis*, & quidem negatiuè dubius, tenebitur vtique obedire, vt etiam ſi certus eſſet de rectitudine belli: Quòd ſi probabiliter aut ab intrinſeco,aut ab extrinſeco iudicaret licitum eſſe bellum,vel illicitum,poterit obedire,quod nos non negamus,at quod teneatur,hoc in controuerſia eſt,in qua poſſeſſionem negamus Superiori præcipiendi,atque obligandi ad rem probabiliter malam, & iniuſtam,& rationem ab aduerſarijs poſtulamus,cur in Superiore hæc facultas & poſſeſſio afferatur?

36 Dices ex *Soario 5.tom.in 3.part. diſput. 4. ſect.6. num. 6.* facultatem præcipiendi res probabiliter etiam malas inde deduci,quod alioquin cogerentur Superiores tantum manifeſtè, atque euidenter bona præcipere; nec non deterioris,quàm ſubditi,conditionis eſſent; cum hi ex probabili poſſint opinione licitè operari,ſecus verò Superiores,penes noſtram ſententiam poterunt ex eadem imperandi facultate vti. Cæterum nihilo ſufficientior eſt hæc ſolutio, nam Superiori præcipere non ſolum integrum erit ea quæ euidenter bona ſunt, ſed etiam quæ adeo ambigua, vt negatiuè dubium faciant ſubditum,in quibus eum obligari ad parendum docuimus *concl. 3.num. 24.* deinde ex noſtra ſententia conſequens neceſſariò minimè fit,non poſſe Superiorem præcipere res probabiliter bonas,ſed ſolum non poſſe ad eas ſubditum obligare: vt enim ex ſubijciendis patebit, eſto Superior poſſit huiuſmodi res præcipere, poterit tamen ſubditus ea non exequi: neque repugnat bellum vtrinque iuſtum formaliter, & materialiter ſolum ex altera, vt probè *Molin. de iuſt. 1. tom. diſp. 103.* idemque eſt de ſolutione tributi penes communem, ac receptam ſententiam, exiſtente opinione de illius iniuſtitia.

37 Reſpondebis *ex Salas*, qui quamuis *1. 2. tom. 1. tract. 8. diſp. vnica ſect. 8. num. 76.* vltro fateatur,ſe minimè diſcrimen percipere inter illa duo probabiliter nempe opinari, illicitum eſſe,quod præcipitur, & probabiliter opinari ſubditum ad parendum non obligari; addit tamen, idcirco ſubditum in rebus probabiliter illicitis obedire debere, quod alioquin Reipublicæ euerſio ſequeretur,etenim prætexu probabilium opinionum effrenatè ab obedientia ſubditi diſcederent. At efficacior ſolutione Soarij hæc non videtur: tum quia ſatis apertum campum eſſe reor, in quo Superiorum ſpacietur poteſtas,ad res, ſcilicet,bonas: ad dubias, dubios valentes reddere ſubditos: nec non etiam ad res probabiliter bonas præcipiendas,quas ſicut eis integrum eſt præſcribere,ita & ſubditis liberum erit exequi; extra hos autem fines Superiorum poteſtatem latius vagari,ſubditoſque cogere ad parendum in hiſce probabiliter malis, neue proprio vtantur iure, ſeruandi propriam opinionem,ac ſe ipſos in poſſeſſione ſuæ ſecuritatis, neque ſe conijcere in huiuſmodi res probabiliter malas, neque è Republica eſt, neque è rationis dictamine: tum etiam quia ſi hoc à Contrarijs habetur abſurdum, in eoſdem etiam eodem fere pacto militat; cur enim ſi ſubditus non obediat ex opinione probabili, vel dictante hic & nunc non eſſe obbediendum,vel hunc Superiorem, non eſſe legitimum Superiorem, defectu legitimæ electionis, non cenſebitur eſſe inconueniens bellum,vtrinque iuſtum, & cenſebitur dum non obedit ſuſiditus in re probabiliter mala,ex opinione probabili,ad quam ſectandam in poſſeſſione eſt? vt igitur in duobus primis relatis caſibus id abſurdum non reputant *Vazq. 1. 2. tom. 1. diſp. 62. num. 32. & 33. Salas 12. tom. 1. tract. 8. num. 78. Leſſius lib. 2. cap 41. dub. 9. n. 76. & Sanch. lib. 6. oper. mor. cap. 3. nu. 7.* quo ad primum caſum,cum neget ſecundum, ſic neque in tertio,quem nos docemus ijdem Auctores aliquid eſſe abſurdi negare tenebuntur.

38 At contendes ex *Soar. lib. 5. de leg. cap. 18. num. 19.* noſtram ſententiam veram quidem eſſe, cum ſubditus ita probabilem opinionem habet de iniuſtitia tributi verb. grat. imperati à Principe,vt ignoret, an contrarium ſit probabile, vel an Princeps ductus fuerit probabili iudicio oppoſito ad legem ferendam,ſecus alias. Cæterum in caſu relato à *Soario*, etiamſi ſubditus opinionem ſolum probabilem haberet,nec longe, vel euidenter probabiliorem, adhuc poſſet non obedire; quia vt idemmet Auctor ait, humano moralique modo conſtaret rem iniunctam eſſe malam, legemq; iniuſtam, neq; tenetur ſubditus præſumere pro iuſtitia Principis, contra proprium iudicium probabile,immo ſequitur,nec poſſe in illo euentu obdire,cum non haberet dictamen conſcientiæ efformatum, ſaltem ab extrinſeca auctoritate Superioris, probabiliter rectè opinantis, ac præcipientis. Deinde quod ſubditus putet Superiorem motum ex ratione probabili contraria, non tollit probabilitatem propriæ ſententiæ,qua rem præceptam iniuſtam eſſe hic & nunc iudicat,neque ab eo ius aufertur, aut poſſeſſio vſus propriæ opinionis probabilis; igitur ſiue cogitet

gitet de contraria opinione,ſiue non, cum propria opinio probabilitatis gradum ex contraria nota,vel ignota,non amittat,profecto poterit ei eſſe in vſu. Iterum opinio, vt à ſcientia,fide,dubio, ſuſpicione, & ſcrupulo diſtincta,eſt aſſenſus non firmus,& certus cum formidine partis contrariæ,ſic probè *Diuus Anton.1.part.tit.3.cap.10.§.9. Syluest.verb.operatio in principio Sot. 4.diſt. 27. quæſt.1,art.3.verſ.tunc ergo. Nauarr.Cap.ſi quis autem de pænit.diſt.t7.num.11.Cord. lib. 3.q.9. Valent.1.2.diſp.2.quæſt.32.punc.5.Sanchez lib.2.de mat.diſp.41.nu.2. & lib. 1. ſum. cap.9.num.2.Vazq.1.2.diſp.62. cap. 5. num.* 26, Vel igitur loquimur per ſe, vel per accidens in caſu noſtro,ſi per ſe, aut quis euidentia obiecti mali præcepti præditus,certo atque euidenter de illo iudicat,& non ſumus in caſu: aut ex principijs extrinſecis auctoritate verb. grat. hominis docti, ſubditus credit hanc rem eſſe malam, ſiue bona fide, ſi fuerit ipſe indoctus, ſiue practicum ſibi formans iudicium, & conſcientiam dictantem probabile eſſe,quod à viro docto, ac timorato tale putatur,tutaque vt tale haberi poſſe,quo in euentu, ſi non fuerit ſtolidus ſciens Superiorem præcipere hanc eandem rem,vel certo iudicabit iniuſtè id facere omnino, & non habebit probabilitatem, ſed certitudinem,quoad ſe; vel illum probabili de cauſa moueri cenſebit ad hoc iniungendum,& conſequenter aduertet Superiori nō deeſſe rationem probabilem id præcipiendi,aut demum per intrinſeca principia ſubditus ſatis eruditus quod ei iniungitur,ſatis probabile opinabitur,eſſe malum, & neceſſario ſaltem implicitè contrariam opinionē cuius formidinem habet,probabilitate non carere cenſebit; nam vt optimè *Valent.1.2. diſp.2.quæſt.12.punc.5.* docet, tunc quippiam cenſendum eſt intra fines eſſe opinionis,cum quis illius rationes fundamentales, ſibi perſuadet,ſolui poſſe,aut à ſe,aut ab alio, ſecus ſi inſolubiles per errorem arbitraretur, tunc enim intra terminos opinionis non exiſtimandum eſſe putat, ergo à primo ad vltimum; vel habens opinionem probabilem de iniuſtitia rei iniunctæ, nunquam tenebitur per ſe loquendo obedire, vel caſus *Soary* ficticius, aut valde per accidens, neque in conſideratione habendus: idque ex eo confirmatur, quòd opinio intrinſecè imbibit formidinem partis contrariæ, quæ vt probè *Sanch.lib.1.oper.moralis cap. 9. num.* 18. in actu conſiſtit reflexo,terminato ad rationes partis, cui aſſentitur quiſpiam, quo concipit non eſſe illas euidentes, ſed probabiles tantum,atque hunc poſſe fieri, vt contraria opinio ſit vera. Vtrum autem hic actus formaliter debeat eſſe neceſſario reflexus.vel ſufficiat virtualiter reflexus (in quod propendeo)attingens obiectum, vt nō euidens,ſed obſcurum,& formidoloſum,nec omnino certum reſpectu cuius, & ſuimet ipſius,ſit aliquo pacto quo,& quod, non eſt præſentis inſtituti.

39 Secundo ex profeſſo concluſio probatur. Ex probabili opinione rei iniuſtæ, vel malè iniunctæ,neceſſario ſequitur probabilis opinio dictans,non teneri quempiam parere hic & nunc; igitur cum Auctores contrarij dicant ex opinione probabili dictante,me non teneri hic & nunc parere, licitè me poſſe non obedire,tenetur etiam aſſerere, exiſtente opinione probabili de malitia rei præſcriptæ,me licitè poſſe non obedire, immo probabiliori ſane ratione poſſem excuſari à non parendo in re præcepta,probabiliter mala, quam exiſtente opinione probabili de non obediendo: huius diſcurſus primum antecedens, & vltima conſequentiæ pars probatione indigent: probatur itaque antecedens hoc modo. In rebus illicitis ſubditus non tenetur parere: ſed quod mihi nunc præcipitur eſt probabiliter illicitum: ergo non teneor hic & nunc parere. Reſpōdebis diſtinguendo maiorem, atque in rebus euidenter illicitis,non teneri ſubditum parere,concedes: in rebus autem probabiliter illicitis negabis,cum ius.& poſſeſſio ſit Superiori præcipiendi, quicquid euidenter non ſit malum. Verum cum ex ſupra dictis ſatis ſuperque hanc poſſeſſionem euerſam putemus, cuius fundamētalem rationem ab aduerſarijs adhuc expectamus, iterum eam obijcere abs re prorſus erit. Deinde ſic arguo;in rebus euidenter illicitis euidens eſt ſubditum non teneri ſtare dicto Superioris: igitur in rebus probabiliter illicitis probabile erit ſubditum non teneri parere; vt enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſecundum quid ad ſecundum quid *ex Ariſtot.2.topicor.cap.* 4. Probatur præterea vltima conſequentia ſuperioris argumenti, quòd omnes quotquot ſunt Auctores,intercedente opinione probabili,dictante ſubditum non teneri ad obediendum docent poſſe nihilominus ſi velit illum obedire: at verò habentem ſubditum probabilem opinionem de malitia rei iniunctæ,ab ea recedere, atque opinioni contrariæ Superioris accedere,non poſſe, quàm plures ſunt, qui conſtanter aſſerant,ſic *Adrian.quodlib.2.part. 3.* vbi expreſsè de ſubditi opinione, comparata cum opinione Superioris, & fauent alij *num.30.* à nobis citandi *immo Vazq. 1.2.diſput.62.cap.2.num.8.* referens Auctores docentes vnumquemque teneri opinionem probabilem ſequi,contra quam non liceat, vnquam agere,vult eos conſequenter idem

ſenti-

ſentire de propria opinione vniuſcuiuſque, contra quam agere, nulli, per illos Auctores, licebit; cum cuiq; propria opinio ſit cæteris probabilior: igitur maiori cum fundamento quis excuſari poterit à non parendo, exiſtente propria opinione de malitia rei iniunctæ, quam exiſtente opinione, ſaltem aliorum, dictante, hic & nunc eſſe parendum.

40 Dices ex *Sanchez lib.6. oper. mor. cap.8. num.6. ac ſæpe alibi Soar. de leg. lib.5. cap. 13. num.19.* probabilem, immo probabiliorem habenti opinionem, quòd propria res ab altero poſſideatur, eam non licet ſibi propria auctoritate vendicare; cum melior ſit conditio poſſidentis; igitur neque ſubdito licebit non obedire, ac ſpoliare Superiorem auctoritate, quam poſſidet iubendi quicquid clarè illicitum non eſt: & ſicut licebit ſpoliare alterum re, probabiliter exiſtimata mea, exiſtente opinione dictante hoc eſſe licitum; ita pariter licebit non obedire, ex opinione docente me non teneri ad parendum, per quam vocatur in dubium poſſeſſio ipſius Superioris, quæ nec ſupponitur certa, neque præponderans libertati ſubditi ad non parendum. Cæterum & ſi poſſem, conceſſo huius argumenti antecedente, negare conſequentiam cum multis Doctoribus aſſerentibus in materia tantum iuſtitiæ poſſeſſionem in dubijs reddere meliorem poſſidentis conditionem, quos citat, ac ſequitur *Vazq. 1.2. diſp.65. cap.3. & 66. Cap. Per totam. Azor. tom.1. lib.2. cap.18. quæſt. 4. cap.19. quæſt.10.* ac probabile iudicat ipſemet *Sanch. lib.1. oper. mor. cap 16. num. 11:* nihilo tamen ſecius ad vberiorem doctrinã, maioremque controuerſiæ dilucidationem, admiſſo antecedente, duplex aio huic inſtãtiæ, me quidem iudice, fundamentum eſſe, alterum poſſeſſionis, quæ quidem fauere dicitur eam habenti in dubijs, ideſt in opinionibus; atq; hinc fieri poſſidentem rem probabiliter ſuam, non poſſe ab altero probabiliter etiam ſuam eſſe iudicante, ſpoliari. Alterum fundamẽtum eſt ex opinione probabili dictante hanc rem eſſe meam, non poſſe me licitè mouere ad eam mihi vendicandam: quamobrem ſi vtrunq; fundamentum vitioſum eſſe demonſtrauerimus, decidua profectò inſtantia nulliuſque roboris erit. Et quidem vt armis aduerſariorum in ipſos vtar, *Thomæ Sanchez* hic tranſcribam verba, *lib.2. de mat. diſp. 41. numero 30.* *Quamuis in dubio melior ſit poſsidentis conditio; & quando ſunt diuerſæ opiniones circa aliquam rem, non tenetur Doctor de illa re conſultus, aut index, fauere poſsidenti, quia tantum in dubio melior eſt conditio poſsidentis*. Hanc eandem doctrinam habet *lib. 1. oper. mor. cap.9. num.14. & cap.10. num.9.* ex parte igitur friuolum admodum erit fundamentum primo loco adductum, quo poſſidens rem probabiliter alienam dicebatur, non poſſe ratione fauentis ei poſſeſſionis ſpoliari. Deinde ſic ad hominem ago contra *Sanchez*, ſi quis rem poſſidens rationes haberet non omnino conuincentes, ſed ſolum opinatiuum iudicium ita dictans, eam eſſe alienam, vt nullus partis contrariæ expreſſus aſſenſus ſupereſſet, ſed ſola formido incluſa in rationibus illis probabilibus, ſeu opinatiuo aſſenſu, non obſtante poſſeſſione, tenetur eam reſtituere, vt *Sanch. lib. 1. cap. 10. num. 12.* ſcribit; ergo ſaltem in hoc caſu poſſeſſio non præponderaret opinioni probabili; ergo in ſimili etiam caſu rei noſtræ (cui fauet *Soarius libr. quinto de leg. capite 18. numero 10.* ſuperiori argumento à nobis indicato) neque ſubditus talem opinionem habens de iniuſtitia rei præceptæ cum formidine partis oppoſitæ, tenebitur obedire. Addo eundem *Sanchez* loco citato docere, ſatis eſſe ad non reſtituendum, ſi probabiliter ille opinaretur per poſitiuum aſſenſum rem eſſe ſuam, nõ ratione poſſeſſionis; ſed quia ius habet, relicta opinione probabiliori, ſequi ſuam probabilem; igitur à pari in re noſtra. Principium autem, quod tractamus, in dubijs nempe, quòd melior ſit conditio poſſidentis, locum non habere in opinionibus probabilibus, animum non reddentibus negatiuè dubium, ſed poſitiuè opinatiuum docent etiam *Vazquez 1. 2. tomo 1. diſputat. 62. numer. 44. & expreſsè diſputat. 66. capit. 8. numer. 42.* quatenus meliorem eſſe conditionem poſſidentis, ait, in dubijs, quando nullus eſt aſſenſus pro alia parte, ſic etiã ſimiliter in huiuſmodi dubijs non militaret illud principium, *In dubijs tutior pars eſt eligenda*, docet *Villadiego 1. tom. ſumm. diff. 5. numer. 3. & diff. 9. numer. primo Azor libr. 2. capit. 6. ad finem*, quicquid in contrarium dixerit *Salas 1. 2. tractat. 8. diſputat. vnica ſection. 23. numer. 231.* Ratio autem, cur in dubijs melior ſit conditio poſſidentis, ſecus in opinionibus probabilibus, eſt, quòd in dubio, rei noſtræ verbi gratia, ſit nè aliquod iuſtum mandatum, nec nec nè, ſit nè malum, nec nè, quod iniungitur, poſſeſſio certa ſtat pro mandante, cuius ſanè meliorem reddit conditionem, quippe quæ alioquin æquè dubia erat non ſecus ac ſubditi conditio, cùm de vtraque, ob æquale dubium, pendulus, atque hærens eſſet animus; vt probè *Sanchez libr. primo oper. moral. cap. 10. numer. 11.* At verò exiſtente contraria opinione probabili, poſſeſſio non certa, ſed probabilis ſupponi-

KK tur

tur in Superiore mandante, nec ſanè maior poſſeſſione, quàm habet ſubditus vtendi opinione probabili, præſertim propria; quapropter ad rem notat *Ioannes Sanchez in ſuis ſelect. diſputat. 44. numer. 54. verſic. quia tantum*, licèt contra legem certam opinio non prævaleat, non ſecus ac debitum certum, ſolutio dubia, vel ex moneta extimationem dubiam habente non ſoluit; nihilo tamen minus quando probabiliter lex iniuſta, atque ad rem malam terminatur, tunc nequaquam illa dicenda eſt certa ſententia, certumque ius morale, quo ad iuſtitiam, atque æquitatem, ſed ſolùm quoad eſſe phyſicum exiſtens in rerum natura: quòd nimirum ſcripta, atque realiter exiſtens ſit talis lex. Immò magis ad rem noſtram *Thom. Sanchez libr. primo capite decimo numer. trigeſimotertio* ſcribit, legē certam non obligare, quando dubium eſt, nū res, quam præcipit, vel prohibet cōtineatur ſub illa; ergo à fortiori, quando probabile erit, rem iniunctam non comprehendi lege. Cum itaque primum inſtantiæ adductæ fundamentum nullius eſſe roboris etiam ex ipſamet Contrariorum doctrina demonſtrauerimus, ſupereſt, vt alterius vires expendamus.

41 Et quidem, vt primo fundamento reſpondi, huic etiam ſatisfacere poſſem, aſſerens rem noſtram ab inſtantia eſſe diuerſam; nam dum agitur de ſpolio, in materia verſamur iuſtitiæ, in qua omnium calculis liquet, meliorem eſſe conditionem poſſidentis; in caſu autem noſtro de obedientia agitur, in qua, vt in cæteris alijs materijs, meliorem eſſe conditionem poſſidentis negatur à quampluribus, quo circa *Vazquez*, qui etiam pro contraria eſt opinione, docente in noſtro caſu teneri ſubditum obedire Præpoſito, *1. 2. diſputation. 62. capit. 6. numer. 32.* non fundamento poſſeſſionis eam defendit, ſed alio, quod mox expendemus. Poſſem etiam aſſerere ab Auctoribus allatæ inſtantiæ, non fuiſſe diſtinctum dubium facti, à dubio iuris, illudque de ſpolio faciendo, dubium potius eſſe facti, quod quidem neque opinionem probabilem conſtituit, neque vires habet, conſcientiam reddendi ſecuram, ex ipſomet *Sanchez libr. primo ſumma capit. nono numer. 44. Villalob. 1. tractat. tom. primo ſumm. diff. 10. Ioann. Sanchez diſputation. 43. numero 48.* in noſtro tamen euentu de obedientia præſtanda à ſubdito non eſſe dubium facti, quia certum ſupponimus præceptum, nec ſub dubio res mala, ſed ſub opinione probabiliter cenſetur mala: ex quo patet diſcrimen: nec non minus rectè opinionis probabilis nomine, donari dubium facti, conſiſtens in eo, num hæc ſcilicet res ex probationibus, teſtibus, atque alijs adminiculis, mea potiùs ſit, quàm aliena. Neque opus habeo ad ſolutionem citatæ inſtantiæ, præter hactenus dicta, ſententia docente, *In dubijs facti tutiorem partem eſſe eligendam*, vt habet *Reg. Capit. Ad audientiam, & capit. Significaſti 1. & 2. de homicid. & capit. Iuuenis de ſponſal.* quam nonnullis paucis caſibus exceptis defendit *Vazquez 1. 2. diſputat. 66. per totam*, *atque alij apud Sanchez libr. primo operis moral. capit. 10. numero 10.* quibus accedit *Ioan. Sanchez diſput. cit. num. 48.* Qua poſita doctrina euidens eſſet, quam nullius ferè ſit roboris ſecundum inſtantiæ fundamentum; etenim cùm qui rem ſuam eſſe arbitrabatur, dubium habeat facti, conſequenter tenebitur tutiorem ſequi partem, nec ſpolium facere, in quo poſſet ſaltem materialiter peccare; at verò ſubditus cùm dubium tantùm habeat iuris, num teneatur hic, & nunc obedire habens opinionem probabilem, non eſt cur ea vti non poſſet; quo pacto ſoluit hoc ipſum argumentum *Ioann. Sanchez diſput. 33. numero 31. & diſputation. 43. numero 49.* Verùm his, & quidem ſufficientibus rationibus euertendi contrariæ ſententiæ fundamentum aliam addo, atque allatum ſpolij caſum in hunc modum explico; vel enim opinans de re ab alio poſſeſſa, dubius eſt, num ſit ſua, dubio merè negatiuo; & vt ſupra docuimus, non poterit poſſeſſorem ea ſpoliare: vel eſt certus, & tunc poſſet quidem ſibi aſciſcere, remoto ſcandalo, & ni res redacta eſſet ad forum contentioſum, ſpectato tantùm dubio iuris, vt infra dicemus: vel opinionem habebit probabilem dictantem hic, & nunc ſpolium fieri poſſe, & pariter, omnium ſententia, etiam contrariorum, repetere poterit; vel demum opinionem habet probabilem de qua præſertim nobis eſt ſermo, dictantem, rem ab alio poſſeſſam, probabiliter eſſe ſuam, & tunc remoto ſcandalo, & ni res redacta ſit ad forum contentioſum, poſſet ſibi vendicare, ex vi opinionis probabilis, dictantis eſſe propriam; ni in hac materia dubium ſequeretur facti, vt mox dicemus; nam licèt iniuriam, rè iuſtè, abſolutè, ac ſine controuerſia Poſſidenti irrogaret quiſq; ſi ſpolium faceret; eam tamen tantùm probabiliter iuſtè poſſidenti non inferret, dū iure vteretur ſuo, quod quidem è contraria opinione probabile eſt, quodq; cohærere, ac ſimul eſſe poteſt, cū iure probabili Poſſidentis; non enim repugnat, vt ſicut poſſeſſor penes probabilem opinionē

ius

ius habet, ſe conſeruandi in poſſeſſione, quod ſi ſpectetur penes contrariam opinionem probabiliter eſt iniuſtum, ſic etiam ſpolianti, ſecundùm propriam probabilem opinionem ius ſit iuſtum, ſpoliandi alterum re, probabiliter vt ſua iudicata, quod ſanè ſpectatum penes opinionem ſpoliati, probabiliter videatur iniuſtum; neque bellum hoc pacto ex vna parte materialiter, & formaliter iuſtum, ex altera verò iuſtum formaliter, atque iniuſtum materialiter repugnat, vt ſupra indicauimus. Vt autem ad rem noſtram allatam adaptemus doctrinam, dicimus, eſto iure vtatur ſuo Superior, præcipiens rem probabiliter iuſtam ſubdito, cui hac de cauſa iniuriam formaliter non inurit; eam tamen eidem materialiter inferre, cùm reuera rem probabiliter etiam iniuſtam præcipit, ad quam iniuriam propulſandam, ius eſt ſubdito, & quidem naturale, vt ſe ſeruet indemnem; dum igitur non paret ſubditus, probabili ductus opinione, non datur bellum rei iuſtæ aduerſus rem iuſtam, ſeu circa rem iuſtam, ſed rei iuſtæ probabiliter aduerſus rem probabiliter etiam iniuſtam. Dices, Petrus iudicans probabiliter aliquem contractum non eſſe vſurarium, per quem à Paulo contrarium exiſtimante, vltra ſortem principalem recipit decem, ea poteſt iuſtè retinere, neque Paulus poteſt clam ſubripere, quæ ſupponuntur iuſtè poſſeſſa; igitur Superiori habenti ius probabile ad præcipiendum rem aliquam, non poterit non parendo ſubditus illius iuri derogare. Reſpondeo, licèt in caſu allato cum *Vazqu. de reſtitut. cap. 6. §. 3. numer. 84.* velimus ſentire, rationem tamen adductæ doctrinæ non cenſemus eſſe poſſeſſionem, intercedente probabili opinione, ſed intercedente dubio præſertim facti, vt apertè *Vazquez loco citato*, quòd ſi caſus, vt in inſtantia fingatur, probabili intercedente vtrinque opinione, ratio allatæ doctrinę erit, quia Petrus cùm non teneretur contrahere iuxta opinionem Pauli, ſed poterat iuxta propriam dictantem contractum non eſſe vſurarium, iuſtè lucrum accepit, iuſtèque probabiliter retinet, quod tamen Paulus non poteſt eripere, tum quia non cogebatur ſequi opinionem Petri, tum quia viſus eſt illam approbaſſe, non ſolum contrahendo, ſed lucrum etiam Paulo ſubminiſtrando. Dixi poſſe ſpolium tunc, propria auctoritate, fieri in omnibus relatis caſibus, dummodo res deducta non eſſet ad forum contentioſum, quando non licet priuata auctoritate agere, quod intereſt Reipublicæ, vel Magiſtratus præſtare; vt recti ſeruetur norma regiminis, atque occaſio ſuccidatur tumultuum. Ita *Faber in leg. 1. §. Ofelius ff. ne quis eum, qui in ius vocat. vi exiſt.* Munus enim Prætoris eſt controuerſias dirimere, *leg. 1. §. Quæritur ff. de nou. operis nunciation.* Iudicis itaque iudicio, & perpendendæ, & applicandæ ſunt opiniones variæ, tum poſſidentis, tum contendentis ſibi rem vendicare. Ex quo principio docet *Ioannes Sanchez diſputation. 43. numero 52.* nec poſſe clam Legatarium ex teſtamento minus ſolemni per occultam compenſationem, accipere ſibi legatum ex hæreditate à Iudice addicta hæredi ab inteſtato: alia ſcandala etiam orirentur, ob quod aliud caput, hoc ſpolium fieri poſſe propria auctoritate negauimus. Hæc autem etſi dicta volo ad paritatem inter ſpolium rei, ab alio poſſeſſæ, & ſpolium auctoritatis Superioris, rem probabiliter malam mandantis liquidò exponendam, quando probabilitati iuris tantùm vtraque niteretur, nihilò tamen ſecius cum de facto rem poſſeſſam à Franciſco, verbi gratia, probabiliter eſſe Ioannis, dubium ſit facti, vt paulò ante indicaui, & cùm opinio Doctorum, vel quæuis alia ratio ab intrinſeco probabilis, qua exiſtimetur hæc res eſſe Ioannis, fundetùr in ipſo dubio facti, ſiue in eius probatione, ſicut neque dubium facti tribuit ius, neque conſcientiam efformare poteſt, neque expungendum priuata auctoritate, ſed Reipublicæ, idcirco etiam remoto ſcandalo præſenti, vel imminenti, & licèt res reducta non eſſet ad forū cōtentioſum, integrum non erit Ioanni, etiam ex probabili opinione, vtpote orta ex dubio, & probatione facti, atque incerta, ſpoliare Franciſcum re probabiliter ab eo poſſeſſa: licebit tamen ſubdito non obedire, probabili opinione dictante, rem præceptam eſſe malam, quæ quidem in facto, atque eius probatione fundamentum non habet, ſed probabilitate tantùm gaudet iuris, ſupponente certum mandatum, ac certò notitiam dictantem illam rem probabiliter eſſe malam. Quam quidem quæſtionem *tomo 2. libr. 7. diſput. 5. & 6.* iterum cum Canoniſtis attingemus.

43 Præterea vtor ad hominem argumento, quo vtitur contra *Thomam Sanchez libro ſecundo de matrimon. diſputatione 41. numero 40. Ioann. Sanchez diſputatione 33. ſuarum ſelection. numer. trigeſimo verſic. Præterea.* Habens opinionem probabilem de media nocte, poterit ad ſacrā accedere ſinaxim, die ſequenti, tametſi ederit, vel biberit, non obſtante præcepti poſſeſſione, non communicandi, niſi ieiunus, quæ auctore eodē Thoma Sanchez, eſt ex parte ipſius præcepti;

KK 2 ergo

ergo non obſtante poſſeſſione, quæ aſſeritur eſſe ex parte Superioris, poterit Subditus habens opinionem probabilem de malitia rei præceptæ non obedire; immò hac ſuppoſita *Sanchez* opinione, & ſpolium facere poterit probabiliter credens rem apud alium detentam eſſe ſuam.

44 Sed vnde digreſſa eſt reuertatur oratio, probetque demum abſolutè noſtram ſententiam. Nullus propriam relinquere probabilem opinionem tenetur, & alterius opinionem ſequi, per ſe loquendo, vt conſenſu Doctorum conſtat apud *Vazq. 1.2. diſp. 62. cap.4. numer.13. & Sanchez ſæpe citatum*. Igitur neque ſubditus propriam non ſequi probabilem opinionem, atque probabili Superioris ſententiæ ſubſcribere tenebitur; & ratio eſt, quòd operans iuxta opinionem probabilem, neque imprudentiæ, neque temeritatis notam incurrit, neque eſt cur iure propriæ opinionis ſequendæ priuetur, immò vti ſupra dictum eſt, nonnulli valde dubitant, an quis poſſit alterius opinionem ſequi, relicta propria, quam vt regulam, & formam ſuæ conſcientiæ habebat; ſic *Gabr. 4 diſt.15. quæſt.9. artic.3. dub.2. in 3. probat.1. concluſ. Diuus Anton. 1. part. tit.3. cap. & §.10 reg.4. Syluest. verb. dubium quæſt. 2. Conrad. de contract. tract.6. quæſt.10. concluſ.1. Nauar. ſum. Hyſpan. cap.28. addict. ad num.283. Cordub. in ſuo quæſtionario libr. 2. quæſt. 3.* igitur neque ſubditus obligatur ad præferendam opinionem Superioris probabilem, eo, vel maximè, quod accidere facilè poterit, quempiam opinari, maius malum eſſe obedire hic, & nunc, quàm non obedire, quando nimirum quod præcipitur iudicaretur eſſe iure naturali, vel diuino malum, vel quando præceptum Præpoſiti conſtitueret materiam, quam præcipit, ſub aliqua virtute, minus præſtanti, verb. grat. temperantiæ, præſcribens ieiunium ſexagenario, ſubditus verò ſexagenarius iudicaret, ieiunare hic, & nūc eſſe contrarium naturæ, & contra præſtantiorem virtutem, hoc in euentu, maius videretur malum ieiunare, cuius grauitas, penes communem doctrinam, ex oppoſitione ad præſtantiorem virtutem, deſumitur: idemque erit ſi quod iniungitur iure diuino videretur, aliàs prohibitum, ac reprobatum; atque in huiuſmodi rebus, licèt non admitteremus ſubditum eſſe in poſſeſſione ſuæ libertatis, eum ſanè aſſerendum, eſſe in poſſeſſione ſuæ ſecuritatis, ſuique iuris, quo poteſt ſe à rebus periculoſis conſeruare, vnde non teneretur in eas ſe conijcere, niſi conſtaret, Superiorem iuſta præcipere, vt probè *Sanchez ex decem laudatis Auctoribus libro ſexto oper. moral. capit. tertio numer.*
45 *24. ad finem*. Confirmatur, quia pœnitens non tenetur relicta propria opinione, Patris ſpiritualis, & Confeſſarij opinionem ſequi vt docent *Victor. ſumm. vbi de confeſſione numer.177. Sot.4. diſtinct.18. quæſtion.2. artic.5. ad 5. Nauarr. ſumm. capite 26. numer. quarto, & capit. Si quis autem numer.77 de pœnitent. diſtinct.7. Ledeſm.2 part.4 quæſtion.8. articul. 4. dub.6.* & alij, quos referunt, & ſequuntur *Enriqu. lib. ſexto de pœnitent capite 16. numero quinto in comm. litter. Z Azor tom.1. libr. 2. inſtitutionum moralium capite 17. quæſtion. 10. Suarez quarto tomo in 3. parte diſputation. 32. tota ſection.5. Vazqu. 1.2. quæſtion.19. artic.6 diſputat.62. capit. ſeptimo numer. 39. & 40. Pol..n. in director. Confeſſor. capit.1. §. de prudentia Confeſſoris. Manuel primo tomo ſumm. in 2. edict. capite 62. numero vndecimo, Salon. 2.2. quæſtion.62. articul.2. conr.4.* paulò ante ſolutionem ad argumenta, & multi alij. *Salas 2. quæſtion. 21. tractat. 8. diſputat. vnica ſection. 9. à numero 81. Valent. 2.2. diſputat.5. quæſt ſeptima punct.4. in fine Sayr. in Clau. reg. libro 1. capit. nono à numero 13.* Igitur neque ſubditus, relicta propria, ad Superioris opinionem tenendam obligabitur. Dices, Confeſſarium non eſſe Superiorem. Verùm ſuperioritatem nihil conducere ad probabilitatem, opinioni conferendam, ſæpe tum hac, tum ſuperiori dictum eſt aſſertione; quod enim in ſe malum eſt, ob præceptum obedientiæ bonum reddi nequit, vt rectè notauit *Vaſqu. 1.2. diſputat.61. numero 32.* prætera cùm Confeſſarius Iudicis habeat munus, Medici, ac Magiſtri; qui quidem omnes aliquo pacto ſuperioritatem ſibi vendicant necnon ius etiam habeat, vt potius ſtet Condemnandus, vel Abſoluendus dicto Iudicis, Sanandus Medici, ac docendus dicto Magiſtri, quàm proprio feratur ſenſu, hinc noſtro argumento robur eſſe maius manifeſto conſtat: his autem donari & nominibus, & muneribus Confeſſarium docent *Diuus Thomas in 4. deciſ. 17. & ibi Bonauent. Mediu. ſumm. capite 6. Nauarr. de pœnitent. diſtinct.6. capit. primo § Caueat num. 32. Caietan. ſumm. verb. Confeſſor de qualitat. Confeſſar. Syluest. verb. Confeſſor 3. Reginald. praxis primo tom. libr. 2. numero 42.* Et quidem Medici munus obire Confeſſarium habetur *Capit. Sacerdos 3. quæſtion.7. & capit. Conuertimini de pœnit. diſtinct.1.* Iudicis etiā fungi officio *ex Matth.* conſtat 16. *& capit. Quis dubitet diſtinct. 96. & ex Ritual. Pauli Quinti de Sacrament. pœnitent. fol.53. §.1.* Demum Confeſſarium, præſertim Parrochum, Paſtorem eſſe, ac Ducem, cui ius, & imperium aliquod eſſe in oues, & milites, tum communi conſenſu Doctorum, tum ex terminis ipſis liquet.

Obij-

46 Obijcies ex *Vazq. diſput. 62. num. 32. & 33* quem ſequuntur Recentiores nonnulli: ſubditus obligatur ad obediendum in eo, quòd abſque peccato præſtare poteſt: atqui rem probabiliter bonam iuſſus facere, poteſt obtemperare, eamque exequi ſine peccato; igitur tenetur. Verùm enim verò ſolutionem ab his eiſdem Auctoribus optarem, in ſimili materia, ſub eadem forma constructo argumento. Subditus tenetur obedire in quibus poteſt ſine peccato: ſed exiſtente opinione probabili, dictante eum non teneri ad parendum, poſſet etiam obedire ſine peccato, conformando ſe opinioni Superioris; ergo tenetur obedire. Sicut itaque ex contrarijs nonnulli meritò negarent vim habere hanc ratiocinationem, ita & nos ſuperius argumentum; cui in forma reſpondemus, obligari quidem ſubditum ad parendum, quando ſimpliciter & abſolutè ſine peccato poteſt, minimè verò gentium quando probabiliter non poteſt ſine peccato: etenim eſto ſi efformaret ſibi conſcientiam, iuxta Superioris opinionem, abſque peccato formaliter ſanè pareret; nihilò tamen minus periculum eſſet attingendi, materialiterque operandi, quod malum eſt in ſe, ac reuera, ad quod minimè tenetur, vti nec etiam obligatur, ſi duceretur opinione probabili dictante poſſe tutò non obedire.

47 Ex his ſequitur primò, tametſi probabilior eſſet opinio Superioris, dictans hanc rem eſſe bonam, adhuc non teneri ſubditum obedire, ſi contrariam habeat opinionem probabilem ob fundamentum adductum *numer.* 28. à contrario applicatum.

48 Huius autem eſſe loci præterea cenſeo vltimam concluſionis partem probare, quæ ex eo conſtat, quòd auctoritas Summi Pontificis maxima eſt in terris, agiturque de re grauiſſima, & extra dubium cenſeri poteſt nonniſi ex grauibus cauſis, Chriſti Vicarium iniungere Prælulatum alicui, ad quem detrectandum magna opus eſt ſubdito probabilitate, nè dicam morali certitudine: meritò igitur diximus maiorem probabilitatem præſeferre in omnibus alijs materijs noſtram aſſertionem, quam in Epiſcopatu à Summo Pontifice iniuncto.

49 Fit ſecundò probabiliter ſentientem, ſe non eſſe idoneum ad Epiſcopatum in rigore non teneri obedire, vt *numero* 29. dictum eſt.

50 Fit tertiò, non poſſe iuſtè Superiorem punire ſubditum, non obedientem, atque ad id ductum opinione probabili; quia cùm non obediendo minimè delinquat, nulluſque dignus ſit pœna, abſque culpa, non poteſt puniri à Superiore ius ad id non habente, vt probè *Ioann. Sanch. diſput. 33. ſelectar. num. 43. & diſput. 44. num. 27.* Id autem intelligo ni ſubditus peccet in modo, ſed debita cum reuerentia maximè in re noſtra ſuas Pontifici exprimat rationes.

51 Octaua concluſio. Subditus impedimentis ad Epiſcopatum à ſe amouibilibus laborans, tenetur ea remouere: ſi autem eſſent à Pontifice amouibilia, tenebitur ea illi aperire, ſic expreſsè *Diuus Thom. citatus 2. 2. quæſt. 185. art. 2. præſertim ad 2.* Cùm enim obedire teneatur Papæ præcipienti, ea etiam quæ ad hunc finem neceſſaria ſunt tenetur, dum poteſt, adhibere, vt per ſe conſtat:

52 Nona concluſio. Si certò moraliter ſaltem cognoſceret quis ſibi malum eſſe Epiſcopatum, ob manifeſtum, verbi gratia, defectum doctrinæ, tunc obedire non tenetur; vt probè *Diuus Thom. citatus*; eſſet enim manifeſtè, vel ſaltem moraliter illicitum, atque iure naturali diuino prohibitum, ad quod conſequenter, humano præcepto, ligari quis non poſſet; cùm omne naturale diuinum præceptum præferendum ſit humano, vt videre eſt apud *Sanch. libr. 1. oper. mor. cap. 10.* De defectu autem ſcientiæ legendum eſt *cap. 1. diſput. 1. libr. 3.*

53 Decima concluſio. Si daretur opinio probabilis in aliquo dictans, te non teneri Superiori præcipienti Epiſcopatum obedire, ex ea parere non teneberis, licèt alteri etiam probabili ſubſcribens poſſes obedire. Deduco ex generali aſſerta doctrina à Doctoribus de obedientia, & in Superioribus à nobis ſæpe indicata. & videre eſt apud *Sayrum libr primo Clau. Reg. capit. 12. numer. ſexto, verſ. illud tamen, & Sanchez libr. 6. oper. moral. capit. 3. numer. 7.* quia illo tunc non præponderat certitudo poſſeſſionis præceptiuæ, quæ exiſtente contraria opione probabili hic, & nunc vocatur in dubium, neque ſupponitur certa prægrauans: alioquin magis, quàm libertas, quæ ſubdito eſt ad ſubſcribendum alterutri ex probabilibus opinionibus, tanquam regulæ ſuæ operationis.

54 Idemque ſentirem quamuis ſubditus opinionem Superiori fauentem ſua crederet probabiliorem: ſic expreſſe *Sanchez laudatus*, quòd maior illa probabilitas firmam omnino non reddit ſuperioris poſſeſſionem, neque adimit ſubdito libertatem ſequendi ad libitum alteram opinionem, etiam probabilem, quam probabilitate non priuat.

55 Obijces eo vel ipſo, quod ſubditus probabiliter rem præceptam eſſe malam, aut extra limites poteſtatis Superioris opinetur, probabilem poteſt opinionem ſibi fundare, qua non obligari ad rem probabiliter malam & extra fines facultatis Superioris arbitratur; igitur perinde non te-

nebitur parere, ſiue ſequatur opinionem dictantem hic & nunc ipſum non teneri, ſi re rem præceptam probabiliter iudicet eſſe malam, extra limites poteſtatis Præpoſiti, ex quo iudicio neceſſaria ſequela conficitur ad parendum non eſſe obligatum. Reſpondeo iuxta probabiliorem, quam ſequuti ſumus, opinionem *aſſert.* 7. verum id eſſe, vt ſatis probatum ibi eſt iuxta contrariam verò ſententiam, quam *aſſert.* 6. probabilem etiam iudicauimus, neganda eſt conſequentia; ex eo enim quòd ſubditus rem malam, aut extra cancellos poteſtatis Præpoſiti, rem iniunctam probabiliter opinetur, non poteſt ſibi concedere opinionem, atque efformare conſcientiam dictantem, ſe non eſſe obligatum; & ratio eſt, quia penes hanc opinionem, Superior poteſtatem videtur habere cuncta præcipiendi, quæ euidenter illicita non ſunt, vel extra ſpheram poteſtatis Prælati, vt *aſſert.* 7. abundè dictum eſt.

Quæ ad exactam propoſitæ quæſtionis dilucidationem præterea deſiderantur, ſequenti expendentur capite, vbi ſoluetur Aduerſariorum ratio.

CAPVT IV.

An liceat Epiſcopatum iniunctum ratione periculi recuſare.

S V M M A.

Approbatur doctrina docens ratione periculi veniale, vel indifferens opus tranſire poſſe in mortalem culpam. n. 1.

Verùm diſtincta eſt ratio de periculo, duplici addita limitatione. n. 2.

Prima ratio temperandi communem doctrinam de periculo ex graui neceſſitate illud adeundi. num. 3.

Secunda ratio generalis doctrinæ de periculo limitandæ ex mutatione circumſtantiarum, & maiori cautela deſumpta. n. 4.

Cui teneatur obedire qui ad Epiſcopatum promouetur. n. 5.

Qua de cauſa poſſit Pontifex iniungere Epiſcopatum. num. 6.

Moraliter non inueſtigandum eſt cui poſſit præcipere Pontifex Epiſcopatum. n. 7.

Poteſt præcipere homini etiam per votum ligato, qui tenetur ei parere. num. 8.

Soluitur ratio dubitandi præcedentis capitis num. 2. appoſita. num. 9.

1 QVæ hactenus dicta ſunt ad Epiſcopatum ſecundum ſe ſpectatū faciunt; ſupereſt, quod mox breuiter præſtabimus, vt eundem, quatenus aliquo pacto alicui periculoſum, clarius expendamus. Quamquam igitur ſpectata generali doctrina, quam tradunt *Diuus Bonauent. diſt. 17. par. 3 art. 2. quæſtiun. 1. Caiet. & Armil. in ſum. verb. periculum. Caſt. lib. 2. de iuſt. hæret. punit. cap. 17. Nauar. ſum lat. cap. 3. num. 14 Cordub. in ſum. quæſt. 4. fol. 19. Soar. tom. 4. in 3. part. diſp. 32. ſect. 2. ad finem Sanch. lib. 1. oper. mor. cap. 8. num. 1.* ſpectata inquam hac doctrina docente in mortalem culpam tranſire, ex ſe vel veniale, vel indifferens, ſi operam occaſioni, ita proximè ſe exponat, vt moraliter in proximo peccandi periculo cenſeatur conſtitutus *Eccleſ. 3. Qui amat periculum peribit in illo*, quia ſalutem ſpiritualem parui facere conuinceretur, quam manifeſto deperdendi periculo obijceret. Et in re noſtra aliquis videretur expoſitus morali periculo, qui Prælaturam iuſſus adire, moraliter cenſeret illum ei futurum occaſionem mortaliter peccandi, quòd ille ſtatus homines eiuſdem ac ſuæ conditionis his animi perturbationibus vitijs, ægritudinibuſque affectos, ad peccatum facilè inducere ſoleat; vel experimento compertum ei eſſet minoribus etiam occaſionibus, quam quæ munus comitantur Epiſcopatus, ipſum in lethale inducere ſolere, & conſequenter acceptio Epiſcopatus lethalis ei eſſe videretur, qua ductus ratione *Sot. lib. 10. de iuſt. quæſt. 2. art. 2. fol. ad. dubit. 1.* ſcripſit huiuſmodi hominem neque debere, neque poſſe Epiſcopatum acceptare; cum nemo ſpiritualis detrimentum ſalutis ſubire teneatur, quocumque etiam boni communis prætextu, iuxta Magiſtri Dei, & hominis Chriſti monitum, *Quam commutationem dabit homo pro anima ſua? Matth. 18.* quod *ſeptimam noſtram* roborat *concluſionē*
2 *ſuperioris capitis*. Cæterum cum, vt probè hac de difficultate Præſulatus ſermonem habens *Valent. 3. tom. diſp. 10. quæſt. 3. punc. 4. col. 1865. verſ. & primo*, non idem ſit in periculo verſari, ac eſſe in peccato licet allata doctrina tum à *Soto*, tum à nobis de peccato ſit veriſſima, vt etiam de periculo generaliter loquendo; verum quia hæc eadem communis doctrina temperanda eſt.
3 Primo ni grauis cauſa perſonam periculum adeuntem, ei ſe exponendi, vrgeat; vt eſſet in re noſtra neceſſitas, vel vtilitas Eccleſiæ, ad capeſſendum Epiſcopatum, vel etiam poſt vnam vel alteram humilem, ac reuerentem apud Pontificem excuſationem habitā. proteinum cum notabili detrimento, aliorumq; ſcandalo ſe non oſtendere, idcirco vna

ex his

ex his vrgentibus cauſis poſſet, ac teneretur quis iuxta 6. *præſertim aſſert. ſuperioris capit:* hic & nunc obedire, cui ſubdito ſanè periculum non eſſet moraliter voluntarium; quòd non ſponte, ſed iuſſus, nec ſine detrimento vel communi, vel proprio Præſulatū iniunctum reijcere poſſet, vt egregiè docemur à *Baſil. in conſtit. monaſt. cap. 4. pag. 489. Qui vrgente aliqua cauſa, & neceſſitate ſe periculo obijcit, vel permiſit ſe eſſe in illo, cum tamen alias nollet; non tam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud ſubire, & ideo magis prouidebit Deus ne in illo pereat.* Fauet *Cap. Conſultationi de frig.* vbi permittuntur coniungati, quorum coniugium eſt occultè irritum, tanquam fratres cohabitare, non ſine contactuum periculo, ratione ſcandali propterque infamiæ vitandæ; & ita docent *Diuus Th. 2. 2. q. 10. art. 9. in fine. Sot. lib. 5. de iuſt. quæſt. 1. art. 6. concluſ. 2. Nauarr. ſum. lat. cap. 3. num. 15. Cord. & Soar. paulo ante citati Henriq. lib. 4. de pænit. cap. 4. num. 4. Sanch. lib. 1. operum mor. cap. 8. num. 3.* & huic proſpiciens limitationi *Valent. ſupra laudatus verſ. quibus* docuit, iuſſum Epiſcopatum inire, debere opinionem deponere de peccato futuro, iuxta noſtram 6. *concluſ. ſuperioris cap.* nam Deus, qui propter communis boni neceſſitatem illum Epiſcopum conſtituit, facillimè à peccato poterit præſeruare; non enim Epiſcopatus (vt probè idem auctor proſequtur) neceſſaria cuipiam cauſa eſt peccati; cum in Præſulatus ſtatu poſſit quis ſanctiſſimè viuere, vti nos *lib.* ... vberius diximus, atque egregiè *Sanctus Athanaſius in epiſt. ad Dracontium fugientem Epiſcopatum in fine,* ſcripſit.

4 Hinc ſecunda ratio temperandi communem, & generalem de periculo regulam deſumenda eſt, quam in duobus ſitam eſſe probè docent *Nauarr. Abulen. Cord. citati, ac Sanch. num. 2.* in mutatione, ſcilicet, circumſtantiarum, atque in maiori cautela, quæ deinceps ſperatur. Has autem in electo Epiſcopo, & eſſe, & futuras licet facili negotio colligere, ac ſperare, tum quia magna eſt conditionis mutatio ex priuata ſorte in aſcendente ad Epiſcopatum; cuius ſtatus, etſi oneroſus ſit, maioremque inuoluat obligationem; maiora tamen ex diuina miſericordia, inſtitutione, ac prouidentia, habet promiſſa auxilia, quando ex obedientia initur, maioremque auocationem à peccatis; quibus auxilijs priuatæ perſonæ iter tantam dignitatem ſubſtentãdam adeo expeditum non eſt; tum quia à viro tam humiliter de ſe ſentiente atque ex obedientia tantam ineunte prouinciam, cautio ſperanda eſt maior, quàm ab eodem priuatam antea vitam agante. Accedit ratio boni communis, ob quam videtur iuſtus, & cenſendus eſt probabiliter etiam teneri; delatum Epiſcopatum acceptare ſub dictis circumſtantijs, quicquid in contrarium dixerit *Sot. lib. 10. de iuſt. q. 2. art. 2.*

5 Quæres, cui tenetur obedire, qui ad Epiſcopatum promouetur; Reſpondeo abſolutè Summo Pontifici, cuius intereſt, & vniuerſalis Eccleſiæ cura, & Epiſcopatus conferre, atque iniungere; ſic *Diuus Thomas 2. 2. qu. 185. art. 2. Sot. citat. & Valent. 3. tom. diſp. 1. q. 3. punc. 3. aſſert. 6. Panorm. Cap. Per tuas de vot. num. 5. Soar. de relig. tom. 3. lib. 10 cap. 10. num. 19. apud quos alij.* Religioſus prætereа ſuo immediato Superiori quando parere teneatur diximus *cap. 2. 3. & 4. diſputationis 1. præſentis lib.* Alijs verò Electoribus, vt Capitulo, cui facultas eſſet eligendi Epiſcopum; Regi, Principi, aut Reipublicę quodam modo eligentibus, tametſi in rigore nullus in hac re teneatur proprie; tamen ex radica neceſſitas oriri poterit obtẽperãdi, vel quòd Electores probatæ vitæ, ac ſapientiæ, vt Rex pijſſimus ex ſapientiſſimo ſuo Conſilio aliquem eligens neceſſitatem, vel vtilitatem alicui demoſtraret induſtrię perſonæ electæ, qua vrgente teneretur acceptare ex caritate; vel ſaltem tutius, ſi vellet, poſſet manum dare opinioni, ac deſiderio alterius prudentis, vel plurium ſanctiſſimorum virorum, ei ſubſcribens, quàm in re propria, merito ſuæ præferre prudens conſilium eſſet: ita citatus *Sotus ad ſecund.* qui addit. *Attamen quando electores viri ſunt probi, qui ſancto zelo electionem faciunt, non opus eſt electum difficilem ſe gerere, immo conſultius eſt electionem acceptare, & vel ita, tunc vel maxime dum Præſulum, qui digni ſunt inopia laboratur, atque adeo Eccleſia Chriſti bonorum opus habet obſequio:* nè doctorum prudentium, atque integerrimę vitę virorum, in hac re pertinacia, mox (quod Deus auertat) aſſentatoribus aſſeclisque, nec non indoctis homuncionibus ſacroſancta ſacerdotia prędæ cedant.

6 Quæres ſecundo, qua de cauſa poſſit Pontifex Epiſcopatum præcipere? Reſpondeo non modo ex neceſſitate, ſed ex quauis alia rationabili cauſa; cum non ſola neceſſitas in textibus *num. 6.* relatis *ſuperioris cap.* ſed aliæ rationes exprimantur; tum quia Summo Pontifici ſuprema eſt poteſtas obligandi quempiam idoneum ad Eccleſiarum regimen, ad quam maximè facit facultas expedita eligendi, & conferendi Præſulatus prò vtilitate, & communi Eccleſiæ bono; igitur ſi ad communem Reipublicę Chriſtianę bonum cenſuerit Papa expedire idoneum poterit ad Præſulatum obligare præcepto. Confirmatur, quia lex vel Imperator ius habet

bet præcipiendi ſubditis, vt munera capeſſant Magiſtratuſque Reipublicæ, quare *lib. 10. Codicis tit. 31. de decur. lib. 18.* præcipitur, *ſi ad Magiſtratum nominati aufugerint, requirantur, & ſi pertinaci animo eos latere potuerit, his ipſorum bona permittantur, qui præſenti tempore in locum eorum ad decurionatus munera vocabuntur*, & infra, *omnes enim, qui obſequia publicorum munerum tentauerint declinare ſimili cōditione teneri oportet*; ergo à fortiori hæc Summo Pontifici poteſtas erit, etiam in eos, qui in contrarium vouerint, vt nos *ſequenti capite* dicemus, docetque *Hoſt. in Cap. ſi Dominus 11. quæſt. 3.* Neque moraliter, verum cuilibet idoneo præcipere poſſit Epiſcopatum, diſputare fas eſt, vt probè *Soar. citatus*, ſed ei ad minimum poſt vnam, vel alteram ſupplicationē obedire quis tenebitur, neque indagandæ ſunt rationes, cur huic potius, quàm alijs id munus iniungat Papa, quas tametſi daremus nonnunquam illum non habere ſufficientes, nè quilibet detrectando, Pontificis fruſtaret poteſtatem, neceſſe eſt, vt omnibus idoneis hoc poſſe imponi præceptum dicatur, ſic probè idemmet *Soarius num.* 20. cui tamen ad hoc neceſſitatem requirenti (nec video quam conſequenter) non aſſentior, ſubſcribens potius *Hoſtiēſ. de vot. numero 4.*

9 *Aleſſ. cap. 30. Sanch. lib. 4. oper. moral. cap. 8. num. 39.* aſſerentibus etiam ſi Papa abſque neceſſitate Eccleſiæ iniungeret Epiſcopatū habenti votum non acceptandi, teneretur hic voto ligatus iuſſus obedire; quòd in eo voto non cenſetur excluſa auctoritas Pontificis, contrarium præcipientis. Quamobrē nihil contra votum hoc præcepto quomodocumque impoſito fieret, verum de hoc iterum recurret quæſtio *vltimo capite huius diſputationis* agitanda.

10 Ex his patet ſolutio rationis dubitandi *num. 2. & 3. ſuperioris capitis* relatæ.

CAPVT V.

An liceat votum non procurandi, vel non acceptandi Epiſcopatum.

SVMMA.

Ratio breuitatis ſeruandæ in dilucidatione huius quæſtionis. num. 1.

Puncta diſputanda ibidem.

Opinio *aſſerentium, votum non acceptandi eſſe illicitum. num. 2.*

Quando illicitum erit ſibi procurare Præſulatum, licitum erit votum non procurandi. num. 3.

Votum abſolutè nuncupatum non procurandi Prælaturam validum eſt. nu. 4. & 5.

Votum, vel iuramentum in nullo euentu acceptandi Præſulatus eſt illicitum. num. 6.

Votum non acceptandi Prælaturam abſolutum, ſecluſa tamen eius obedientia, qui contrarium poteſt præcipere, atque ſecluſa obligatione caritatis, validum eſt nū. 7.

Non tamen ob aliquam rationem, derogantem perfectioni ſtatus Epiſcopalis. ibidem.

Cur *in formula non acceptandi Prælaturam Societatis Ieſu, caſus neceſſitatis non expreſſus ſit. num. 8.*

Quando non conſtat de vouentis intentione, an fuerit includendi caſum, quem excipere tenetur, votum emiſſum eſt validum, & licitum. num. 9.

Quicquid ſit de voto Societatis Ieſu quodcumque aliud non acceptandi Prælaturam intelligendum eſt non ſolum ſub conditione, ni vrgeret in contrarium neceſſitas præcepti caritatis, ſed etiam ſub conditione, ni aliter iniungeretur a legitimo Superiore, abſque etiam peccati mortalis obligatione numero 10.

Non diſcrepat Sanctus Gregorius, fauet autem Diuus Thomas ſententiæ auctoris. numero 11.

Aſſertur ſolutio Soarij, ac reijcitur. numero 12. & 13.

Confirmatur opinio auctoritate Gregorij ex Cap. 1. 85. diſt. *num. 14.*

Reijcitur ſolutio Soarij. num. 15. & 16.

Germanus ſenſus cap. 1. citatæ diſt. 83. *numero 17.*

Etſi per ſingularem obiecti mutationem, voti obligatio nonnunquam ceſſaret, votum tamen non acceptandi Prælaturam requirit iudicium, & iuſſionem Papæ licet nolentis obligare ad peccatum. numero 18. & 19.

In dubio, an hic voto ligatus, parerē teneatur Papæ iubenti non tamen ſub peccato mortali, Soarij opinione, non tenetur. nu. 20.

Auctoris ſententia. num. 21. 22. & 23.

A Papa iuſſus, ſine obligatione peccati Præſulatum inire, licet poterit, etiam ſi voto fuerit ligatus, obedire: non obediens tamen non peccaret; etſi poſſet ratione finis. numero 24.

1 ABſolutè ac ſecundum ſe ſpectatam hanc agitandi quęſtionem mihi conſilium eſt.

2 Et quidem non ambiendi votum eſſe validum, nullum exiſtimo Auctorum eſſe, qui neget; eſt enim turpe ſub dictis circunſtantijs infulam ambire, igitur bonū erit, & quidem

dem

dem melius abſtinere; ac proportionata voti materia, *vt ex concluſ.*1. conſtabit clarius. In alijs verò caſibus nonnulli ſunt, qui votũ ſaltem non acceptandi reprobant, ita *Gloſſ. cap. Vnico verb. ſacroſanctis diſt.* 85. *immo & Text.* qui vitio vertit Epiſcopo iuramentum non accedendi ad Epiſcopatũ *Diuus Thom. in* 3. *diſt.* 39. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtione* 1. *ad* 3. *& ibi Riccard. art.* 2. *quæſt.* 3. *Romanus ſingulari* 507. *Ang. verb. iuramentum* 5. *num.* 3. *Nauarr. ſum. cap.* 12. *num.* 16. *Palat. in* 4. *diſt.* 28. *diſp.* 1. *ante medium verſ. ſi quis autem Barboſ. leg. alia* 15. *§. eleganter num.* 28. *ff. ſolut. matrim. & Alij apud Sanch. lib.* 6. *oper. mor. cap.* 18. *nu.* 29. pro qua opinione referri etiam poſſunt Auctores aſſerentes eſſe illicitum iuramentũ non acceptandi Epiſcopatum apud *Soar.* 4. *tom. de relig. lib.* 6. *de prof. Socit. Ieſu cap.* 8. *nu.* 6. à quo momenta rationum, quibus id probant afferuntur à *num.* 2. *vſque ad* 6. *& à Sanchez. citato.* diluuntur autem à *numero* 23. *ac deinceps per Soarium, per Sanch. verò numero* 39.

3 Prima ſit aſſertio. Quando (vt *cap.* 1. *à num. præſertim* 14. oſtendimus) malum eſt ſibi procurare Epiſcopatum, validum de eo non procurando erit votum, ſeu iuramentum. Eſt communis ſententia vt ex *Superiori capite* 4 *&* 3. conſtat, à qua neſcio an quis diſcedat Auctorum. Confirmatur præterea, quod ambitionis, ſiue præſumptionis, ac ſuperbiæ, vitium frenare optimum quid eſſe, vel ipſo naturæ certum eſt lumine, meliuſque ſane bonum; ergo promiſſio de cauendo hoc vitio erit optima. & conſequenter valida de bono Deo gratiſſimo, nec refert naturali diuino nos ad id teneri præcepto, cum materiam diuinorum præceptorum, eſſe poſſe licitam etiam voti, exploratum ſit apud *Diuum Thomam.* 2. 2. *quæſt* 88. *art.* 2. *Caiet. ibidem dub.* 1. *Sot. lib.* 7. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 3. *col.* 8. *verſ. reſpondetur Sanch. lib.* 4. *oper. mor. cap.* 3: *Soar. lib.* 3. *de vot. cap.* 3. *& apud alios, quos hi citant, ac ſequuntur.* Denique hoc voto, & priuato propriæ animæ bono, nec non chriſtianæ etiam Reipublicæ conſulitur, nè ſacroſancta Sacerdotia peſſum eant. atque ambitioſorum ſuperborum hominum malis artibus pateſcant, vti monet *Leo Papa epiſt.* 85. *alias* 83. & refertur *cap. Miramur diſt.* 61. *Miramur* (inquit) *tantum vos per occaſionẽ temporis imparati, aut ambientium præſumptionem aut tumultum valuiſſe popularem, vt indignis &c. gubernatio Eccleſiæ crederetur, non eſt hoc conſulere populis, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſtrimen* & infra, *Principatus autem, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiamſi moribus, aut actibus non offendit ipſe tamen initij ſui eſt perniciosus exemplo, & difficile eſt, vt bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principia.* alijs probat idem *Sanch. lib.* 6. *cap.* 18. *num* 30.

4 Secunda concluſio. Votum abſolutè nuncupatum non procurandi Epiſcopatum, validum eſt; nam eſto quis, quoad nonnulla ad inſulam neceſſaria, poſſit ſe iudicare aptum, vti *cap* 1. *num.* 18. dictum eſt. atque ex neceſſitate ſaltem vrgente Reipublicæ Chriſtianæ licitè ſibi procurare, vt à *num.* 19. docuimus, immo votum, hac vrgente neceſſitate, validum eſſe, doctrina *cap.* 2. *num.* 4. demonſtrat, ſic etiam ſua exponendi ſtudia, deſideriumque Pontifici vt *num.* 5. *ibidem*; at rem eſſe plenam periculi nullus negabit, ac ſatis ſuperque difficilis, nè præpoſterè procuraretur, vt nos *cap.* 1. *huius diſput. num.* 16. vel ex aliquo prauo affectu naturæ ad malum ſemper decliuis, vel ex præſumptione, ambitione, vel ſuperbia vt *num.* 19. *citati cap.* ſcripſimus. Quamobrem votum abſolutè talis, ac tantæ non procurandæ Prouinciæ, videtur validum: quippe quod in materiam ex ſe ad humilitatem ſpectantem Deoque gratiſſimam tendit, quam tot doctrina, ac ſanctitate vitæ prædìti hominis complexi ſunt, quorum nomina referunt tum *Soarius laudatus num.* 2. *tum Sanch. lib.* 6. *oper. mor. cap.* 18. *num.* 33. vt igitur plerunque illicitum eſt Epiſcopatum procurare, ſic abſolutè non procurandi votum erit licitum.

5 Obijcies, rectè nos minimè ratiocinari; nam etſi plerunque prenſare, obire, ac procurare infulas, licitum non ſit; at aliquando, & licet, & nonnunquam etiam caritate tenemur, præciſo quocumque poſitiuo, atque humano præcepto, vt *cap.* 3. *num.* 13. dictum eſt; igitur hoc in euentu votum prædictum nullius roboris erit: Reſpondeo cum hic caſus raro contingat, vel ſi contingat, potius ei obuiam ire, Prælatorum interſit, vel Summi Pontificis, cuius eſt opportuna periclitãti, etiam peculiari Eccleſiæ adhibere remedia, tuerique Chriſti gregem contra irrumpentes lupos, quin priuati homines ei conſulere teneantur, prælaturas procurando, nõ ſine ſcandalo proximorum, & ambitionis propriæ ſuſpitione; quippe auctore *Gregorio lib.* 7. *epiſt.* 110, & habetur 1. *quæſt.* 6. *cap. Vltimo, Sicut is qui inuitatus renuit, quæſitus refugit à ſacris eſt altaribus admouendus: ſic qui vltro ambit, vel importunè ſe ingerit eſt proculdubio repellendus &c.* Accedit quod tali ſub euentu, cum multum mutaretur voti materia eius tolleret obligationem, iuxta generalem de votis regulam, quare non eſt cur huius caſus exceptio in voto abſolutè prolato adhibenda neceſſario ſit, quòd illo tunc, neceſſitate vrgente, habenti tale votum fas eſſet ſeſe Pontifici exponere, ſuumque

deſide-

deſiderium prò neceſſitate laborantis Ecclesiæ ſpiritualiſque boni proximorum aperire, vti docuimus *cap. 1. num. 21.*

6 Tertia concluſio. Votum, vel iuramentum in nullo penitus euentu acceptandi Præſulatus ſibi oblati, eſt illicitum, ac temerarium, ſic *Sanch. lib. 6. oper. mor. cap. 18. num. 31.* Ratio autem eſt, quia vt modo dicebamus, occurrere caſus poteſt vrgentis neceſſitatis, verb. grat. inter hæreticos, vel infideles, vt ſi nullus alius idoneus inueniretur; quando præceptum, abſque dubio, vrgeret ſub mortali, Præſulatum acceptandi, vt probè *Syl. ueſt. verb. Epiſcopus quæſt. 3. in fine Archid. cap. ſi electio num. 2. Ioan. And num. 3. de elect. in 6.* Poſſet etiam accedere præceptum Superioris, etſi tanta non exiſtente neceſsitate, iuxta dicta *Superiori cap. num. 7. & 8.* igitur ſi hos excluderet caſus, hoc votum inualidũ, ac temerarium eſſet; ſic etiam quamuis votum Epiſcopatus non acceptandi, per ſe ſumptum, ſecluſis caſibus nonnullis, vt ſequenti dicam aſſertione, validum ſit, nihilominus tamen ſi abſolutè nũcuparetur, atque in omni euentu per modum coniuncti atque complexi, non acceptãdus Epiſcopatus promitteretur, totum votum irritum eſſet, neque obligaret tantum ad caſum licitum contractum, vt probè demoſtrat *Sanch. lib. 4. ſum. cap. 10.* Confirmabitur hæc aſſertio auctoritate *Diui Thomæ num. 8.* afferendæ.

7 Quarta concluſio. Votum non acceptandi Prælaturam, secluſa in contrarium obedientia illius Superioris, qui ad acceptandum poteſt obligare, vel ſecluſa obligatione caritatis, validum eſt. Prima pars omnium eſt Auctorum Societatis Ieſu, qui hac de re ſcripſere, quibus fauet *Sanctus Thomas* expreſsis habens verbis allatam aſſertionem *2. 2. quæſt. 183. art. 2. ad 3. & alij apud laudatos Doctores.* Huius autem ſentẽtiæ præcipuum fundamentum eſt, Sanctiſſimorum exempla virorum quæ fusè à *Soar.* referuntur *4. tom. de relig. lib. 6. de prof. ſociet. Ieſu num. 10. & breui à Sanch. lib. 4. ſummæ cap. 8. num. 37. & lib. 6. cap. 18. num. 33.* Secunda probatur è Societatis Ieſu inſtituto à ſummis Pontificibus approbato, cuius mẽtionem ſupra fecimus. Illud autem ſilentio non prætereo, quod *Soar. citatus* affert argumentum *num. 14.* non parum perfectioni ſtatus Epiſcopalis derogans, nobis nequaquam placere vt *lib. 1. diſp. 2. cap. 2.* nec etiam placuit, neque eo vtitur *Diuus Thomas*, qui ſolum hoc votum ſe extendere ad non quærendum, neque acceptandum, ni vrgente obligationis neceſsitate *loco citato* ſcribit; non tamen inficior, abſolutè non admittere Præſulatum, propriæ ſaluti, eſſe ſecurius; quo ad propriam æſtimationem, eſſe humilius & à præſumptione, ambitione, ac ſuperbia remotius, dummodo paratus quotuſquiſque ſit eum admittere vbi obedientia, vel caritas obligauerit, vt mox dicam.

8 Præterea hęc etiam ſecunda pars aſſertionis videtur aperta *Hoſt. ſum. tit. de vot. num. 4. Abulenſ. cap. 30. Num. quæſt. 57. Aſtenſ. quem refert, ac ſequitur Gutier. de iuram. 1. part. cap. 72. num. 9.* vbi aiunt licitum eſſe hoc votum, caſum excludendo neceſsitatis *Sanch. lib. 4. oper. mor. cap. 8. num. 37. in fine, & lib. 6. cap. 18. num. 33. & 36. Soar. tom. 4. de religione lib. 6. de prof. Soc. Ieſu cap. 8. à num. 14.* Probatur auctoritate *Diui Thomæ 2. 2. quæſt. 89 art. 7. ad 2.* dicentis. Si quis iuraret non acceptare Prælationem in caſu, in quo expedit eam accipere, eſſe iuramentum illicitum, vt Superiore docuimus concluſione; igitur idem erit de voto per neceſſariam ſequelam; cum defectu bonitatis materiæ illud laborare iuramentum aſſerat Sanctus Doctor. Subſcribunt præter citatos Auctores *Sot. lib. 10. de iuſt. q. 2. art. 2. ad 3. Cord. ſum. quæſt. 154. Manuel. 2. tom. ſum. capit. 94. num. 15.* fundamentum autem huius partis *ad finem ſecundæ concluſionis* à nobis indicatum eſt, & amplius declaratur, nam licet Papa præcepto non præſcriberet poſitiuo, ſi tamen vrgeret periclitãtis Eccleſię neceſsitas, adeo vt ad prudentis iudicij trutinam redacta re, cenſeretur quis ex præcepto caritatis obligatus, etiam ſi voto ligatus ad infulam non acceptandam antea fuiſſet, eam ſolum oblatam, neque iuſſus admittere procul dubio teneretur; quia caſum hunc eo non comprehendi voto, conſenſu Doctorum compertum eſt, votum enim contra caritatem obligare minime poteſt, ſiue circa quam verſatur materiam votum: ſiue vouentis intentionem ſpectes, & hunc etiam excludi caſum per formam voti à Societatis Ieſu Profeſsis emiſsi, *Voueo non conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactus obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati* docent, tum *Soar. citatus cum Sanch. lib. 6. ſum. cap. 18. num. 36.* quibus ſubſcribo non ex fundamento *Soarij*; quod quidem ob eius acumen non ſatis percipio; ſed quia dictio taxatiua nunquam excludit caſus, ſimilem habentes rationem, vt ex multis tradit *Euerard. in ſuis topic. loco à natura dictionis taxatiuæ*; tum quia in hoc caſu eſſet mortale non acceptare Præſulatum, vt probè *Sanchez citatus*: tum quia rarus eſt hic caſus, vt ſupra indicabam, & eo eueniente, ſatis obuiam iri cenſetur neceſsitati Proximorũ, vel obedientia ſummi Pontificis, cuius intereſt illi proſpicere, ex qua Præſulatus acceptandus eſſet, vel ipſamet natura voti, abſque alia expreſſione; quod quidem votum tali

muta-

mutatione facta, robur non habere cenſeretur, vel ad ſuccidendam occaſionem, quam ambitio, & natura in malum prona ſugerere poſſent, fingendi neceſsitatem proximorum, ſi in formula prædicta exprimeretur, cum in propria cauſa nemo ſit rectus extimandus arbiter; & licet neceſſario ſubintelligatur, cum tamen raro contingat, ob dictas etiam rationes merito non expreſsus eſt.

9 Quinta concluſio. Quando non conſtat de vouentis ſeu iurantis intentione, an fuerit includendi caſum, quem excipere tenetur nec nè, votum, ſeu iuramentum abſolutè emiſſum, eſt licitum, ac obligare cenſetur, ſic *Sanch. lib. 6. ſum. capit. 18. num. 34.* Ratio eſt, quia quãdo quis actũ facit, qui poteſt in vno caſu eſſe permiſſus, taliter cenſendus eſt feciſſe, vt probè *Menoch. ex multis tradit lib. 3. præſump. 12. num. 65. & fusè lib. 5. tota præſump. ſecunda.* Præterea in dubio præſumitur iuramentum emiſſum in caſu licito; cum in dubio, delicti præſumptio fugienda ſit *leg. Merito ff. pro licito*; & benignior interpręta- tio accipienda *Cap. Ad noſtram de vir. iur.* & ea potius interpretatio præſumitur ex quò actus valeat, vt ex multis probat *Menoch. lib. 3. citato præſump 29. num. 45. & lib. 6. præſump. 4. à num. 1. & ita docent Gloſſa in cap. Vnico verb. Sacroſanctis diſt. 85. & ibi Turrecrem. art. 1. num. 3. Hoſtien. ſum. tit de vot. num. 4. & 2. part. ſum. lib. 6. tit. 43. articul. 1. quæſt. 6. Abulenſ. cap. 30. num. quæſt. 57.*

20 Sexta concluſio. Quicquid ſit de voto Profeſſorum noſtræ Societatis, quod eruditè expendit *Soar. citatus*, ſi quis votum emitteret non acceptandi Præſulatum, non modo ſubintelligenda eſſet conditio obedientiæ Superioris, aliud præcipientis, & obligantis, nec non neceſsitatis vrgentis præcepti caritatis; verùm etiam conditio expreſſæ voluntatis legitimi Superioris non obligantis ad mortale, ſed ſolùm declarantis melius eſſe, maiuſque Dei obſequium, atque ad Reipublicę Chriſtianę bonũ acceptare pręſulatum, ad quem quamuis non obligaret, cum tamen ſimpliciter iniungeret ſub mortali. Ducor primo, quia votum non acceptandi Præſulatum validum eſt, quando infula melius cenſetur bonum, ac Deo gratius; ergo cenſente, ac declarante hic & nunc Summo Põtifice eſſe melius Præſulatum acceptare, ac Deo gratius, votum non acceptandi, carere prorſus cenſebitur robore. Et ſane ſi de ſummo Pontifice ſciente illud votum ſermo ſit, videtur res clarior, cum eo non obſtante hic & nunc melius indicet bonum Epiſcopatum, quam non Epiſcopatum, huic etiam voto ligato. Quod ſi fiat huiuſmodi declaratio à ſummo Pontifice, & obtrectaret ſolum hic voto ligatus, neque exponeret Papæ ſuum proprium votum, quo deuinctus eſt, vt facere poſſe ſupra diximus; & ſi conſultius eſſet illud aperire, nihilominus tamen etiam arbitror illud non aperientem poſſe Pręſulatum delatum acceptare, quin contra votum faciat. Ratio autem eſt, quia vel ſemper melius fuit bonum reſpectu huius, Epiſcopatus aut eius acceptatio, vel hic & nunc? ſi ſemper ex omnium complexione circumſtantiarum, nunquam fuit validum votum non acceptandi, defectu materiæ aptæ, quippe- quæ, quando impoſſibilis, mala, vel contra conſilium diuinum fuerit, ac de minori bono, voti validi nequit eſſe obiectum, vt exploratum conſenſu Doctorum eſt, & conſtat ex regula deducta *ab Abbate Cap. Placuit num. 4. de conuer. coniug. ex illo textu, & cap. Quidem eodem titulo*, quam etiam approbat *Sanch. lib. 4. oper. mor. cap. 9. num. 7.* Quod ſi hic, & nunc cenſetur melius bonum Epiſcopatus, cum antea tale non haberetur, profectò ex tanta variatione materiæ, non cenſebitur hoc votum obligare, per communem Doctorum ſententiam aſſerentium, ſi voti materia ex licita mutetur in illicitam, vel in indifferentem, vel contra conſilia, eiuſque mutatio ſit perpetua, vt in caſu noſtro, ratione perpetuitatis ſtatus Epiſcopatus nulla prorſus erit obligatio voti; non ſecus ac ſi poſſibilis materia mutaretur in impoſsibilem, vt probè conſeſu Doctorum citatus ſcribit *Sanchez lib. 4, oper. moral. capit. 2. num. 23. ad 3. & cap. 9. num. 7.* atque de hoc voto in ſpeciali, non modo non acceptandi, ſed etiam dignitatem non procurandi, docet *Soar. 4. tom. de relig. lib. 6. de prof. relig. Societ. Ieſu cap. 7. num. 8.* cuius obligationem ceſſare vult, quando tantam, vt diximus ſubit materia mutationem. Secundo ſi diuina voluntas non præceptiua, ſed ad inſtar voluntatis ſignificantis quaſi conſilium, tametſi nolentis præceptum imponere de meliori bono Præſulatus, alicui indubitanter ac certo innoteſceret, procul dubio coram Deo poſſet patere, ſe illi conformare, ligatus alias voto contrario; ergo hoc idem indicante eius Vicario, non obſtante in contrarium voto, teneretur quiſpiam Epiſcopatum capeſſere, immo aliqua ratione à fortiori etiam in externo foro; cum vmbra etiam illuſsonis, vel falſæ reuelationis ceſſaret in caſu noſtro; quare non modo ſecurus eſſet in conſcientia, vt in primo euentu; ſed etiam in foro externo, tametſi in eo de ſuo voto conſtaret. Tertio hic, & nunc maius, & eſt & cenſetur Dei obſequium Epiſcopatum acceptare; igitur ſi ſub ea generalitate non acceptandi, votum fuit emiſſum, vt hunc, quem modo dixi, non exciperet caſum, non modo imprudenter fuit emiſſum, verum etiam tali poſita

ma-

materiæ mutatione cenſendum, nunc ſaltem non eſſe validum, ex declaratione Summi Pontificis de tanta materiæ mutatione. Antecedens oſtenditur; quòd euidentior perpenſis circumſtantijs poterit dari caſus, in quo maius, ac Deo gratius opus ſit capeſſere Præſulatum, eumque regere maximo cum animarum emolumento, non ſine propriæ animæ ſpirituali vtilitate, quam ex humilitate munus hoc reijcere; neque opus eſt ſemper præcepto Pontificis, quippe quod cum ex libera eius pendeat voluntate, varijs de cauſis poterit iudicari non imponendum; neque enim eædem, quæ neceſſariæ ſunt cauſæ ad putandum hoc præſtantius eſſe bonũ, eædem etiam cogunt ad impoſitionem præcepti abſoluti, etſi poſſet quidem imponi; immo impoſſibile non eſt accidere, vt Epiſcopatum adire materia cenſeatur conſilij, & non præcepti, neque etiam à Pontifice imponendi, quòd tantæ perfectionis ſtatus iniungi, ſine graui cauſa nequit: quamuis conſultò ſuaderi valeat propter maius Dei obſequium, maiuſque Proximorum bonum ſpirituale, quod priuato bono, nec neceſſario actus humilitatis, longè præſtantius eſt: ergo votum non acceptandi Præſulatum non ſolum obedientiam expreſſam Superioris, contrarium præcipientis, atque obligantis ad peccatum debet excipere, nec non neceſſitatem Eccleſiæ ob quam ex caritate quis teneretur, ſed ſimplicem etiam obedientiã Superioris iniungentis quidem, non tamen obligantis ad mortale, quod nec penitus renuit *Soar. tom. 4. de relig. tum lib. 2. de prof. Soc. Ieſu, tum. lib. 6. cap. 8. num. 16.* ſed ſolum robur huic argumento non eſſe in Societate Ieſu docet, ex vi declarationis 9. *part. conſtit. cap. 4. litt. P.* quam ipſe veneror, neque habeo reijcere, aut interpretari, ſed potius maximè commendare, de qno aliam eſſe rationem mox *num.* 13. dicam.

11 Neque ab hac mea ſententia diſcrepat (ni fallor) *Sanctus Gregorius Papa lib. 35. moral. cap.* 10. *alias* 13. qui ad proſpera ineunda iuſſionem ſanè deſiderat, non quidem ad peccatum obligantem, ſed pro vt diſtinctam, ac ſuper additam ſpontaneæ voluntati, quatuto poſſumus aggredi difficilia. *Praeunte ergo* (ait) *vtrorumque ducum infracta virtute, inſtruimur, vt ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur proſperis huius ſeculi, ex ſola iuſſione: aduerſis autem etiam ex deuotione militemus.* Et licet Soario hanc ſententiam obijcienti concederemus, ex ea in proſperis huius ſeculi iuſſionem requiri, etiam obligantem; ſecus dicendum eſt ad Epiſcopatum capeſſendum, qui hic & nunc à Summo Pontifice maius cenſeretur bonũ ſpirituale, ac præſtantior erit actus, obedire ſimplici verbo Vicarij Chriſti, quàm rigoroſum expectare præceptum, cum ſecundum ſe, obedientia ex ſimplici indicatione voluntatis Præpoſiti perfectior ſit ex *Diuo Bernardo lib. de praecpt. & diſpenſat. capit.* 12. *& ſequenti, Diuo Thoma* 2. 2 *q.* 104. *art.* 5. *ad* 3. & quamuis propenſa videatur ex ſe humana voluntas ad proſpera, ab aduerſis autem auerſa, & quo ad nos poteſt in hiſce rebus obedientia ſui valoris non parum amittere, dum circa proſpera verſatur; *At hoc* (vt probe *Diu. Thomas ibidem art. 2. ad finem corporis*) *Intelligendum eſt ſecundum id quod exterius apparet, ſecundum tamen Dei iudicium, qui corda rimatur, poteſt contingere, quod etiam in proſperis obedientia aliquod de ſuo habens, non propter hoc ſit minus laudabilis, ſi, ſcilicet, propria voluntas obedientis non minus deuota tendat ad impletionem praecepti.* Quid quòd ſi æqua pendantur lance proſpera, & difficilia, atque acerba Præſulatus, quam illis hæc ſint maioris ponderis nullus eſt adeo hebes ingenij qui non videat.

12 Reſponderi poſſet ex *Soario* huic argumento perdifficile ſanè eſſe, dari caſum, in quo, non obligante caritate, opus conſilij ſit, Præſulatum adire; cum autem ait, ex ſolo obiecto hoc non ſit conſultius, maximè comparatione facta ad ſtatum religioſum, vt ſumitur *ex cap. Per tuas de voto* oportet vt ob grauem aliquam Eccleſiæ neceſſitatem illud iudicetur melius hanc autem ita effingere ſufficientem ad conſilium ſtatuendum, quod tale non erat, non autem ad præceptum, neque ad obligationem caritatis, valde difficile

13 erit, hæc fere ille. Verum enim verò concedit ex hac inſtantia *Soarius*, ni componamus hunc caſum cum ſtatu Religioſo argumentum allatum concludere, itavt cuicumque Eccleſiaſtico non religioſo iniungatur Epiſcopatus, etiam ſine præcepto, obediendum ſit, atque acceptandus ſit Præſulatus, etſi voto antea fuiſſet ille deuinctus, non acceptandi. Hinc etiam in Religione robur habere argumentum allatum aliquis in hunc modum contenderet, vel quia dari caſus poterit, in quo Deo gratius eſſet, virum Religioſum communi Eccleſiæ inſeruire multo cum fructu animarum quàm eo Religionem non priuare: & ſicut ad euitandum periculi adumbratæ neceſsitatis, quam ſibi quiſque ex alio prauo affectu fingere poſſet, aſsignatum eſt ab aduerſarijs præceptum Superioris, Papæ ſcilicet, quod imponere poteſt, ſic etiam pariter eiuſdem iudicium, præſcriptio, ac ſimplex obedientia, vti regula præſcribi poterit, qua poſita, acceptandus eſſet oblatus Epiſcopatus: ſed quicquid de hoc ſit, quo ad Religioſos Societatis Ieſu profeſſos, de quibus vt ſæpe dixi, animus non eſt diſpu-

diſputandi. Ac de quibus alia vrget ratio; & quia à primis incunabulis noſtra Religio in contrario ſenſu docuit expreſsè ſuos vouere filios. Et quia cum ea hic ſenſus; & vſus in contraria ſententia, & quidem probabili, fundatus adoleſcit. Et quia in re tanti momenti proprio ſuæ vocationis ſpiritu ducta, non modo quod licitè fieri poteſt attendit; Verùm quoad maiorem Dei gloriam, ſuique abnegationem cedit: Tum quia cum Romani Pontifices, qui noſtrum ſæpe confirmarunt inſtitutum, dignitates etiam maiores, purpuramque noſtris hominibus contuliſſent, expreſsè huic voto diſpenſantes, ac ſub peccato mortali præcipientes earum dignitatum acceptationem; religioſum, piumque noſtræ Societatis ſenſum videntur confirmaſſe; Superioris enim actio eſt inſtructio noſtra *Ferrer. in Conſtitution. Cathal. gloſſ. ſexta numero vigeſimo primo*: Et quia expreſſæ illæ diſpenſationes, & iuſſio ſub peccato ſuperfluæ ſanè fuiſſent: Omne autem ſuperfluum à iure reprobatur: *Gonzalez ad regulam octauam Cancellar. gloſſ. decimatertia numero vigeſimoſecundo, & gloſſ. vigeſimaſecunda numero quarto*. Et ſanè ſolutio nodum ſupponit; & obligatio præſumitur præceſſiſſe ex diuturna præſumptione vniformi; vt *Papinian. in l. cum de in rem*, & alij apud *Maſcard. de probation. concluſion. 1124. à numer. primo vſque ad quintum*: Et promiſſio probatur ex implemento eius; quod promiſſum eſt *Cap. ad decorem in fine de inſtitution.* vbi expreſsè Summus Pontifex ex implemento promiſſi cognoſcere contendit, an facta ſit promiſſa: Sic *Lau. Cal. conſil. vndecimo, concluſion. quarta*; & *alij apud Maſcardum concluſion. 1244. numero primo*. Sic etiam ſolutio præſumitur facta ex promiſſione præcedenti, ſicut effectus in cauſa, *l. rem non nouam ad finem Cod. de Iudic. & leg. cùm de in rem ſupra citat. vbi paſſim Expoſitores; Bartol. in leg. 1. §. Si parens ff. Si à parent. quis manumiſſus*, & alij quamplures Legiſtæ, *Abbas concluſione nona numero decimotertio*, quem ſequuntur Canoniſtæ.

Itaque de reliquis certò compertum mihi eſt contra votum eos minimè facturos in præſcripto caſu; *Cap. autem per tuas, citatum ſuperioris diſput. cap. 5. à numer. 2.* demonſtratum eſt, in hoc parum habere momenti. Tantam autem exprimi à *Soario* difficultatem conſilij in hac re, dum multarum Religioſarum familiarum regulæ ad conſilium ſpectent, ac de meliori bono ſunt, non autem ad præceptum, vel ad aliquam charitatis obligationem, mirum ſanè videri poterit. Præterea cum Doctorum cõſenſu à lege diſtinguatur conſilium, quòd poteſtatem non requirit Superioris, ſicut illa, vt optimè *Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 92. articul. ſecundo ad ſecundum & quæſtione 17. de veritat. articul. tertio ad 2.* neque neceſſitatem arguit charitatis; neque obligationem ex ſe obedientiæ: idque ad hanc materiam contractum quid abſurdi, aut difficultatis habeat facilè non videtur. Certum eſt enim quòd Summus Pontifex poſſit conſulere Præſulatum ex magna vtilitate, quæ in aliqua Eccleſia ſpectatur, atque ex maiore Dei gloria, quæ ad oculum hic, & nunc patere poterit, & ſine obligatione præcepti iniungere cuipiam vitam, aliàs fortaſſe oſcitanter, ne dicam otiosè viuenti, vt infulam capeſſat, & paſtorale ad commune bonum obeat munus, quod longè præſtantiùs hic, & nunc, etiam huic iudicat, quàm illud reijcere, ac proinde Papa cenſebitur reiectionem Epiſcopatus minus bonum arbitrari, quàm acceptionem; neque opus eſſe præcepto non adeò vrgentibus ad id interuenientibus cauſis.

14 Confirmatur hoc ipſum ex *Cap. 1. diſtinct. 85. vbi Gregorius Pontifex* ad dignoſcendũ Archidiaconum quemdam, an Epiſcopatu dignus eſſet, inter alia, quæ de illo præcipit inueſtiganda vnum eſt. *Si cunctis ſacroſanctis Euangelijs, ſicut nobis nunciatum eſt iuſiurandum præbuerit, nunquam ſe ad Epiſcopatum accedere*, quibus iudicatur tale iura-

15 mentum illicitum ſanè fuiſſe. Neque ſatisfacit Soarius *numero vigeſimoſexto*; Reſponderis fortaſſis Archidiaconum ſine vlla exceptione obedientiæ Superioris, ad contrarium obligantis iuramentum emiſiſſe: non inquam ſatisfacit, tum quia, ſi reſtrictam tantùm habuiſſet Archidiaconus intentionem, ac mente concepta exceptione obedientiæ, & poſtea declarata iuraſſet nequaquam reprehenſibilis eſſet, quæ vtique, vt ex ſuperioribus aſſertionibus patet, intelligebatur, in eo iuramento imbibita; deinde ſicut in voto ſub intellectam hanc eſſe exceptionem ſæpe diximus, ex communi ſententia Doctorum, ita pariter imbibita, & ſubintelligenda in iuramento eſt: & abſque fundamento aſſereretur Archidiaconus, ea iuraſſe intentione, non adeundi Epiſcopatum, vt etiam à Superiore præſcriptum, non accep-

16 taret. Addit *Soarius* datæ ſolutioni non acquieſcens, Diuum Gregorium præcepiſſe, vt inquireretur de illo iuramento, eo nimirum animo, vt ſi de illo conſtaret, non adſtringendus eſſet Archidiaconus ad Epiſcopatum capeſſendum.

Verùm nihilo eſt hoc probabilius; cum, vt legenti textum patebit, iuramentum inter multa, quæ Archidiacono opponebantur crimina, connumeraretur. Senſus itaque illius textus eſt, vt inquireretur, an electione facta Archidiaconi in Epiſcopum, ob Eccleſiæ vtilitatem, ex illius regimine ſperatam, ille iuramento ad non adeundum Præſulatum ſe obſtrinxiſſet, quod ei ſine dubio crimini datum fuiſſet, ob quod carere debuiſſet Epiſcopatu, ad quem electus erat, vt probè *Gloſſa verb. Sacroſanctis*, quia vitioſum prorſus fuiſſet huiuſmodi iuramentum, vti probè *Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione octaua, articulo ſeptimo ad ſecundum*, ſi quis iuret, ſe non accepturum Epiſcopatum, cùm expedit, iuramentum illicitum eſſe, vt ſupra ex alijs doctis firmaui Auctoribus, communi ſenſu id aſſerentibus.

17

18 Obijcies, vel hic, quin faceret contra votum, poſſet adire Præſulatum ex notabili mutatione materiæ, quæ hic, & nunc cenſetur in maius Dei obſequium cedere, vel ex declaratione Pontificis: Si primum dixeris, poterit quilibet etiam voto ligatus, non expectato Pontificis iudicio, Præſulatum acceptare: ſi ſecundum, cum declaratio non ſit authentica, poterit etiam haberi per cuiuſcumque alterius probati, docti, ac prudentis viri æſtimonium: vtrumque autem abſurdum eſſe negabit nullus, qui in meridiana luce non cæcutiat.

19 Reſpondeo, à priori, & per cauſam formalem extrinſecam actum voti, nimirum per ſingularem obiecti mutationem ſuo carere robore; quamobrem de voto non acceptandi Epiſcopatum ſentiendum eſſet, vt docent Doctores de alijs; dum maius eſſet bonum illum acceptare; dicimus tamen per declarationem Pontificis, tanquam per certiſſimam omnium regulam, hoc innoteſcere debere habenti votum; & quamuis altera regula, prudentium iudicio freta, aſſignari poſſit; nihilo tamen minus nè gratiæ locus detur, nè ambitio ſubrepat alicuius animum, nè aditus pateat ſuperbiæ, nè quis ſuæ vellet etiam ad hanc materiam mutationis in melius iudicandam initi prudentiæ, atque vmbra maioris perfectionis, ſectari ac prenſare contenderet dignitates: idcirco non formale præceptum modo, de quo non eſt nunc controuerſia, ſed explicitum iudicium, iuſſionemque Summi Pontificis, non tamen ad peccatum obligantis, tanquam infallibilem aſſignamus regulam, ex qua num electio, vel poſtulatio perſonæ alioquin voto ligatæ à Regibus, Summis Principibus, ac Rebuſpublicis, executioni mandanda ſit, etiam dijudicandum erit.

20 In dubio verò *Soarius modo laudatus numero vigeſimoquinto* huiuſmodi votum abſolutum in ſuo robore eſſe putat; quòd cum ſit certum in ſe, ac dubitetur, num obliget, nec nè, poſita iuſſione, vel ſignificatione voluntatis Pontificiæ, ius ha-

21 beat vtique præferendum. At ego præmitto, de dubio ſermonem eſſe, ac de hoc bifariam: aut enim verſatur circa mutationem materiæ in minus bonam, vel malam: aut de opinione probabili: ſi dubium ſit, an mutatio materiæ de meliori bono in minus bonum, tanta fuerit, vt deobligari poſſit à voto: hoc, de quo loquimur, ſuo non eſſe deſtitutum robore pronuncio. Ratio eſt quia conſtat de voti emiſſi valore, ac dubij tantum hæſitamus, an ita materia promiſſa mutata ſit, vt apta perſeueret voti, quod videtur poſſidere, non ſecus ac quando certa nobis eſt lex, dubium autem verſatur, an adſit legitima cauſa excuſans nec nè, vel quando materia dubitatur, an ſit mala, vt *capite tertio, & quarto* dictum eſt; obligat illa lex, quia certa ei fauet poſſeſſio; vt alijs comprobat eruditè *Sanchez libro quarto ſummæ capite ſecundo numero trigeſimoquarto*; licet in noſtro caſu vix dari poſſit hic caſus accedente auctoritate Pontificis, quæ dubio præponderaret, ob doctrinam *capite tertio* allatam *numero quadrageſimo octa-*

22 *uo*, hoc à fortiori probantem. Semper tamen deponendum eſt dubium practicum, practicè, atque in ordine ad executionem dictans contrarium, nè cum eo operemur, vt ſatis abundè *capite tertio* dictum eſt, & docuere de hoc voto *Hoſtienſis in ſumma titulo de voto numero quarto, Abulenſis capite trigeſimo quæſtione quinquageſima ſeptima, apud Sanchez citatum capite octauo, numero trigeſimoſeptimo*, & alij quamplures doctiſſimi Auctores, quod conciuit doctrinæ *concluſionis quinta numero 9.*

23 Demum, quando rationes probabiles eſſent, ſeruanda ſunt, quæ diximus ſupra *capite tertio, & quarto huius diſputationis.*

24 Conſultò dixi, poſſe tali voto ligatum Epiſcopatum capeſſere; quia præcisè ex propoſitione Pontificis, vel iuſſione, ſine obligatione præcepti; cum res conſilij tantum præſcribatur finibus, non tenebitur parere, vt enim res contra-

quod-

quodlibet aliud conſilium, neque obligat, neque ex ſe eſt mala *Apoſtolo 1. ad Corinthios 7.* ſic de noſtra ſentiendum eſt. Verùm enim verò, cùm, vt doctè *Vazquez 1.2. diſputat. 143. capit. primo numero ſecundo*, licèt ex ſe peccatum non ſit, non ſeruare conſilium, vt nec tranſgredi regulam in religione, quæ ex ſtatuto ad peccatum non obligat, ſed loco conſilij poſita eſt, poſſet tamen, nec rarò peccato inſici talis actus ex malo fine, quo quis affectus, mouetur contra conſilium, conſequenter aſſero, in re noſtra poſſe quempiam obligatum voto non acceptandi Præſulatum peccare, ſi eum contra conſilium reijciat, vel ex puſillanimitate, aut ignauia, aut per ſuperbiam, qua ſuum præferat iudicium, iudicio Pontificis, ob prauum finem, vel poſſet bono ex bono eundem actum honeſtare.



DISPVTATIO VLTIMA.

An, & quo Sacro initiatus Ordine debeat eſſe Promouendus in Epiſcopatum.

Ex antlatis hactenus laboribus in hoc primo mei Operis Tomo condendo, ſuprema finem imponens Diſputatio, non ad valorem ſe extendit Epiſcopalis Ordinis, expendens nimirum quem alium ſacrum Ordinem ille neceſſariò petat in perſona ad infulam promouenda; hoc enim partim *libr. 2. diſputat. 7. cap. 2.* præſtitimus: partim ſequenti volumine enucleatius expenſuri ſumus, ſed hanc vltimam tantùm conditionem requiſitam in Promouendo ad Epiſcopatum declarabit, vt, quando quis licitè poſſit in Antiſtitem eligi, liquidò conſtet.

CAPVT VNICVM.

Quem expoſtulet ordinem Epiſcopatus in perſona licitè promouenda.

S V M M A.

Status & membra quæſtionis diſputandæ. numero 1.

Sacro carens ordine non eligi, ſed poſtulari poteſt in Epiſcopum. num. 2.

Monitio Petri Damiani nè inexperti, vel non gradatim promoueantur, ibidem.

Nunc ſubdiaconus in Epiſcopum validè poteſt eligi. num. 3.

Generali Conſilio non cenſetur à Papa derogatum, ni facta de eo ſpeciali, atque expreſſa mentione. num. 4.

Lex poſterior indiſtincta per priorem explicãda & limitanda eſt. num. 5.

Sex menſes præſcripti à Tridentino, in quibus ſacro initiatus ordine debeat eſſe Promouendus ante promotionem ad Epiſcopatum non metaphiſicè, ſeu mathematicè debent eſſe completi. num. 6.

Etſi probabile ſit contrarium. num. 8.

Quid ſit morale temporis complementum, tempuſque, moraliter eſſe completum. n. 7.

Qua ratione probandus hic ſemeſtris ſit num. 9. remiſſiuè. num. 10.

Duæ referuntur ſententiæ de computatione facienda in anno biſextili. nu. 11.

Regula ad rem fauorabilem, vel odioſam dignoſcendam. num. 12.

Auctoris ſententia. num. 13.

Perſonæ ſacro ordine non initiatæ nulla eſt electio in Epiſcopum, quæ nec conualeſceret, etiam ſi, dum præſentatur, iam eſſet ordinata. num. 14.

An per ſaltum conſecratus Epiſcopus in ſuſpenſionem incurreret. num. 15.

Solius eſt Summi Pontificis in hoc diſpenſare num. 16.

1 QVatuor nobis hęc quæſtio proponit enucleanda. Primum, an ſatis ſit, perſonam euehendam ad Epiſcopatum, ſolo ſubdiaconatus ordine eſſe inſignitam; Secundum, an Tridentini diſpoſitio ſex præſcribens menſes in quibus ſacro debeat eſſe ordine præmunitus in Epiſcopum promouendus, petat omnino expletos nec ne? Tertium, quid ſi electio fuerit facta viri ſacro carentis ordine, qui eo poſtea inſignitus ſummo Pontifici ſe ſiſteret, confirmationemque peteret. Quartum, an per ſaltum Promotus Epiſcopus, cenſuras incurrat contra hoc peccatum ſtatutas.

2 Prima concluſio, ſacro carens Ordine nō eligi, ſed poſtulari in Epiſcopum poteſt. Prima pars deciditur *Capit. Dudum il* 1. *de elect. ibi Gloſſ. Panorm. num.* 12. *& alij in citatum Canonem Scriptores Bardacb.* 1. *part.* 2. *libri fol.* 109. *num.* 15. *deducitur ex cap. Cum in cunctis eodem titulo & cap.* 1. *diſt.* 61. Secunda pars patet ex dicto capit. *Dudum adiuncta Gloſſ. cap. Nullus diſt.* 61. *cap.* 1. *adiuncta Gloſſa cap. litteras diſt.* 63. *& cap. Innotuit de elect. cap. Oſius diſt.* 61. *& alijs paſſim textibus*. Ratio autem congruentię eſſe poteſt, quia temerarium ac præſumptuoſum videtur eſſe, ex ſeculi fece ad culmen Chriſtianæ, atque Eccleſiaſticæ perfectionis non gradatim aſcendere, nec per Eccleſiaſticos ordines documentum ſui dantes clericos, vel religioſos tendere ad Epiſcopatum, quòd ſi Promouendi ad ſacros quoſcumque ordines deberent in ſingulis antecedentibus eſſe verſati, ſaltem per annum, vt ſancitum eſt per *Tridentinum ſeſſ.* 23. *capit.* 3. quid de ſacro Epiſcopatus ordine ſentiendum erit? & quidem omnibus Prælatis ſedulo perpendendum eſt, quod *Sanctus Petrus Damianus* doctè, ac prudenter ſcripſit *lib.* 6. *epiſt.* 7. *ad Abbates, & Monachos. Vnum autem in iſtis nouellis Abbatibus video, quod vehementer admiror, qui enim per decem annos, vel eo amplius ſub alterius regimine conſtitutus nunquam ad hanc potuit peruenire ſcientiam, vt perfecte monachus videretur: nunc ipſo die quo in prælatione conſtituitur ita præſidentis induit ſpeciem, ita dominantis, exprimit maieſtatem, vt non nuper electum, ſed natum dicas Abbatem. Fit repente ſeuerus in vultu, imperioſus in voce, ad corripiendum acer, ad iudicandum promptus. Ipſe ſi offenderit iam omnino ſatisfactione ignarus; dedignatur accumbere niſi in octogena ſella, ita præparata, ac ſi ſenatoria curulis in curia &c.* Quæ eò tendunt, vt quàm iuſtis de cauſis ſeruandus ſit gradus ad prælationes, decreuerint ſacri Canones liquido videatur; ni virtutum, quibus quis ornatus eſt, ſplendida lux omnium ita ad ſe pelliceret oculos, vt cæcutire eſſet ſecularem inſtituto, non moribus, religioſiſſimos quoſque ſuperantem, non eligere, cuius probata vita, ſenectus ſit eccleſiaſtica, vt aliàs *Trident. citatum cap* 12. ſic Beatus electus fuit Nicolaus: Seuerus ex lanificio ad Archiepiſcopatum euectus; In Archiepiſcopum promotus Ambroſius, nec dum baptizatus. Cœterum præexcelſa morum alicuius probitas, vt à ſummo Pontifice poſtuletur, ſatis quidem erit; non tamen, vt validè eligatur, vt certa de re tanta ſit regula. Hinc *Innoc. epiſt.* 2. *ad Aorelium. Miſerum eſt* (inquit) *magiſtrum qui nec dum didicit eſſe diſcipulus*, habetur *diſt.* 18. *Initio*, quod legendum eſt. Merito igitur Apoſtolicum præceptum vrget ad *Timoth.* 3. Ne Neophytus in Epiſcopum eligatur. Verum hac noſtra tempeſtate præ oculis doctrina habenda eſt *Sanctiſſimi Gregorij lib.* 7. *epiſt.* 10. *relata capit. ſicut diſt.* 48. *Sicut Neophytus* (inquit) *tunc dicebatur, qui initio ſanctæ fidei erat eruditione plantatus, ſic modo Neophytus habendus eſt, qui repente in Religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit; Ordinatè ergo ad ordines, accedendum eſt, nam caſum appetit, qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum: ſcimus autem, quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, niſi à nouitatis ſuæ humore ſiccentur, nè ſi ante pondera, quàm ſolidentur accipiunt, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant.* vide *Turrec. initio diſt.* 48.

3 Secunda concluſio. In præſentia ſubdiaconus in Epiſcopum validè poteſt eligi, ſic *Azor part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28. *quæſt.* 7. *Tol. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 5. *& quamuis Cap. illud.* 77. *diſt.* à *Gaio Papa ſub anno* 283. decretum ſit, per omnes gradus, ordineſque ſacros aditum patere ad Epiſcopatū prorſus debere, quod alij Textus etiam requirunt *Innocent.* tamen *Tertius cap. A multis de ætat. & qualit. ordinand.* ſtatuit ſacro ſubdiaconatus ordine tantum inſignitum, quemcumque poſſe in Antiſtitem eligi, cui concinens *Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *de reform. Verum etiam* (ait) *in ſacro, ordine antea ſaltem ſex menſium ſpatio conſtitutus*. Non me præterit *Gregorij XIV. conſtitutio de for. fac. proceſſ. data anno Domini* 1590. *prima Maij*. Quæ dum Epiſcopi qualitates præſcribit plurali vtitur numero hiſce, *Sacris ordinibus ſaltem ante ſex menſes initiatum eſſe*, qua doctus auctoritate *Auguſt. Barb. de off. & poteſt. Epiſcop.* 2. *part. alleg.* 1. *nu.* 36. videtur aſſerere non ſatis eſſe ſubdiaconatum, ſed alijs inſignitum eſſe debere ordinibus eum, qui ad Epiſcopatum licitè eligendus eſt; verum ab aſſerta concluſione hoc me minimè remouet, tum quia

San-

Sanctum Pontificem, qui Tridentino dum Cremonenſi præerat Eccleſiæ interfuit, cuius decreta mandari à tota Eccleſia executioni tãtopere peroptabat, vt patet ex eius verbis. *Nos igitur, qui cum in minoribus conſtituti Cremonenſem Eccleſiam regeremus in eodem Concilio cum ſanctis, & egregijs illis Patribus interfuimus &c. magno ſemper deſiderio flagrauimus, vt tam ſalubria generalis Concilij decreta executioni debitæ mandarentur, atque ita fieri pro virili parte curauimus.*

4 Credibile non eſt ipſi Concilio derogare voluiſſe. Adde Generali Concilio non cenſeri derogatum, niſi facta eius expreſſa, & ſpecifica mentione per hanc formulam, *non obſtante aliqua lege, aut conſtitutione in Concilio Generali edita* vt colligitur *ex capit. Ex parte, & capit. Vltimo de cappellis monachor. & cap. Eam te de ætat. & qualit. cap. Nonnulli de reſcript. & docent Archidiac. cap. 1. de conſt. in 6. Felin. dicto capit. Nonnulli num. 3. Pariſ. conſ. 2. num. 30. lib. 2. ſolut. de benef. 3. part. quæſt. 11. num. 31. Nauar. ſum lat. cap. 17 num 265. Couar. variar. cap. 16. num. 6. & 4. decreti 2. part. cap. 8. § 9. num. 6. ex communi ſententia Molin. tom. 1. de iuſtitia tract. 2. diſput. 173. Sanch. lib. 3. de mat. diſp. 26. num. 7. apud quos alij.*

5 Demum quia lex poſterior generaliter, & indiſtinctè quid ſtatuens, limitanda eſt per ſpecialem antiquiorem, vt alias dixi, niſi expreſſis ei verbis contradicat, per *leg. ſed & poſteriores ff. de leg. ibi poſteriores leges ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint*, de quo plura videri poſſunt exempla apud *Bartol. in Repetit. in l. ſcire leges ff de leg. & Angelum §. ius autem ciuile. inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. verſ. quarto caſu: principali, & quid Nicol. Euerard. de locis loco à ratione legis*; probatque multis *Sanch. lib. 2. de mat diſp. 24. num. 6.* eſſe autem in ſacris communi loquendi modo cum dicimus, qui ſubdiaconatu, tanquam aliorum ordinum fundamento inſignitus eſt.

6 Tertia concluſio. Præſcriptos à Trident. ſex menſes, quibus antea initiatus ſacro debet eſſe ordine Promouendus in Epiſcopũ, probabile eſt non arithmeticè, ſed moraliter deſiderari completos. Ratio autem eſt, quia *Tridentinum* antecedentes ſex menſes exactos expreſsè non præcipit; atqui conſtitutus in ſacro cenſetur ordine ſex menſium ſpatio, qui vno vel altero die deficiente, ad ſex menſes inſignitus fuit, & ſpatium illud moraliter completum cenſetur, quia, *quod parum diſtat à re, parum aut nihil diſtare videtur*, vt nos ex *Philoſopho* diximus *2. phyſicor. cap. 3. text. 56 & alijs* Theologis, cum *Diuo Thoma 2. 2. quæſt. 62 art. 2. ad 4.* atque Iuris peritis *lib. 2. diſp. 3. cap. 1. num. 5.* & eſto hoc interiacens ſpatium inter primum ordinem ſacrum, & promotionem ad Epiſcopatus ſtatum in fauorem Epiſcopalis dignitatis currere videatur de momento in momentum, ex his quæ loco citato *num. 6. ad finem* tradidimus, quia tamen modo citatum Tridentinum in ablatiuo caſu & ſimillimo ei, quo *Clem. Generalem* Initiandosq; ſubdiaconatu Diaconatu, & Sacerdotio exprimit ætatem, ad quam non completi requiruntur anni præſcripti, vt loco paulo ante laudato docui, idcirco hoc idem de horum ſpatio menſium ſentire valde probabile puto.

7 Quæres quid ſit temporis ſpatium eſſe moraliter completum? Reſpondere primũ poſſet, vt *Diuus Thom. in 4. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. ad 7.* de ſeptennio ſponſalium, quæ valent contracta diebus proximis ſeptennio, quia, *quod parum diſtat à re nihil diſtare videtur.*

Aſſeri etiam poſſet cum alijs biduum, vel triduum quod deſit, non officere ſex menſium complemento, vt de ſeptennio ſcripſere *Diuus Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 18 initio. Syluest verb. ſponſalia quæſt. 2. ibi Tabien. quæſt. 4. num 5. Io: Andreas cap. litteras de deſponſ. impub. num. 2. & 3. Reg. lib 6. ſum. caſ. 101.* idem dicit, licet decurriſſet hebdomada; idem ſi aliquid amplius hebdomada ſcribunt *Sot. in 4. diſt. 27. quæſt. 2 art. 2 ad 3. Vgold. ſund. mater. de ſponſalib. 1. part. num. 15. idem Victor ſum de mat. num. 154 Veracruz 1. part. specul. art. 16 §. 1. ſponſalia*, vbi ſponſalia valere pronunciant, quando contrahentes ſeptennio nimis propinqui ſunt. Qui quidem Auctores de biduo, vel triduo deficiente hiſce ſex menſibus, de quibus loquimur, probabiliorem faciunt opinionem allatam; ſeruata proportione ad ſeptennium, reſpectu cuius plures poſſent indulgeri dies, ad morale eius complementum, quam pro complemento ſex menſium ad rem noſtram deſideratorum.

8 Conſulto probabilem hanc tantum aſſerui concluſionem; quod oppoſitam non eſſe deſtitutam probabilitate teneam; tum ex his quibus ætatem Præſulis *lib. 2. diſp. 7. cap. 1.* dixi currere de momento in momentum, quæ huc transferri facile poſſunt, eo vel ipſo, quod in fauorem Epiſcopalis dignitatis ſtatuta hæc ſit intercapedo inter primum ordinem ſacrum, & ſacrum Præſulatum; tum quia à certa die tempus hoc præſcribitur computandum, vt ſequenti dicam aſſertione, quando autem tempus hac ratione præfinitur de momento in momentum currere, docetur expreſſe *leg. 3. §. minorem ff. de minor. & alijs relatis ab Anton. bom. leg. 72. Tauri numero 25. Tiraq. de retract. lignag. §. 1. Gloſſ. 11. à numero 171.* vbi eruditè de

reli-

reliquis ad tempus ſpectantibus.

9 Quarta concluſio. Hi ſex menſes à die ſacri ordinis recepti vſque ad electionem computandi ſunt, ita vt primus menſis ita ſumatur, vt occurrit illo tunc in Kalndario, quodque ex illo menſe deficit ſufficiat ſequens, itaque ſinguli triginta, vel vnum ſupra triginta ſibi vendicent dies, vt in Kalendario. Fiat res exemplo clarior, fuerit quiſpiam ſubdiaconatu inſignitus in vno quatuor temporum hyemalium verb. grat. incidente poſt tertiam Dominicam aduentus die ſecunda Decembris complebitur profecto primus menſis ſecunda Ianuarij, ſecunda pariter die Februarij, ſecundus ac ſic deinceps vſque ad ſextum, qui ſecunda Iunij die cenſebitur expletus; deduco ex *Gloſſa capit. Quam ſit de elect. verb. menſem*, *& ibi Domin. §. elect. num. 2. Franch. eodem §. numer. 4. Bartol. leg. Cum biſextus num. 1. ff. de verb. ſignif. Ant. cap. licet nu. 12. de ſupplend. neglig. Prælator. Abbas num. 6. Menoch. ex alijs lib. 2. de arbit. conſ. 1. caſ. 50. nu. 21. Sanchez lib. 3. de mat. diſp. 24. num. 15.* quem (ni Typographi error ſit) non ſatis intelligo cui trimeſtrem inceptum octauo Ianuarij, perfici velit ſeptima Aprilis, cum *Menoch.* & reliqui, vt modo ipſe ſupputant, ſupputent menſes vel 31. vel 30. dierum pro vt in Kalendario contingunt, neque vnum demunt diem illum, ſcilicet, termini à quo incipit computari, vt *Sanch.* videtur facere. Ratio autem noſtræ concluſionis eſt, quia rationi, & communi loquendi modo hæc ſupputandi ratio magis conſentanea eſt. Et confirmatur; tum ex trimeſtri ad acceptandam electionem ad Eccleſiam regendam, de quo *Clem. citata*: tum ex bimeſtri conceſſo *capit. Cum ex publico de conuerſ. coniug.* vt ſponſi de religionis ingreſſu deliberent, qui vt alij, hoc, quem indicauimus, modo connumerantur. Dixi vſque ad electionem, quia, quãuis nouerim, nonnullos confusè rem explicare, nimirum vſque ad promotionem, ſub qua electio venire, nec non conſecratio poteſt; verum ego ex rationibus primæ concluſionis, ordinem ſacrum ſex menſium ſpatio ad ipſam electionem præcedere, opus eſſe ſentio.

10 Qua ratione autem probandus ſit hic ſemeſtris docui *cap. 1. diſp. 2. citata*, vbi ex quibus etiam momentis id præſtandum ſit indicaui.

11 Quid autem in anno biſſextili ſentiendum ſit, & quando ſemeſtris cenſeretur in illo completus, duas Doctorum, de re ſimili (cum præſentem non agitent) inuenio ſententias. Alteram duos biſſexti anni dies pro vno computandos docentẽ ex *cap. Quæ ſunt de verb. ſignif. in fine, & leg. Cum biſextus ff. eo titulo de munerib. & leg. 3. § minorem ff. de minor. ſic Lambertinus de iur. pat. lib. 2. part. 2. quæſt. 1. art. 15.* alteram in fauorabilibus duos dies pro vno cedere aſſerentem, ſecus in odioſis. Vnde ſuſpenſus per menſem, ſi menſe Februarij biſſextilis anni incipiat, poterit celebrare vltima Februarij die, vt habet *Gloſſ. cap. Quæſiuit citato, verb. quaſi, & capit. Nullus 55. diſtinct. in fine, & capit. ſi propter de reſcript. in 6. verb. primi anni, ſic Archidiaconus dicto capit. Nullus & alij quos citat, & ſequitur Sanch. lib. 2. de mat. diſputat. 24. numero 18. Qui lib. 2. diſputat. prima numero quarto.* Ad fauorabilem, vel

12 odioſam rem agnoſcendam eam aſſignat regulam, vt inſpiciatur primarius diſpoſitionis finis; qui ſi fauor erit, fauorabilis: ſi odium odibilis res procul dubio cenſenda eſt. In re autem noſtra, cum finis intentus fauor ſane ſit, atque æſtimatio Epiſcopalis dignitatis, videtur conſequẽter deduci eam connumerandam eſſe inter fauorabilia, ac proinde vno comprehendi die duos illos biſextiles.

13 Ego verò neutri, licèt probabili ſubſcribens opinioni relatæ aduoto: vel alicui ſententiam probabilem *num. 6.* traditam placere, docentem hoc ſex menſium tempus de momento in momentum non currere; vel contrariam: ſi primam, nodus quæſtionis facile ſoluitur; cum etiam biduo antea vel vno die cenſetur ſemeſtris completus, vt ibi docuimus ad quod comprobandum, adminiculo poſſet eſſe prima ſententia *præcedenti num.* relata; duos beſſexti dies in vnum quaſi contrahens; quod ſi arriſerit altera ſententia contraria *num. 8.* deſcripta, tunc quamuis prima fronte videri poſſet, idem dicendum eſſe, ac quod docuimus *diſp. 3. citata capit. 1. num. 3.* hos nimirum compleri menſes ſecundo tranſacto die, qui dicitur biſſextus; nihilo tamen minus aliam hic eſſe rationem, ac ibi opinor; nam ibi idcirco ætatem Epiſcopi, vel deſideratam ad religioſorum profeſſionem, aut ſimilem in ſecundo cenſeri die diximus perfectam, qui dicitur ſexto Kalendas Martij, vigeſimo nimirum quinto die Februarij, & nõ vigeſimoquarto; quod dies ſecunda ad integritatem facit quadriennij, vt ibi declaratum eſt, & completur ſex horis ſingulorum annorum ſuper excedentibus 365. dies, quibus ſinguli conſtant anni; atvero, cum ſinguli anni ex trecentis ſexaginta quinque diebus & ſex ferè horis vt diximus integrentur, ſequitur neceſſario, ſemeſtrem compleri centum octuaginta duobus diebus naturalibus, cum dimidio, nec non tribus horis: quare incedente biſſextili anno, ex die ſecunda nimirum vigeſima quinta Februarij, ad comple-

men-

mentum ſemeſtri, tres tantum horæ videntur ſpectare, & conſequenter iudicarem, ſemeſtrem, qui alio in anno perfectus cenſeretur vigeſima quarta Februarij per complementum centum ſexaginta duorum cum dimidio; eo quod initium à vigeſimo tertio cum dimidio Auguſti habuerit, quando, ſcilicet, quis ordine ſacro fuit initiatus; in anno biſextili vigeſima quarta die februarij, tribus additis horis, ex die vigeſima quita detracta eiuſdem Februarij, cenſendum eſſe completum.

